BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
E
32
NAPOLI

F

XLVIII C 31 32 34

L·402. 6. a 8.

Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



Lipsiæ & Francofurti.
Sumptibus Christophori Seidelij Bibliopolæ Magdeburgensis.

Joh. Chr. Böcklin sc.

JOHANNIS MICRÆLII,
POMERANI

HISTORIA ECCLESIASTICA,

QVA

Ab Adamo *Judaicæ*, & à Salvatore noſtro *Chriſtianæ Eccleſiæ* ritus, perſecutiones, Concilia, Doctores, Hæreſes & Schismata proponuntur,

editæ curâ

DANIELIS HARTNACCI,
POMERANI,

qvi Qvinta hac Editione

Loca in margine citata adjecit, & continuationem plane novam ita adornavit, ut Hiſtoria Hæreſium & Schiſmatum locupletior, ex utraqve parte Scriptores præcipui, & heterodoxorum verba maxime perſpicua exhibeantur.

CUM PRIVIL. S. MAJ. POL. ET ELECT. SAXON.



LIPSIÆ & FRANCOFURTI,
Sumptibus CHRISTOPHORI SEIDELII,
Bibliopol. Magdeburgenſ. 1699.
Typis ANDREÆ ZEIDLERI.

VITTORIO EMANUELE III - BIBLIOTECA NAZIONALE - NAPOLI

SERENISSIMO AC
POTENTISSIMO

REGI ET DOIMNO

DN. FRIDERICO QVARTO,

DANIÆ ET NORWEGIÆ,
GOTHORUM VANDALORUMQVE
REGI HÆREDITARIO,

DUCI SLESWICI, HOLSATIÆ,
STORMARIÆ ET DITMARSIÆ,
COMITI OLDENBURGI
ET DELMENHORSTII

&c. &c. &c.

Digitized by Google

PIO JUSTO
AUGUSTO ATQUE FELICI,

VERÆ ET SINCERÆ RELIGIONIS
VINDICI MAGNANIMO,

LIBERALIUM OPTIMARUMQUE ARTIUM
ASSERTORI DESIDERATISSIMO,

PATRI PATRIÆ OPTIMO
REGI EXOPTATISSIMO,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

VI-

Digitized by Google

VITAM LONGÆVAM
FELICITATEM CONTINUAM,
QVAM
NOSTRA TEMPORA ADMIRENTUR
SECULA INVIDEANT
VENTURA ÆTAS ADMIRETUR,
GLORIAM NOMINIS
UNIVERSO ORBE PERENNEM,
REGNUM PACATUM
TERRIS OPIBUSQVE AUCTUM
POPULUM PIUM AC FIDELEM
EXERCITUM FORTEM,
ET
QVÆCUNQVE PRINCIPIS CHRISTIANI
VOTA ESSE POSSUNT,

MENTE DEVOTISSIMA

HI-

HISTORIAM SIMUL HANC ECCLESIASTICAM

HUMILLIME

DICANS CONSECRANS OFFERENS

APPRECOR

EJUSDEM

REGIÆ MAJESTATIS

Servus ego humillimus

DANIEL HARTNACCIUS,

Pomeranus.

SE-

SERENISSIME
AC
POTENTISSIME
REX,

DOMINE CLEMENTISSIME,

Viceſimus jam labitur annus, cum Eccleſiaſticam Micrælii Hiſtoriam ad illa usque tempora à me perductam in Electorali Saxonia ederem; juxta vero jam decimus tertius, cum ad Laurenbergii lineam Hiſtoriam Univerſalem in ampliſſimi Regni

TUI finibus adornatam, TIBI, REX POTENTISSIME, humillimè conſecrarem. Quemadmodum vero ex illo tempore non potui non aſſidue recordari, quæ ſub piiſſimæ nunc memoriæ PARENTE TUO vitæ prope per decennium traductæ commoda perceperim; ita cum Eccleſiaſtica hæc Hiſtoria nova à me continuatione aucta ſuperiori Vere recudenda eſſet, eandem viciſſim TIBI PRIMOGENITO atq; HÆREDITARIO ea tempeſtate Regnorum illorum PRINCIPI, quibus REGIA jam MAJESTATE feliciter praees, humillime ac gratiſſima mente dicare conſtitueram: factum autem morte celeberrimi Theologi, Joh. Benedicti Carpzovii, *in cujus manibus operis hujus reliquiæ erant, quo minus nundinis iſtis Lipſienſibus, prælo labor meus abſolvi potuerit. Aſt cum ultimam nuper à Typographo operi manum adhibitam acciperem, fato quodam factum reor, ut in Prælectione Svetonii eodem ipſo tempore in vita optimi Imperatoris Flavii Veſpaſiani ad capitis quinti comma ſeptimum ordine proveherer, quo inter alia felicia imperii ejus omina relatum, quod* arbor Cupreſſus in agro avito ſine ulla vi tempeſtatis radicitus evulſa atque proſtrata, inſequente mox die viridior atque firmior reſurrexerit. *Subdubitabam initio, qui iſtud factum; neque enim Suetonii æque ac nonnunquam aliorum fides mihi ſuſpecta erat; præcipue quod Autor illis temporibus proximus & in Imperatoris hujus vitam ſe* ſatis curioſe inquiſiviſſe *profiteatur: ſed occurrebat ſimul ejusdem rei teſtis Tacitus 2. Hiſt. cap. 78. nec non Xiphilinus in Brev. Dion. p. 317. & Plinius tandem l. 16. Hiſt. Nat. cap. 32. plurima ejusdem generis exem-*

exempla afferebat. Hæc vero dum ita mente volvo, prima ſtatim incerto autore de GLORIOSISSIMI HEROIS, OPTIMI PARENTIS TUI *beato obitu in his terris fama percrebuit; Ea ergo magis porro magisq; confirmata*, cecidiſſe quidem in ampliſſimo Daniæ Regno Cupreſſum: mox tamen viridiorem & firmiorem in *TE, REX AUGUSTISSIME*, reſurrexiſſe; *indeq; hunc librum non tantum PRINCIPI: ſed jam REGI quoq; HÆREDITARIO, quin hoc auſpiciis felicioribus offerendum ratus ſum, quod inter Scriptores publicos prima ſe forte mihi, ita volente Deo, occaſio offerret, qua meam quoque hac propter teſtari lætitiam, & mea ſimul ſtudia meosque BENIGNISSIMO REGI, SINCERÆ RELIGIONIS VINDICI atq; ARTIUM OPTIMARUM ASSERTORI* DESIDERATISSIMO *approbare poſſem. Etſi enim nemo eſt, quin graviter doleat hoc præſertim tempore fuiſſe in fatis, ut in ipſo æternaturæ gloriæ incremento, quo vertentem nec ullibi REX INCLYTUS, nec unquam fortunam expertus fuerat, maximis rebus feliciter geſtis, operibusq; plurimis commode inſtitutis, fractus curis, feſſus laboribus, eâ quæ omnium natorum eſt conditione, finem imponeret: Reverſus tamen & commoraturus in TE, REX AUGUSTISSIME, videtur Regiarum omnium virtutum herede, dum quod continuis viginti annorum vigiliis, curis laboribusq; ſervarat Regnum TIBI ceſſit, & eminus jam è ſublimibus aſtris, ſicuti Numæ temporibus novos ſub TE prodire menſes, annosque augeri intuetur. Quodſi PIETATE & JUSTITIA, uti Imperator Auguſtus cenſuit, Principes Dii fierent, Dei utique in Regno*

non

non modo vicem gesſiſſe: ſed imaginem quoq; prætuliſſe liquet. Magnitudinem certè animi, Fortitudinem & Conſtantiam, neq; minus Moderationem, Clementiam & Placabilitatem ita approbavit univerſis, ut nullus planè ſit, etiam inter exteros, qui illas in EO virtutes non modis omnibus prædicet. Nulla ſanè unquam obſcurabit oblivio, neq; delebit vetuſtas, quæ meritisſimus ad LLUM de Eccleſia noſtra Theologus B. Quenſtedius *in Dedicatione Syſtematis:* NIHIL EUNDEM ſincero & religioſo Chriſti Salvatoris noſtri cultu antiquius, nihil vera ac ſalutari religione ac fide prius habuiſſe, Eccleſias Scholasque, ὡς φωνητικὰ ὄργανα divinæ laudis impenſe foviſſe, benigne nutriviſſe, glorioſe auxiſſe, cumulate amplificaſſe fortisſimeq; eſſe tuitum. Quicquid hæreticum, quicquid pietati adverſum, Regnis ſuis arcuiſſe, ac incredibili ſtudio res ſacras adjuvaſſe, defendiſſe & fuiſſe moderatum. *Alius quoq; ex eodem numero:* Si Socraticus ille Xenophon reviviſceret, minime dubitandum, quin Cyro præterito, CHRISTIANUM V. Daniæ Regem ſibi unum deligeret, cujus ad exemplum, imaginem perfecti, omnibusque numeris abſoluti Regis deſcriberet. *Ex illo ergo Parente ut TE REGEM FELICISSIMUM orbis Chriſtianus æſtimat: ita nunc porro hoc magis ex TE æſtimabit EUNDEM, cujus jactura graviſſima & pene intolerabilis fuiſſet, niſi TU, REX OPTIME, ſtationi Ejus ſuccesſiſſes; In his ſiquidem laudum & gloriæ gradibus atque curſu non ſolum æquare TE PARENTEM: ſed ſuperaturum etiam plerique ominantur; cujus fama jam pridem ſumma & immortalis, nunc quo-*

quoque per TE creſcit, Tuæque gloriæ gradibus Regii faſtigii apicem tranſcendet. Ille ergo redditus quidem cœlo verè PATRIÆ PATER, quia TUUS: eo ipſo autem deſiderandus, quod SUCCESSORE TE non deſideretur; quem ne exceſſiſſe quidem arbitramur, niſi dolor ſuaderet; imo exceſſiſſe vix induci poſſumus ut credamus, cum TE REGEM intuemur. Quo enim pacto exceſſiſſet omnino, qui in TE & REGIA MAJESTATE TUA, in ore omnium & famæ honore vivit? Quod ſi modo ſubtilius rimari cœleſtium cauſarum arcana momenta licet, ſi non diſcedendum illi, quod divina vis animi caduci corporis hoſpitium & anguſtas moras ægre ſuſtinebat: diſcedendum fortaſſis ideo, ut hoc citius virtutibus TUIS amplior campus ſubſterneretur, atq; exſurgenti TIBI pronior gloriæ occaſio naſceretur. O TE ergo EXOPTATISSIMUM REGEM! quo Autore proxime inituri felicitas ſeculi pulſam virtutem atque oberrantes paſſim artes reducet; quem Præſidem & Cuſtodem & Propugnatorem, Conſervatoremque literarum glorioſiſſimis titulis eruditus orbis nuncupabit; apud quem denique toga & ſagum certatim contendent. Ibit hoc pacto gloria TUA in ſecula & memorias literarum; ut ſeræ adeo poſteritati expoſitum ſit quod imitetur, imo ſi per rerum naturam eſſet licitum, antiquitas vindicaret. Dubius certe hæreo, utrum feliciſſima OPTIMI PARENTIS virtus, debito TE præmio honorata, prædicanda ſit: an ſumma Gentis Danicæ felicitas, cui illius regi imperio contigit, quem votis omnibus unaquæque ſibi natio expeteret. TU etenim ſervabis purum divini Numinis cultum in templo:

legibus in curia vigorem: Muſis in ſchola honorem: Urbibus quietem: vicis ſecuritatem. Nemo tam iniquus rerum æſtimator, quin TE jam præſens & ſalutare numen habeat: nemo tam ingratus, quin TUI amorem profiteatur & gaudium juxta ſuum loquatur. TE Nobilitas Dominum: Civitas Tutorem: Populus Parentem venerabitur. Ego denique alienigena atque extraneus, ſed cui ante novennium in Regno atque ſub umbone Tuo vita commoda & tranquilla fuit, quoad vivam & ulli usquam victuri ſunt meorum, ſupremum Numen nunquam deſinemus precari, ut TIBI REGI EXOPTATISSIMO, quem divina gratia, Regia Nativitas, propria virtus in hoc ſummo mortalium apice conſtituit, atque inter feliciſſima auſpicia & lætiſſima populi TUI tripudia, Regni jam ſceptra ſuſcipere atque moderari, omnes boni gratulantur, ea perpetuo cælitus oriantur tempora, quæ inter feliciſſimam tranquillitatem & tranquillam ſecuritatem, ſecuram opulentiam & opulentam felicitatem æternum hoc gaudium conſervent. Exaudi JEHOVAH, REX REGUM, preces & ſuſpiria noſtra! Tu REGUM OPTIME MAXIME tuere, protege, cuſtodi REGEM DANIÆ FRIDERICUM *fauſti Cognominis* QVARTUM! *TU DEUS POTENTISSIME præſta, ut placent tot concurrentes abeunte hoc ſeculo* FRIDERICI, *quicquid his oris obſtat atque obeſt adverſantium irarum! Tu denique TOTIUS UNIVERSI SAPIENTISSIME MODERATOR*

TOR

TOR DEUS rege hujus OPTIMI REGIS conſilia, ut nunquam aberrent: Tu actionibus ILLIUS interveni, ut feliciſſime ſemper exeant: TU IPSIUS ſucceſſus firma, auge, provehe, ut opera ejus cuncta læta, proſpera, certa & ſtabilia ſint, omnem poſteritatem Regiam recreent atque beent!

Ita vovet & precatur

REGIÆ MAJESTATIS V^ræ

Scribebam Slesvvigæ
Exeunte Seculo decimo ſeptimo,
ſimul & exeunte Auguſto.

humillimus & ſubmiſſiſſimæ
devotionis ſervus

DANIEL HARTNACCIUS,
Pomeranus.

Vita
JOHANNIS MICRÆLII,
deſcripta per
DANIELEM HARTNACCIUM.

JOhannes Micrælius Cüslini in Pomerania Anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſeptimo die 3. Septembr. in lucem editus eſt. Pater illi ejusdem planè nominis Eccleſiæ in illo oppido Archidiaconus; Mater Margareta, filia Laurentii Crügeri, Paſtoris Eccleſiæ Jamundenſis, qui annum ætatis nonageſimum nonum attigit, & octoginta poſteros vidit. Puer adhuc Jacobo Volſio, Scholæ patriæ tum temporis Rectori erudiendus traditus eſt, inter cætera autem artium liberalium ſtudia Muſicæ initio, poſt præcipuè Poëſi operam dedit; In reliquis verò, quæ puerum ingenuum decent, diſciplinis eos progreſſus fecit, ut A. 1611. à Georgio Meſſerſchmidio, concionatore aulico FRANCISCI pomeraniæ Ducis (qui Sophiam Chriſtiani I. Electoris Saxoniæ filiam in matrimonio habebat) Dreſdam deduci dignus haberetur, ad ſpectandam funebrem Pompam CHRISTIANI II. Electoris, qui Duci noſtræ Pomeraniæ affinitate junctus fuerat. Redux inde A. 1614. ætatis ſuæ 18. in Illuſtre Pædagogium Sedinenſe ad continuanda ſtudia ſe contulit, Præceptoribus uſus viris eo ibidem tempore clariſſimis, nimirum Daniele Cramero, poſtmodum Eccleſiarum Pomeranarum Superintendente celeberrimo, & M. Hunichio, Gymnaſii Rectore, à quibus Theologiam: Rielemanno & Kohlio, à quibus Philoſophiam: nec non M. Joachimo Prætorio Eccleſiaſte, à quo Ebræam linguam imbibit; hujus verò viciſſim & Præſidis aulici liberos privatim inſtituit, & ſub illius Præſidio A. 1616. Diſputationem Theologicam de *Deo uno & trino* typis exſcriptam, in qua th.21. e veteri, & 24. è novo Teſtamento luculenter myſterium illud demonſtravit, magno Profes-

ſorum

ſorum applauſu habuit; inſcripſit eam conciliandi ſtudiis ſuis Patrocinii gratia præcipuis tum e nobilitate Pomerana viris, *Georgio* nempe *à Wedel*, Epiſcopatus Camminenſis Capitaneo, aulæque Marſchallo, nec non *Marke à Borck*, Principis Franciſci Camerario, quem & ipſe adhuc puer in ædibus Parentum meorum ſæpe hoſpitem vidiſſe recordor. Anno ſequenti ad perſequenda iſta ſtudia in Academiam Regiomontanam abiit, commodum inter cæteros in navigatione comitem nactus Philippum Frenkingium, qui Electori Brandenburgico à ſecretis erat; Etenim hic poſtmodum ibi Mierælio in transferendis in latinum ſermonem actis Judicialibus uſus, quæ hoc idiomate ad tribunal Regium in Polonia per Appellationem nonnunquam transmittenda erant; Non minus quoque ſtudiorum Academicorum ſpecimen doctè elaborata & Præſide Chriſtophoro Eilardo habita Diſputatione Metaphyſica *de Veritate Tranſcendentali* edidit. Hinc a Kreutziis quibusdam nobilibus Borussſis, ad iter in Poloniam ingrediendum, comes adſcitus fuerat; revocabatur autem a cœpto triſti accepto nuncio de obitu utriusque parentis; patriam ergo repetens adeo procelloſa tempeſtate jactabatur, ut ſibi quoque ipſi vitæ imminere finem crederet. Haud multò poſt Lucæ Praſchii ſpectatiſſimi in civitate Gryphica Senatoris atque Mercatoris filio Johanni ad illius juvanda ſtudia additus, Roſtochium adiit, eoque ſimul tempore Wiſmariam, Lubecam & Hamburgum perluſtravit; abſoluto autem hoc itinere Sedinum indeque Coslinum rediit. Iterum conſtitutis in patriâ rebus ſuis in Academiam Gryphicam reverſus Bartholdum ibi Krakevvizium nobilem Pomeranum & Abrahamum Battum Theologos ſanè celebres, nec non Maſchovium prælegentes audiit; atque habita iterum ſub Præſidio Joachimi Prætorii, in illa jam Academia Profeſſoris (poſtmodum generi ſui) diſputatione Phyſica *de Meteoris* Ann. 1621. ſummos in Philoſophia non tantum honores adeptus, ſed inter quatuor etiam candidatos principem locum conſecutus eſt. His ejus meritis atque laudibus allectus Henningius ab Oſten, Ducum Pomeraniæ in provinciali Conſiſtorio Conſiliarius præcipuus, ſuis cum filiis Heinrico atque Henningo in Academiam Lipſienſem ſtudiorum gratia proficiſcentibus præpoſuit, ubi in ædibus Johannis Ruperti Sulzbergeri eorundem curſui ſtudiorum dexterrime facem prætulit; in reditu Academiam quoq; Wittebergenſem & Berolinenſem aulam ſalutavit. Placuit verò admodum illi celeberrima ſemper Univerſitas & cultisſima civitas Lipſienſis; Hanc ergo etſi proprio inſtituto Ann. 1624. repetebat, exacto tamen jam in di-

verſis Academiis fere ſeptennio, anno ætatis vigeſimo ſeptimo ad Eloquentiæ in Gymnaſio Sedinenſi Profesſionem revocabatur. Anno poſtmodum 1627. Regimini Scholæ ibidem Senatoriæ, qua annis quinquaginta M. Lobæus Anteceſſor, docendi munere perfunctus fuerat, admotus eſt, cique Spartæ annis quindecim præfuit; usque dum Anno 1641. ætatis ſuæ quadrageſimo quinto, poſt obitum Regii jam Pædagogii Rectoris M. Martini Leuſchneri ex decreto Reginæ Chriſtinæ ab Illuſtri Comite Johanne Oxenſtierna, ejusdem in his oris Legato ſplendidiſſimo, ſuprema Micrælio ad docendum Cathedra aperiretur; datum eo quoque tempore precibus ejus, ut præter demandatam ſibi Lectionem Theologicam viri ibidem celebres adjungerentur, qui Jurisprudentiam & artem Medicam juventutem docerent, eandemque ad Lectiones Academicas audiendas commodè præpararent, nec non ut liberalis etiam convictus pauperioribus largiretur. Non ingratum Lectori credo fore, ſi ex Oratione inaugurali eo tempore habita vitæ ejus memorabile triennium huc referam. *Ad me ipſum*, inquit, *ſi revolvo oculos, planè gratia cœleſtis, omnia mea ternario numero circumſcribentis, luſum eſſe factum deprehendo. Cum primum in hoc introductus Auditorium, me ſacræ Philoſophiæ conſecrabam, ter ſexies ſolem videram curſum confeciſſe. Tres deinde annos ex hac cathedra nectar ſapientiæ propinatum hauſi. Tres poſtea Academias, Regiomonti, Gryphsvvaldiæ, Lipſiæ, præ aliis, quas fortè luſtravi, ſtudiis meis ſemper per aliquot annos elegi. Triennio in Academiis confecto, laurus Philoſophica capiti aptata eſt. Agebam ter nonum annum, & huc revocatus Profeſſor Eloquentiæ audiebam triennium. Inde ter quinque annos in Schola Senatoria regenda conſumſi. Nunc cum ago annum ætatis ter quintum, & ter decimum, & ter ſenos annos continuos in hac urbe confeci, tertia vice in hoc inclyto loco Rector Gymnaſii & Profeſſor Philoſophiæ ſiſtor, & quidem poſtquam à primo in hoc auditorium ingreſſu, ad hanc tertiam mei introductionem ter novem, id eſt, viginti ſeptem anni elapſi ſunt, & ter tricies & ter tres, hoc eſt, nonaginta novem anni à primi Rectoris Antonii Waltheri in hoc Pædagogium introductione abierunt; atque Capitularium trium-viratus eam mutationem meo tempore ſubiit, ut duæ trigæ ampliſſimorum virorum fato aut ſaltem munere defunctæ, tribus nobis ſucceſſoribus triga virorum optima, quos in ornando video occupatisſimos, templi hujus Cathedralis & illuſtris Pædagogii Diaconiam reliquerint. Ego verò primum hujus Scholæ per triennium auditor: deinde aliis tribus annis Subrector, tandem*

dem Rector, & tuus, Clar. Rielmanne, primo triennio diſcipulus, altero Collega, dein Anteceſſor: tuus quoque, venerande Superintendeus Jacobe Fabrici primo in Schola patria condiſcipulus, deinde ex ſorore mea affinis, tandem in hoc ipſo veſtigio Collega: tuus item, beate Leuſchnere, primum in Academia Gryphsvvaldenſi commilito, deinde ex hac cathedra Collega, nunc ſucceſſor: Et tuus, beate Prætori, primo triennio diſcipulus, & domeſticus trium filiorum Præceptor, alio triennio Collega, tandem gener; Ego, inquam, rara ternariarum revolutionum lege tam arctè circumſcriptus, dum in fatis meis ordinem concinnum manibus quaſi palpo, ipſum ordinis autorem devotè veneror, eique me meaque omnia in ſolidum deberi, intrepidè confiteor. His ergo muneribus recenſitis cum per annos fere viginti ſex integerrima fide, magna dexteritate, & laude haud vulgari præfuiſſet: Johannes Bergius interea, Electoris Brandenburgici Concionator aulicus primarius in nota illa cum Micrælio de religionis Reformatæ capitibus contentione, veteranum ſe Theologiæ Doctorem ſuperbè jactaſſet: neque verò hic quicquam haberet, quod ei obverteret, niſi quod prior viciſſim Bergio lauream Philoſophicam adeptus fuiſſet: plurimis quoque cum Theologicis tum Philoſophicis ſcriptis, neque minus Syntagmate hoc Eccleſiaſticæ, pariter & alio propediem à nobis edendo Politicæ hiſtoriæ, magnam apud eruditos nominis celebritatem ſibi peperiſſet, poſtremum verò hoc opus Chriſtinæ Reginæ Sueciæ inſcripſiſſet; Anno 1649. ſumtibus quoque Regiis à Theolgica Facultate in Academia Gryphica ſummos in eadem honores petere juſſus eſt, qui & eidem, habita in Auditorio Majori *prælectione capitis ſexti Johannis*, & evolutione genuini illius ſenſus ac demonſtratione contra Calvinianos: hebdomade verò ſequenti, nimirum 12. Sept. diſputatione inaugurali, *de Liberi arbitrii natura & viribus, in quam quæſtionem*, ut refert in fine Programmatis Decanus & Senior Facultatis, nec non Eccleſiarum in citeriori Pomerania atque Rugia Superintendens D. Mævius Volſchovius, *fruſtra Latermannianum diſſidium* Theologos Gryphicos *immiſcere, & ſuſpectos reddere ſtuduerat*, ſolenniter collati ſunt. Non abs re in Epiſtola Dedicatoria illius Diſputationis ad Chriſtinam Reginam poſt med. ſcripſerat: *Ipſa me Senectus ingruens, quia provocor, ad omnia reddet fortiorem, tuque Domina in γεϱανδϱύω fructus invenies. Ultro legi obrogo, qua à quinquageſimo anno militem non cogit.* Etenim cum eo ipſo tempore tres Theologiæ & duo Juris Doctores à legato Oxenſtierna proclamandi eſſent, Micrælius Pro-Cancellarii vices ſubiit, deque *bo-*

rum

rum temporum Atheiſmo memoriter ea jam ætate perorando actum illum auguſtiorem reddidit. Anno 1653. ab Illuſtri Præſide Lilienſtromio in Sueciam deductus & à Regina ad colloquium admiſſus, non ſine gratioſæ munificentiæ documento domum reverſus eſt. Firma ſemper à prima ætate & integra valetudine fuit; ultimo autem triennio cum nephritide graviter colluctari cœpit; Huic verò cum Iſchuria, & urinæ tandem omnimoda ſuppreſſio accederent, interno iſthoc tortore extinctus eſt Anno 1658. 3. Decembris, ætatis ſexageſimo menſ. 4.

LIBER

LIBER PRIMUS,

SECTIO PRIMA

DE ECCLESIA PATRIARCHARUM.

QVÆSTIO I.

Cùm Hiſtoriis mundi compendioſâ explicueris methodo, qvo qvæſo ordine hîc es progreſſurus?

UTi qvatuor Monarchiæ, Nabuchodonoſoro ſub membris vaſtiſſimæ ſtatuæ & Danieli ſub mira Beſtiarum effigie monſtratæ & depictæ, Hiſtoricum mundi Syntagma rectè diſpeſcuerunt, ita tria diverſa Eccleſiæ tempora, Matutinum ante legem latam; Meridianum ſub lege; & Veſpertinum ſub Chriſto, erunt certiſſima Methodi in hoc Syntagmate obſervandæ fundamenta. Nosque, ut unusqvisqve, qvid in ſingulis Eccleſiaſticæ hujus hiſtoriæ membris exſpectandum ſit, præmoneatur, ita progrediemur, ut primo loco Eccleſiam Orthodoxam, divinamqve in ea conſtituenda & conſervanda curam deſignemus; deinde Cœtum malignantium, qvi idololatria, hæreſi & piorum perſecutione DEO ſemper obluctatus eſt, deſcribamus.

II. Qvandonam conſtituta eſt primùm Eccleſia?

Cùm Apoſtoli, & qvos ii edocuerant, gentes ad fidem convertere cœpiſſent, Chriſtiani nominis hoſtes, Deorum ſuorum vetuſtatem jactantes, Chriſtianiſmum χϑὲς καὶ πρῴην prodiiſſe clamarunt. Qvos Juſtinus Martyr, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, Lactantius, & alii, variis libris ſolidè refutarunt, & fictos illos gentium Deos aut fuiſſe infra ætatem Moſis, aut ex hiſtoria Moſis corrupta emerſiſſe demonſtrarunt. Si igitur ſoli Moſi, ut par eſt, fidem adhibemus, qvid aliud qvam Eccleſiam in ipſo jam Paradiſo eſſe fundatam dicere poterimus? Cum mundo enim primùm conſtituto cœpit conſtitui, &

in Adamo creato fundamenta etiam Eccleſiæ jacta ſunt. Nec enim fruſtra Deus thronos, dominationes & poteſtates Angelorum condidit, lucem è tenebris exire juſſit, & in univerſitate rerum omnia benè ordinavit, ſed primùm Hominem Adamum, ſanctiſſimum illum rerum omnium Dominum, communemqve noſtrum parentem, ex terræ gleba, vitæ ſpiraculo donata, tandem excitavit, & vitæ toriqve ſocia Eva ex latere ejus extracta, ſanctisqve conjugii legibus latis, propagare juſſit, à qvibus debito cultu afficeretur.

Sic modò, quæ fuerat rudis & ſine imagine tellus,
Induit ignotas hominum converſa figuras;

ceu canit Ovidius in initio ſuæ Metamorphoſeos.

III. Qvid qvæſo Ovidius, qvem in ſuperſtitionis tenebris extra Eccleſiæ pomæria vixiſſe conſtat, de rerum creatione noviſſe potuit?

Cic. de Legib. Lib. I. Arrian. in Epict. lib I. cap. 1. & 12. & lib. 2. cap. 8. Jambl. in Protr. cap. 3. Heſiod. Oper. v. 42. ſeq. Virgil. 2. Georg. v. 340. Lucret. lib. 5.

Veritas illis, qvi inter gentes incredulas paulò ſagaciores fuerunt, inter involucra variorum figmentorum, ex traditione majorum & converſatione cum iis, qvibus libri ſacri non ignoti fuerunt, ſæpiſſimè innotuit. Hinc apud Hermetem Triſmegiſtum mentionem fieri videas tenebrarum ſuper facie abyſſi, λόγȣ omnia perficientis, Spiritus omnia permeantis, primævæ DEI in homine imaginis, ejusqve, qvam obtinuit, immortalitatis & omnigenæ felicitatis. Sic Ovidio & reliqvis Poëtis decantatum illud chaos, ſeu rudis indigeſtaqve moles, virtute DEI omnipotentis, in varias formas & naturas diſcreta, & qvavis ſui parte pulcerrimè ornata, non fuit incognita, eamqve jam expreſſis verbis deſcripſerunt, jam hieroglyphicis de Proteo & ejus filia Idothea fabulis prudenter inſinuarunt. Iidem cùm aureum ſeculum, cùm Adonidis Heſperidumq; hortos, cùm ambroſiam, nectar & nepenthes, aut Juventam ſeu Heben, pocula miniſtrantem, cantant, in Edenem ſeu Paradiſum & beatioris vitæ immortalitatem, per invidiam Satanæ nobis ereptam, digitum intendunt. Sunt nonnulli, qvi primum hominem ſatis manifeſtè indigitarunt, ut Plato in Alcibiade, Juſtinus in initio Hiſtoriæ, Plutarchus de Iſide, Plinius libro XXX. c. 1. qvi uno ore aſſeruere, Zoroaſtrem primum Magiam, ſapientiam, principia mundi, cultusqve divinos & ſacrificia docuiſſe, & patrem habuiſſe Oromazem, qvi eſt maximus Deorum apud Perſas, præceptorem a. Azonacem, qvi paululum mutatis literis eſt ipſe Adonaim, multisq; annorum millibus ante Moſen, Pla-

tonem, & Trojana tempora vixiſſe. Ipſiſſimum vides deſcribi Adamum, qvem Ægyptii, demta prima litera, vocarunt Thamum, cui Theut, ipſe ſcilicet, ut ex literarum cognitione apparet, Θεός, Ζεύς, DEUS, qvem Ditem maximum Deorum Germani, teſte Tacito, appellarunt, cùm literarum, tùm aliarum rerum ſcientiam aperuit. Diodorus libro primo, & Herodotus ſecundo, eundem nominarunt Mena, Germani verò Mannum Theuti ſeu DEI filium, atqve ab eo primo fruges inventas, venerationemqve DEI & ſacrificia monſtrata eſſe dixerunt. Sunt qvoqve nonnulli, ut Ægyptii, qvi maſculum & fœminam primò à DEO eſſe conditos ſignificaturi, primum hominem dixerunt fuiſſe ἀῤῥενοθηλῆ, id eſt, Maſculi-fœminam: unde etiam Androgynum ſeu Hermaphroditum ſuum Plato traxit. Sunt, qvi ex Cratete aliqvid de nominibus, qvæ homo rebus omnibus impoſuit, attulere. Homerus per Aten ſeu Noxam Olympo deturbatam Dæmonum lapſum depinxit, qvos ex hac ipſa veterum traditione Empedocles teſte Plutarcho in ſermone de fœnore, ὐρανοπετεῖς ſeu cœlo ruentes vocavit. Sic cum Pandoræ pyxedicula, ab Epimetheo improvido aperta, dicitur morborum Oceanum effudiſſe, à qva tamen ne ullum donum acciperet, providentia opificis, verus Prometheus, ſub mortis pœna juſſerat, & falſa illa Serpentis pollicitatio: Similes eritis Diis; & improvida Adami credulitas ob oculos ſtatuitur. Sed, qvod dixi, hanc veritatem multis fabulis nugax poſteritas, & imprimis Poetæ corruperunt: ex parte tamen meliores illis, qvi, qvod ſaniores Philoſophi de mundo, à DEO uno fabrefacto, aſſeruerunt, in ipſo Eccleſiæ gremio aut negarunt, aut ſpurcis erroribus aſperſerunt.

IV. Qvinam age illi ſunt?

Nam Ariſtoteles mundum; Stoici autem cum Platone mundi materiam dicentes ἄναρχον & æternam; Democritus deniqve & Epicurei, fortuitum atomorum, læviumqve & rotundorum corpuſculorum confluxum defendentes, vix tantam incurrunt reprehenſionem, qvantam Manichæi, duo principia, bonum & malum, lucem & tenebras fingentes, aut Simoniani & Gnoſtici, Angelis mundi Creationem aſcribentes, aut ii, qvi hodienum Creatoris voluntatem ad hominis lapſum promovendum diſtorqventes, culpam alienam Sancto Iſraëlis imputant.

Ariſt. 8. Phyſ. cap 1. & 1. De Cœlo, nec non 2. de Gen. & Corr cujus rationes diluunt Connimbr. 8. Phyſ. cap. 2. qvæſt. 4. &c.

V. Dixiſti Eccleſiam à DEO jam in Paradiſo, atq; ita ante lapſum, conſtitutam fuiſſe: qvinam igitur ſtatus Eccleſiæ homine non lapſo futurus fuiſſet?

Qvia Protoplaſti, in ſumma omnium virium perfectione ad imaginem DEI conditi, ſortem vivendi ſortiti erant feliciſſimam, non potuiſſet non ſtatus Eccleſiæ, *μὴ ἐχούσης σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων*, eſſe florentiſſimus, præſertim cùm DEUS eam ſine verbo & Sacramento eſſe nollet, ſed ad arbores certas, tanqvam ſymbola ac ſigna externa in oculos incurrentia, cultum ſui ſacrum alligaret, verbumqve inſuper adderet, lege de abſtinentia ab alterius arboris eſu promulgata. DEI igitur eſſentiam & voluntatem, cùm ex gratioſa revelatione, tùm ex naturali luce cognitam, homines habuiſſent, & *πρωτοκτισίας* hiſtoria, naturæqve conſtitutæ miraculis ſubinde ſibi ante oculos poſitis, æterni gaudii dulcedinem, poſt certum plurimorum annorum decurſum nullo interveniente mortis timore, exſpectaſſent, externisq, arborum duarum, tanqvam Sacramentorum, ſymbolis adhærentes, cultui divino operati, in auguſtiſſimo illo Paradiſi templo ſe nunqvam non DEO exhibuiſſent promtiſſimos, ejusqve amore ſanctiſſimo ardentes, Leges de arbore ſcientiæ boni & mali fugienda, Sabbatho ſanctificando, imperio in omnes res creatas adminiſtrando, & conjugio ſanctè colendo, mira cum animi voluptate obſervaſſent, & uti veſtibus nuditatem corporis non contexiſſent, ita ſuæ ſibi innocentiæ conſcii, ſumma animi tranqvillitate extitiſſent alacres.

VI. Num etiam futura fuiſſent Sacrificia in ſtatu innocentiæ?

Bellarmino reſpondent prolixè Mornæus de Miſſ. & Sutlivius de Miſſa ad l. cit.

Pontificii qvidem, ut Bellarminus libro I. cap. I. de Miſſa, & Gregorius de Valentia libro I. cap. IV de Miſſæ ſacrificio, qvò Miſſæ ſuæ idololatricæ fucum qværant, fingunt, à religione ſacrificia non poſſe ſejungi, & ibi id eorum etiam uſum ante lapſum viguiſſe. Nos autem, ut non paucos populos religionem ſine ſacrificiis coluiſſe novimus, ita, cùm Meſſiam in ſtatu innocentiæ fuiſſe venturum contra Oſiandrum & Photinianos pernegemus, & ſacrificia typos & figuras paſſionis, mortis, & meriti Chriſti ſtatuamus, mactatione victimarum integro homini haud opus fuiſſe, rectè aſſerimus, & tamen *εὐχαριστικὰς* qvasdam oblationes non negamus, ſed piè credimus. Sic igitur Eccleſia in primogenio naturæ ſtatu, ſecundum optimam fœderis legalis rationem, procul omni enormitate, adornata, in ſe habuit, qvo ſe adverſus magnas Orci inſidias tueretur.

VII. Num

VII. Num Protoplaſtis violatâ lege à DEO deficientibus & à ligno vitæ ſummotis, Paradiſoq́. expulſis, nova Eccleſiæ colligendæ ratio à DEO inita eſt?

Omninò. Nam poſtqvam totum genus humanum in Adamo Eccleſiæ ac filiorum DEI dignitate excidit, iræqve filii omnes facti ſumus, promulgata eſt promiſſio remiſſionis peccatorum per SEMEN MULIERIS, caput ſerpentis contriturum, Gen. III. 15. Atqve ita, etſi meruiſſent Protoplaſti in æternum à facie DEI abjici, λόγῳ tamen & Sapientia æterna pro illis intercedente, inventum eſt attemperamentum juſtitiæ & miſericordiæ divinæ, ut Filius DEI unigenitus, in plenitudine temporis homo factus, peccata noſtra in ſe derivata, ſua morte expiaret; partam verò & acqviſitam juſtitiam, nobis imputatam, gratis donaret. Et hæc eſt ſolennis illa Eccleſiæ poſt lapſum inſtauratio, à qva ſtatim exierunt, qvi nuncio pietati miſſo pravis naturæ corruptæ affectibus indulſerunt, & ob id, Idololatriam, immenſaq; alia ſcelera, aqvis diluvii exſtincti ſunt.

IIX. Qualisnam igitur ſtatus Eccleſiæ poſt lapſum inſtauratæ eſſe cœpit?

Homine lapſo divina majeſtas novum dogma ſtatim promulgaverat, & ſe inter ſemen Serpentis & ſemen Mulieris inimicitias poſiturum promiſerat, ut Diaboli ἀρχικάκȣ, qvi contriturus erat calcaneum Meſſiæ, caput conculcaretur, atqve ita Meſſias patiendo vinceret. Ideoq; doctrina Theologica novis articulis aucta, & qvaſi prorſus nova facta eſt. Nam uti Adam, viribus integer in articulis illis de DEO, de Creationis & Providentiæ divinæ operibus, de Angelis, de lege DEI, vitaq́, ſecundum illam, ad declinandam mortem corporalem & æternam, inſtituenda, de invocatione qvoqve & cultu DEI, de conjugio deniq;, deqve Vita æterna occupatus fuit: ita in miſeriam prolapſus, peccati abominationem, mortis & aliarum calamitatum acerbitatem, Mediatoris in Protevangelio promiſſi naturam & officium, piorum cum juſtificationem, tum à mortuis ad vitam reſurrectionem, impiorum contra reprobationem & æternum exitium cœpit conſiderare. Utqve cultui divino rectè cum ſuis incumbere poſſet, conventus procul dubio ſacros certo in loco, qvem nominat Moſes faciem Jehovæ, Gen. IV. 14. certis diebus inſtituit, ſacrificia in honorem Jehovæ, & ſuimet-

ipſius conſolationem, ad fidem in promiſſum ſemen mulieris conteſtandam, obtulit, peccata ſua confeſſus Creatorem & Redemtorem ſuum invocavit, ſobolemqve ex ſe natam, de Chriſto pòſt naſcituro, paſſuro, morituro & reſurrecturo, ex Protevangelio informavit, & Sacrificiorum, qvæ nihil aliud fuerunt, qvam Concio Evangelica ritu externo repræſentata, neceſſitatem diligentiſſimè docuit. Unde illud Evæ: Acqviſivi VIRUM JEHOVAM, Gen. IV, 1. Et illud Lamechi Gen. V. 29. ISTE conſolabitur nos ab opere noſtro, & à dolore manuum noſtrarum de terra, cui maledixit Jehova.

IX. Qvonam autore & cujus juſſu Adam & ejus poſteri ſacrificarunt, & qvænam ante Moſen in Eccleſia fuere ſacrificia?

Qvi ex éſu prohibiti promi tantam expertus fuerat cladem, non auſu temerario, injuſſu DEI, cui omnis ἐθελοθρησκεία exoſa eſt, tam ſolennem ritum inſtituere potuit, ſed juſſus eſt Minchas de frugibus terræ, & primogenita de pecudibus, earumqve adipem, tanqvam figuras unigeniti Dei filii pro nobis mactandi, offerre: ut non abſurda ſit qvorundam Patrum conjectura, qvi putant, ex pellibus ovium ſacrificialium, ob promiſſionem datam, mactatarum & combuſtarum, divinitùs Protoplaſtis factas & indutas fuiſſe veſtes, ut deinceps omnes ſacrificiales pecudes diſcerent eſſe typos, nec ſine indumento innocentiæ Chriſti qvenqvam ſalvari poſſe. Qvòd cum didiciſſent agricola Cain & Paſtor Abel à pio parente, in fine dierum, ſeu poſt longos dies, jam adulti facti, obtulerunt ceremoniis conſvetis fruges & primogenita ſua, Gen. IV, 3. Sed cum Caini ſacrificium Deo diſpliceret, non qvod malè diviſiſſet pecus, ceu cenſent LXX. Interpretes, ſed qvod contumaciter ſceleribus ſuis Deum offendiſſet, ut Judas verſu XI. ſuæ Epiſtolæ teſtatur, Abele contra per fidem Hebr. XI. 4. offerente amplius ſacrificium, qvod Deus igne cœlitus demiſſo accendiſſe, atq; ita clementer reſpexiſſe creditur, magnam cladem paſſa eſt Eccleſia, qvam impius Cain, ob fratricidium à Deo excommunicatus, deſerebat.

X. Num autem Caino ex ſocietate piorum egreſſo, cultus in Eccleſia permanſit inculpatus?

Publicus ſane cœtus vel nullus fuit, vel triſtitiæ plenus, vel infreqventiſſimus, altero Adami filio turpiter & ſceleratè interfecto, altero cum ſorore relegato. Sed A. M. CCXXXV. cum Sethus Enoſum genuiſſet,

nuiſſet, cœptum eſt invocari nomen Jehovæ, & qvod in familiis privatim fecerant, publicè & ſolenniter iterum facere inſtituerunt. Atqve ſic rectius conſtituta Eccleſia, in congregatione præcipuè eorum, qvi ex Setho prognati ſunt, perſtitit usqve ad Noachum, qvi more Majorum Gen. IIX. 20. ex omni animali & volatili mundo, altari poſt aqvas diluvii exſiccatas exſtructo, holocauſta obtulit. Sed tamen Cainitica impietas paulatim invaluit, qvam inter alios Patriarchas Henochum retudiſſe novimus.

XI. Eſtne is ille Henochus, qvi vivus in cœlos translatus eſt?

Eſt utiqve; Nam qvia ambulavit coram DEO, Gen. V. 22. & Propheta erat atqve Doctor Eccleſiæ inſignis, ut legere eſt in Epiſtola Judæ, graviterqve impietatem & blaſphemias eorum, qvi Deum & providentiam ejus negarunt, redarguit, diem judicii imminere transgreſſoribus vaticinatus, Deus, ut reipſa ſolenniter teſtaretur, vitam poſt hanc eſſe ſperandam aliam Henochum, ab Adamo, qvi reliqvis Patriarchis omnibus adhuc ſuperſtitibus ante LVII annos obierat, ſeptima generatione diſtantem, fecit ut Tertullianus loqvitur, Candidatũ æternitatis, cumqve ad ſe in cœlos tranſtulit, pari forſan, vel majori pompâ, qvam qvâ inſpectante Eliſæo Eliam conſortio mortalium exemit. Sed miraculis, concionibꝰ & vaticiniis iſtiusmodi nihilo meliores facti terrarum incolæ, omnem religionem poſthabuerunt, & uti Beroſus, etſi ſuppoſititius, tamen in multis non rejiciendus, libro primo Antiqvitatum dicit, vaſtitate corporis ac robore confiſi, inventis armis omnes oppreſſerunt, libidiniqve & luxui mancipati, invenerunt papiliones & inſtrumenta Muſica, & alia voluptatum irritamenta, carnem humanam & abortus procuratos in edulium præpararunt, & inceſtuoſo nexu com̄ixti matribꝰ, filiabus, ſororibus, maſculis etiam & brutis, nihil intermiſere ſceleris, qvod non admitterent, contemptores religionis & Deorum. Addit Philo in libro de Antiqvitate Bibliorum, qvod ſculptilia facta adoraverint, Quod etſi plures inter antiqvos Chriſtianæ religionis doctores negarunt, toto illo Mundi ſeculo, qvod aqvarum eluvionem anteceſſit, nullum inter mortales fuiſſe falſorum Numinum cultum rati, qvia tamen Cain maledictioni à Deo ob fraternã cædem ſubjectus, impoſterum nec dilexit verè Deum, nec rectè coluit, ſed qvem tanto ſcelere offenderat, ut inviſum infenſumq; ſtatim reliqvit, à Cacodæmone facilè eſt perſvaſus, qvod

Gen. V. 24. Hebr. XI. 5. Syrac. XLIV. 16. Sulp. Sev. Lib. I. Hiſt. Sac. cap. 3.

qvod Deus cœleſtia maximè curet, terreſtria atqve humana Diis permittat inferioribus, in id procreatis, uti partes Mundi regant, & ob id Solem, Lunam, cæteraſqve ſtellas, aliaqve Numina colere, & horum interceſſione ad ſupremum Deum ſibi acceſſum ambire cœpit. Qvod ipſum etiam Judas in Epiſtola, verſiculo X. & XI. teſtari videtur: ipſeq; Petrus ob hanc ſuperſtitionem & Idolomaniam Mundum priorem vocat Κόσμον ἀσεβῶν, inqve eo fuiſſe dicit ψευδοδιδασκάλες, ſeu falſos Doctores, II. Petr. II, 1. & 5. Tantorum ſcelerum contagio ipſos Dei filios in familia Sethi corripuit, ut nullum concedentes locum Spiritui S. arguenti, & ad pœnitentiam ſeriò mortales vocanti, ſine conſenſu parentum, uxores ex impia Cainitarum gente cæco libidinis impetu ducerent, & ex illis ſobolem neqviſſimam producerent, Gen. VI. 3. Unde tanta in genere humano, ipſaqve DEI Eccleſia, extitit confuſio, ut ſcelus non poſſet, niſi Diluvii aqvis, expiari: in qvibus ſervatus eſt Noa cum tribus filiis & qvatuor fæminis, reliqvis Patriarchis è vivorum conſortio ante ſublatis, inter qvos Lamech qvinqvennio ante inundationem aqvarum; Methuſalem verò ipſo diluvii irrumpentis anno extremo diem obiit.

XII. Num autem poſt diluvium Eccleſiæ refloreſcentis ſtatus fuit felicior?

Noa, qvod novimus, ſuum etiam Cainum educavit, & inter tres filios, ab inundatione aqvarum ſervatos, Chamum invenit, à qvo, conſopitus in aprico ex ebrietate, eſt irriſus; Beroſus addit, veneficio & tacito murmure caſtratus: Qvod Græci poſtea in fabulam verterunt, Jovem Hammonem fingentes patrem caſtraſſe. Etſi autem Cham diris ob id exſecrationibus exceptus, cum uxore & liberis communionem Sanctorum deſeruit, reliqvi tamen Noæ filii non ceſſarunt nomen DEI invocare. Et veriſimile eſt, Japetum, cum ſuis in Europam in Orbis diviſione progreſſum, non ſtatim è pectore omnem veri Jehovæ abjeciſſe curam. Cum enim numeroſam ſobolem, cui tam vaſtæ terræ diſpertiendæ erant, genuiſſet, non dimiſit liberos à ſe & nepotes, niſi melle ſapientiæ divinioris tinctos. Recluſit illis omnem rerum geſtarum ſeriem, ut mundus conditus, ut in pejorem ſtatum prolapſus, aut cataclyſmo aqvarum inundatus, varias ſortes ſubierit, qvid ſolatii anxiis piorum mentibus ſuperſit, qvæ pœnæ protervis incumbant, & qvæcunqve alia ad piam juventutis novæ educationem pertinere videbantur. Hæc omnia

mnia per manus tradebantur poſteritati, ſed magnam partem involucris tecta, ne profanis, tanqvam ſui margaritæ projicerentur. Illa ipſa involucra, etiam tùm, cum totus mundus in turpem ſuperſtitionem abreptus, à vero DEO alienabatur, publicè vulgabantur ſed verum ſenſum, qvem premebant occultum, penè nemo capiebat Qvin potius figmentis fabuloſis pedetentim omnia depravata, & pene inſipida facta ſunt, præſertim cum ſapientiores, qvibus præter majorum traditiones, ſubinde qvidam veritatis radii ab iis affulſere, qvi aut Sibyllinis Oraculis aures commodabant, aut ad libros Judæorum inſpiciendos occaſionem nacti, myſteria Eccleſiæ eminus intuebantur, per fabulas ſolùm & ænigmata ſine literis theologiam ſuam imperito vulgo aperirent, veros autem de DEO vero & ejus natura ſermones in arcanis ſibi ſolis haberent. Qvo ipſo tamen non rima, ſed feneſtra, imo janua, variis ſuperſtitionibus aperta fuit. Pia antiqvitas poteſtates Dei varias non ignoravit: eas igitur diverſis nominibus deſignatura, tanqvam peculiaria qvædam Numina colenda, hieroglyphicè deſcripſit, inq; vota pro neceſſitatum varietate vocavit, uno interea DEO, rerum cunctarum conditore & moderatore, ſub diverſis illis poteſtatibus & Numinibus non negato. Qvod qvi pluribus probatum velit, Auguſtinum Steuchum Eugubinum de perenni Philoſophia, Philippum Mornæum de veritate Religionis Chriſtianæ, & Cluverium in antiqva Germania conſulat. Sic cum DEO patri coæternum eſſe filium crederent pii in antiqvitate, (Qvis enim Patriarchis & eorum Diſcipulis fidem Catholicam fuiſſe ignotam diceret?) hanc ſuam fidem obſcuris velaminibus obtexerunt, fingentes, Jovem uxorem Metim, gravidam factam, deglutiviſſe; & inde Pallada, primam Jovis filiam, è cerebro ejus genitam proſiliiſſe armatam. Metis eſt conſilium; Jovis cerebrum, ejus eſſentia; Pallas, ſapientia Dei æterna, ſine matre, ante omnem aliarum rerum productionem ex eſſentia DEI, ſua providentia omnibus rebus ab æterno conſulentis, progenita eſt; Hanc Pallada Ægyptii pinxerunt peplo tectam, ut faciem, ejus nemo intueretur, hac addita inſcriptione:

Conf. Voſſ. de Idololatr. Claſen. de Theol. Gentil. & Dilherr. in Tr. Diabolo Dei Simia. Durr. de Recond. Poët. vet. Verulam. de Sapient. vet.

τὸν ἐμὸν πέπλον ὐδεὶς θνητὸς ἀπεκάλυψεν.

Meum peplum nemo mortalium revelavit.

Qvemadmodum enim DEUS dixit apud Moſen, Faciem ſuam neminem mortalium videre poſſe, poſſe autem poſteriora; ita poſt peplum Ægyptii dixerunt latere Pallada, & qvoties de hoc occulto Numine agebant, acclamavere: πρώτη ἀρχὴ σκότος ὑπὲρ πᾶσαν νόησιν,

σκότ☉ ἄγνωστον: Primum principium tenebræ omni intelligentia ſuperiores, nulli cognitione perviæ. Eadem ratione cum poſteritas Noachi in omnes terræ partes diſſeminata, promiſſiones de Meſſia caput Draconis contrituro ignorare non poſſet, confabulationes illæ exortæ ſunt, de Hercule Alexicaco, XII. labores in variis monſtris conficiendis inſumente; de Apolline Pythium ſerpentem telis occidente; de Mercurio animas Orco educente, & ſerpentes in caduceo conſtrictos triumphante; de Horo Oſiridis filio Typhonem Cacodæmona caſtrante; de Mithra, qvem inter Oromazem & Arimanium, illum boni, hunc mali autorem, Plutarchus in Iſide, ex Perſarum philoſophia apud qvos Mithra Mediatorem ſignificat, facit medium, exceſſus reliqvorum temperante. Sed huc jam non digredior: nec multis demonſtrandum mihi ſumo, qvomodo antiqvi per Venerem adumbrarint DEI venuſtatem; per Themida, ejusqve tres filias, Dicen, Eunomiam & Irenen, divinam juſtitiam, illam veram Juris, Legis & Pacis matrem; per Cererem, DEI in multiplicandis rebus potentiam; per alia Symbola, alias ejus vires, alia opera. Symbola dico, non Idola. Nam priſci Idolis & ſtatuis non utebantur, ipſiqve Romani, teſte Varrone, annos amplius CLXX. ſine ſimulacro templa habuerunt. Conſentiunt Halicarnaſſeus & Plutarchus, uno ore aſſerentes, Numam templa qvidem erexiſſe, ſed nulla ſimulacra in illis collocaſſe; illa demum à Tarqvinio Priſco de Græcanica vanitate fuiſſe Romam allata. Tacitus de antiqva Germanorum noſtrorum religione ita ait in libro de Germania: Nec cohibere parietibus DEOS, neqve in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumqve nominibus appellant Secretum illud, qvod ſola reverentia vident. Sed Cacodæmonum fraude, antiſtitum mendaciis & avaritia, tandem factum eſt, ut nomina vel divinis oraculis pandendis deſtinata, vel ſanam aliqvam de rebus ſacris ſententiam complexa, ad Angelos primum, Aſtra, Elementa & Homines, benè de genere humano meritos, tandem ad ipſos immundos Spiritus detorqverentur, atq; ita illi miſeris mortalium mentibus ſe, velut Deos qvosdam, inſinuarent. Ita è Symbolis priſcorum ſacris, & Hieroglyphicis Emblematis Dii facti ſunt, & qvod priſca ætas docendis rudioribus effinxerat ad Idolomaniam tractum eſt, omnisq; Hierologia Orphica & Hieroglyphica fabuloſis Poëtis in materiam ridiculam figmentorum & turpium fabularum ceſſit, & ſacrificia, qvorum ritus primitus ab ipſo DEO imperati ſunt, &

per

per manus poſteris Noachi in omnibus terræ angulis traditi, in blaſphemum Cacodæmonum cultum degenerarunt, diſſidiumqve illud inveteratum inter pios unum DEUM colentes; & reliqvam ſuperſtitioſorum hominum turbam, duxit primordia. Nam qvi ſpretis Idolis & Creaturis unum, & qvidem cum Celtiberis, & priſcis Pelaſgis, teſte Strabone libro III. & Herodoto libro II. ἀνώνυμον ſeu innominatum crediderunt, eos reliqvi ἀθέους vocavere, ipſisq; Judæis hanc notam inuſſere, qvod ſit, ceu canit Lucanus, Dedita ſacris incerti Judæa DEI. Gentiles, ut ait Philippus Nicolai libro V. de rebus antiqvis Germaniæ, Hammonem ita ſacris literis abjectum maximè extollunt, & Diis coñumerant: at Japetum, qvem Moſes commendat à benedictione divina, reſpuunt, & ad damnatos relegant. Cur Japetum rejiciunt? Titanes inſtruxit, cum qvibus DEOS impugnavit. En ob Idololatriæ contemtum, Japetum depreſſerunt! Unde Hammonem evehunt? Deos conſtituit, Deorum parens prædicatur, & Titanicam puellam vitiavit. Sed paulatim, qvod dixi, totus mundus ſuperſtitionum caligine, tanqvam novo diluvio, ſubmergi, adeoq; penitus obrui cœpit, ut nullum ferè Orbis regnum ab hac illuvione tutum ac intactum, relinqveretur.

XIII. Qvæ igitur facies fuit Eccleſiæ inter illam Superſtitionis inundationem?

Noa & Sem, eorumqve poſteri, ſingulari DEI indultu ad qvamplurimos annos vitam tranſegerunt, ita qvidem, ut Abraham LVII. annos cum ipſo Noacho vixerit; Semus autem, defuncto jam Abrahamo, annos adhuc XXXV. ſuperſtes fuerit. Ex qvibus ſanè qvilibet cordatus facilè intelligit, Eccleſiam & Sanctorum communionem in cœtibus Patriarcharum, annis & pietate venerandorum, ſatis feliciter floruiſſe, inq; iis, mundo lingvarum varietate confuſo, lingvæ ſacræ uſum manſiſſe, & poſteris ſeminis benedicti promiſſionem inculcatam fuiſſe. Et ſicut Adam in primo decem priorum Patriarcharum Collegio Antediluviano Decanus ſeu Decarchus fuit, & Epiſcopus Generalis; ita Noa cum Semo reliqvorum X. Patrum usqve ad Abrahamum Caput & Epiſcopus rectè nominatur, à qvo doctrina cœleſtis à fermenti Diabolici aſpergine fideliter conſervata, ſacrificia rite celebrata, & vera Religio adverſus gentiles & idololatras acriter defenſa fuit. Cui pio operi eò felicius inſiſtere potuit, qvò diutius & cum Patribus ante cataclyſmum aqvarum pietati nutanti humeros ſupponentibus, & cum Doctoribus ex ſe natis, usqve ad ipſum Abrahamum, vitam ſanctiſſimam tranſegit.

Epiphan. in Ancoraceph. de Idololatr. Salian. A. M. 1850. Torniel. An. 1656. n. 4.

XIV. Recenſe qvæſo duas illas Collegii Patriarcharum Sacri decadas, qvarum feciſti mentionem?

PRIMA DECAS ex Gen. V.

Torniell. Ann. Sacr. p. 102. & 173. VVichm. in Chronol. Sacr. Lib. I. Sect. II.

1 ADAM		930		930		726
2 Seth		1042		912		614
3 Enos	moritur	1140		905		516
4 Kenan		1235	anno ætatis.	910	anno ante Diluv.	421
5 Mahaleel		1290		895		366
7 Jared		1422		962		234
6 HENOCH	transf.	987		365		669
8 Methuſ.		1656		969		pauc. dieb.
9 Lamech	moritur	1651		777		5.
10 NOAH.		2005		950. an. poſt diluv.		349.

ALTERA DECAS ex Gen. XI.

11 SEM		2158		600	poſt Abra.	35
12 Arphachſad		2069		438	ante mortē	62
13 Sala		2126		433	Semi: poſt	32
14 Eberus		2187		464	Semum.	29
15 Peleg		1996		239		162
16 Regu	moritur A.M.	2026	anno ætatis	239		132
17 Serug		2049		230	ante mortē Semi.	109
18 Nahor		1997		148		161
19 Thara		2083		205		65
20 ABRAHAM		2123		175		35

Ex qvibus tabulis videre licet, Adamum in I. Decade cum Lamecho patre Noachi, ſolidos LVI. annos vixiſſe; & Semum in Decade II. (ſi ſolum Eberum, Semi ſuffraganeum, qvi toti genti, gentisq; lingvæ nomen dedit, excipias) omnibus nepotibus, ipſique Abrahamo, usqve ad A. M. MMCXXIIX. ætate grandæva ſuperſtitem, religionis curam tantorum virorum ἐπισκοπῇ adjutum, pientiſſimè, habuiſſe.

In Lucæ codice cap. III. 36. ut & in verſione LXX. Interpretum, inter Arphachſadum & Salam interponitur Cainan, qvi in fontibus Hebræorum omittitur. Hinc illa in annorum calculo differentia. Hebræus enim textus tribuit tantum Arphachſado XXXV. annos, cum genuiſſet Salam, Gen. II, 12. & cum ait poſtea vixiſſe annos CDIII. qvi collecti faci-

faciunt CDXXXIIX. annos. Græcus autem textus LXX. Interpretum ait, Arphachſadum habuiſſe annos CXXXV. cum gigneret Cainan, & poſtea vixiſſe annos CDIII, Cainan porrò anno ætatis CXXX. genuiſſe Salam. Qvi anni congregati conſtituunt DCLXIIX. Hinc Græcus annorum numerus CCXXX. annis Hebræum ſuperat. Sed nitimur Hebræorum fontibus, itemqve 1. Par. I. 24. & Paraphraſibus Chaldaicis, Joſephi etiam teſtimonio, apud qvos nullus Cainan intercedit inter Arphachſadum & Salam. Et procul omni dubio Cainan apud Lucam non pertinet ad textum, ſed Scribarum incuria ex verſione LXX. Interpretum irrepſit, præſertim cum Beza & Scaliger teſtentur, in vetuſtiſſimis Codd. ejus nomen non fuiſſe repertum. Lyra hanc diſcrepantiam ita conciliare nititur, ut exiſtimet, Cainan fuiſſe patrem Salæ legalem, qvi Salam adoptaverit; Arphachſadum autem naturalem, è qvo ille genitus ſit. Nos numeramus primos Patriarchas, ut apud Moſen numerati ſunt, & qvidem his memorialibus verſiculis incluſos:

Adam: Seth: Enos: Cainan: Mahalalëelq;:
Jared: Enoch: nec non vegetus Methuſala: Lamech:
Noachus: Semus: poſt Arphachſad: Sala & Heber:
Peleg: poſt Regu: Serug: Nachorq;: Tharaq;.

XV. Qvi igitur factum eſt, qvod Abraham à majoribus tam piis natus & educatus, dicatur ante evocationem divinam in Chaldæâ Idololatra fuiſſe?

Variæ hic circumferuntur ſententiæ. Rabini, autore Hieronymo & Lyrano, ex Gen. XI. 28. ubi Haran coram patre Thara in Ur Chaldæorum in terra nativitatis ſuæ mortuus dicitur, referunt, Haranum in igne, qvem, tanqvam Deum, more Chaldæorum adorare noluiſſet, conjectum periiſſe: Abrahamum etiam, qvi palam Idololatriam increpaverat; conſimili modo igni traditum, ſed non aliter, ac in fornace Babylonica juvenes, incolumem conſervatum, ex Chaldæa ſeceſſiſſe. Cui narrationi occaſionem dedit Ur Chaldæorum, unde egreſſus eſt Abraham. Nam cùm Ur Ignem ſignificet, Haranum putant in igne periiſſe, Abrahamo inde incolumi egreſſo. Et his ipſis aſſenſiſſe Auguſtinum ex lib. XVI. de civitate DEI c. XII. & XV. conſtat, qvi textum, qvo in libro Joſuæ XXIV. 2. patres Judæorum, ut Thara, pater Abrahami & Nachori, trans fluvium habitaſſe, & diis alienis ſerviiſſe dicuntur, intelligit de reliqvis poſteris Eberi, inter qvos una remanſerit domus

Gen. XI. v. 26. 31. & XII. v. 4. 5. Joſeph lib. I. Antiq. Jud. cap. 7. & 8.

Tharæ, in qva plantatio Civitatis DEI in multarum ſuperſtitionum diluvio cuſtodita ſit, non aliter, ac per aqvarum diluvium una domus Noæ remanſit ad reparandum genus humanum. Joſephus etiam, atq; ex eo Sabellicus, & plures alii, ſuffragante Achiore illo, libro Judithæ v. 6. dicunt, Chaldæos contra Abrahamum, Idololatricos cultus abominantem, inſurrexiſſe, eumqve Oraculo monitum, migrandi conſilium cepiſſe, & voluntate atq; favore DEI fretum terram Cananeam petiiſſe. Sed textus ex Joſua Theologis clarior videtur, qvam ut domus Tharæ à ſuperſtitione immunis fuiſſe probari poſſit. Franzius in libro de interpretatione ſcripturæ, Oraculo XCI. ſolum Thara putat Diis alienis ſerviiſſe, licet id apud Joſuam in plurali numero dicatur. Qvod autem Abraham & frater ejus Nachor idem fecerint, ex textu probari haud poſſe.

XVI. Qvis autem in familia Semi primus ad Idololatricum cultum ſe contulit?

Euſeb. de præpar. Evang. lib. 7. cap. 2. Bochart. in Phaleg. lib. 2. cap. 14. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 11. & lib. 2. Retract. c. 16.

Carolus Sigonius libro 1. de Rep. Judæorum cap. 1. ex Hieronymo & aliis refert, Arphachſadum primum Tigrim tranſiiſſe, & in Chaldæa conſediſſe: qvam ob cauſam ii, qvi cum Arphachſado tranſierant, Hebræi dicti ſint, qvod ultra flumen venerint. Heber enim ultra ſignificat. Unde illud Gen. X. 21. Sem pater fuit omnium filiorum Heber, id eſt, omnium, qvi ultra flumen proceſſerunt. Ita circa illud tempus tranſitus nomen gentile Salæ filius, Heberus dictus, obtinuiſſet, ut ab ipſo poſteri, Hebræi dicti, denominati credantur. Et qvidem, qvod in conſilium Nimrodicum de turri Babylonica ædificanda non conſenſerat, qvicqvid Johannes Goropius Becanus in operoſis ſuis voluminibus de Cymbricæ lingvæ vetuſtate, qvaſi omnium prima ſit, moliatur, veterem ſermonem retinuit, reliqvorum omnium labiis confuſis, ut ait Cedrenus. Ejus autem pronepos, Serug, primus Deorum ſimulacra inter poſteros Semi feciſſe, inqve ejus impietate Nachor, Thara, tandemqve Abrahamus manſiſſe dicuntur.

XVII. Si igitur Thara cum filio Abrahamo in Chaldæa Idola coluit, ubinam qvæſo tunc temporis putas Eccleſiam ſubſtitiſſe?

Nonnulli purioris Theologiæ aſſertores arbitrantur, Semum in Cananæa tunc temporis ſubſiſtentem, tanqvam ſupremum Eccleſiæ Epi-

Epiſcopum, indignè tuliſſe, qvod ſui nepotes, & imprimis Abraham, ex qvo illuminatione Spiritus S. noverat progreſſurum Semen benedictum, inter Chaldæos ſeduceretur, & nomine DEI exitum ex gentibus illis Abrahamo imperaſſe. Sed obſtant cum alia, tum illud Stephani Act. VII. 2. qvo dicitur ipſe Deus gloriæ Abrahamo in Chaldæa apparuiſſe. Qvicqvid autem hujus ſit, licet Abraham Chaldaicæ ſuperſtitioni cum Patre addictus fuerit, non tamen Eccleſia prorſus defecit, præſertim cum in ædibus Semi, Melchiſedeci, Solymarum Regis & Sacerdotis (qvem qvam plurimi, ut Iſidorus, ipſum Semum; Cunæus nuper æternum DEI filium in aſſumto per divinam œconomiam corpore apparentem fuiſſe cenſuit, qvam rectè, ipſe viderit) & aliorum piorum, religionis cura ſumma cum pietate habita ſit.

XIIX. Redige qvæſo Hiſtoriam Abrahami in compendium!

Abraham A. M. poſt bis milleſimum vigeſimo Ur Chaldæorum, qvam Euſebius Camirinem, Ptolemæus Urchoam CVI. milliaribus Hieroſolymis diſtantem, appellat, non ſolus egreſſus eſt, ſed cum Patre Thara, Nachore fratre, & Lotho ex fratre Haramo, jam defuncto, nepote, Cumq; ita in ſpontaneum exiſſet exilium, in Meſopotamiam pervenit, & fratre Nachoro, ut & Patre Thara (qvi vixit adhuc A.M. MMLXXXIII. ſexaginta poſt egreſſum Abrahami annis) in urbe Haran ſeu Charris, qvæ hodie dicitur Ophra, clade Craſſi nobilitata, relictis, cum Lotho, & uxore Sara, ſive Lothi ſorore, ſive ſorore ſua legali, Tharæ privigna, A.M. MMXXIII. año ætatis LXXV. præfinitos illos CCCCXXX. peregrinationis Patriarcharum annos exorſus, in Cananæam profectus eſt, ſedibusq; ibi in Sichem, oppido ejus plagæ, qvæ poſtea Samaria dicta eſt, & deinde juxta Bethelem, tandemq; verſus meridiem poſitis, Deo ſuo aras exſtruxit, & voluntatem ejus impiis gentibus expoſuit. Sed non multo poſt ingens eam terram invaſit fames, ideoq; Abraham Ægyptum petiit, & Saram, qvam ſimulabat ſororem, à Pharaone Rege pene adulterio contaminatam vidiſſet, niſi Deus, aula regia magnis cladibus afflicta, regem ad alienæ uxoris dimiſſionem impuliſſet. Cumqve Patriarcha, ſecundum Joſephum libro primo Antiqvitatum cap. IX. Ægyptios religionem & artes Aſtronomicas docuiſſet, regreſſus eſt denuo Bethelem, exortaqve inter Paſtores de paſcuorum terminis controverſia, Lotho ceſſit Jordanis planiciem irriguam

Alex. Polyh. & Nicol. Damaſc. ap. Euſeb. in præpar. Evangel. l. 9. cap. 4. Iſidor. Orig. l. 3. cap. 24 Georg. Syncell. Chronogr. p. 98 & 312

guam & Sodomitarum regionem; ipſe agro ſubmontano contentus, accepit divitem de poſſeſſione totius Cananeæ terræ promiſſionem, & in oppido Hebrone domicilium elegit. Qvo in loco cum nuncium accepiſſet de capto Lotho, & clade, qvam Rex Sodomæ, ejusqve ſocii, Aſſyriorum jugum excutere conati, ſuſtinuiſſent, CCCXIIX. vernas ſuæ domi natos cum pauculis auxiliatium copiis expediit, & DEO ſuo confiſus, in cubilibus incautum qvatuor potentiſſimorum Regum exercitum oppreſſit, Lothumqve, pluresqve alios captos redemit, & à Melchiſedeco, cui decimas de manubiis obtulit, fauſtis ominibus exceptus, omnem prædam Regi Sodomæ juſtus & felix bellator reſtituit.

XV. Mirum eſt, unam Patriarchæ familiam tanto exercitui reſtitiſſe: Sed qvid porrò ſacræ literæ de Abrahamo annotarunt?

Gen. XVI. v. 1. 2. 11. 15. XVII. v. 11. 23. XXI. 2. 3. XXII. 1. 2. Ebr. XI. 18. 19. Joſeph. 1. Antiq. Jud. cap. 9. 11. 13. 14. Philo de Abrah. p. 373. & ſeq. Auguſt. lib. XVI. de Civit. DEI cap. 15. Sulpit. Sever. l. 1. Hiſt. Sacr. cap. 12.

Ille in ſua reverſus, filium à Jehova exorat, & tam in ſomniis, qvàm oblata ad ſacrificium cœlitùs incenſum viſione, edocetur de ſervitute nepotum ſuorum CCCCXXX. annos duraturâ. Dein Saræ importunitas ei Agarem ancillam adſciſcit novam conjugem, qvæ tamen imprægnata & inſolentior adverſus Dominam facta, in fuga periiſſet, niſi ab Angelo admonita, à Dominis veniam impetraſſet. Poſthac Abraham & Sara Sacramento Circumciſionis in ſpem ſalutis certiorem erecti, vera ſua nomina à Deo ſortiuntur, ut ille qvaſi Multiparens; hæc qvaſi Princeps vel Principiſſa vocata ſit. Pentapolis autem Sodomitarum, fruſtrà Abrahamo ſexies coram Jehova & duobus Angelis, qvos hoſpitio exceperat, deprecante, igne cœleſti ob nefanda flagitia exſcinditur, & peſtilentibus lacus Aſphaltites undis abſorbetur, Lotho prius ab Angelis cum duabus filiabus educto, uxore autem ejus, qvod contra, qvam mandatum fuerat, reſpexiſſet, in ſaxum conversâ. Qvam fœdo autem inceſtu ſe Lothus, ebrius cum filiabus congreſſus polluerit, pater inde Moabitarum & Ammonitarum factus, luculenter refertur Gen. XIX. 31. Tandem Abrahamo centenario, cujus uxori, etſi grandævæ, tamen ex iſtius ſeculi genio pulcerrimæ, denuo Abimelech, Rex Geraræ Philiſtæus vim intentaſſet, niſi morbo divinitùs correptus, & ad fœdus cum Abrahamo ineundum coactus reſipuiſſet. Iſaac à riſu Saræ vocatus, A. M. MMXLIIX. è corpore Saræ emortuo naſcitur; Iſmael Pater Midianitarum, Nabathæorum & Arabum, domo pellitur & abdicatur; In Iſaaco, in Moriæ ſeu Sionis monte mactando, admiranda Patris obedien-

ercetur; Sara CXXVII. annorum in oppido Hebrone humatur, & Abraham ex ſecundis Kethuræ nuptiis ſex adhuc filios, multorum populorum in Arabia felici & Troglodytarum regione progenitores, educavit: cumqve CLXXV. annos compleviſſet, promiſſionibus ſubinde acceptis de terra Chananæa, nepotibus innumeris, & omnium gentium in ſuo ſemine benedictione, peracta piè & feliciter ætate, vita emigravit. Nota hîc Genealogiam ex Gen. XI. 27.

Thara Nachoris Filius	1. Abraham	Iſaac. Iſmael.	
	2. Nachor	Bethuel	Laban Rebecca
	3. Haran	Loth Milca.	

XX. Non eqvidem ſine cauſa Paulus Abrahamum, cui tam impensè DEUS in omnibus favit, Patrem Credentium appellat: Sed qvid ejus filius Iſaacus?

Ille jam vivo patre duxerat Rebeccam cognatam: Nam alter Abrahami frater Nahor, qvi in Meſopotamia ſubſtiterat, ductâ Milcâ, fratris Harami filiâ (De gradibus enim conſangvinitatis in connubiis obſervandis nondum leges latæ erant) præter alios ſeptem filios, etiam Bethuelem progenuit, patrem Labanis & Rebeccæ: qvæ anno nuptiarum vigeſimo, uteri mole creſcente, Oraculum ſive ad ſacrificia, ſive per Semum, ſive per alium qvempiam Patriarcharum reſponſa edens, conſuluit, & gemellos ſe utero gerere didicit, qvorum major ſerviturus eſſet minori. Et prodierunt menſibus expletis primùm Eſau, (qvi idem & Edom, id eſt, rufus, & Seir, id eſt, hiſpidus dictus eſt) deinde Jacob, qvorum illum piloſum atqve rufum, hic apprehenſo calcaneo detinuit, & annis etiam creſcentibus ita ſupplantavit, ut non ſaltem primogenituram, edulio rufo ex lente, ut creditur, Ægyptiacâ permutatam, ſed & matre procuratrice benedictionem paternam, qva heres inſtitutus eſt, ſuperbo fratri præriperet. Fame autem Chananæos premente, Iſaac ad hoſpitem patrium Abimelechum, Regem Palæſtinæ in Gerara, profectus, eum ab initio amicum, mox ob fortunas auctas malevolum, experitur. Sed Rex præſentiam tandem Numinis in Iſaaco, omnibus in rebus fortunatiſſimo, & jam bis viſionibus cœleſtibus confirmato, agnoſcens, amicitiam cum eo innovat. Poſtea

Gen. XXI. 1. 2. 3. XXII. 2. 11. Hebr. XI. 18. Euſeb. lib. 9. de præp. Evang. c. 4. Ambroſ. lib. 1. c. 8. Chryſoſt in Geneſ. homil. 46. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 32 Philo p. 373. ſeq. Joſeph. l. de Antiq. cap. 11.

ea Iſaac, cum vixiſſet annos CXXC. & plusqvam XXX. annis cœcutiiſſet, filii Eſavi inſolentiâ, & nonnullorum nepotum, qvos ex Jacobo ſuſtulerat, flagitiis valdè afflictus, vivendiqve ſatietate expletus, A. M. MMCCXXIIX. obiit Hebrone: Qvo ipſo anno Joſeph ex carcere ad ſummum honoris faſtigium in Ægypto evectus eſt.

XXI. *Satis igitur turbarum & Iſaac expertus eſt: Sed qvid ejus filius Jacob?*

Gen. XXVII. 6. 28. 36. Hebr. XI. 20. Aug. Qq. in Gen. l. 1. qvæſt. 80. l. 16. de civit Dei cap. 36. & ſeq. Chryſoſt. in Geneſ. Homil. 53. Joſeph. 1. ant. 16. 18. 19. lib. 2. cap. I Euſeb. lib. 9. præp. Evangel. c. 4. & 8. Demonſt. c. 1. Juſtin. l. 36. cap. 2.

Eum, ne ab irato fratre opprimeretur, matris ſollicitæ prudentia ad Bethuelem, avum maternum, in Meſopotamiam, vivo adhuc & conſentiente patre, ablegaverat. Et in itinere ſub dio qvieſcenti ſcala viſa eſt deſcendentes & aſcendentes angelos excipere, ipſumqve cœli culmen attingere: Ipſe autem Jehovæ voce erectus, loco divino, qvem Bethel nominavit, relicto, alacer ad Labanem avunculum Bethuelis filium, Charras pervenit, & Rachelis conſobrinæ nuptias labore ſeptem annorum pervigili qvæſivit. Sed elapſo præſtituto tempore Lea, Rachelis germana natu major, formâ illiberalior, illi in thalamum inſcio eſt inducta. Cumqve fraudem tantam indignè ferret, ut totidem adhuc annos pro Rachele, qvam perditè amabat, obtinenda conſumeret, perſvaſus eſt. Qvam tamen ſibi copulatam ſterilem deprehendit, ſubinde liberis ex Lea auctus. Ideoqve Rachel verita, ne propter ſororis fœcunditatem deteriore apud maritum conditione eſſet, famulam Bilham ſui loco à Jacobo imprægnari, & filios parere voluit, ut vel ſic ſobolem mereretur. Idem & mox Lea fecit, ſororis arte contra ipſam famulitio Silpæ uſa. Tandem Rachel dilectiſſimos peperit Jacobo filios, Joſephum & Benjaminum, à qvorum poſtremo in partus difficultate in itinere, qvod relicto Bethele verſus Bethlehemum cum marito ſuſceperat, enecata eſt. Jacob vero, cum adhuc in ædibus ſoceri ſubſiſteret, arte qvadam pecuaria, qva, decorticatis virgis in canalibus poſitis, vellera gregis variavit, re familiari auctus, cum molitus eſſet fugam, ab injuriis cum ſoceri cælitus reconciliati, tum fratris Eſavi tutus, inqve luctâ, qvam adverſus Filium DEI in ſpecie humana apparentem victor ſuſtinuit, Iſrael appellatus, venit in Suchoth: inde tendit ad Sichemitas, qvos, ob ſtuprum ſorori ſuæ illatum, Simeon & Levi admodum immaniter habuerunt. Deinde Diis Labani defoſſis, egreſſus rediit DEI juſſu Bethelem, & hinc Bethlehemum, ubi Ruben novercam compreſſit, tandemqve ſubſtitit in urbe patria Hebro·

brone, qvam Eſavus fratri concedens, abiit in Idumæam ad affines Horæos, apud qvos muli primùm ex aſinorum & eqvarum admiſſura, vel, ut alii textum Hebraicum interpretantur, thermæ inventæ ſunt, & in montanis Seir habitavit; regnoqve Idumæorum & Amalecitarum initium dedit.

XXII. Non igitur tam ferox videtur hac in re Eſavus, qvi & ignovit fratri, & ei terram fertiliſſimam ceſſit. Sed qvamnam ſortem deinde expertus eſt Jacob?

Eam ſanè, qvam πολυτεκνία plerumqve parere ſolet. Nam diſſidentibus & rixantibus filiis, grandiqve infamia ob graviſſima ſcelera laborantibus, cum Joſephi, divini pueri, qvi futuram ſuam felicitatem per ſomnum didicerat, probitas averſaretur tantam proterviam, à qva nec Judas, nuptias prohibitas celebrans, & cum nuru congreſſus, immunis fuit, magno mactatus eſt infortunio, & filium dilectiſſimum pravo ſceleratoqve conatu fratrum venditum, tanqvam à feris dilaniatum, luxit. Sed illum qvidem heræ libidinoſæ in Ægypto calumnia afflixit ſagacitas autem & divinitas in ſomniis interpretandis ita evexit, ut ducta Aſnatha, Heliopolitani Sacerdotis filia, à Rege eſſet proximus, & annuli regii, totiusqve regni curam ageret. Nam fami, ſeptem annos terram affligenti, tam prudenter ſubvenit, ut & egenos omnes cibaret, & qvintam omnium Ægypti proventuum partem, lege Qvintationis perpetua, Pharaoni acqvireret. Cumqve Chananæorum regio eadem opprimeretur rerum penuria, Joſephi fratres bis ad Ægyptios ablegati, & divexati primùm, poſt in gratiam recepti, cum grandævo Parente, domicilium A. M. MMCCXXXIIX transportato, in Ægyptum migrant, & ex Regis indultu, Heliopolin, qvam Ony vocant, metropolin terræ Goſen, incolendam accipiunt: in qva etiam Jacob Patriarcha anno ætatis CXLVII. A. M. MMCCLV. pie defunctus obiit, oſſaq; ejus, à filiis & Ægyptiorum proceribus. Hebronem transportata, magnificè terræ mandata ſunt. In Ægyptum autem reverſi Jacobigenæ, feliciter exegerunt ætatem, & Joſeph, ut legere eſt Pſalmo CV. 22. principes Pharaonis juxta voluntatem ſuam erudiit. Sed poſteri eorum, regno in aliam familiam translato, cum jam memoriam beneficiorum Joſephi tempus obliteraſſet, graviſſimè ſunt afflicti, donec à Moſe divinitus liberati, prædis onuſti, in terram promiſſam egrederentur. Ante cujus ætatem à Joſephi morte nullæ in

Gen. XXX. 25. 23. XXXVII. 2. 28. XXXIX. 1. 7. 20. XLI 36. XLVIII. 1. 16. Joſeph. 1. antiq. c. 19 lib. 2. cap. 2. 3. 4 Sulpit. Sever. lib. 1. Hiſt. ſacr. cap. 19 ſeqq Euſeb. lib. 9. præp. Ev. c. 4. Juſtin. lib. 36. cap. 2.

ſacris literis leguntur Hiſtoriæ, niſi qvod I, Par. IIX. 21. Ephraimitæ dicuntur, vivente adhuc patre, in Chananæam ad Gathitas oppugnandos deſcendiſſe, ut terram patribus promiſſam occuparent: ſed irrito conatu: Nam, nullo DEI indultu prævio, tyrannides Ægyptiacas declinaturi, & regnum promiſſum armis obtenturi, omnes interfecti ſunt, ut moneamur, Eccleſiam preſſam, niſi adſit DEI mandatum bella feliciter movere haud poſſe. Qvæ autem poſtea acciderint, ad ſecundam hujus libri ſectionem tranſmiſſuri, Genealogiam Jacobigenarum ſuccinctè nunc ſubjungemus, ut ejus beneficio nonnulla loca, qvæ in ſacris ſcripturis occurrunt obſcuriora, facilius intelligamus, nec remoram nobis in ſubſeqventium temporum hiſtoriis injici patiamur.

XXIII. Qvoſnam igitur & ex qvibusnam uxoribus procreavit Jacobus liberos?

Id ex Tabula hac videre licet.

JACOBI	ex Lea VI. filii & una filia	1. Ruben, ob inceſtum cum noverca Bilha à jure primogenituræ excluſus.	
		2. Simeon, ob Sichemitarum cædem omni dignitate ſpoliatus.	
		3. Levi, ejusdem criminis cum Simeone reus; Sacerdotium tamen, qvod Rubeni debebatur, nactus.	
		4. Juda, catulus ille Leonis, ſtirps SILOH, regnum, qvod Rubeni debebatur, adeptus.	
		5. Iſaſchar, aſinus ille oſſeus, reqviei ſtudioſus.	
		6. Zabulon, felix ille maris accola.	
		DINA, à Sichemo ſtuprata.	
	ex Rachele	7. Joſeph, duplicem portionem, qvæ Rubeni debebatur, nactus, ramus ille pulcer	1. Ephraimi 2. Manaſſæ.
		8. Benjamin, lupus ille rapax, & amantiſſimus Domini.	
	ex Bilha	9. Dan, coluber ille in via.	
		10. Naphthali, Cerva illa emiſſa.	
	ex Silpa	11. Gad, accinctus ille adverſus cuneum latrunculorum.	
		12. Aſſer, pingvis ille panis.	

Ut-

Utqve hoc ipſo loco conditionem tribuum duodecim, ex filiis Iſraelis exortarum, cogneſcere qveas, hanc ſeriem ad faciliorem Biblicarum Hiſtoriarum lectionem ſubjungemus.

I. RUBENITARUM tribus, qvæ ex vaticinio Jacobi Gen. XLIX, ceſſit Levitis ſacerdotium, Judæis regnum, & Joſepho alteram duplicis portionis partem, non excelluit, &, qvod Moſes etiam prædixit, Deut. XXXIII. 6. parva numero fuit, adeoqve miſerrimæ & contemtiſſimæ conditionis. Superba tamen in ſua ignavia ſeſe jactitavit Judic. V. 16. & ob ſui abjectionem indignabunda, Sacerdotii jus in ſeditione Coræ ſibi vindicare ſategit: Dathanem enim, Abironem & Onem, Coræ ſocios, principes fuiſſe Rubenitas, ex Num. XXVI. 9. conſtat. Ex hac tribu 46500. ingreſſi ſunt in deſertum, Num. I. 43730. in Chananæam. Num. XXVI. & cum Gaditis, dimidiaqve tribu Manaſſæ, non ſolum Sihonis Regis Amorrhæorum, & Ogis Regis in Baſan, fertiliſſimas terras, ultra Jordanem verſus Auſtrum, habitandas acceperunt, ſed & tempore Saulis, ſingulari DEI gratia adjuti, innumeros Iſmaelitas ſeu Hagaræos ceperunt, regione eorum occupata 1. Par. VI. Nec prorſus viris inſignibus, ut nec Prophetis tribus hæc deſtituta fuit: Nam & aliis & Joeli Prophetæ, dedit originem. Joſeph. lib. 1. Antiq. Jud. c. 19. lib. 2. c. 4.

II. SIMEONIDÆ, propagatoris ſui truculenti & ſangvinarii naturam induentes, non ſaltem alios Prophetas & pios doctores, ſed & ipſum Chriſtum, qvem Judas ex Simeonis proſapia oriundus prodidit, ad ſupplicia rapuerunt. Ideoqve peculiarem terræ ſortem, præter angulum qvendam auſtralem, in tribu Judæ, deſerto & magno mari contiguum, cis Jordanem, non acceperunt: ex qvo tamen poſt diſtractionem regni, tempore Rehabeami, digreſſi, inter reliqvas IX. tribus diſperſi, utplurimum Scribarum officio functi, habitarunt. Qvam ipſam etiam ob cauſam Moſes eos præteriit, cum cæteros omnes benedictionibus cumularet. Deut. XXXIII. Horum 59300 ingreſſi ſunt deſertum, 22200. Chananæam terram. Et Amalecitis, tempore Ezechiæ, qvo X. tribus in Aſſyriam abductæ ſunt, percuſſis, viqve expulſis filiis Ham, eorum terram occuparunt. 1. Par. V. atqve ſic extra terminos Iſraelis habitacula fixerunt. Præter Judam Iſcariotem ex hac ſtirpe oriundus eſt Simri fornicator, qvem Phineas Zelo divino correptus, Num. XXV. transfixit: Habacuc etiam, Nahum & Sophonias Prophetæ, & ſancta vidua Juditha, ei debent originem.

III. LEVITAS, loco primogenitorum totius populi Iſraelitici, DEUS Euſeb. lib. 9. præp. Evangel. cap. 4.

DEUS ſibi reſervavit, eò qvod in Iſraelitarum gratiam cuncta Ægyptiorum primogenita occidiſſet. Exod. XIII. Numerata igitur tribu Levi, inventi ſunt 22000. Deinde collecta ſummâ omnium primogenitorum Iſrael, numerus deprehenſus eſt 22273. Ad æqvalitatem igitur conſtituendam, redemti fuerunt 273. primo geniti, pretio qvinqve ſiclorum pro ſingulis numerato: Qvæ pecunia Aaroni & ejus filiis data eſt, Num. III. Et ſic tandem Levitæ miniſteriis divinis initiati & conſecrati ſunt. Num. IIX. factaqve triplici eorum diſtinctione, juxta trium primogenitorum, Caathi, Gerſonis & Merari, Levi filiorum, Caathitis, tanqvam propter Moſen & Aaronem nobilioribus, data eſt cura portandi res nobiliores & ſanctiores, arcam, menſam propoſitionis, candelabrum & altare incenſi, hac tamen conditione, ut nemo præter Aaronidas illa tangeret, aut curioſius inſpiceret. Gerſonitis aſſignatæ ſunt in itinere cortinæ tabernaculi atriiqve, & omnia, qvæ ad altare holocauſti pertinebant. Meraritæ tabulas Tabernaculi, veſtes, columnas, earumqve baſes, atriiqve columnas bajulabant. Qvibus omnibus tandem, tanqvam miniſtri, aſſociati ſunt Gabaonitæ ſeu Nathinæi, ex Chananæis, & qvidem Hevæis, pia qvadam fraudulentia conſervati, Joſ. IX. 1. Par. X. Esdr. IIX. Levitæ autem in tribus Gerſonitarum, Caathitarum & Meraritarum ordinibus in immenſam, ut vix alia tribus, poſteritatem creverunt, illuſtresqve ex iis heroës & præſtantiſſimi viri ortum traxerunt, Moſes, Aaron, Phineas, Heli, Samuel, Jeremias, Ezechiel, Zacharias, Esdras, Nehemias, Aſſamonæi, Johannes Baptiſta, Bezaliel artifex, & omnes Sacerdotes, Sacerdotumqve Pontifices. Interim Levitæ, qvi indifferenter omnes à Nathinæis, tanqvam miniſtris, juvabantur, Aaronidis ex Caath oriundis, tanqvam Sacerdotibus, miniſtrabant, & ut templi cuſtodes & ſuppellectilis ſacræ portatores, Cantoresqve & Janitores, munia ſacra obibant. Inter Sacerdotes, qvi ſummus erat, reliqvos Sacerdotes & Levitas conſecrabat, Dominum in Ephod & Rationali conſulebat, & qvotannis die expiationis in ſancta ſanctorum ingrediebatur, ut pro ſe totoqve populo preces funderet, nec niſi Hieroſolymis reſidebat. Reliqvi, tanqvam ſuffraganei, præerant ſarificiis & libaminibus à populo accipiendis, igni ſacro fovendo, ſacrificio jugi bis qvotidie celebrando, thymiamati altari imponendo, lucernis in aureo candelabro excitandis, duodecim panibus calidis ſingulis Sabbathis menſæ imponendis, ſuppellectili ſacræ aſſervandæ, impuris purificandis, ſignis per buccinarum clangorem edendis, & qvibus non aliis ſacris negotiis conficiendis? Crudele tamen propaga-

pagatoris ingenium multi Levitarum retinuere, & ut in aliis, ita inprimis in Servatore mundi crucifigendo exeruerunt. Certa illis poſſeſſio non eſt attributa, præter XLIIX. urbes in medio reliqvarum tribuum, una cum ſuburbanis, agro ſcilicet mœnibus ipſarum contiguo, usqve ad mille paſſus per circuitum. Præter illas XLIIX. urbes ipſis poſtea, cum numerus eorum multiplicaretur, acceſſerunt nonnullæ aliæ civitates, ut cenſet Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ. Et ex illis omnibus ſex urbes in confugii præſidia & aſyla juſſu Dei deſtinata ſunt, tria cis Jordanem, Kedes in Nephthalim; Hebron in Juda; Sichem in Ephraim: & tria trans Jordanem, Boſor in Ruben; Gaulon in Manaſſe; Rameth Gilead in Dan: qvo illi, qvi citra inimicitiam, nec ſponte, ſed præter voluntatem, homicidium commiſerant, ne ab occiſi cognatis in vindictam effuſi ſangvinis trucidarentur, confugerent, & in judicio jus facti ſui, ab aliorum injuriis tuti, dicerent. Levitæ autem oblationibus, ſacrificiis, primitiis & decimis populi ſuſtentabantur, nec agris ſuarum urbium ultra certum ſpacium, in uſum paſcuorum conceſſum, fruebantur, cum illi ad tribus, in qvibus erant ſiti, ſpectarent. Num XIIX. 20. Vitam igitur minus laute agebant, donec vices recurrerent, qvibus ſua in loco ſacro munera, inter familias certo ordine diſtributa, obirent. Hæ vices & ordines Levitarum videantur Num. III. & IV. 1. Par. VII. & XXIII. In ſciſſione regni, poſt Salomonis obitum, à Jerobeamo ſuis urbibus & ſuburbiis expulſi, Judæis adhæſerunt, II Par. XI. 13.

IV. JUDÆI, qvos præ reliqvis tribubus ſorte feliciſſima DEUS dignatus eſt, à labe & omni ignominia haud immunes fuerunt: Nam ipſe Juda Uxorem ex gentibus duxit, filiisqve ſuis, Seri & Onani, ob libidinem haud nominandam poſtmodum occiſis gentilem Thamarem elocavit: Ex qva deinde ſtuprata ipſe gemellos genuit, qvorum alter Perez inter Chriſti proavos numeratur. Qvi autem ex Juda nati ſunt, etſi commendationem ob inſignes Reges, Prophetas & Heroas merentur, cujusmodi ſunt, Caleb, Othoniel, Ebzan, Judices; Eſaias, Obadias, Habacuc, Daniel, Sophonias, Haggæus, Malachias, Prophetæ; duo Jacobi, Johannes Evangeliſta, Simeon, Judas, Apoſtoli; David, Salomon, & qvi ex ipſis prognati ſunt Reges; ipſeqve θεάνθρωπος CHRISTUS JESUS; infamiam tamen illis adſperſere, Achan in deſerto lapidatus, Joſ. VII. Rehabeam, Achab, Manaſſe. Ex hac tribu in deſertum 74600. in terram promiſſam 76500. egreſſi, citra Jordanem ad mare mortuum ſortiti ſunt primam poſſeſſionem, eamqve longe ampliſſimam, in cujus medio Dan & Simeon locum obtinuere, in vicinia Idumææ.

Euſeb. lib. 8. præp. Evang. c. 1. Joſeph. lib. 5. antiq. c. 19.

V.

V. ISASCHARÆI, populoſi, qvidem, ſed minus bellicoſi, numero 54000. in deſertum; 64000. in Chananæam ingreſſi ſunt: Tempore Davidis eorum 87000. numerati leguntur 1. Par. IIX. Hoſeas Propheta, Thola Judex, Baeſa & Ella, Reges Iſraelis Iſaſcharæis annumerantur, ut & Abiſag Sunamitis pulcerrima, & alia mulier Sunamitis, cui impetravit Eliſeus filium. Acceperunt citra Jordanem in Galilæa inferiore optimam & fertiliſſimam regionem ad mare Galilææ, intra Zabulon & Ephraim.

VI. ZABULONITÆ non ſine cauſa, ob militiam, & mercium ad mare, qvod accoluerunt, permutationem, à Moſe, Deut. XXXIII. dicuntur in exitu lætaturi, & inundationem maris, theſaurosqve arenarum abſconditos qvaſi lac ſucturi. Et qvidem populoſiſſimam tribum conſtituerunt, ex qva 57400. deſertum; 60500. Chananæam intraverunt. His originem debet Elon Judex, Jud. XII. Jonas Propheta de Gath Hepher II. Reg. XIV. 25. & Malachias ex Sopha, ut & Amos ex Thecue: qvæ oppida adſcribuntur Zabulonitis, qvi cis Jordanem in fertili Galilææ regione, à lacu Geneſareth usqve ad littus maris magni, qvod juxta montem Carmelum eſt, conſederunt.

Juſtin. lib. 36. cap. 2. Joſeph. lib. 1. Antiq. Judaic. cap. 19. lib. 2. cap. 3. 4. Sulpit. Sever. lib. 1. Hiſt. Sacr. c. 19. ſeqq.

VII. JOSEPHITÆ diviſi in EPHRAIMITAS & MANASSÆOS, qvorum propagator ampliſſimis beneficiis & Patrem & reliqvos fratres affecerat, à Jacobo morituro jus duarum tribuum adepti ſunt. Ephraim enim & Manaſſe, duo filii Joſephi, ab avo adoptati, locum Levitarum, qvos pro primogenitis ſibi vendicaverat Jehova, qvique in diviſione terræ Chananææ præteriti, in bellum educi non poterant, compleverunt, ut ſic nec Levitis ſupputatis, in duodecim exercitibus duodecim tribuum vigor & res Iſraelitarum conſiſterent. Qvod ut commodius fieret, duplex portio, qvæ primogenitis debebatur, Joſepho ejusqve filiis diſtribuebatur. Illis enim Rubeni dignitas hac in parte cedebatur. Gen. XLIIX. 5 Etſi autem Manaſſi jus primogenituræ nativitas conceſſerat, EPHRAIM tamen, ſingulari DEI indultu, fratri & patruo primogenito Rubeni prælatus eſt, & ex ſe præter Judices populi præcipuos, Joſuam, Abdonem & Deboram, ut & I. Reg. XI. Ahiam & Micham Prophetas, Jeroboamum, & pleroſqve ejus in regno Iſraelis ſucceſſores, progenuit, & Ephraimitæ citra Jordanem occuparunt, provinciam montoſam qvidem, ſed divitem & fertilem. Qvæ cauſa eſt, qvod aliqvoties X. tribus Iſrael dicantur Ephraim, & Ephraim pro toto Iſraelis regno, propter ſuam amplitudinem & potentiam ſumatur. Metro-

tropolis ejus fuit Samaria, unde etiam tota regio Samaritis vel Samaria vocata fuit, in qva fuit ſita Sichem ſeu Sichar, & Silo, urbes, ut & mons Garizim. MANASSIS autem tribus, ex qva prodierunt Gedeon ejusq; nothus degener Abimelech, & Jair, Judices, & Propheta Eliſæus, uno in loco non ſubſtitit, ſed pars habitavit cum Rubenitis & Gaditis ultra Jordanem, in ditione Og, regis Baſan, à Salmanaſſare tandem in Aſſyriam abducta; pars in terra Chananæa hereditatem ſuam inter Ephraim & Iſaſchar eſt ſortita, & à Nabuchodonoſore in Babyloniam transportata. Qvantas vero copias Joſephitæ expedire potuerint, vel inde patet, qvod deſertum ingreſſi ſint 72702; ad terram autem Chananæorum obtinendam prodierint 85200.

IIX. BENJAMITÆ bellicoſiſſimi, ob hoſpitium, qvod ceperunt Hieroſolymis & vicinis locis vicinæ domui Judæ, contra reliqvas X. tribus, ſemper adhæſerunt, & in deſertum 35400; in Chananæam 45600 eduxerunt, partem citra Jordanem in meditullio ſitam, juxta Ephraim & Dan ſortiti, in qva eſt Bethel, Jericho, Gabaon. Davidis autem tempore ſic creverant, ut 59434. ex ſua tribu numerarent. Sed ob Levitæ uxorem ſtupratam fere exciſi fuiſſent, Judic. XIX. & XX. Originem ex his traxerunt Saul rex celeberrimus, Paulus Apoſtolus electiſſimus, Mardochæus aulicus pientiſſimus, Eſthera Regina feliciſſima, Ehud deniqve Judex populi fortiſſimus.

IX. DANITARUM præcipua gloria conſiſtit in Samſone, cujus heroica facinora qvævis gentilium facta obſcurant. Eduxerunt & ipſi ingentes copias, in deſertum qvidem 62700; in Chananæam verò 64400. cisqve Jordanem ad mare magnum conſederunt, juxta Ephraim & Benjamin, in vicinia urbium Philiſtæarum, Azoti, Accaronis, Geth & Aſcalonis.

X. NAPHTALITÆ à Syris, aliisq; hoſtibus, tanqvam à canibus cerva vexati, feliciſſimè emerſerunt, & pacis artibus ſibi vicinos placaverunt Gen XLIX. 21. inqve deſertum 53400; 45000. in Chananæam expedierunt, celebrati ob Ducem Baracum & duos Tobias. Adepti ſunt eam regionem, qvæ ad orientem tribus Aſſer ſita, totam pene complectitur Galilæam ſuperiorem, partemq; montis Libani usq; Damaſcum, continetqve in ſe Jor & Dan, duos Jordanis celeberrimi fluminis fontes.

XI. GADITÆ in deſerto ex ſe numerarunt 45650: in Chananæa 40500, & cum Rubenitis & dimidia tribu Manaſſæ ultra Jordanem ſubſiſtentes, viriliter hoſtibus ſe oppoſuerunt, celebres ob Eliam Thesbiten,

D & Je-

& Jehu Regem Iſraelis, qvi, duobus impiis regibus cum Jeſabele extinctis, cultum Baalis exſtirpavit. Aliqvi etiam referunt ad hanc tribum Judicem Jephten Galaaditam. Terra enim Galaad diviſa fuit Gaditis & Manaſſæis, Annalibus Tornielli ad A. M. 2850. referentibus. Cæterum provinciam uberem ultra Jordanem in regno Amorrhæorum obtinuere Gaditæ, in vicinia Arabiæ felicis & Ammonitarum ſeu Philadelphiæ.

XII. ASSERITÆ incoluerunt fertiliſſimam Galilææ Gentium ſeu ſuperioris provinciam; in ora maritima citra Jordanem, à Sidone magna usqve ad Carmelum maris in vicinia Tyri, Sidonis & Ptolemaidis, & in deſertum 41500; in Chananæam 53400. ſuorum emiſerunt: ex qvibus ortus eſt Nahum ex civitate Helkath oriundus, ut & Hanna Propheteſſa, filia Phanuelis. Luc. 2. 36.

XXIV. Gratisſima eſt hæc Tribuum Iſraeliticarum explicatio: Cùm autem in Orthodoxa Eccleſiæ hiſtoriâ debeant etiam Martyria piorum enarrari, dic qvæſo, an ea qvoq; in prima Eccleſiæ ætate conſumta ſint?

Martyres qvod attinet, novimus ab ipſo Chriſto Habilem inter eos, qvi pro veritatis confeſſione mortui ſunt, numerari: Matth. XXIII. 35. Præter qvem alios etiam ob religionis ſinceræ amorem à Cainitis trucidatos fuiſſe, ſi non alia, tamen Lamechi, virum & adoleſcentulum in vulnus & in livorem ſuum Gen. IV. 23. occidentis exemplum probat. Nec opus eſt fabulam Rabinorum ad Gen. XI. 28. repetere, qvi Haranum Abrahami patruum ab Idololatris igne abſumtum fuiſſe, Abrahamum verò à flammis intactum manſiſſe fingunt, cùm potius hiſtoriæ Lothi à Sodomitis, Joſephi a fratribus & Ægyptiis, Jobi à Dæmonibus & domeſticis afflictorum, hic afferri poſſint. Ex qvorum omnium actis, qvæ pœna perſecutores & tyrannos jam in primo mundo exceperit, cognoſcis, ut vel ſic juſtiſſimum Eccleſiæ vindicem agnoſcas. Jobum autem qvod attinet, cum Euſebius libro primo demonſtrationis Evangelicæ qvinq; generationibus Abrahamum ſeqvi, duabus Moſen antecedere dicit. Vixit in terra Hus ſeu Uz, qvæ ſita eſt in Edom, Thren. IV. 21. nominata à nepote Semi Gen. X. 23. qvi primus, ſecundum Hieronymum in Geneſin, Damaſcum fundavit. Pleriq; igitur Jobum putant eum eſſe, qvi Gen. XXXVI. 33. vocatur Jobab, filius Seræ, nepos Raguelis, ex Eſavo & Iſmaelis filiâ Baſmath nati. Cujus patruus magnus Eliphas fuit, Raguelis frater. Job. II. 11.

Euſeb. l. 9. præpar. c. 4 & 1 Demonſtr. cap. 6. Chryſoſt. hom. 2. de Job Auguſt. lib. 18. de civ. DEI. c. 47. Voſſ. 2. Idol. c. 3. Sulpit. Sev. l. Hiſt. Sacr. c. 23.

II. 11. Gen XXXVI. 4. Qvæ ſententia confirmari videtur, qvod & Jobab Gen. XXXVI. 34. dicatur Rex, & ipſe cap. XXIX. 7. ſe Regem nominet: qvodqve omnia oppida, qvæ amici incoluerunt, in terra Edom fuiſſe legantur. Etſi igitur nonnulli, iterq; eos Iſidorus Hiſpalenſis, cenſent, Jobum fuiſſe ex Nachoris fratris Abraham proſapiâ, cujus filius Hus vel Uz vocatus eſt Gen. XXII. 21. ſuperior tamen opinio applauſum plurium meretur. Qvibus autem plagis permiſſu DEI à Diabolo exceptus ſit, qvamq; viriliter ſuam innocentiam adverſus amicorum inſultus defenderit, tandemq; poſt variarum calamitatum exantlationem duplicatum vitæ ſpacium & loco amiſſorum bonorum, perditæq; ſobolis, majori felicitate, liberisq; florentioribus auctus ſit, vel alii, vel ipſe diſertiſſimo ſermone complexus eſt. Origenes & Rabini autumant, Jobum Syro eloqvio uſum, ſuam hiſtoriam conſcripſiſſe, qvam Moſes, Hebræos in Ægypto afflictos conſolaturus, in Hebraicam lingvam tranſtulerit.

XXV. Num autem vera Religio in eadem hac Eccleſiæ ætate miraculis qvoq; & prodigiis confirmata eſt?

Ea utiq; non defuiſſe videbuntur, ſi conſideres I. Cherubinum gladium à Paradiſi introitu homines ante diluvianos repellentem: II. tunicas pelliceas ab ipſo DEO præparatas, & Protoplaſtorum nuditati donatas: III. cæleſtem Abelitici ſacrificii incenſionem: IV. ſtupendã Enochi translationem: V. admirandam beſtiarum & avium in arcam Noæ ingreſſum & ſuſtentationem: VI. ejusdem arcæ occluſionem, & absq; velis & remis in diluvio conſervationem: VII. fontium abyſſi & cataractarum cœli ad exſtirpandos Cainitas & Cainiſeqvas apertionem: IIX. columbam rami olivarum foliis virentibus portatricem: IX. Iridis, novi fœderis ſignaculi, mirabilem configurationem: X. Lingvarum ad turrim Babylonicam confuſionem: XI. multiplices DEI apparitiones, qvibus ſe octies Abrahamo, bis Iſaaco, ſepties Jacobo, bis etiam Hagari, & nonnunqvam aliis qvoqve, ut Abimelecho, Labani, ipſiqve Caino revelavit: XII. plagas Ægyptiis ob Saræ Matronæ raptum immiſſas: XIII. caliginem tenebricoſam, & clibanum fumantem, & lampada ignis ſacrificia Abrahami tranſeuntem & depaſcentem Gen. XV. 17: XIV. Victoriam domeſticorum Abrahami à qvatuor Regibus potentiſſimis reportatam: XV. partum Saræ nonagenariæ feliciſſimum: XVI. cœcitatem Sodomitis immiſſam: XVII. Sulphur ac ignem Domini à Domino Pentapoli Sodomi-

ticæ excidium afferentem: XVIII. Uxorem Lothi, ad lares retroſpectantem relictos, in ſalis ſtatuam ſeu ſaxum obrigeſcentem: XIX. Valvarum domus Abimelechi ob alterum Saræ raptum occluſionem: XX. Angelum, Abrahami, Iſaacum mactaturi, pium conatum impedientem: XXI. Arietem implexis inter vepres cornibus hærentem: XXII. Precum Eleazaris in nuptiis filio herili Iſaaco procurandis tam tempeſtive exauditionem: XXIII. Gemellorum in utero ſterilis hactenus Rebeccæ colliſionem, & Oraculi divini promtam reſponſionem: XXIV. Virgarum in canalibus à Jacobo decorticatarum mirum ad varieganda ovium vellera operationem. Sed qvis omnia referet? Conſultò enim omittimus, qvæ ab aliis circa hanc primam Eccleſiæ ætatem miraculosè contigiſſe referuntur: cujusmodi fuit prodigium in ſtella Veneris, qvæ ſecundum Auguſtinum, ex M. Varrone libro XXI. de Civitate DEI capite IIX. id aſſerentem, præter conſvetum naturæ ordinem, circa tempora Iſaaci & diluvium Ogygis, colorem, magnitudinem, figuram & curſum mutavit.

XXVI. Sufficit hæc de matutina Eccleſiæ Orthodoxæ ætate attuliſſe: Cùm autem ea ſuis hoſtibus, cœtu videlicet malignantium, non deſtituta fuerit, de iis jam te audire lubet.

Non ſine cauſa dixit Auguſtinus libro primo de Civitate DEI, capite XXXV. duas Civitates, cœleſtem & terrenam, bonorum & malorũ, DEI & Dæmonum, in hoc mundo eſſe perplexas, invicemqve permixtas donec ultimo judicio dirimantur. Et qvidem, qvamprimum à DEO Lucifer cum ſociis Angelis divortium fecit, fundamenta Civitatis malitioſæ jacta ſunt. Ille enim naturæ ſuæ nobilitatem intuitus, extemplo Dei inſtituta evertere cœpit, nec hominem, propter qvẽ omnia, qviq; propter ſolũ Deum creatus erat, miniſterio juvare voluit, ſed veritatis & originis ſuæ deſertor, Joh. IIX. 44. Ep. Judæ v. 6. invidiâ & ſuperbia accenſus, ut noceret homini, ſub pulcro colubri ſimulacro primam matrem ſeduxit, atqve ita factus mendax, & pater mendacii, atqve crudelis ἀνθρωποκτόνος, dominium in homines, propter qvos factus fuerat, affectavit. Sic igitur Civitas DEI ſanctiſſima, qvæ nullâ ante lapſum macula conſperſa, in conſortio Angelorum & hominum, DEO feliciter ſervientium, conſtitit, affectata ſuperbi & invidi Angeli malitia, prorſus everſa eſt, hominibus à coha-

cohabitatione Sanctorum Angelorum penitus excluſis, & ob amiſſam DEI imaginem, ſubitamqve cordis cæcitatem & voluntatis depravationem in miſerum vitæ & mortis ſtatum conjectis.

XXVII. Magna ædepol eſt Satanæ, homines primulùm conditos tam facilè ſeducentis, & ordinem DEI evertentis, aſtutia & malitia: Sed num ob unam pomi offam Protoplaſti tantam potuerunt incurrere culpam?

Pomum fuerit, an qvis alius fructus, non diſputo. Pleriqve pomum Perſicum fuiſſe putant, qvod nunc temporis etiam in Oriente lethale eſt. Goropius Becanus multis probare ſatagit in Indoſcythicis, fructum fuiſſe ficus Indicæ, admirandæ prorſus arboris, ut ex Theophraſto, Plinio & Strabone patet, qvi illius umbram referunt bina ſtadia operire, ipſamqve ramis qvaqva verſus in terram curvatis, & in illam infixis, nova annuatim propagine inde enata, ſepimentum circa ſe opere qvodam topiario facere, ita ut ſub una ficu turmæ eqvitum condi poſſint, cùm tabernaculum præbeatur ſub ea, qvaſi multis columnarum ordinibus diſtinctum. Sed non tam qvid ederint, qvam qvomodo ederint Protoplaſti, conſiderandum eſt. Etenim παράπτωμα hoc tantum fuit, tamqve grande, ut non obſcurè totius Legis violatio in eo deprehendatur. Qvamprimum enim cœpit Eva dubitare de verbi divini certitudine, & vocem ſerpentis voci Creatoris prætulit, odio & ſiniſtra de DEO ſuſpicione correpta eſt, ſuperbia in corde ejus hoc operante, ut majores ſumeret ſpiritus, ſua ſorte haut contenta, atqve manifeſta adverſus DEUM rebellione inſurgeret. Sunt ergo in Protoplaſtorum inobedientia, præter primum illud incredulitatis peccatum, Nominis divini contemtus, ἀχαριστία & impietas in patrem cœleſtem, Rebellio, Homicidium, qvo ſe & poſteros morti mancipârunt, gula & intemperantia, ſacrilegium, πολυπραγμοσύνη, falſi teſtimonii aſſenſus, & deniq; prava altioris ſtatus & majoris ſcientiæ cupiditas. Cum igitur in Adamo totum genus humanum & ſtare deberet & cadere poſſet, ille, lege violata, non ſibi modo, ſed omnibus etiam poſteris, qvi in lumbis ejus unà peccarunt, ſicuti Levi in lumbis Abrahæ Heb. VII. 9. decimatus eſt, nocuit, ut non illius ſaltem, ſed univerſi etiam hominum generis natura corruptione horribili ſit depravata.

XXIIX. Eapropter adverſus Diaboli machinas hominibus lapſis potentisſimo opus fuit Redemtore & vindice!

Sed ubinam eum invenirent? Ipſe enim Macrocoſmus & omnes Creaturæ ſtatim maledictioni & vanitati propter lapſos homines ſunt ſubjectæ, Gen. III. 17. Rom. IIX 20. Qvid igitur proderant? Angeli, qvos non traxit eadem libido, impios abominabantur. Qva igitur ratione juvarent? Ipſe DEUS, conſtantiſſimus malorum oſor & vindex, non poterat non pœnam, qvam interminatus fuerat, infligere, & injuſtos homines juſtitiâ ſuâ in æternum exitium præcipitare. Sed Sapientia ejus æterna, æternus ille DEI λόγος & unigenitus Filius, admirabili conſilio ſtupendum juſtitiæ & miſericordiæ DEI temperamentum invenit, utqve homo ſeductus ex morte & poteſtate tenebrarum infernali erueretur; Diabolus verò ſeductor æternis pœnis corriperetur, non hujus, ſed illius ſemem in plenitudine temporis aſſumere, & in ſe omnia totius mundi peccata derivare, ſeq; ad eorum expiationem morti acerbiſſimæ, & inferni doloribus ſubjicere, & partam juſtitiam hominibus, qvi vera fide hæc ſua beneficia amplexuri eſſent, imputare, & gratuito condonare decrevit. Atq; ita conatus Diaboli, primi malitiæ architecti, divino & ſalutari conſilio, qvod nemo noſtrum ſatis aut intelligere aut admirari poteſt, eluſus eſt. Ille tamen neqvicqvam deſtitit. Sed qvamprimum novæ DEI Civitatis fundamenta in inſtaurato genere humano per Chriſtum jacta ſunt, ſuam qvoqve Civitatem malignum iſtum cœtum, in Caino, Adami primogenito, ejusqve nepotibus, ſceleratiſſimè fundavit.

XXIX. O miſeram hominum ſortem! Siccine DEI Eccleſiâ vix recollectâ, Cacodæmones invenerunt, qvos à DEO averterent?

Et qvidem tanto impietatis incremento, ut numerus malorum facilè piorum cœtum ſuperaret: Cain enim cùm, confiſus ſuæ primogenituræ, absqve fide DEO obtuliſſet ſacrificium, & fratrem, qvi ſibi prælatus fuerat, auſu plus qvam nefario, neqvicqvam paternâ DEI admonitione emendatus, trucidaſſet, maledictioni ab ipſo DEO eſt ſtatim ſubjectus, jusqve primogenituræ & ſpem ſeminis benedicti à ſe naſcituri, prorſus amiſit: Qvin & ex Eccleſia parentum, in qva reſplendeſcebat facies Domini Gen. IV. 16 ad Occidentem circa Palæſtinam ſitâ, ad terram

ram Nod verſus Babylonem ejectus. & ad inſtabilem errorem ac vagam fugam damnatus, circumvagabatur, ſigno tamen certo notatus, ne, qvod metuebat, à qvoqvam perimeretur. Cujusmodi autem id fuerit ſignum, variæ afferuntur ſententiæ. Nonnulli putant, fuiſſe mirum ejulatum, alii furorem, alii perpetuum corporis tremorem, qvidam reptatum inſtar infantis, qvidam etiam notam peculiarem ipſi inuſtam, & veluti cauterium, qvo ab aliis internoſceretur. Verùm Cain ſe ex metu paulatim cœpit recolligere, & in numeroſa, qvam procreavit, ſobole, atqve admiranda nepotum ſuorum in variis artibus excogitandis ſolertia ſuperbiens, non ſaltem ad ingenium rediit, ſed & pejor factus, ſuis voluptatibus, ut Joſephus ait, vel cum aliorum injuria indulgens, & facultates domeſticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undecunqve latrociniorum & neqvitiæ ſociis, magiſter illis ad facinoroſam vitam eſt effectus. Aſpernatus eſt igitur tam veram Eccleſiam, qvam ſibi inflictam maledictionem, atqve ob id imperium in omnes affectavit, primaq; urbe condita, & à filii ſui Hanochi nomine nuncupata, ſuos ad omnia ſcelera, cultus Idololatricos, & vitam ab omni pietate remotam incitavit. Et ita duas Civitates duo amores fecerunt; terrenam, amor ſui usqve ad contemtum DEI; cœleſtem, amor DEI ad contemtum ſui, ut ait Auguſtinus libro XIV. de Civitate DEI capite ultimo.

XXX. Poteſne Genealogiam Caini recenſere?

Haud eum DEUS dignum æſtimavit, ut operoſius annotarentur tempora, qvibus nati ſint ei nepotes, qvibus obierint, præſertim cùm omnes Cainitæ in Cataclyſmo aqvarum funditus deleti ſint. Nonnullorum tamen nomina extare voluit, & præcipuè eorum, qvi laſciviæ mortalium provocandæ ingenium ſagax conſecraverunt. Series eorum ex Gen. IV. hæc eſt:

I. Cain, cujus VI. liberos & VII. civitates recitat Philo.

II. Hanoch, à qvo prima urbs dicta eſt, ſita forſitan in Babylonia.

III. Irad, qvaſi acervus.

IV. Mahujael, qvaſi delere incipiens.

V. Methuſael, qvaſi vindicans mortem.

VI. Lamech, qvaſi ſupprimens, qvi primus bigamiam, lege divina neglecta, introduxit & inſignes duos viros percuſſit, deqve eorum cæde gloriatus, ſibi maximam impunitatem pollicitus eſt. Genuit, ſecundum nonnullos, LXX & amplius liberos: Sed Scriptura qvatuor tantum meminit: Nam

Lamech

Lamech ex
- Ada, qvæ dicitur qvaſi formoſa, genuit
  - Jabelem, inventorem tentoriorum, ad adjuvandam rem pecuariam.
  - Jubalem, autorem Muſices Inſtrumentalis, in voluptatis illicitamentum.
- Zillâ, qvæ dicitur qvaſi Umbra, ſuſtulit
  - Thubalcainum, qvi artes fabriles ad bella gerenda excogitavit.
  - Noemam, qvaſi pulcram & decoram, qvam præter fratres recenſet Moſes, ut oſtendat, in familia Lamechi, omnia ad luxum & regiam dignitatem, qvin & libidinem, comparata fuiſſe.

XXXI. Qvænam qvæſo fuerunt illa peccata, ob qvæ DEUS primum mundum abſorpſit?

Sunt illa qvæſtione XI. jam enarrata. Et qvidem cùm jam impietas ſeſqvimille annos, & qvod exceſſit, mundum fatigaſſet, cœpit tandem DEUM ſuæ Creationis pœnitere: Nec tamen inopinatò, nec ullo ſuperſtite, omnes delevit; ſed CXX annos pœnitentiæ perditis mortalibus indulſit, & illis elapſis, exiguam Noæ familiam (octonarium enim numerum in cataclyſmo ſervati non exceſſerunt) & in ſeminarium par beſtiarum & volucrium ex omni genere, myſticam arcam, contra aqvarum impetum præparatam & communitam, ingredi juſſit. Inter omnia autem hominum ſceleſtiſſimorum peccata hoc videtur ex S. literis fuiſſe grandiſſimum, qvod filii piorum in Eccleſia nati, connubio impiis Cainitis commixti, gigantes atqve Tyrannos, à qvibus omnis humanitas excutiebatur, progignerent. Ex qvibus nonnulli putant oſſa illa vaſtiſſima ſupereſſe, qvæ paſſim fuiſſe inventa teſtantur autores: Cujusmodi fuit caput humanum inſtar dolii in Creta repertum, cujus adhuc dentem ſtupendæ magnitudinis Venetiis aſſervari ſcribit Sabellicus Enneade prima libri primi. Sunt tamen, qvi certis argumentis conjiciunt, gigantes ante diluvium non vaſtitate corporis, ſed enormi rudis & impii animi pravitate & crudelitate fuiſſe conſpicuos, qvi ita ſibi confiderent, ut &

-- --- manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperumq; Jovem detrudere regnis,

id

ideſt, divinam notionem menti humanæ congenitam, non ratione, qvam negligebant, ſed manibus, ut qvibus jus erat ἐν χειρῶν νόμῳ, convellere & excutere conarentur.

XXXII. Num igitur omnis impietas aqvis diluvii exſtincta eſt?

Imò novo execrandorum errorum diluvio vera Religio tantum non eradicari videbatur. Nam ob impietatem, in dormientem patrem exercitam, Cham diris devotus confeſtim; Poſteri autem Semi & Japheti pedetentim, à vera DEI agnitione abſtracti, & autoris ſui obliti, denſiſſimis tenebris obruebantur, & à DEO abalienati, malorum Dæmonum ſervitio ſe mancipabant. Cujus qvidem κατακλυσμῦ, qvem Idololatria & ſuperſtitio invexit, longe funeſtior fuit calamitas, qvam prius aqvarum diluvium: Juſto enim & Zelote DEO ad furores Diaboli connivente, omnes ferè terrarum populi procellis hiſce exitioſis ſunt ſubmerſi & perditi. Cumqve Cham aut nullum aut corruptum ſacrorum ritum poſteris traderet, illi in colonias diverſas magno numero egreſſi, in errores inciderunt inextricabiles.

XXXIII. Qvænam autem præcipuæ fuerunt cauſæ iſtius Idololatriæ, qva poſt diluvium omnes ferè gentes excæcatæ fuerunt?

Qvamprimùm veri DEI oblivio mentem excæcavit humanam, illa, qvæ vires ſuas excedunt, ſpeculata, primariam omnium rerum cauſam inqviſivit & ad ea, qvæ ſub aſpectum cadunt, oculos flectens, Solem, Lunam, ſiderumq; multitudinem, ſeu militiam cœli, & Idola, qvæ ſiderum ſimulacra, domicilia, & qvaſi ſedes atqve corpora habebantur, adoravit. Rabbi Moſes Majemonides, qvi vixit ante CCCCL. annos, in Doctore perplexorum, admirandæ doctrinæ Scripto, ut rectè vocat Caſaubonus, autor eſt, libro III. capite XXIX. in Arabica lingva extare nonnullos libros & annales Zabaiſtarum, ceu vocat, qvi jam tempore Abrahami docuerunt, Solem eſſe DEUM omnium maximum, & regere mundum ſuperiorem & inferiorem, reliqvas ſtellas DEOS eſſe minorum gentium, omnemq; agri fœcunditatem aſtris deberi. Et horum corpora eſſe illos ignes in cœlo lucidos & aſpectabiles; ſpiritum autem prorſus divinæ & æternæ eſſe naturæ: neqve poſſe gratiorem ipſis cultum fieri, qvam ſi Soli aureæ; Lunæ argenteæ; aliis aliæ, ſive ex metallo, ſive cer-

Epiphan. lib. I. De Hæreſ. c. 6. Abulphar. Dynaſt. I. p. 12. Suid. in Abr. & Seruch. pag. 45. Voſſ. de Idololatr. Heldan. de Orig. error.

to arborum genere, imagines erigantur, inqve certa ſacella collocentur, in qvas crediderunt vires ſtellarum influere, iisqve virtutem vota & deſideria precantium intelligendi, donumqve Prophetiæ largiendi, & preſſis ſubveniendi concedere. In hanc de divinitate ſtellarum opinionem conceſſere penè omnes, qvi verum Iſraelis DEUM ignorabant, & Prophetæ illi Baalis & Lucorum, atqve Sapientes Babelis, qvorum toties in ſacra hiſtoria fit mentio, genuina ſunt dictorum Zabaiſtarum ſoboles. Qvia autem, & in elementis aliisqve naturæ operibus inveniuntur, absqve qvibus humanæ vitæ ſalus & incolumitas conſtare non poteſt, factum eſt, ut præter aſtra pedetentim & ignis, aqva, terra, aliaqve è terra naſcentia colerentur. Qvin & tantum ſibi furor eorum, qvi eccleſiam deſeruerant, indulſit, ut mortalibus, qvi vel doctrinâ & utilibus inventis humano generi profuiſſent, vel armis & potentiâ cæteris prælati eſſent, divinos honores decernerent, & Oſirin vel Titana Solis; Iſidin Lunæ; Venerem Heſperi; Neptunum maris; Cererem Telluris; Pallada ætheris; alios aliarum rerum nominibus ſalutarent. Omnia enim Deorum nomina, ut cenſet Plinius, ex meritis hominum nata ſunt. Interim dum ſtultæ gentes hæc ſibi confinxerunt numina, infandos amores, ſtupra, cædes, adulteria, furta, aliaqve flagitia eorum, qvos cœlo intulerunt, ceremoniis ſacris inſeruere, non aliter, ac ſi per ſcelus & neqvitiam ad ſuperos iretur, egregio Cacodæmonis conſilio, qvi, ceu probat Auguſtinus libro ſecundo de Civitate Dei cap. VI. nunqvam benè vivendi doctrinam apud gentiles ſanxit.

XXXIV. Illa ædepol hominum ſtoliditas impensè malorum Dæmonum juvit malitiam, & cœtum auxit malignantium!

Qvod qvidem non eſt mirandum: Nam ſicuti DEUS multifariam patribus locutus eſt, Heb. I. 1. nunc viri habitu, vocisq; humanæ compellatione, nunc ſomniorum immiſſione, nunc viſionum, ceu picturarum, exhibitione, nunc ſermone ex adyto templi ſecretiore prolato, nunc per prodigia & miracula, nunc per prophetas divinitùs excitatos: ita, ut Cacodæmon mundum à vero DEO, ementitâ veræ religionis ſpecie, furtim abalienaret, edidit & ipſe Oracula vel ex ſpecuum abſtruſarum hiatibus & antris, vel ex adytis delubrorum, vel per δαιμονιολήπτους & ἐνθουσιαστάς, homines abreptitios & ſpiritu Pythonico agitatos, vel per oblata ſomnia, vel tandem per oſtenta & miras eluſiones. Imò ſicuti

verus

verus Iſraelis DEUS ſacerdotium condidit multiplicibus adornatum ceremoniis, qvæ futuros Chriſti dolores & mortem denunciarent & promiſſionem de ſemine benedicto, caput ſerpentis contrituro, in animis credentium veluti σφραγῖδες obſignarent: ita Diabolus illa DEI ſimia, delubra qvoqve & ſacella ſua habuit, in qvibus innumera ſacrificiorum genera Diis variis adornabantur, multiplices feriæ celebrabantur, & omnia eo fine inſtituebantur, ut miſera mortalitas hiſce ſuffulta ineptiis crederet, ſe operibus ſuis poſſe numinibus accenſeri, dummodo nihil omitteret, qvod juſſiſſent ſacrificuli Dæmoniaci.

XXXV. Multas video te cauſas Idololatrici cultus afferre: Qvid ſi omnes certo numero conſignares?

Faciam qvod poſtulas: ſed ut rem egó ſubminiſtro, ſic tu verba, qvibus res pingi poſſit, cogites. Voſſ. de Idololatr. Heidan. de Orig. Error. Broun. de Idololatr. & ſuperſtit. Daſſov. diſſert. de Idololatr. ortu & progreſſu.

I. Cùm progenies Noachi confuſis lingvis in diverſas orbis partes abiiſſet, pars voluptatibus adeo indulſit, ut ipſis in ſemetipſos deſcendere nunqvam vacaret, nedum aſcendere ad DEUM. Athei illi facti, rationis uſum in cœnum & colluviem voluptatum planè belluinarum immerſerunt, nec ullam ejus, à qvo erant conditi, & à qvo mundus regitur, ſive curam ſive notitiam habuerunt.

II. Cùm tamen pleriqve, qvi uſum rationis non penitus abjecerant, confiterentur, DEUM eſſe bonum, eum non ſicut DEUM glorificarunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & qvadrupedum, & ſerpentum. Qvod qvidem eſt mutare veritatem DEI in mendacium, & ſervire creaturæ potius, qvam Creatori, qvi eſt benedictus in ſecula. Rom. I.

III. Et qvia pii inter priſcos, omnem ſuam Theologiam hieroglyphicis parabolis, & DEUM, variasqve ejus poteſtates, obſcuris involucris circumſcribere conſveverant; poſteri neglectâ medulla, in cortice hærentes, poteſtates illas DEI varias, tanqvam numina adorare, ſigna hieroglyphica in Idola mutare, & ex fabulis primæ & reconditæ Theologiæ Idololatriam condere cœperunt.

IV. Pleriqve, teſte Maximo Tyrio, in eo convenere, DEUM qvidem unum eſſe, ſed multos habere miniſtros ſeu filios, qvaſi συνάρχοντας, & ipſum curare tantum cœleſtia; officia vero & curas aliarum rerum diſ-

pertire inter reliqvos. Qvos igitur ſibi propiores eſſe arbitrabantur, in hos proniore animo ferri viſi ſunt, neglectoqve rerum omnium moderatore, cultus Domini in ſervos ejus translatus eſt, effictis ſubinde novis nominibus, qvibus propitios redderent, per qvos ad Summum DEUM acceſſus pararetur.

V. Cumqve præcipuas mundi cœliqve partes perpetuas eſſe, atqve ad rerum generationem, atq; conſervationem conferre aliqvid viderent, numina ineſſe opinati, cultum iis tribuebant, impoſitis nominibus, qvibus res per marium vel fœminarum notas juxta lingvarum ſingularum uſum diſtingverentur: Sic tempus nominarunt Saturnum; temporis patrem Cœlum; Jovem, aerem ſuperiorem; inferiorem, Junonem; aqvam, Thetidem; aqvarum locum ampliſſimum, Oceanum; Solem, Phœbum; Lunam, Dianam: atqve ex aſtris alia atqve alia variis nominibus conſecrarunt, Soli interea ſupremum reliqvorum omnium dominium vendicantes. Sic tenebræ per omnia cæleſtia, terreſtria, ac marina omni mundo circumfundebantur.

VI. Nonnulli, ut Perſæ, multa in hoc mundo, ſeqve ipſis, mala invenientes, ſtatuerunt duos ad minimum DEOS, ſeu duo principia, bonum unum, malum alterum, ab Orientalibus vocatos Orimaſdem & Arimanium, qvorum illi Lucem, æſtatem & colorem; huic tenebras, hyemem & frigus aſſignarunt. Qvem Perſarum errorem poſtea Manichæis fuiſſe familiarem accepimus. Qvin & hodienum hæc impietas populos Auſtrales, nondum ad Chriſtum converſos, faſcinat, qvi DEUM, ut juvet, invocant; Diabolum, ne noceat. Satanas ad qvasvis nocendi occaſiones impiger, pedetentim Creatoris ſui laudem ſurreptam ad ſe ſuperbè tranſtulit, & ceremonias ad ſacrificia & conſvetudinem piorum ſtygio auſu excogitavit, easqve gentibus perſvaſit variis prodigiis, inſomniis, oraculis, aliisqve illuſionibus. Qvod ipſum vel ex unica Tagetis hiſtoria patet, qvem, cum in agro Tarqviniensi terra paulo altius araretur, repente exiluiſſe, & puerili ſpecie apparentem Bubulco & reliqvæ multitudini ad clamorem obſtupeſcentis Bubulci confluenti, Aruſpicinæ diſciplinam tradidiſſe, Cicero, Plutarchus & alii commemorant.

VII. Satanæ malitiam commodùm ſtultitia hominum promovit, qui quodam pietatis affectu inordinato, ſive ob miraculum virtutis, ſive in adulationem præſentis potentiæ, ſive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compoſiti, regibus, cùm vivis, tùm mortuis, erexerunt imagines,

gines, qvas tanqvam aſyla conſtituerunt, ut vel ea ratione ad honorem defunctis exhibendum plures incitarentur. Qvem ipſum errorem ii, qvi in regnis ſucceſſerunt, plurimùm confirmarunt: Nam ut divina ſtirpe nati viderentur, divinos honores majoribus detulerunt, deferriqve curarunt. Hinc Cham, primus Idolomaniæ autor, gemino nomine, ſuo videlicet & veri Jehovæ, ſuperſtitioſè Jupiter Hammon dictus eſt, & Belus, Nimrodi ſucceſſor, tanqvam DEUS, ab Aſſyriis primùm & Chaldæis, mox à cæteris etiam gentibus coli cœpit, & appellatus eſt Bel, Baal, Baalim, Beelzebub, Baalphagor. Confer Sap. XIV. 15.

IIX. Cum igitur hac ratione ſtatuæ ſive defunctis, ſive aſtris, ſive aliis creaturis erigerentur à miſeris mortalibus, Dæmones vel arte magicâ in . itati, vel ultrò ad illas acceſſerunt, inqve iis latentes, & reſponſa dantes, & portentoſa exercentes ludibria, idololatriam ita promoverunt, ut, ſi qvis erroribus ſe non conformaret, pœnâ plecteretur capitali cum Socrate, qvi multitudinem Deorum Athenienſium irriſurus, per qvercum, hircum & canem, qvas viles creaturas Diis Græcorum diviniores putavit, jurabat, & ob id cicutam bibere coactus eſt. Qvod ſupplicium ipſe qvoqve Ariſtoteles non effugiſſet, niſi maturè fugiſſet, ne bis in Philoſophiam peccarent Athenæ.

IX. Qvemadmodum autem reges & rerum gubernatores, ſuperſtitionibus patriis innutriti, cultum dæmonum impium impia credulitate ſtabiliere, & more Ægyptiorum, qvi de Serapide conſtituerunt, ut ſi qvis eum dixiſſet hominem, capitalem penderet pœnam, immanitatem errori conjunxere, ita nonnulli LLatores fraudulenti, ut ſibi ſuisq; legibus autoritatem qværerent, impio conſilio ſuggeſtiones Deorum incauto populo perſvadebant. Sic Numa Pompilius nocturnos finxit cum Ægeria Nympha congreſſus, & tamen poſtea Latinos & Græcos libros arcæ lapideæ incluſos terræ mandavit, qvibus non modo aliarũ gentium DEOS, ſed qvos ipſe etiam inſtituerat, funditus evertit. Qvi qvidem libri multis poſt ſeculis inventi, & Senatus autoritate flammis adjudicati ſunt, ne pulcra ſcilicet commenta jacturam paterentur. Aug. lib. VII. de Civ. DEI cap. XIV. Lact. l. I. Liv. dec. IV. lib. ult. Plin. lib. XIII. c. XIII.

X. Acceſſit Sacerdotum neqvitia & avaritia, qvi non Deorum, ſed ſuæ gloriæ, ſuiqve ventris negotium agentes, ſignis mendacibus, magicaqve arte, errorem in animis hominum inveteratum augebant.

XI. Artificum qvoqve circa ſculpturam & picturam diligentia impensè impietatem juvit, ipſaqve Idolorum pretioſa materia & ornatu,

ad majeſtatem eleganti, vanitas vulgi delectabatur, adeoqve dementata in errore retinebatur; Solet enim auri, gemmarum & eboris pulcritudo & nitor plebeculæ oculos præſtringere, ne ullam putent religionem, niſi ubi illa fulſerint.

XII. Acceſſit qvoqve fallax Poëtarum ingenium, qvi miſeros damnatosq; homines in cœlum compoſitis carminibus extulerunt; & qvod homines geſſiſſent, Diis fictitiis involucro mendaci aſſcripſerunt. Qvæ qvidem princeps cauſa fuiſſe videtur, ob qvam Plato ſapientiſſimus Poëtas mendaciſſimos ex Rep. exturbatos voluit. Confer Ciceronem in libro II. de natura Deorum.

XIII. Præterea, qvod ait Lutherus in Gen. XXIV. humana natura non poteſt ſervare modum, aut ſobriè & piè cuſtodire ea, qvæ à majoribus ſunt tradita rectè & ſincere. Statim vel ad dexteram vel ad ſiniſtram deflectit. Ubi audirent Midianitæ iſtas magnificas promiſſiones, qvod femur ſive generatio Abrahæ in tanta eſſet gloria (ut inde prodiret Meſſias) mox in turpiſſimam idololatriam prolapſi ſunt, ac non ſolum libidinis turpitudine ſe polluerunt, tanqvam ſingulari ſanctitate & juſtitia: ſed etiam ſingulare idolum erexerunt, & coluerunt Priapum. Sic neglecto illo, qvod Abraham peculiare mandatum habuit de immolando filio, alii qvoq; in obſeqvium DEI ſuos filios mactarunt ſine fide & mandato DEI. Sic tandem ex Adæ traditionibus haud dubie adoratio & cultus Solis natus eſt. Is enim docuit familiam ſuam & filios, ut exorto Sole flecterent genua, & laudarent Dominum cœli & terræ: Poſteri autem retinuerunt qvidem ritum illum & ceremoniam, ſed obliti ſunt gratiarum actionem, & fecerunt idolum ex Sole. Hactenus Lutherus.

XXXVI. Graves Idololatriæ cauſas allegaſti: Sed præ omnibus deceptioni Satanæ mundus ſuam videtur debere perniciem.

Dn. Claſen de Orac. Gentil. Georg. Mæbius de Orac. Ethn. Orig. Propag. & Durat.

Rectè arguis: Qvamprimum enim Noachi nepotes catervatim in remotiſſima terræ loca conceſſerunt, Satanas paſſim Oracula conſtituit, ad qvorum reſponſa, vel ab obſeſſis, vel ab ipſo Cacodæmone data, in rebus dubiis confugeretur, & ſic igniculi veræ Religionis reliqvi extingverentur. In Africa enim & qvidem in remotiſſimo Libyæ ſinu apud Garamantas, ultra Cyrenem, ubi procul dubio Cham vel ſepultus, vel diutius commoratus fuit, Jupiter Hammon, pelle amictus hircinâ, hircino deformatus capite, conſulentibus futura nunciavit. Cui, tanqvam

Metro-

Metropolitano deceptori, adjuncta fuerunt, in Ægypto Oracula Herculis, Iſidis, Serapidis ad Canopum, ut & Sebenniticum Latonæ in urbe Buti Ægyptiorum. In Europa & Aſia metropolis ſuperſtitionis conſtituta fuit Dodona, urbs Moloſſidis in Epiro, procul dubio à Dodanim, Noæ nepote, condita. In cujus confinio, inter vocales qvercus, ære penſili agitato à ventis reſonantes, reſponſa Dæmones dederunt, &, ceu refert Bocatius in tractatu de ſilvis, duas columbas emiſerunt, qvarum altera transvolavit ad Delphos, altera ad Hammonis Jovis in Africa templum. Sed Herodotus libro II. ex Antiſtitum Dodonæorum relatu, geminas ait ex Ægypto columbas evolaſſe, & alteram in Epiro humana voce templum Dodonæum ædificare juſſiſſe: alteram apud Africanos templum Hammonis exſtrui curaſſe. Qvæ fabula ex hiſtoria diluvii manaſſe manifeſte videtur. Ægyptii Sacerdotes non columbas, ſed fæminas, Jovis Thebani Sacerdotes, à Phœnicibus abductas, Hammonium ſimul & Dodonæum Oraculum condidiſſe conteſtati ſunt, eodem Herodoto teſte. Succenturiabantur autem Papæ Dodonæo Apollines plures, tanqvam Cardinales & Nuncii à latere: Inter eos PYTHIUS apud Delphos in monte Parnaſſo reſponſa dedit, cujus fraudes capræ invenerunt, fæminæ obſeſſæ per pudenda obſcænum Deum excipientes, auxerunt, gentes autem ſæpiculè nihili fecerunt, ut qvæ templum ejus vel qvinqvies exuſſerunt, pluries diripuerunt; DIDYMEUS circa Miletum oraculum Branchidarum aperuit; DELIUS ſortibus ſuis ſtuporem credulis injecit; DAPHNÆUS, in ſuburbio Antiochiæ, aqvam divinationis è fonte Caſtalio emiſit, ut teſtatur Sozomenus, libro V. capite XIX. LARISSÆUS præſedit in arce Argivorum; CYANÆUS & PARTARÆUS in Lycia; CLARIUS ad Colophonem, Tacito etiam libro II. notus; PTOUS & SPONDIUS colebatur in Bœotia: de qvibus paſſim Pauſanias & alii. Sed præter Apollinem & alii Dii, vel potius Cacodæmones, ſub Deorum nomine, oracula ediderunt: Mercurius apud Pharios in Archaja; Bacchus apud Lygireos in Thracia, & Amphicleenſes in Phocide; Hercules ad Buram in Achaja; Æſculapius apud Epidaurios, & Pergamenos; Orpheus in Lesbo; Fortuna ſub imagine duarum ſororum apud Præneſtinos. Ceres etiam Patris in Achaia, per imagines in ſpeculo exhibitas, reſponſa vit. Adde Nimphæum apud Apolloniam, in Theſſalia, ubi Thus injectum accipiebatur ab igni, ſi ratum futurum erat votum; rejecit, ſi irritum, ceu teſtatur Dion lib. XXI. Adde Oraculum Amphiarai in Attica, dormientibus ſomnii ſpecie occurrentis:

tis:

tis: & horrenda duo in Bœotia Triphonii antra, qvorum alterum Thebis; alterum in Lebadia ritu & eventu tam triſti & infernali colebatur, ut impudentia Cacodæmonis omnem fidem ſuperaſſe videatur. Aliud Oraculum Antiochiæ motu capitis reſponſa tulit: & apud Heliopolim Aſſyriorum templum fuit perplexis, ut ait Macrobius lib. I. Saturnaliorum, cap. XXIII. numinibus, & qvod Sol ibi coleretur, & Jupiter, & Apollo, qvi & furore miniſtros corripere, & tam præſentibus, qvam per diplomata conſignata, abſentibus, ſi ſe conſulerent, reſpondere conſvevit. Apud Teucros & Myſos & Threcas Mars in rebus dubiis conſultus, imprimis verò Jupiter Belus in famoſiſſimo Babylonis templo, in cujus ſupremâ parte perpetuus ignis ardebat, ſpiritu fallaci Sacerdotibus verba ſubminiſtrante, ſuperſtitionem non parum auxit. Conſule eruditum tractatum Peuceri de Divinatione, Zvvingerum volumine XXVII libro IV. & alios.

XXXVII. Tantis deceptionibus mundo imponere facile fuit malignis ſpiritibus.

Chriſtian. Schotanus in Triumpho Veritatis lib. I. qvi eſt de gentium gloria.

Id teſtantur omnes orbis anguli, cujus incolæ verbum & legem vivi DEI negligentes, fraudibus Cacodæmonum reſiſtere nec voluerunt, nec potuerunt. Interim non pauci fuere, in qvibus lumen naturæ, qvod ignicoli à lapſu primi hominis reliqvi ſubminiſtrant, longè aliud vidit & aſſeruit. Hinc Ægyptios legimus qvidem Dæmones, homines animalia coluiſſe; attamen DEUM in ſuis hieroglyphicis ſolum, & ad clavum ſedentem, pinxiſſe, & ſeriam ſuam theologiam ad unum retuliſſe. Qvin & Thebæ Ægyptiæ abſurda illa de Diis rejiciebant, unumqve DEUM CNEF adorabant, nec natum olim, nec moriturum. Qvosqve Græci dicebant Atheos, Diagoras, Theodorus Cyrenæus, Euhemerus, Diogenes etiam Cynicus, idola & gentilitios DEOS riſerunt potius, qvam DEUM negarunt. Conſenſerunt enim non ſaltem Platoni, qvi, cùm ſeriò ſcripſit, DEUM unum nominavit; cum ſecus, plures: ſed & Oenomao Oratori, qvi librum de Oraculorum falſitate inſcripſit, & omnibus iis, qvi cum Ariſtotele ex libro de Mundo unum crediderunt DEUM, pluribus nominibus inſignitum, ut jam vocetur Tonans, jam Fulgurator, jam Stator, jam Pluvius, jam Fatum, jam Fortuna, jam, qvod juvet, Jupiter; jam, qvod medius inter homines intercurrat, & ubiqve præſens ſit, Mercurius; jam qvod divitiarum & maris Dominus ſit, Plutus, Neptunus, & qvis non? appelletur, juxta illud Orphei:

Jupiter

Jupiter & Pluto, Phœbus, Dionyſius unum eſt:
Sed cur bis loqvimur? DEUS aſtat in omnibus unus.

Qvò pertinet, qvod ſummus ille Ægyptiorum ſacerdos, ab Alexandro M. rogatus ſecreto, juxta Cyprianum libro de vanitate Idolorum, retulit, ſe omnes ſuos Deos origine homines cenſere. Animalia autem apud Ægyptios in honore fuiſſe ſcribit Plutarchus, ipſe gentilis, libro de Iſide & Oſiride, aut qvia Planetis & aſtris attributa erant, aut qvia Oſiris populum olim in aciem educturus, ſua ſingulis legionibus ſigna eſſe voluerat, certis animalium imaginibus diſtincta, canis, leonis, bovis: qvæ æmulatio & vanitas in ſuperſtitionem tractu temporis verterit. Cui conſentit Scævola Pontifex Maximus, qvi triplices Deos fecit, Poëticos, qvibusvis hominibus deteriores; Philoſophicos, qvi homines præſtantes fuerunt, qvod tamen homines noſſe non debeant; & Civiles, qvos continendis in officio ſubditis principes & magiſtratus inſtituerunt. Qvi ipſe Deos in certos & incertos partitus, certos incertis neutiqvam certiores dixit, ut ait Auguſtinus libro VII. de Civitate Dei c. XVII. Et tres Ciceronis de natura Deorum libri non tam ad demonſtrandos qvam ad evertendos omnes Romanorum DEOS conſcripti ſunt: recteqve Cato mirari ſolitus eſt, qvod augur, augurem intuens, riſum continere poſſet. Qvæ omnia cum noſſet Pythagoras, verè Philoſophico, qvo valuit, judicio, omnes Græcanicarum Deorum animas dixit, ad arborem appenſas, in inferis torqveri, qvas ob nefanda illa commenta ſerpentes undiqvaq; morſu lancinent. Qvod ipſum ſupplicium Dæmones, Idolorum incolæ ſemper metuerunt, juxta illud ſuum Oraculum, qvod apud Lactantium libro I. cap. VII. legere eſt:

Δαίμονες, οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα, καὶ περὶ πόντον,
Ἀκάματοι δάμνανται ὑπὸ μάστιγι θεοῖο.
Dæmones, qvi verſantur citra terram & mare,
Indefeſſi domantur flagello DEI.

Qværis, qvam ob cauſam? Reſpondit Seneca libro de ſuperſtitione, qvia pejora reqviſierint, qvàm Tyranni: nempe utqvis ſibi brachium ſecet, aut ſeſe caſtret, utqve ſacrificentur homines, virgines, pueri, Qvod non Buſyris non Phalaris unqvam poſtulaverunt.

XXXVIII. Sic igitur in mediis Gentiliſmi tenebris ſe non ſine teſtimonio, qvod dicitur Act. XIV. 16. reliqvit DEUS.

Tribus autem imprimis modis, rèmotiſſimis abhinc ſeculis, Diaboli artes & ludibria vana eſſe inter ipſas gentes conteſtatus eſt. I. Per Oracula. II. Per Scholas benè conſtitutas, & ſapientes viros naturæ ſanioris ductum ſeqventes. III. Per Sibyllas, tanqvam qvasdam Prophetides, qvas ſubinde excitavit. Oracula Ethnicorum qvod attinet, etſi autore Stygio reſonabant, DEI tamen unitatem, & in ipſos Dæmones imperium, ſubinde confeſſa ſunt, ut videre eſt cùm apud alios, tum apud Lactantium, libro I. de falſa Religione cap. VII. De Scholis verò hoc certum eſt, ſapientiæ profeſſionem omnium primos ſibi vendicaſſe Chaldæos, qvi à progenitore ſuo Arphachſado, Noæ nepote, eruditi, etſi pedetentim deſerto vero rerum Creatore, ejus loco ignem ſacrum coluerunt, tam impensè tamen literis dediti fuere, ut ſi Chaldæum nomines, virum literarum & aſtrorum peritiſſimum, & Aſſyriorum Philoſophum nominare videaris. Qvin & ab initio veram religionem tuiti ſunt, ut rectè illud apud Juſtinum Oraculum dixerit:

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ Ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβιζόμενοι θεὸν ἁγνόν.

i. e. *Soli Chaldæi ſapientiam acceperunt· & Hebræi,*
Ex ſe ipſo genitum regem venerantes DEIIM Sanctum.

Sed laudem illam commaculavit ſuperſtitio in aſtris, ad prædictiones illicitas faciendas conſiderandis, & credula vulgi Chaldaici, ignem, & alias creaturas loco Numinum habentis, ſtoliditas. Ex Chaldaicis autem Scholis emerſerunt illæ, qvæ apertæ ſunt in Ægypto, Perſiâ, Indiâ, Gallia, ipſaqve Græcia. Et qvidem non ſaltem Abrahamus, qvi diu habitaverat in Chaldæa, famem fugiens; ſed & Joſephus, perhibetur in Ægypto Scholas, & imprimis Heliopolitanam, aperuiſſe, artesqve Chaldaicas abrogato *νόμῳ ἀνθρωποκτονίας*, qvo in victimam humanæ carnes offerebantur, cum vera religione ibidem docuiſſe, & docendas inſtituiſſe, qvod etiam liqvet ex Pſalmo GV. 22. In Perſia autem Magi; in India Gymnoſophiſtæ ac Brachmanes; in Gallia Druydes; in Græcia deniq; Sophi, deinde ob Pythagoræ modeſtiam Philoſophi dicti, literas ſimul & virtutes inculcarunt, nec vulgaria de DEO vero teſtimonia ediderunt. Inter qvos referendi ſunt Atlas & Prometheus, inſignes Aſtronomi, falſorum Deorum riſores, Mercurius item ſeu Hermes Triſmegiſtus, qvi DEUM *ἀμήτορα καὶ ἀπάτορα* vocavit, & eo tempore floruiſſe ſcribitur, qvo Moſes natus eſt.

XXXIX. Qvasnam autem Sibyllas eſſe exiſtimas, qvarum injeciſti mentionem?

Wierus qvidem Medicus, libro primo de præſtigiis Dæmo[illegible] [illegible]ant fuiſſe, Gœdelmannus ICtus in Dæmonolatria, & alii, eas [illegible] Sagas ac dæmoniacas. Sed Patrum aut[illegible] [illegible] plurium doctorum conſenſus ipſumqve doctrinæ [illegible], qvo uſæ ſunt, multis aliud ſvadere videtur, ut pler[illegible] [illegible] earum cenſeant reliqvias de Patrum Eccleſia & m[illegible] Civitatis DEI: Qvo nomine Euſebius eas nominat beatas, qvas Servator providentiæ erga nos ſuæ vates elegit, & Arnobius, DEO plenas, interpretesqve DEI. Et qvia illarum teſtimoniis ſæpe utebantur Chriſtiani, à gentilibus eos Sibylliſtas eſſe vocatos, teſtis eſt Origenes libro V. contra Celſum: ipſumq; Apoſtolum Paulum ſuos adhortatum fuiſſe ad lectionem Sibyllinorum Oraculorum, ait Clemens Alexandrinus libro VI. Stromatum. Dictæ ſunt ſecundum Lactantium libro de falſa religione cap. VI. à conſiliis DEI denunciandis: Æoles enim σιὼς Deos, & conſilium βυλὴν appellabant, ut Sibylla dicta ſit, qvaſi θεοβυλη. Qvæ autem & qvot, qvibusve temporibus aut locis Sibyllæ fuerint, magna eſt inter Scriptores diſſenſio, aliis unam, qvæ ob vitæ longitudinem pluribus apparens, non una eſſe videretur; aliis duas, tres, qvatuor; aliis decem, aut etiam plures aſſerentibus. Lactantius X. numerat: I. Perſicam, qvam Juſtinus Chaldaicam, alii Hebræam nominant, eamqve proprio nomine vocari Sambethem, Noæ uxorem, cenſent, cujus XXIV libri fuiſſe putantur. II. Libyſſam, cujus meminit Euripides. III. Delphicam, cujus plurimos verſus Homerus ſuo operi inſeruit. IV. Cumæam in Italia. V. Erythræam, qvæ Græcis Ilium petentibus vaticinata eſt, cùm de aliis, tùm de Homero falſa ſcripturo. VI. Samiam, tempore Numæ Pompilii. VII. Cumanam, nomine Amaltheam, qvæ novem libros obtulit Tarqvinio Priſco, & ex combuſtis tres reſiduos, trecentis aureis, qvorum precio omnes æſtimaverat, vendidit. IIX. Helleſponticam in agro Trojano. IX Phrygiam, qvæ Ancyræ vaticinata, creditur fuiſſe Dianæ Apollinis ſoror, ipſo Orpheo antiqvior, ut teſtatur Clemens Alexandrinus in Protreptico. X. Tiburtem nomine Albuneam. Hæ omnes Deum unum prædicavere, & de perſona & de regno Chriſti, de extremo mundi fine, de Antichriſto, regnisqve aliis, multa vaticinatæ, in Idololatriam acerrime inſurrexere. Vide earum verſus & hiſtoriam apud Lactantium lib. I. c. VI. de falſ. relig. & lib. de Ira DEI c. XXII. & XXIII. Strab. lib. XXXIII. Geogr. Plin. lib III. c. XIII. Gellium lib. I. c. XIX. Peuc. de divinat.

Dionyſ. Halic. lib. 4. c. 8. Plin. lib. [illegible] c. 19. Solin. cap. 8. Lactant. lib. 1. c. 6. Dan. Claſen. de Vaticin. Sibyllinis. Voſſius de Sibyllis.

Tribus autem imprimis modis, remotiſſimis abhinc ſeculis, Diaboli artes & ludibria vana eſſe inter ipſas gentes conteſtatus eſt. I Per Oracula. II. Per Scholas benè conſtitutas, & ſapientes viros naturæ ſanioris ductum ſeqventes. III. Per Sibyllas, tanqvam qvasdam Prophetides, qvas ſubinde excitavit. Oracula Ethnicorum qvod attinet, etſi autore Stygio reſonabant, DEI tamen unitatem, & in ipſos Dæmones imperium, ſubinde confeſſa ſunt, ut videre eſt cum apud alios, tum apud Lactantium, libro I. de falſa Religione cap. VII. De Scholis verò hoc certum eſt, ſapientiæ profeſſionem omnium primos ſibi vendicaſſe Chaldæos, qvi à progenitore ſuo Arphachſado, Noæ nepote, eruditi, etſi pedetentim deſerto vero rerum Creatore, ejus loco ignem ſacrum coluerunt, tam impensè tamen literis dediti fuere, ut ſi Chaldæum nomines, virum literarum & aſtrorum peritiſſimum, & Aſſyriorum Philoſophum nominare videaris. Qvin & ab initio veram religionem tuiti ſunt, ut rectè illud apud Juſtinum Oraculum dixerit:

> *Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι*
> *Αὐτογένητον ἄνακτα σεβιζόμενοι θεὸν ἁγνόν.*

i. e.

> *Soli Chaldæi ſapientiam acceperunt & Hebræi,*
> *Ex ſe ipſo genitum regem venerantes DEUM Sanctum.*

Sed laudem illam commaculavit ſuperſtitio in aſtris, ad prædictiones illicitas faciendas conſiderandis, & credula vulgi Chaldaici, ignem, & alias creaturas loco Numinum habentis, ſtoliditas. Ex Chaldaicis autem Scholis emerſerunt illæ, qvæ apertæ ſunt in Ægypto, Perſiâ, Indiâ, Gallia, ipſaqve Græcia. Et qvidem non ſaltem Abrahamus, qvi diu habitaverat in Chaldæa, famem fugiens; ſed & Joſephus, perhibetur in Ægypto Scholas, & imprimis Heliopolitanam, aperuiſſe, artesqve Chaldaicas abrogato *νόμῳ ἀνθρωποκτονίας*, qvo in victimam humanæ carnes offerebantur, cum vera religione ibidem docuiſſe, & docendas inſtituiſſe, qvod etiam liqvet ex Pſalmo CV. 22. In Perſia autem Magi; in India Gymnoſophiſtæ ac Brachmanes; in Gallia Druydes; in Græcia deniq; Sophi, deinde ob Pythagoræ modeſtiam Philoſophi dicti, literas ſimul & virtutes inculcarunt, nec vulgaria de DEO vero teſtimonia ediderunt. Inter qvos referendi ſunt Atlas & Prometheus, inſignes Aſtronomi, falſorum Deorum riſores, Mercurius item ſeu Hermes Triſmegiſtus, qvi DEUM *ἀμήτορα καὶ ἀπάτορα* vocavit, & eo tempore floruiſſe ſcribitur, qvo Moſes natus eſt.

XXXIX. Qvasnam autem Sibyllas eſſe exiſtimas, qvarum injeciſti mentionem?

Wierus qvidem Medicus, libro primo de præſtigiis Dæm[illegible] fuiſſe, Godelmannus ICtus in Dæmonolatria, & alii, eas [illegible] Sagas ac dæmoniacas. Sed Patrum aut[illegible] plurium doctorum conſenſus, ipſumqve doctrinæ [illegible] qvo uſæ ſunt, multis aliud ſvadere videtur, ut plers [illegible] earum cenſeant reliqvias de Patrum Eccleſiâ & m[illegible] Civitatis DEI: Qvo nomine Euſebius eas nominat beatas, qvas Servator providentiæ erga nos ſuæ vates elegit, & Arnobius, DEO plenas, interpretesqve DEI. Et qvia illarum teſtimoniis ſæpe utebantur Chriſtiani, à gentilibus eos Sibylliſtas eſſe vocatos, teſtis eſt Origenes libro V. contra Celſum: ipſumq; Apoſtolum Paulum ſuos adhortatum fuiſſe ad lectionem Sibyllinorum Oraculorum, ait Clemens Alexandrinus libro VI. Stromatum. Dictæ ſunt ſecundum Lactantium libro de falſa religione cap. VI. à conſiliis DEI denunciandis: Æoles enim σιὸς Deos, & conſilium βυλὴν appellabant, ut Sibylla dicta ſit, qvaſi θεοβυλὴ. Qvæ autem & qvot, qvibusve temporibus aut locis Sibyllæ fuerint, magna eſt inter Scriptores diſſenſio, aliis unam, qvæ ob vitæ longitudinem pluribus apparens non una eſſe videretur; aliis duas, tres, qvatuor; aliis decem, aut etiam plures aſſerentibus. Lactantius X. numerat: I. Perſicam, qvam Juſtinus Chaldaicam, alii Hebræam nominant, eamqve proprio nomine vocari Sambethem, Noæ uxorem, cenſent, cujus XXIV. libri fuiſſe putantur. II. Libyſſam, cujus meminit Euripides. III. Delphicam, cujus plurimos verſus Homerus ſuo operi inſeruit. IV. Cumæam in Italia. V. Erythræam, qvæ Græcis Ilium petentibus vaticinata eſt, cùm de aliis, tùm de Homero falſa ſcripturo. VI. Samiam, tempore Numæ Pompilii. VII. Cumanam, nomine Amaltheam, qvæ novem libros obtulit Tarqvinio Priſco, & ex combuſtis tres reſiduos, trecentis aureis, qvorum precio omnes æſtimaverat, vendidit. IIX. Helleſponticam in agro Trojano. IX Phrygiam, qvæ Ancyræ vaticinata, creditur fuiſſe Diana Apollinis ſoror, ipſo Orpheo antiqvior, ut teſtatur Clemens Alexandrinus in Protreptico. X. Tiburtem nomine Albuneam. Hæ omnes Deum unum prædicavere, & de perſona & de regno Chriſti, de extremo mundi fine, de Antichriſto, regnisqve aliis, multa vaticinatæ, in Idololatriam acerrime inſurrexere. Vide earum verſus & hiſtoriam apud Lactantium lib. I. c. VI. de falſ. relig. & lib. de Ira DEI c. XXII. & XXIII. Strab. lib. XXXIII. Geogr. Plin. lib III. c. XIII. Gellium lib. I. c. XIX. Peuc. de divinat.

Dionyſ. Halic. lib. 4. c. 8. Plin. lib. [illegible] l. c. 19. Solin. cap. 8. Lactant. lib. 1. c. 6. Dan. Claſen. de Vaticin. Sibyllinis. Voſſius de Sibyllis.

vinat. in Theomantia, Auguſt. de Civ. DEI lib. XIIX. c. XXIII. & Ludovici Vivis in hunc locum Commentaria Imprimis conſule, qvæ Onuphrius, Lil. Gyraldus, Sixtus Senenſis. J. Obſopæus ſcripſere de Sibyllis. Et us aud[illegible]fium Iᴄtm. in memor. Cent III. Michaelem Neandrum in Apocryphis, [illegible] Coqvæũ, Caſaubon. exerc I. adverſus Annales Baronii ad ann. X. Montacutiu[illegible] Analectis, exerc. IV. ſect. I. & ſeqq.

XL. *Rectè ſanè fraudes Diabou[illegible]dis mundo detectæ ſunt.*

Sed ille impiger, nihil, qvod numerum malorum augere poſſet, intermiſit, & hoc imprimis egit, ut qvotiescunq; DEUS Eccleſiam ſuam novis promiſſionibus & beneficiis erigeret, toties tanqvam μυριοτεχνίτης ſuo etiam cœtui incrementũ qværeret. Sic qvo tempore Abrahamum, credentium Patrem, ad divinum ſui cultum ex Chaldæa Deus evocavit, eodem penè etiam Cacodæmon in Græcia Jovem inanium Deorum patrem introduxit, & deteſtabilem impietatem hoc monſtro admodum provexit: Iſaaco oppoſuit Iſmaelem: qvi qvidem ex Gen. XXV. 17. neqvicqvam condemnatus eſt, ſed tamen Pater extitit truculentiſſimorum Eccleſiæ hoſtium, Midianitarum, Arabum & Saracenorum. Jacobo adjunxit Eſavum: qvem & ipſum haud facilè condemnatum dixerimus, ſed tamen progenitorum novimus Amalekitarum & Idumæorum: qvi qvidem Judæis tempore Davidis ſervierunt, II. Sam. IIX. 14. ſed paulo poſt I. Reg. XI. 14. & II. Reg. IIX. 20. jugum excuſſere. Et licet Amazias illos bello laceſſitos domaret II Par. XV. ei tamen ad Idololatriam autores fuerunt; Cumqve Jechonias Babylonem abduceretur, inter primos flammam templo intulerunt, idqve funditus deſtruendum eſſe clamaverunt Pſalm. CXXXVII. 7. Et qvamvis Judas Maccabæus & Johannes Hircanus illos poſt reditum ex Babylonica captivitate ad circumciſionis Sacramentũ ſuſcipiendũ cogerent, Joſepho lib. XIII. cap. XVII. teſte, attamen redacta in Romanorũ poteſtatem Judæa, cervicem Judæorum, à triga Herodum truculentiſſima vehementer preſſam, tyrannide ſæva afflixerunt. Porrò cum de Jacobo, viro juſto, naſcerentur Patriarchæ populi Iſraelitici, & XII. tribuum principes, eodem penè tempore de Jove, impio illo & neqviſſimo adultero, ex variis ſcortis, qvæ ſubegit, nati ſunt Mars, Apollo, Mercurius, Vulcanus, Minerva & multi alii peſſima ſuperſtitione loco Numinum poſtmodum habiti. Sic tandem cùm Moſes ſanctas Dei leges populo Iſraelitico præſcriberet, diabolica etiam calliditas per Cecropem Athenarum conditorem, Deorum fictorum atq; fa-

ctorum cultum, & profana in Græcia ſacrificia introduci curavit. Imprimis vero mundum Satan decepit, cùm divina miracula imitatus, idololatricum ſui cultum in cordibus credularum gentium excitaret. Nota eſt hiſtoria Jannis & Iambris fratrum, arte magica virtuti Dei, qvæ per Moſen agebatur, reſiſtentium. Notum eſt ex Æliano libro XII. qvâ ratione Aſpaſia virgo Phocenſis, cujus formoſiſſimam faciem tumor ſubitò enatus deformare cœperat, ſomnio monita ſit, ut roſea ſerta, qvibus ſtatua Veneris erat coronata, tumori imponeret & reconvaleſceret. Nota eſt Actii Navii Auguris, cotem novaculâ incidentis, hiſtoria. Notum eſt, qvod Val. Max. lib. I. cap. VI. commemorat de Æſculapio ab Epidauriis ſpecie ſerpentis Romam deducto. Sed his miſſis, ex qvibus, qvicqvid de Idololatria & Perſecutionibus in prima Eccleſiæ ætate ſciri poteſt, intelligitur, ad ſecundam libri hujus primi ſectionem cum Bono Deo pergimus.

SECTIO ALTERA

DE

ECCLESIA MOSAICA.

QVÆSTIO I.

Qvæ in Eccleſia Patriarcharum usqve ad Moſis tempora contigerint, ſatis intellexi: Nunc ad alteram Eccleſiæ ætatem accingendi ſumus.

ILlud tempus, qvo Eccleſia hactenus à Ceremoniis legalibus Moſaicis libera, legibus, tanqvam jugo, virgâ & ſceptro exactoris Eſa. XIX. 4. preſſa, & ad varia ſacrificia, multimodasqve Ceremonias adacta eſt, non immerito in Eccleſia Patriarcharum Meridianum nominavimus, cùm mortalium vires æſtu Solis meridiano delaſſari, & ad ſudorem usqve abſumi ſoleant. Rebus autem ſub hoc meridiano & difficili Eccleſiæ tempore geſtis rectè deſcribendis, major etiam & difficilior videtur labor impendendus: qvem tamen, à DEO adjuti, ſuperaturos nos confidimus, ſi conſideremus Eccleſiam Moſaicam I. ſub Moſe & Joſua. II. ſub Judicibus & Ducibus, tanqvam Dictatoribus extraordinariis, qvi, cùm Synedrion LXX. virorum ſapientum, qvos Mo-

ſes conſtituit, rebus dubiis & afflictis ſuccurrere non poſſet, divinitùs excitati, libertatem populi vindicarunt. III. ſub Regibus IV. ſub iis, qvi à captivitate Babylonica Judæis præfuerunt. Nam non una fuit Reip. Judaicæ forma: qvæ ſub Moſe, Joſua & Judicibus fuit Ariſtocratica; ſub Regibus Monarchica, & poſt factos ex Babylonia reduces denuo ſub Optimatibus, & imprimis Aſſamonæis, ad Ariſtocratiam; mox verò ſub Regibus Aſcalonitis ad Monarchiam inflexa eſt, donec tandem Romani ſubactæ Judææ Magiſtratus & tributum imponerent, & imperio omni ſibi vendicato Remp. Judæorum rebellium, urbe cum templo inflammatâ, penitùs convellerent. Qvæ dum enarrabimus, etſi multas hiſtorias, qvæ vel magis profanæ ſunt, vel ad cœtum malignantium, hanc ſecundam Eccleſiæ ætatem oppugnantium, commodius referri poſſunt, ſumus expoſituri, eas tamen nos prudenter hîc congeſſiſſe memineris, ut & ſeries temporum cohæreret, & domicilium Eccleſiæ mundanum ſubindè variatum facilius appareret.

II. Qvo tempore natus eſt Moſes? De illo enim primùm lubet qværere.

Tornill. ad Ann. 2464. n. 1. Salian. A. 2464. n. 2. & 3.

Qvo Pharao, qvi ignorabat Joſephum, regnavit in Ægypto. Ex. 18. Multorum enim Pharaonum i. e. Regum, Scriptura meminit, qvorum primus eſt, qvi Saram ab Abrahamo abducere fruſtrà conatus eſt: Alter, cujus ſomnia Joſeph interpretabatur, Rex probus, & frugi, ſuſceptor & fautor Iſraelis, qvem Chronologicæ tabulæ Apim ſeu Oſirin fuiſſe probant: Tertius nomine Amoſis, qvi Jacobi ſepulturam promovit: Qvartus, juxta ἀπόδειξιν Chronologicam, Miſphragmutoſis, qvi ſecundum Calviſium Anno Mundi MMCCCXLIX. annis poſt Joſephi obitum XL. Ægypto præeſſe cœpit, & annis XXVI. teſte Manethone, regnavit. Hic præterqvam qvod Hebræos variis laboribus in inſana pyramidum exſtructione, & ſuperbâ fluminis in foſſas diductione, exerceret, ſub capitis etiam ſupplicio nutriri virilem Iſraelitarum ſtirpem, qvæ deinceps naſceretur, duas ob cauſas vetuit, qvarum alteram dicit Scriptura fuiſſe, qvòd Hebræorum genus multò numeroſius videri cœperat, qvàm ut Regi & univerſæ Ægypto ſecuritatem præſtaret; alteram Joſephus libro II. cap. V. addit, qvòd Ægyptius Sacerdos prænunciaverat, naſciturum per id tempus Hebræum, res Ægyptiorum olim graviter afflicturum, ſi modò ad ætatem adultam perveniret. Sed conſiliis divinis hominum prudentia obſiſtere neqviit: Ideoqve puer, qvem nondum natum metue-

tuebant, naſcitur anno Mundi MMCCLXXII. Et cùm poſt menſem ætatis tertium diutiùs occultari non poſſet, vimineæ ſeu papyraceæ ciſtæ, bitumine illitæ, incluſus, proximæ Nili alluvioni exponitur, à Thermutide, qvam Chronicon Alexandrinum Merrhin vocat, Regis filia, extrahitur, adoptatur, ipſi Matri Jocabedæ, præter cujus ubera, ſecundum Joſephum, omnium aliarum fœminarum faſtidiebat, enutriendus traditur, inqve omni ſapientiâ Ægyptiorum eruditus, dictis & factis potens extitit, Act. VII. 22. Et qvia ex aqvis erat extractus, Moſes nuncupatur, natus ex Amramo, Kahathi filio, Nepote Levi, Pronepote Jacobi patriarchæ.

III. Miram DEI providentiam in ſervando Moſe prædicas.

Il magis dices, ſi vera ſunt, qvæ Joſephus libro II. cap. V. tradit. Ait enim, Moſen indole admiranda & feſtivo hilariqve vultu omnium oculos in ſe vertiſſe, & Thermutidi imprimis adeò placuiſſe, ut conſenſu Patris illum in Imperio ſucceſſorem nominaret, ipſumqve Regem, Filiæ gratificaturum, diadema ſuum capiti pueri impoſuiſſe, idqve ab illo detractum ejus pedibus protervè conculcatum conſpexiſſe. Qvod cùm Thermutis ex pueritia factum; fatidicus verò Sacerdos cum aliis regno eſſe ominoſum, puerumqve tolli debere diceret, allatos, ajunt Judæorum Rabbini, carbones ignitos, qvos ſi puer tractaret temerè, veniam facti impetraret. Et Moſen qvidem ex his aliqvos repente hauſiſſe, & perpetuam lingvæ cladem inde contraxiſſe. Poſt, Joſephus ait, Æthiopes bellum Ægyptiis calamitoſum intuliſſe, & victores factos, prædas ab ipſa Memphi abegiſſe; Oraculum verò monuiſſe Ægyptios, ut ſi vincere vellent, Hebræum in auxilium evocarent. Moſen igitur juſſu Regis, negotio belli ſuſcepto, miris ſtrategematibus cùm ſerpentes viam, qvâ in hoſtes tendebatur, obſidentes, multitudine Ibidum, contra ſolos ſerpentes ferocium, tùm hoſtes robore virium ſuperaſſe, & ipſam ejus gentis regiam Sabam, Tharbi Regis Æthiopici filiâ in uxorem ductâ, cepiſſe, & jugum hoſtibus feliciter impoſuiſſe. Sed cùm laudem meruiſſet, invidiam reportavit. Anno enim ætatis XL. imperante alio Pharaone, qvem Chronologi ex Beroſo Amenophim, Miſphragmutoſis nepotem, nominant, malevolis undiqvaqve cauſas, ut tolleretur, nectentibus, aufugit, præſertim cùm ſibi cædem à ſuis popularibus, qvorum cauſâ Chanethotham Ægyptium, ceu vocat Chronicon Alexandrinum, peremerat, expro-

Epiphan. Hæreſ. 78. Su. Clem. Alex. 1. Strom. Torniell. A. 1283. Salian. 2467.

pro-

probrari audiret. Pervenit autem in Troglodytarum in Arabia regionem, ad urbem, in littore maris rubri ſitam, qvæ nomen ſortita eſt à filio Abrahami & Cheturæ Midianæ. Gen. XXV. 2. Qvo in loco cùm à ſeptem puellis Paſtorum, aqvas illis præripientium, injuriam depuliſſet, à Patre illorum, regionis ejus Sacerdote, Raguele ſeu Jethrone, ſeu, ut videtur dici Num. X. 29. Hobabo exceptus, & gener adſcitus, duobus ex Zipora filiis, Gerſone & Eleazaro, ſuſceptis, hac in terræ plaga XL annis ſubſtitit.

IV. Qva ratione Moſes ex tam abjecta ſui exilii ſorte dux populi Iſraëlitici evocatus eſt?

Exod. VII. 3. 4. XIII. 3. XIV. 11. 12. XV. XVI. &c. Joſeph. 3. Antiq. 1. & lib. 4. cap 4. Euſeb. lib. 9. præp. Evangel. cap. 4. Diod. Sic. in Eccl. lib. 40. Plin. lib. 30. c 1. Tacit. lib. 5. c 3. Juſtin. lib. 36. Juvenal. Sat. 14. Strabo lib. 16. Geogr. p. 80. Trebell. Pollio in Claudio Dalmata Imper. cap. 2. Sulpit. Sever. lib. 1. Hiſt. sacr. cap. 24, 40.

Præerat jam Ægypto Rex Orus, filius Amenophis & Hebræos variis laboribus miſerum in modum macerabat: Sed Anno Mundi MMCDLII, Moſes oves Soceri, eductas ad montem Horeb (qvi ab urbe Midiane XVI. milliaribus ſitus, alio nomine Sinai dicitur) paſcens, prodigioqve rubi, innoxia flamma ardentis, DEUM adeſſe intelligens, nomen ejus verum didicit & miraculis virgæ in ſerpentem verſæ, manus leprâ obductæ, & aqvæ cruoris naturam induentis inauguratus, etſi fruſtra lingvæ balbutiem cauſabatur, ad Regem Ægypti eſt ablegatus, ut eum ad dimittendum Iſraelitarum populum, illum DEI primogenitum, adhortaretur: ſin nollet, miraculis perſvaderet; ſin diutiùs refragaretur, multis plagis cogeret. Et qvidem Pharao deridens DEI legatum, per veneficiorum Magiſtros, Jannem & Iambrem, II. Tim. III. 8. prodigia Moſaicis ſimilia anniſus eſt procurare, ſed irrito tandem conatu: Ideoqve cùm reſiſteret voci divinæ, decem ingentibus plagis ad dimittendum populum adactus eſt: qvæ qvidem ſeqventibus verſiculis comprehenſæ ſunt:

Prima rubens unda: Ranarum plaga ſecunda:
Inde culex triſtis: poſt muſca nocentior iſtis:
Qvinta pecus ſtravit: anthraces ſexta creavit:
Poſt ſeqvitur grando: poſt bruchus dente nefando:
Nona tegit Solem: primam necat ultima prolem.

Fatigatus tandem tot malis Pharao, & imprimis primogenitorum nece perculſus, Hebræos, primum Paſcha in hujus tranſitus memoriam ex inſtituto DEI celebrantes, dimiſit, ſpoliis Ægyptiis onuſtos, numerum, ſi ſolos viros numeres, ſexcentorum millium ſuperantes. Ea autem nocte, qva egreſſi ſunt. Hieronymus in Epiſtola ad Fabiolam ex Exod. XII. 12. & Num. XXXIII. 4. colligit, omnia in Ægypto Idolorum tem-

templa fuiſſe collapſa. Qvod enim, inqvit ille, in Diis eorum (qvæ verba in Exodo leguntur) fecit judicia, ſive, ut LXX. tranſtulerunt, ultiones; illud Hebræi autumant, qvod nocte, qvâ egreſſus eſt populus, omnia in Ægypto templa, ſive motu terræ, ſive ictu fulminum ſint deſtructa. Qvibus tamen omnibus rebus nihil emendatus Pharao, ſed magis magisqve induratus, collectis undiqvaqve ingentibus copiis Iſraëlitas perſecutus, hinc mari rubro, illinc rupibus impeditos cinxit: omnesqve miserè perdidiſſet, aut in duriſſimam retraxiſſet ſervitutem, niſi opem divinam ſenſiſſet Eccleſia preſſa, de die qvidem columna nubis ſe inter exercitum Pharaonis & imbelles Hebræos interponente; noctu verò ignea columna invia & incognita loca illuminante.

V. Tanta ædepol ſunt hæc omnia, ut non ſine cauſa toties Judæi ad hæc eductionis ex Ægypto miracula conſideranda ablegati ſint?

Tu cum timore Dei providentiam agnoſcito. Moſes juſſus eſt populares non per Philiſtæorum terram, via compendioſiore & uſitatiore, qvæ euntes ex Ægypto tridui ſpatio tranſmiſit in Palæſtinam, educere: ſed ad dexteram flectens, itinere magis diſpendioſo, per viam deſerti, qvæ eſt juxta mare rubrum Exod. XIII. 18. id eſt, per Latopolin tunc deſertam, in qva poſteà, Cambyſe Ægyptum vaſtante, Babylon, qvæ dicitur Cayrus magna, condita eſt, eos circumduxit, cùm, ne populus reditum in Ægyptum moliretur, tùm ne Palæſtini de hac profectione certiores facti, à fronte Iſraelitis occurrerent, tùm deniqve ut Moſes in monte Sinai victimas Exod. II. 12. imperatas immolaret, & imprimis ſolius Dei negotium totum eſſet. Is enim cùm nulla elabendi via obſeſſis pateret, juſſit Moſen virgâ rubrum mare percutere: qvod diviſum Hebræis tranſitum conceſſit, Ægyptios verò ad unum omnes ſuffocavit, eorumqve arma, ſecundum Joſephum libro II. capite ultimo, in littus adverſum, qvod jam Hebræi ſervati occupaverant, excuſſit, & inermem populum commode armavit.

Juſtin. lib. 36. Plin. lib. 30 c. 1. Tacit. l. 5. c. 3.

VI. Qvodnam qvæſo eſt illud mare rubrum, per qvod ſtupendo adjuti miraculo tranſierunt Iſraelitæ?

Vocatur apud Græcos Erythræum, ab aliis Juncoſum: & eſt ſinus Africam ab Arabia disjungens, qvanqvam nonnulli putant, extendere ſe illud ad ipſam usq; Indiam. Nomen autem rubri obtinuit, non, ut Strabo au-

Aloyſ. Cadamuſt. Navigat. c. 53. 56 Ludovic. Roman. Navigat. lib. 1.

c. 31. Jacob. de Vitriaco c. 84. Adrichom. in Theatro Terræ Sanct. in Pharan. n. 83. p. 123.

bo autumavit, à colore propter radiorum reflexionem apparente, vel à montibus ex aduſtione rubentibus, vel à Sole, cum ſupra verticem eſt; non ex ſententia Cteſiæ Cnidii à fonte rubicundo, qvi aqvam minio plenam in mare coloratam emittat; non deniqve ab Erythra Perſei & Andromedæ filio, qvi in iis locis imperaſſe dicitur; Sed, ut aliqvi annotarunt, à maculis, qvæ paſſim diversâ forma conſpiciuntur, & qvidem non ex balænarum ſangvine, ceu aliqvi prodiderunt, ſed ob plantæ alicujus ſeu fruticis rubri vim & copiam magnam, qvi in fundo hujus maris ſolidos ramos Coralii inſtar profert, & aqvæ ſuperficiem ſimili colore tingit. Qvam ipſam tamen opinionem Ludovicus Vartomannus Navig. lib. I. cap. XXI. & Johannes Brodæus Miſcell. lib. III. cap. IX. improbare videntur, qvi rubrum mare non reipſa, ſed nomine tantum rubrum eſſe probant. Ideoqve piam eruit Nicolaus Fullerus Miſcellaneorum Theologicorum libro IV. cap. XX ſententiam, qvâ ſtatuit mare rubrum dictum eſſe ab Edom, qvi eſt Eſau, Iſaaci filio, qvi Græcè eſt ἐρυθρός, Latinè Ruber. Hic ſanè magna Arabiæ parte occupata, toti regioni, qvam ejus poſteri cum Nabathæis in unam gentem coëuntes incoluerunt, à ſe Idumææ; ſinui verò adjacenti, Maris rubri nomen dedit. Hoc autem mare qvia motu in ſe replicato, qvem æſtum ſeu πλημμυρίδα vocant, accreſcit & decreſcit, ſacrarum literarum oſores Moſen in ſicco transmiſiſſe calumniantur, opportunitate refluxionis uſum, cùm tamen nunqvam ea parte vi æſtus nudatum conſpiciatur, qvâ Hebræi tranſierunt. Sed hæc mittentes, Moſis hiſtoriam juxta ſeriem XLII. manſionum ſeu ſtationum, qvas ſibi Iſraelitæ XL. annorum ſpacio fixerunt, ex Num. XXX. & ex tota hiſtoria Moſaica curſim videamus.

VII. Placet Methodus: Tu in enarrandis illis XLII. manſionibus attento me uteris auditore.

Conf. Adrich. l. c. in Pharan & Heidmanni Palæſt. c. VI. à § 95. ad fin. Salian. A. 2344. n. 50.

I. Rameſes vel Rameſſe, unde anno Mundi MMCDLIII. XV. April. egreſſi ſunt Iſraelitæ.

(Hoc oppidum in extremis Ægypti finibus ab ipſis Iſraelitis ſive ædificatum, ſive amplificatum, Exod. I. 11. ab agni Paſchalis inſtitutione, & legis de primogenitis Deo dicandis aut redimendis promulgatione eſt celeberrimum, qvò convenit populus Iſraeliticus Ægyptum exiturus, ſexcenta virorum millia absqve fœminis & parvulis.)

II. Succoth à tabernaculis ſeu tentoriis dicta, qvæ ibi primum fixerunt.

(Hu-

(Hujus urbis incolas poſtea Gideon, Midianitas perſeqvens ob commeatum militibus negatum interemit. Jud. IIX. 16.)

III. Ethan deſertum, qvod & Sur vocatur; proximum Arabum ſolitudini.

(Hîc nubem primò appar uiſſe autumat Hieronymus, qvæ interdiu nubis; noctu ignis ſpeciem præbuit. Sunt, qvi putant, duas illuxiſſe nubes, qvarum altera Iſraelitas protexerit, altera direxerit. Hoc deſertum Ethan non longè diſtat à Chananæorum terminis, ad qvos brevi pertingere potuiſſent Iſraelitæ, niſi DEUS decretæ in Ægyptios ultionis expediendæ cauſa, iter ad ortum flectere, atqve ad mare rubrum contendere juſſos in anguſtum locum Pihahiroth deduxiſſet.)

IV. Pihahiroth, q. os vallis, ubi Pharao eſt aſſecutus Hebræos.

(Hîc à fronte marinis undis; à lateribus montium altitudine; à tergo hoſtium exercitu premebantur. Sed mari non duodecim, ut nonnulli putant, ſed unam viam, & qvidem planiſſimam, præbente, tranſiit Eccleſia; Tyrannus cum ſuis ſuffocatus eſt. Contigit hic PRIMA MURMURATIO Hebræorum, maris, rupium & Ægyptiarum copiarum anguſtiis incluſorum. Exod. XIV. 11.

V. Marah, illa pars deſerti ultra mare rubrum, qvà poſt triduanum in locis aridis iter, populus invenit qvidem aqvas, ſed amaras.

MURMURATIO igitur SECUNDA hic contigit, qvam ſedavit Moſes, injecto, qvo potibalis aqva facta eſt, ligno. Exod. XV. 24.)

VI. Helim, locus deſerti Sur, XII. aqvarum fontibus, & LXX. palmis amœniſſimus.

VII. Sinus qvidam maris rubri, ubi ſuperata maris diſcrimina Judæis denuò ante oculos poſita ſunt.

IIX. Deſertum Sin, inter Elim & Sinai, qvod attigerunt die XXX. poſt exitum, in qvo qvinqve manſiones habuere Iſraelitæ.

(Hîc, qvod farina conſperſa deficiebat, TERTIA MURMURATIO populi contigit. Deus autem ad famem tollendam coturnices veſperi; mane verò Manna de cœlo cum rore demiſit. Et panis ille cœleſtis per XL. annos, præterqvam diebus Sabbati, in deſerto miraculosè ſubminiſtratus eſt, idoneus ad ſapidiſſimos cibos conficiendos: de qvo etiam menſuram refertam in tabernaculo reſervari juſſit Deus Exod. XVI.

IX. Dapheca ſeu Daphca.

X. Alus.

XI. Raphidim, ubi contigit QVARTA MURMURATIO ob aqvæ defectum.

(Tria hîc memorabilia contigerunt: I. Aqvæ ad populi importunitatem, Moſe petram percutiente, ex ſaxo eductæ ſunt. II. Amalekitæ ex proſapia Eſavi, primi Judæorum hoſtes, virtute Joſuæ, & Moſis precibus, ſuperati, & qvòd fratribus fame maceratis ſuccurrere noluerant, graviſſimum ſcelus commiſiſſe judicati, atqve ſeqventibus temporibus excidio totali à Deo addicti ſunt. III. Jethro Moſis ſocer, inviſens generum, de Rep. facilius gubernanda egregium ſubminiſtravit conſilium, ut ſicuti Moſes ſolus ſine Judicibus & Magiſtratibus hactenus de omnibus populi rebus ſtatuiſſet, ita poſtmodum graviora, & imprimis ad Deum pertinentia, ſibi reſervaret; leviorum verò rerum cognitionem Tribunis, Centurionibus, Qvinqvagenariis & Decanis committeret. Exod. XVII. & XIIX.)

XII. Deſertum Sinai, circa montem Horeb & Sinai, in qvo integrum ferè annum commorati ſunt.

(In hac ſtatione I. Decalogus præceptorum in tonitruis ipſa Dei voce promulgatus eſt, menſe III die VI. ab exitu, Anno Mundi MMCDLIII. die qvinto Junii, ſecundū ſupputationem Calviſii Exod. XIX. & XX. Cumq; populus non ſuſtineret vocem divinam, explicatio Decalogi Moſi ſoli facta eſt Ex. XXI XXII. XXIII Deinde II. Senioribus LXX in montē conſcendentibus, Deus ſeſe conſpiciendum præbuit, & ſub pedibus ejus videbatur qvaſi opus lapidis Sapphirini, & qvaſi cœlum, cum ſerenum eſt, Exod. XXIV. Poſt III. Moſes in monte XL. dies absq; ullo cibi adminiculo commoratus, ad figuram commonſtratam tabernaculum erigere juſſus, duas legis tabulas lapideas Dei digito ſcriptas, qvas ad populum deferret, accepit. Exod. XXV. ad XXXI. Populus interea IV. abominanda Idololatria. ipſo duce Aarone, vitulum in forma Apis Ægyptiaci confecit, adoravit, & choreis laſcivis coluit. V. Sed Moſes tantam abominatus impietatem, indignabundus confregit tabulas divinas cineresqve vituli bibendos populo Idololatrico propinavit, & tria millia per Levitas perimi juſſit. VI. Tandem tamen, reconciliato Jehovâ, alias legis tabulas confecit, alioſqve XL. dies cum Deo colloqvens, in monte Sinai conſumpſit. Exod. XXXIII XXXIV. Et VII. Tabernaculum, añō poſt exitum ſecundo, die primo menſis primi, qvi eſt XXIII. Martii, Anno Mundi MMCDLIV. erexit atqve conſecravit: qvod nube diurna, igneqve nocturno, in præſentiæ divinæ teſtimonium, pulcrè illuſtratum

Judæi

Judæi conſpexerunt, Num. IX. 15. Cum igitur IIX. Aaron & filii ejus ſacerdotalia exercere inciperent, prima holocauſta, ſub totius populi conſpectu, igne cœleſti (in qvo Leonis faciem conſpectam fuiſſe aſſerunt Hebræi) abſumta ſunt, Lev. IX. 24. Tandem IX. Nadab & Abiha Aaronidæ, qvia alieno igne res ſacras fecerant, igne à Domino egreſſo, conſumti ſunt. Lev. X. 1.)

XIII. Locus in deſerto Pharan, qvem primùm Hazerah ſeu incenſionem; deinde Cibrotharaavah, ſeu ſepulcra concupiſcentiæ, ab eventu nominarunt.

(Hîc enim contigit QVINTA & SEXTA populi MURMURATIO. Illa ob itineris difficultatem; hæc ob Angelici cibi nauſeam, & carnium concupiſcentiam. Illam ignis Domini in caſtrorum extremitatibus accenſus; hanc peſtis, qvæ cum magno coturnicum numero immiſſa eſt, ſedavit. In hac qvoqve ſtatione Spiritus S. deſcendit extraordinario ſigno ſuper LXX. Viros, & ita συνέδριον illud ſolemne ſeu ſupremum Reip. conſiſtorium, & nobiliſſimus Senatus inſtitutus eſt, penes qvem ſumma poteſtas dijudicandi controverſias dogmatum, exercendi judicia publica, eligendi & deponendi reges, jus erat. Num. XI. Confer Carolum Sigonium libro VI. Reip. Heb. cap. VII. & Petrum Galatinum libro IV. capite IV.)

XIV. Haſeroth, ſeu Eſerimoth.

(Hîc juxta illud (συγγενὲς καὶ φθονεῖν ἐπίσταται) Miriam & Aaron fratri Moſi, ob Ziporam Æthiopiſſam, tanqvam barbaram & gentilem, litem moverunt. Sed Miriam elephantiaſi ſeptiduana percuſſa; Aaroni deprecanti culpa condonata eſt.)

XV. Rethma in deſerto Pharan, qvod longiſſimo tractu extenditur, juxta Cadesbarneo, ceu Deut. I. 19. vocatur.

(Hinc XII. exploratores in terram Chananæam mittuntur: Sed reverſi & palmite cum uva in vecte allato, robur Palæſtinorum inexpugnabile nunciantes, SEPTIMAM MURMURATIONEM populi excitant: qvâ vix per Joſuam & Calebum ſedata, ingreſſus in terram promiſſam patribus negatur; filiis promittitur; & exploratores præter Joſuam & Calebum ſubitanea morte intereunt: Iſraelitæ autem ſerâ ducti pœnitentia, invito Moſe, contra hoſtes exercitu educto, ab Amalekitis, Chananæis & Amorrhæis cæduntur. Num. XIV.)

XVI. Rhimmon Phares.

(In hunc locum, cùm jam in ipſo terræ aditu poſiti eſſent, ex Reth-

mâ retrocedere juſſi, Num. XIV. 25. montem Amorrhæum in interiore Arabiæ ſolitudine longo tempore, annorum videlicet XXXIIX. ſpatio, circumierunt. Qvo tamen toto tempore nec veſtimenta eorum lacerata, nec calcei attriti fuerunt, Deut. XXIX. 5.)

XVII. Libna
XIIX. Reſſa
XIX. Ceelath
XX. Mons Sepher
XXI. Harada
XXII. Macheleth
XXIII. Thabath
XXIV. Thara
XXV. Mithca
XXVI. Harmona
XXVII. Maſoroth
XXIIX. Beneiaacan
XXIX. Mons Gidgad
XXX. Jetabatha
XXXI. Hebrona
XXXII. Eziongaber in littore maris rubri propè Ailoth urbem regni Edom ad navium ſtationem aptiſſimam. 1. Reg. IX. 26.

In his XVI. ſtationibus illa eſſe geſta putantur, qvæ Num. XV, & qvatuor, qvæ ſeqvuntur, capitibus deſcribuntur. Nam. I. transgreſſor Sabbati lapidatione è medio apud Ceelath ſublatus eſt. II. Corha Levita, patruelis Moſis, & Dathan, Abiram atqve On, Rubenitæ, ad Thara, in conjuratione CCL. procerum, Moſen de injuſtè uſurpatâ dignitatis politicæ & Sacerdotalis adminiſtratione incuſantes, partim hiatu terræ, partim ignis à Jehova egreſſi vehementia, abſorpti perierunt, eorumqve acerræ ſeu thuribula in monumentum conjurationis ſeriò punitæ altari affixa ſunt. III. Hinc extitit OCTAVA MURMURATIO populi ob cladem rebellibus illatam, qvam Moſi & Aaroni imputabant. Sed peſtis divinitùs immiſſa ſubitò CXLVII. millia ſuſtulit, & univerſum peremiſſet populum, niſi Aaron, ſuffitu facto, iram DEI ſedaviſſet. IV. Aaroni igitur dignitas Sacerdotii & Pontificatus, ſigno virgæ refloreſcentis, & flores atqve amygdala una nocte protrudentis confirmatus, & novis legibus circumſcriptus eſt.

XXXIII. Deſertum Zin in vicinia Cades Num. XXXIII. 36. & Num. XX. 1. ad qvod pervenerunt menſe primo anni XL. poſt exitum ex Ægypto.

(Hîc I. Mirjam, ſoror Moſis, anno ætatis CXXVI. fatis conceſſit, & publicis ſumtibus ſepulta eſt, ut annotat Joſephus. Orta eſt II. NONA MURMURATIO populi ob aqvæ indigentiam, qvam Moſes e xpetra, baculo, tanqvam θαυματουργίας vexillo, elicuit. Sed tantus tot certami-

taminum victor, tot miraculorum teſtis, qvi toties in ruptura coram Deo ſteterat Pſalmo CVI. 23. uno in ictu ad extremum miſerè defecit, & qvi debuerat imperare ſaxo, ut aqvas daret, diffidenter qvæſiit ex populo, utrum ex petra aqvæ poſſint prodire, & ob id triſtem audiit ſententiam, qvod cum fratre, ejusdem, criminis reo, non ſit terram promiſſam ingreſſurus: Et uterqve eodem, qvo Mirjam, anno, puta Anno Mundi MMCDXCIV. defuncti ſunt III. Qvod anteqvam fieret, Moſes pro impetrando tranſitu legatos miſit ad Regem Edomitarum, ex proſapia Eſavi oriundum, qvi ſuperbo dato reſponſo, & educto exercitu, vias aditusqve tranſituris cognatis interclusit, ut cogerentur longis ambagibus confinia circumire, vel ſaltem extremitates regni Edomitici attingere. Deut. II 8. &29. Moabitæ etiam ex proſapia Lothi tranſitum Moſi negarunt, ut ad latus iter flecteret, Jud. XI. 17. qvi tamen cognatos Eſavitas & Lothidas lædere, aut regnis & poſſeſſionibus ſuis ſpoliare prohibitus fuerat.)

XXXIV, Mons Hor, unde Horthæi ſunt dicti, qvos Edomitæ ex hoc loco olim expulerant. Deut. II. 12. & 22.

(Contigerunt hoc in monte, qvem etiam nominarunt Moſerah, Deut. X. 6. duo memorabilia: Nam Aaron montem aſcendere, filio Eleazaro Pontificatum tradere, & absqve morbo atqve corporis langvore, anno ætatis CXXIII. mori juſſus, â populo integrum menſem defletus eſt. Num. XX. 24. Deinde Rex Chananæus Arad Iſraelitas in fugam egit, nonnullosqve eorum prædæ inſtar abduxit. Sed illi nuncupato voto de urbibus cum incolis exſcindendis, cùm ex animi ſententia res ſucceſſiſſet, in perpetuam rei memoriam loco nomen Anathematis ſeu Hormah impoſuerunt. Num. XXI.)

XXXV. Salmonah per viam maris Suph, Num. XXXIII. 41. ſeu Gadgad, Deut. X. 7.

XXXVI. Pinon ſeu Jathbath.

(Hîc DECIMA MURMURATIO populi ob itineris difficultatem orta, ſerpentum ignitorum immiſſione punita eſt: Qvos qvidem ſerpentes preſteras vocant, & morſu venenum, ſitim, mortemqve afferre dicunt. Sed ænei ſerpentis è conto & pertica ſuſpenſi intuitu, modo omnem naturam tranſgrediente, ſanantur morituri. Num. XXI. 4.)

XXXVII. Oboth.

XXXIIX. Icabarim in finibus Moab, Num. XXXIII. 44.

XXXIX. Dibongad.

XL. Helmondeblathaim propè Arnum fluvium, qvi in Arabia oriens per ſolitudines fertur, & Aſphaltidi infunditur.

XLI. Montes Abarim, qvorum diverſa loca diverſa ſortiuntur nomina, Num. XVI. 11.

(Hîc I. ob aqvas, fonte mirabiliter erumpente, inventas, DEO gratias carmine & hymno decantarunt, Num. XXI. 18. Petiêre II. à Sione, Rege Hesbonis ſeu Hæmorrhæorum, innocuum tranſitum: Sed ille, ob victoriam paulo ante à Moabitis reportatam ſuperbiens, pacem offerentes bello laceſſiit: Ideoqve cum omnibus ſuis cujuscunq; ſexus & ætatis trucidatus, ejusqve regio omine auſpicato prima Iſraelitarum poſſeſſio facta eſt. Num. XXI, 21. Deut. II. 26. Paulò poſt III Ogo, Baſanæ ſeu Galadinæ, ut Joſephus habet, Regi, qvi de Gigantibus ſupererat, & lectum IX cubitos longum dormiturus premebat, bellum illatum eſt, qvod illum cum filiis & univerſis ſubditis peremit. Iſraelitæ autem, LX. ejus urbibus occupatis, opima ſpolia inter ſe diviſerunt.)

XLII. Ultima manſio conſtituta eſt in Campeſtribus Moab, Num. XXII. 1. & XXXIII. 49.

(Hîc I. Balec Rex Moabitarum ex proſapia Lothi oriundus, cum Midianitis ſe adverſus Iſraelitas, qvorum innoxium adventum præter cauſam extimeſcebat, ſe conjunxit, & magicam Bileami Pſeudoprophetæ & carminibus noxiis præpotentis, è terra Ammonitarum evocati, artem imploravit. Sed ille primùm à DEO, ne iret; deinde ſecunda evocatus legatione, ut iret, juſſus, gladio Angeli ſtricto & aſinæ loqventis increpatione exterritus, maledicta concepta ἀντιμεταβολῇ ſtupendâ in benedictiones vidit converſa, ut omnia bona Iſraelitis: peſſima qvæqve eorum hoſtibus, & multa alia de adventu Chriſti, & futuris ſeculis, prædiceret. Conſilium tamen Regi ſubminiſtravit ſceleſtus, ut per blandas Moabitarum & Midianitarum mulierum conſvetudines curaret Iſraelitas ad Idololatriam induci, atqve illi vel ſic gratiam DEI amitterent. Qvod cùm feliciter ceſſiſſet omnium malorum Architecto, DEUS iratus promiſcuum vulgus Beelphegori initiatum, agminatim cædi, & in Sole Principes ſuſpendi juſſit, atqve ex populo XXIV. millia plagâ tremendâ percuſſit: qvæ prius non deſiit, qvam Pinehas, heroico Zelo commotus in fœda fornice Zimbrium cum Midianitide Chozbia copulatum impia Venere, ſpiculo trajiceret.

II. Cenſu populi tertio condito inventi ſunt, præter XXIII. mille Levitas 601730. bellatorum Num. XXVI. Primum cenſum vide. Ex. XXX. alterum Num. I. & II.

III. Lex,

III Lex, ut hæreditas ad proximiores, nec fæmellis excluſis, tranſeat, occaſionem qvinqve filiabus Zelaphudi præbentibus, perfertur. Num. XXVII. Sed additur Num. XXVI limitatio, ut fœmellæ hæredes non niſi alicui ex ſua tribu nubant, ne transferatur unius trib9 hæreditas ad aliã.

IV. Moſes in monte Abarim, qvi Piſga & Nebo vocatur, Deut X. 27. XXXII. 49. terram promiſſam aſpicere, ſed non ingredi jubetur: Ideòq; non reluctatus Deo, nec mortem deprecatus, Joſuam ſucceſſorem obtinet. Num. XXVII.

V. Mandatum de ulciſcendis Midianitis, cladis ſuperioris autoribus, mandatur executioni, & Pinchæ Sacerdotis auſpicio, exercitu XII. millium ex XII. tribubus ſelectorum educto, omnes eorum mares, cum qvinqve Regibus, & omnibus fœminis virum paſſis, per qvas deceptus fuerat populus, trucidantur, virginum XXXII. millia in ſervitutem abripiuntur, prædæ dividuntur, & ſpoliorum pars magna Deo conſecratur, Num. XXXI.

VI. Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia Manaſſenſium pars omnem Amorrhæorum & Midianitarum regionem cis Jordanem habitandam cum certa conditione accipiunt. Num. XXXIV.

VII. Termini terræ Chananææ præfiniuntur; qviqve eam Iſraelitis dividant, deſignantur. Num. XXXIV.

IIX. Levitis ab hæreditate terræ promiſſæ excluſis, certa domicilia aſſignantur, ita qvidem, ut XLIIX. urbes inter reliqvas tribus σποράδην incolant, urbiumqve earum ſuburbia per circuitum ad mille cubitos, pro horreis & ſtabulis jumentorum, agros verò & paſcua ad duo cubitorum millia, pro paſcendis pecoribus poſſideant, & in ſex urbibus refugii, tanqvam aſylis, per errorem lapſis ſemper tutum receptum indulgeant. Num. XXXV.

IX. Liber Deuteronomii inculcatur, fœdus inter Deum & populum renovatur, Iſraelitæ nova ſolennitate Deo obligantur, ſiq; delicturi ſunt, ad pœnitentiam agendam revocantur, Deut. XXIX. & XXX.

X. Tandem Moſes, ille nuncius fideliſſimus, Prophetarum initiator, Heros eminentiſſimus, Orbis conditi Coſmographus, qvi ſecundum ſupputationem nonnullorum LIII. itinera confecerat, CLXXXII. colloqvia cum Deo inſtituerat L. miracula ediderat longè maxima, reſignato in manus Joſuæ ſucceſſoris officio, legis volumine ad latus arcæ fœderis depoſito, dulci melodia decantata, eulogiis populo Iſraelitico valedictoriis dedicatis, eminus priùs terra promiſſâ conſpectâ, anno æ-

tatis CXX. moritur, & ab ipſo Deo, vel miniſterio Angelorum, vel ultroneo terræ ſe aperientis ſervitio, ſepelitur, idq; loco nunqvam cognoſcendo, cùm, ne qvis faciem, qvæ conſortio ſermonis Dei rutilaverat, mortis mœrore preſſam videret, tùm ne ſepulcrum ejus populo, ſi cognoviſſet, ubi eſſet, materiam ſuperſtitionis præberet, tùm deniqve ut ſignificaretur, qvod Lutherus ait, luce Evangelii oriente, miniſterium legis ſic tolli, ut Judæi neqve invenire, neqve reparare unqvam poſſint. Joſephus mortem Moſis ita deſcribit, ut dicat, eum inter complexus Joſuæ & Eleazari repentina nube circumdatũ, in vallem qvandam fuiſſe ablatum. Tu honorifica de Moſe teſtimonia qvære etiam apud Scriptores prophanos, Strabonem libro XVI. Geographiæ, Diodorum Siculum lib. I. part. II. & in Ecloga libri XL. Nec calumnias morare Juſtini lib. XXXVI. nec Taciti lib XXI nec aliorum. Qvin potius Juſtini Martyris & Philoſophi teſtimoniũ audi, qvi dicit, vel XI graves autores apud Gentiles inveniri, qvi Moſen tanquã divinum ſcriptorem cõmendarunt. Et memorabile eſt, qvod legitur apud Clementem Alexandrinum, libro I. Stromatum, Myſtas apud Græcos referre, qvod Moſes ſolo verbo occiderit Ægyptium, qvi Hebræum injuſtè invaſerat: Artapanam etiam in opere de Judæis, Moſen dicere in cuſtodia incluſum, à Necephre rege Ægyptiorum, eò qvod peteret, ut populus liberaretur ex Ægypto, noctu aperto carcere DEI voluntate egreſſum, cùm in regiam deceſſiſſet, dormienti regi aſtitiſſe, & eum excitaſſe: illum autem, eo, qvod factum fuerat, ſtupefactum, juſſiſſe Moſen, ut diceret nomen ejus, qvi miſerat; & illum qvidem, cum ad aurem ſe inclinaſſet, dixiſſe: Regem autem, cum audiiſſet, mutum cecidiſſe; cùm eum autem Moſes tenuiſſet, rurſus revixiſſe.

IIX. Videor mihi hiſtoriam Moſaicam ſatis intelligere: Sed legum & ſacrificiorum Moſaicorum, ut & Tabernaculi exſtructi hiſtoriam deſidero exactiorem.

Ut de Tabernaculo incipiam, ſcias Moſen Ex. XXXIII. 17. cùm populus vitulum aureum adoraſſet, ut iratum Deum longius receſſiſſe moneret, qvoddam, ut vocat, Eccleſiæ ſeu conventus & fœderis tabernaculum extra caſtra tranſtuliſſe, cujus antea inter Iſraelitas ad verbum Dei audiendum uſus fuiſſe videtur. Sed acceperat paulò ante Moſes, Exod. XXV. mandatum de illo Tabernaculo & Sanctuario fabricando, qvod tandem Exod. XL. poſt ſecundos XL. dies in monte tranſactos erexit. Et hoc qvidem, ad Ideam ab ipſo Deo monſtratam, ex deauratis tabel-

tabellis lignorum Sittim, nec cariem ſentientium, nec putreſcentium, qvæ ſecundum Hieronymum ſuper Eſ. XLI. & Joel. III. in ſolo Arabiæ eremo naſcuntur, foliis ſpinæ albæ ſimilia, magnitudine verò & incorruptibilitatis lege diſſimilia, hac forma exſtructum fuit, ut ſingulæ tabulæ X. cubitos longitudinis, ſeſqvicubitum craſſitudinis; IV. autem digitos, qvod Joſephus ait lib. III. cap. V. craſſitiei haberent, & ſuis utrinqve incruſtaturis ſibi invicem conjungi poſſent. Ex his ſurſum erectis, & ſuper baſes argenteas firmatis, latus meridianum XX. aqvilonare totidem, occidentale IIX. accepit, ita qvidem, ut altitudo & latitudo eſſet X. cubitorum; longitudo verò XXX. Et extrinſecus ordines circulorum aureorum ad tabulas affixi erant, per qvos qvinqve vectes deaurati immiſſi totam ſtructuram conſtrinxerunt. Ipſius autem tabernaculi longitudinem intus velum qvoddam, IV. columnis appenſum in anteriorem occiduam partem XX. cubitorum, qvam dicebant Sanctum; & poſteriorem Orientalem X. cubitorum, qvam Sanctum Sanctorum vocabant, diſtingvebat, Exod. XXVI. 31. In circuitu vero tentoria qvædam, ſeu aulæa, ſeu cortinæ byſſinæ ocellatim in formam retis textæ, per qvas, qvid intus ageretur, conſpicari poterant foris ſtantes, per IV. ejus latera ſpacio CCC. cubitorum deducta, Atrium Sanctum conſtituebant, Exod. XXVII. 9. Joſeph. lib. III. cap. V. Utqve tabernaculum ab aëris & tempeſtatum injuria recte defenderetur, qvatuor ejus ſunt facta operimenta, I. Sericum. II. ex ſtragulis caprinis. III. ex velleribus arietinis rubricatis. IV. ex pellibus taxorum, imbrem non tranſmittentibus. Confer, qvæ Philo Judæus de tabernaculo diligenter ſcribit, qvæqve Ariæmontanus Hoſpinianus & alii.

Jacob Juda Leo. eruditiſſ. Judæus de Tabernaculo Torniell. A. 2545.

IX. Auguſtam ſanè tabernaculi Moſaici fabricam mihi deſcripſiſti: Qvis autem ejus uſus fuerit, ſuccinctè indicato.

Typum Meſſiæ illud fuiſſe, nemo negat: Sed hæc Theologis committens, attende I. qvid in ſingulis tabernaculi partibus, atrio videlicet, Sancto & Sanctiſſimo inventum ſit. II. Qvæ perſonæ ſacra in his locis obierint. III. Qvæ ſacrificia obtulerint. IV. Qvæ feſta celebraverint. V. Qvas alias leges obſervaverint.

X. Qvidnam igitur in ſingulis tabernaculi partibus inventum eſt?

Torniell. An. 2544. à n. 59. uſq; ad 64 Salian. ibid. n. 50. ſeq. Joh. Conr. Dieteric. in Antiq. V. Teſt.

In SANCTO SANCTORUM erat I. Arca fœderis ex omni parte deaurata, coronâ tanqvam limbo ſuperius in circuitu ornata, & duobus vectibus portatilis, qvi ex annulis ſuis nunqvam extrahebantur, ne qvis putaret, eodem ſemper ſubſtituram loco arcam Exod. XXV. 10. II. Caphoreth ſeu Operculum arcæ, ſeu propitiatorium, ex auro ſolido factum, qvod tanqvam thronum viſibilem, ex qvo reſponſa ſuis daret Deus inviſibilis, in terris paravit, Exod. XXV. 17. III. Duo Cherubim, in forma duorum puerorum alatorum, ex ſolido auro facti, qvi Propitiatorium alis tegebant, Exod. XXV. 18 Salomon ſuperaddidit hiſce duobus alios Cherubim proceræ magnitudinis X. cubitorum, qvi obverſis vultibus collocati per totam ſanctuarii latitudinem alas extenderunt. I. Reg. VI. 23. IV. Tabulæ legis, præter qvas nihil in arca erat reconditum I. Reg. IIX. 9. II. Par. V. 10. V. Urna aurea Mannæ. VI. Virga Aaronis. VII. Volumen legis, qvæ omnia fuerunt juxta arcam poſita Ex. XVII. 33. Deut. XXXI. 26. Heb. IX. 4. IIX. Thuribulum aureum, cujus in feſto expiationis in adolendo incenſo uſus erat, Lev. XVI 12. Hebr. IX. 4.

IN SANCTO erant I. Altare Thymiamatis ſeu ſuffitus inauratum, qvadrilaterum, portatile, cornibus armatum, & limbo aureo in circumferentia ornatum, inter menſam auream & candelabrum poſitum, in qvo bis qvolibet die adolebatur; qvotannis etiam in feſto expiationis ſangvis hoſtiarum aſpergebatur. Exod. XXX. 1. XXXVII 25. II. Menſa aurea in ſeptentrionali parte poſita, aurea miniſterii Levitici ſuppellectile, ut & panibus propoſitionis & thure iis ſuperimpoſito onerata & ornata, Exod. XXV. 23. XXXVII. 10. In Salomonis templo non una, ſed decem ejusmodi menſæ poſitæ reperiebantur, qvarum qvinq; latus aqvilonare, totidem meridionale ornabant. III. Candelabrum aureum in parte auſtrali cum ſuis forcipibus collocatum, & ſeptem perpetuis lucernis ſplendeſcens. Exod. XXV. 31. XXXVII. 17. Ad cujus Ideam Salomon itidem alia novem formavit, qvæ tamen cum novem aureis menſis à Seſaco Ægyptiorum Rege paulò poſt ablata fuiſſe putantur. I Reg. XIV. 26.

IN ATRIO TABERNACULI erat I. Altare holocaumatum cum igne ſuo perpetuo & craticula, reliqvâqve ſacrificiorum ſuppellectile, Exod. XXVII. & XXIIX. Hoc Salomon qvater amplius Moſaico fecit, altitudine videlicet X. cubitorum, qvod cum ſacerdotes per gradus aſcendere prohibiti eſſent, ſenſim una parte reſupinabatur, ut commodè ad ejus ſummitatem prodire poſſent. Joſephus lib. VI. bell. Jud. cap. VI. II Labrum

brum æneum ex ſpeculis mulierum confectũ, Exod. XXX. 15. XXXVIII. 8. ex qvo Sacerdotes ſacra facturi manus pedesqve abluebant. Hujus loco repoſuit Salomon Mare æneum, qvod bis mille batos. I. Reg. VII. 26. ſeu ter mille metretas II. Par. IV. 5. capiebat, figurâ hemiſphæricâ, exterius cælaturis ornatum, à ſpira & XII. bobus ſuſtentatum. Huic mari æneo adjecit idem Salomon X. luteres, minoris amplitudinis in conchali forma XL. batos continentes, ad hoſtias abluendas I. Reg. VII. 27 ut & alia vaſa minora, lebetes videlicet ad ſuſcipiendos cineres, forcipes & fuſcinulas ad ligna ardentia diſponenda, ſcutras deniq; & hamulas, qvibus ignis ſanctus de altari holocaumatum veſpere & mane ad ſuffitum in altari thymiamatis faciendum deferebatur. In hoc etiam atrio Sacerdotum, ante ipſum templi, qva parte Sanctum erat, veſtibulum duas columnas æneas erexit Salomon, alteram à ſiniſtris Booz, alteram à dexteris Jachin, XII. in circumferentia cubitorum I. Reg. VII 21. altitudinis XXXV. cubitorum II. Par. III 15. Tandem in media atrii parte, II. Par. VI. 13. Baſis ænea qvinqve cubitos longa atqve lata, tres verò alta, à Salomone conſtituta eſt, qvæ formam ſumtuoſi cujusdam ſuggeſtus retulit, de qvo Salomon, vidente atqve audiente populo, orare ac loqvi poterat.

XI. Qvænam ſunt illæ perſonæ, qvæ in tabernaculo & deinde in Templo Salomonis ſacra fecerunt?

Ut uno verbo reſpondeam, ſunt Levitæ, qvorum diſtinctionem & officia jam in Eccleſia Patriarcharum qvæſtione XXII. cognoviſti. Inter illos præ reliqvis conſpicuus fuit ſummus Pontifex ſeu Sacerdos Magnus, cujus veſtes Exod. XXVIII. & XXXIX. & à Joſepho libro III. c. VIII. deſcribuntur hac forma: I. Ephod, ἐπῶμις ſeu Amiculum ex auro, purpura, hyacintho, cocco & byſſo confectum. der Leibrock/ ab humeris usqve ad lumbos dependens, in cujus lateribus humeralibus duo lapides onychini XII. nomina filiorum Iſrael continebant, & ſecundum Joſephum libro III. cap. IX qvoties litatum eſſet, fulgorem præter naturam ſuam emittebant. II. Pectorale, das Schildlein/ τὸ λογεῖον, amiculo annectendum XII. gemmis XII. Patriarcharum nomina mirando artificio in qvatuor ordinibus diſtincta oſtendens, & inſigni illo voluntatis DEI nuncio conſpicuum, qvem Urim & Thumim vocant: De eo, qvid fuerit, cum admodum diſcrepent Theologorum ſententiæ, nos qvoqve illud: Non ſatis liqvet; libenter profitebimur. III. Pallium hyacinthinum,

Bened. Arrias Montan. in Antiq. Judaic. Jacob. Juda Leo de Veſtib. Sacerd. Braunius de Veſtib. Sacerdot. & Lundii Hoher Prieſter.

num, der Seyden Rock/ ſine manicis ultra genua protenſum, inconſutile crebris circumcirca tintinnabulis reſonans IV. Lamina frontalis aurea, das Stirnblat/ in forma ſemicirculi aut coronæ mediæ cum hac inſcriptione: Kodesch la Jehova, id eſt, SANCTITAS JEHOVÆ. V. Tunica talaris ocellata linea ſeu byſſina, itidem inconſutilis, der enge Rock. VI. Cydaris ſeu mitra è byſſo rotunda. VII Baltheus ejusdem materiæ & artificii cum Ephod atqve pectorali, operis Phrygionici, qvo veſtes, ne diffluerent, conſtringebantur. IIX. Feminalia linea, à renibus ad femora carnem turpitudinis operientia. Ex his omnibus qvatuor veſtimenta poſteriora fuerunt ſummo & reliqvis ſacerdotibus communia; qvatuor autem priora non niſi Pontifici: ita tamen, ut & ſacerdotum minorum veſtitus paſſim Ephod dicatur, aſt non ſericus ſed linteus. Conſecrationem autem ſummi ſacerdotis, vide Exod. XXIX. & Levit. IIX. Conditiones & qvalitates Levit. XXI. Officia Lev. XVI. Sed ſacerdotum reliqvorum conditiones qvære Lev. X. 6. XXI. 1. Ezech. XLIV. Officia collige ex Eccleſia Patriarcharum, qvæſt. XXIII. Ordines XXIV. qvi ſinguli ſuum habebant ἀρχιερέα ſeu principem, Marc. XVI. Esdr. IIX. Act. III. diſce ex I. Par. XXIV. Cæterum Levitarum ordo duplex fuit, alter à Moſe, Num. I. & IV. alter à Davide I. Par. XXIII. inſtitutus. Uti autem Moſes iis in genere curam tabernaculi, ut id cum omni ſuppellectile qvadragintà illis peregrinationis annis portarent, ejusqve curam haberent, commendavit, ita arcæ ferendæ onere ſublato, David alios ex iis fecit ſacerdotum & templi miniſtros, numero XXIV. mille; alios Cantores, IV. mille; totidem etiam Janitores; alios deniqve Scribas & Judices, VI. mille. Confer II. Par. IIX. XXIX. XXXI XXXV. De Nathinæis autem ſeu Gabaonitis, omnium Levitarum miniſtris: vide Esdr. II. I. Par. IX. Joſ. V. IX. XX. Tandem Nazaræorum hiſtoriam, qvi valedicentes negotiis prophanis ad tempus certum ſe totos Deo devovebant, & certis votis conſecrabant, vide Num. VI. Thren. IV. 7. I. Macc. III. 49. Qvinam autem Rechabitæ fuerint, & qvomodo ratio vivendi iis à patre Jonadabo, filio Rechabi præſcripta ſit, ne vinum biberent, neve agros & vineas colerent, nec domos ædificarent, ſed in tabernaculis habitarent, lege I. Par. II. & Jerem. XXXV.

XII. Dic jam qvædam de Sacrificiis Moſaicis.

Franzius in Schola Sacrificior. Menochius Lib. 2. de

Qvicqvid DEO obtulerunt Judæi, Corban in genere dixerunt: Animalia autem, ſive ex volatilibus, ſive ex qvadrupedibus in victimas oblata vocarunt Zebach ſeu ſacrificia: Fruges deniqve aut ſuccos terræ, ſiu-

fructusq; fruticum Mincha appellarunt. Sacrificia qvod attinet, illa fuerunt I. Holocauſta Brand-Opffer/ qvæ præter unam pellem, qvæ ceſſit Sacerdotibus, cremabantur tota, fiebatqve ex bove, vitulo, ariete, capro, hirco, turturibus & columbarum pullis Lev. I. & VI. Cujus ſpecies erant juge Sacrificium, in qvo ſingulis diebus manè & veſperi duo agni anniculi mactabantur, & thure adolito, ſimila atqve oleum offerebatur, Exod. XXIX. Holocauſtum Sabbathi, in qvo juge ſacrificium duplicabatur, & panes novi cum ſale & thure in menſa aurea apponebantur, & Holacauſtum Neomeniæ, in qvo præter juge ſacrificium offerebantur duo juvenci, ſeptem agni, anniculus aries, libamentum vini, & qvæ præterea ad Holocauſta reqvirebantur. II. Oblatio pro peccatis, Sünd-Opffer. Vitulus enim peccata totius populi & pontificis; hircus principis; capra ſive ovis privati divitis; duo turtures vel decima pars Ephah ſimilæ pauperioris peccata expiabant, Lev. IV. V. VI. III. Oblatio pro delicto ἐκ παραιρέσεως commiſſo, Schuld-Opffer: Cui præter hoſtiam arietis addebatur mulcta pecuniaria, Lev. VI. & VII. IV. Sacrificium conſecrationis, Einweihungs-Opffer/ qvo ſacerdotes inaugurabantur, vitulo pro peccatis, ariete in holocauſtum, & alio ariete impletionum oblato, Lev. VIII. Exod. XIX. V. Sacrificium expurgationis Reinigungs-Opffer/ qvo puerperæ, vel leproſi, vel feminiflui, vel menſtruatæ mundabantur. Lev. XII. XIII. XIV. VI. Sacrificium expiationis, Verſöhnungs-Opffer/ qvo prævio ſacerdos ſummus Sanctuarium ingreſſus eſt, oblato juvenco, ariete & duobus hircis, qvorum alter in deſertum mittebatur, alter cum juvenco totus cum pelle & ſtercore comburebatur, Lev XVI. VII. Sacrificium pacificorum, Danck- oder Gelübd-Opffer/ pro ſpontaneis votis faciendis, aut gratis agendis, ex vitulo, agno vel capra, Lev. III. & VII. Numerant etiam nonnulli inter ſacrificia agnum paſchalem, & vaccam rufam extra caſtra mactandam & comburendam, qvorum ille conſtituebat alterum V. T. ſacramentum. Exod. XII. hæc cineres ad aqvas aſperſionis ſuppeditabat, Num. XIX. Hiſce plerisqve ſacrificiis ſub legitima Mincha, ſeu ſacrificium cibatorium, ein Speiſe-Opffer/ addendum erat, Num. XXVIII. qvod conficiebatur vel ex ſimila ſeu farina nondum cocta, vel ex pane in clibano cocto, aut ſartagine frixo, aut craticula toſto, vel ex ſpicis ſeu granulis primitiarum, Lev. II. & XXIII. Num. V. Et qvia omne eſculentum, terra natum, qvod in cellis, horreis & Apothecis reponebatur, obnoxium erat oblationi, ex eo primitiæ de ſpicis, uvis & oleis, qvi fructus dicebantur Tabal, offerebantur.

Republ. Jud. c. 7. & ſeqq. Outramus de Sacrif. Judæor. U'mann. in Tractat. Talmud. de Sacrif.

tur in corbe,idqve vel ex legis præſcripto,Exod. XXIII. Num. V.vel ex voto ſpontaneo Num. XXVII. Qvò pertinent Manipuli ſpicarum, die Paſchatos; & panes fermentati, feſto pentecoſtes oblati. Lev. XXIII.ut & oblationes novalium, Deut. XXII. placentarum ſeu pulmentorum ex nova paſta, Num. XV. & primogenitorum,cum ex hominibus,Exod. XII. tùm ex animalibus, Exod. XXII. Theruma & Decimæ non niſi de frugibus elaboratis, qvalia ſunt frumentum vannatum, muſtum & oleum. offerebantur. Theruma, qvam Græci ἀφαίρεμον ſeu ἀφορισμὸν; alii oblationem; moderni Judæi eine Abſcheidung/ interpretantur, non minor debebat eſſe parte frugum qvadrageſima, aut ad minimum ſexageſima, ut Joſephus Scaliger in Epiſtolis ex vetuſtiſſimis νομοδιδασκάλοις deduxit. Hac delibatione de univerſitate fructuum facta,& ſacerdotibus tradita,de reliqvo acervo Decima dabatur Levitis,Num.XVIII. & dicebatur Decima prima Tob. I.7. ſecundum textum Græcum, qvi variat à verſione Latina & Germana. De ea Levitæ Decimam dabant Sacerdotibus, Num. XVIII 26. qvæ dicitur Decima Decimæ, ſeu Theruma Decimæ, & qvæ ſuperſtes erat, tanqvam profanum.qvovis loco abſumere poterant,Num.XVIII.31. Qvod autem reliqvum erat colono deTheruma & Decima prima.de illo rurſus alteraDecima detrahebatur. Tob.I.7.Deut.XIV,22.Lev.XXVII.30. qvâ veſci non licebat, niſi coram DEO, intra ſepta templi in atrio. Nam aut Hieroſolyma portanda erat,aut, ſi longior via eſſet, à colono divendebatur, atqve ex pecunia victimæ, vinum, oleum Hieroſolymis coemebatur, ut ex illis epulum χαριστηρικὸν inſtrueretur, Deut. XIV. 24. Sed qvando illa ſecunda Decima divendebatur, qvinta pars Decimæ inſuper adjici conſvevit, Lev. XXVII.31. Itaqve ſecunda Decima,qvæ erant X. de C. in adæratione fiebant XII. Exemplum apponemus ex ipſo Scaligero.

6000	Proventus anni unius.
100	Theruma magna Sacerdotibus tradenda.
5900	Reſiduum bis decimandum.
590	Decima prima, qvæ erant profana Levitarum.
59	Decima Decimæ, Theruma Decimæ, ſacerdotibus danda à Levitis,
531	Reſiduum Decimæ primæ, detractâ Decima Decimæ, qvæ erant profana præparata Levitarum.
5310	Profana coloni.
531	Decima ſecunda de profanis coloni.

4779 Pro-

4779 Profana Coloni præparata ſeu deducta.
1121 Utraqve Decima conjuncta qvæ eſt ad 5000 ut 19. ad 100.

Hinc patet XIX. de C. poſt Therumam à colono præſtanda fuiſſe. Sed de illis IX. illi adærare licebat; X. tenebatur convehere Hieroſolyma in Apothecas templi, vel ipſe, vel per ſuos Apoſtolos: ubi eam cuſtodiebant, & diſtribuebant Levitæ, II. Par. XXXI.5. & 11. Tertio tamen & ſexto anno Hebdomadis hæc Decima, qvam diximus primam, in horrea, cellas & Apothecas coloni condebatur, ut Levitis, viduis & orphanis & advenis in oſtio coloni erogaretur, Deut. XIV. 28. Et ob id etiam dicebatur Decima pauperis, in annis III & VI. qvæ in annis I II.IV.& V. dicebatur Decima prima. Septimo anno nullæ Primitiæ, nullum Theruma, nullæ decimæ perſolvebantur ob ceſſationem agricolationis, qvam etiam hodie obſervant Judæi, ubicunqve locorum agros & hortos poſſident. Sed decimas ſolvere non tenentur, niſi in terra Iſrael, qvæ cùm illis, templo diruto, ademta ſit, non tenentur ad primitias, Terumoth, & Decimas.

XIII. Perplacet hic de Decimis ex Scaligero diſcurſus. Nunc libet Feſta Iſraelitarum cognoſcere.

Ea ſane erant varia. I. Hebdomadarium, ſeu Sabbathum, de qvo vide leges Gen. II. 2. Exod. XX. & XXIII. II. Menſtruum ſeu Neomenia, primus dies cujusq; menſis. Num. XXIIX. III. Septennale, ſeu annus Sabbatharius, ſeptimo anno celebratus, qvo cultus agrorum & vinearum ſuſpendebatur. Exod. XXIII. Lev. XXV. IV. Qvinqvagennale, ſeu annus Jubilæus, annus libertatis & buccinæ, annis ſepties ſeptem exactis celebratus, ſervis manumiſſionem, ære alieno preſſis paternam hæreditatem reſtituens. Lev. XXV. V. Annua, non unius generis, & inter ea inprimis Paſcha, ſeu dies & ſolennitas infermentatorum & azymorũ, in memoriam exitus ex Ægypto, die XIV. menſis primi in plenilunio, qvod proximè æqvinoctium ſeqvitur, celebratum. Exod. XII. In hac feſtivitate ſeptem diebus comedebantur panes infermentati; & præterea primo die agnus Paſchalis anniculus abſumebatur; ſecundo primitiæ qvædam frugum, manipuli ſcilicet ſpicarum, hinc inde in agro maturarum collecti, offerebantur, ut, illis à ſacerdote elevatis coram DEO, poteſtas fieret populo poſthac ſpicas in cibum evellendi, cum antea vel unam ſpicam comedere nemini licitum eſſet. Lev. XXIII.

Menoch. lib. 3. de Republ. Jud. cap. 5. & ſeqq. Thummius & Dreſſer. de Feſtis Judæor. Hoſpinian. de Feſt. Judæor. &c. Jonſthon Schediaſm. de Feſt. Judæor.

XXIII VI Feſtum Pentecoſtes, ſeu ſolennitas primitiarum omnium in agro ſeminatarum, ut vocatur Exod. XXIII, 14 qvinqvageſimo à Paſchate die celebratum, in memoriam Decalogi promulgati, ut Franzius libro de interpretatione Scripturæ in oraculo CXXI. copioſe demonſtrat, ſed ita, ut circa tempus, qvo falx mittitur in ſegetem, Mincha nova, ſeu ſacrificium cibatorium novum, panes videlicet duo, ex decimis duabus ſimilæ vel farinæ fermentatæ cocti, Domino in primitias offerrentur, & coram eo elevati poſtea cederent in uſum Sacerdotum, poteſtasqve fieret Iſraelitis, poſthac panes in uſum familiæ coqvendi & præparandi. VII. Feſtum expiationis, qvo ſummus Sacerdos die X. menſis VII. ſanctuarium ingrediebatur, ad renovandam memoriam Idololatriæ in vitulo aureo commiſſæ, & remiſſæ. Lev. XVI. & XXIII. Cujus Paraſceve & præparatio erat Feſtum clangoris ſeu tubarum, primo VII menſis die inſtantem expiationis feſtivitatem denuncians Lev. XXIII. Clauſula verò Feſtum tabernaculorum ſeu Scenopegiorum à XV. die menſis ſeptimi ſub ſcenis ex frondibus contextis per octiduum, in memoriam vitæ in deſerto actæ celebratum. Illorum ſcenopegiorum ultimus dies dicebatur Feſtum Collectæ, Lev. XIII. 36. vel & Feſtum concionis & celebrationis magnæ, in qvo ceſſabant ab omni opere ſervili & holocauſta in odorem ſvaviſſimum Domino, inqve expiationem pro peccato offerebant. Num. XXIX. 36. Fuerunt & alia feſta minus ſolennia, ut Feſtum Phurim ſeu Sortium, in memoriam Judæorum à Mardacheo ſervatorum. Eſth. IX. 17. II. Maccab. XV. 37. Encænia ſeu Feſtum dedicationis in memoriam templi dedicati, I. Maccab IV. 59. Joh. X. v. 22. Feſtum expiationis arcis I. Maccab. XIII. 51, Feſtum Xylophoriorum Neh. X. 34. Joſeph. lib II. de bello Jud. cap. XVII. Planctus filiæ Jephthæ, Jud. XI. Feſtum victoriæ Judithæ, Judith. XVI. 31. Qvæ omnia maximam partem paulatim oblivioni tradita ſunt. Cæterum ſextuplicia jejunia Judæi hodienum celebrant I. obſeſſionis Hieroſolymitanæ. II. Occupationis. III. Deſolationis. IV. Gedoliæ in Judæa relicti & interfecti. V. Heſteræ, in memoriam triduani illius jejunii Heſteræ ad Regem acceſſuræ. VI. Fractarum tabularum legis.

XIV. De legibus Moſaicis jam cupio informari.

Sed cogites, me non commentario prolixo libros Biblicos illuſtrare, ſed hiſtoriis ſaltem lumen ex iis qværere: Ideoq; ut leges Moſaicas omnes in

in breve compendium redigam, ne poſtules. Fecerunt id tamen Alſtedius in Encyclop. Bibl. Cornelius à Lapide in fine comment. in Pentat. Majemonides in Doctore Perplexorum: qvos, ſi placet legere, potes. Interim leges V. T. in triplici dico eſſe differentiâ, ut aliqvæ ſint morales, nonnullæ ceremoniales, reliqvæ forenſes. Morales, nunqvam abrogandas, ſuo ipſius digito non ſaltem in tabulis Moſis lapideis, ſed in ipſam etiam mentem noſtram DEUS inſcripſit: Ceremoniales ad tempus ſaltem durare voluit, qvarum cognitionem ex ſuperioribus facilè potes haurire; ſi addideris præcepta de diſcrimine animalium mundorum & immundorum Lev. XI. Deut. XIV. de immunditie Levitica Lev. XV. de eſu ſangvinis & morticini prohibito, Lev. XVII. De veſte ex lino & lana contexta non gerenda, Lev. XIX de hædo in lacte matris non coqvendo, Ex. XXIII. & ſi qvæ ſunt aliæ. Forenſes tandem DEUS leges ita adornavit, ut & domeſticam diſciplinam & civilem ſocietatem, pro ratione populi Judaici rectè conſtitueret. & qvid cum peregrinis, qvid cum hoſtibus, qvid cum concivibus agendum eſſet, diſtinctè præciperet. Hinc Idololatras, blaſphemos, maleficos, Sabbathi tranſgreſſores, adulteros homicidas, plagiarios juſſit occidi; ſervos certo tempore manumitti; conjugium ratione ſangvinis habita inire; novos conjuges primo anno oneribus publicis haut premere; viduas fratri mariti defuncti nubere, fures qvintuplum & qvadruplum reſtituere, uſuras non exercere, Evnuchis officia haut committere. Sed qvis omnia ex tanto Oceano exhauriret?

Steph. Menoch. lib. 5. de Republ. Jud. tot. Hotting. de Legib. Ebræor. Conſt. l' Empereur, de Legib Jud. forenſib Joſuæ Arndii Collatio Legis Moſaicæ cum Jure gent. & civili.

XV. Videor mihi tuo ductu in librorum Moſaicorum, qvin totius V. T. lectione, facilius progreſſurus: Nunc, ſi placet, ad continuationem Hiſtoriarum regrediamur.

Moſe è vivis ablato, Joſua ejus ſucceſſor multiplici DEI colloqvio, & viſo DEI Angelo, evaginatum gladium vibrante, confirmatus, ſpeculatores Hierichuntem præmiſit: qvos Rahab, ſive meretrix, ſive, qvod aliqvi malunt, fœmina cauponariam exercens, conſervavit. hac ſua fide merita, ut inter Chriſti majores numeretur. Cumqve exploratores loci & incolarum indolem renunciaſſent. Joſua meſſis tempore, die decimo primi menſis, qvi incidit in XIX. Aprilis, cum Jordanes aqvis auctus pleno flueret alveo, eum mirabiliter exſiccatum cum popu-

Joſuæ c. 3. 6. 9. 10. 13. 15. Joſeph. l. 5. antiq. c. 1. ſeq. l. 5. c. 1. ſeq. Euſeb. l. 9. præpar. Evang. c. 4 Seder. Olam. c. 11. Sulp. Sever. lib. 1. Hiſt. Sacr. c. 41.

Jo tranſiit, & monumentum XII lapidum, qvos ſinguli tribuum principes ex alveo ſuſtulerant, in Gilgalis erexit, populoqve nunc demum poſt exitum ex Ægypto circumciſo, & tertio Paſchate celebrato (primum enim in exitu ex Ægypto, alterum ſeqventi anno ad montem Sinai comeſtum fuit) Manna pluvialis defecit, & arca fœderis aliqvoties cum buccinarum clangore mœnibus Hierichuntinis ab omni parte in circuitu admota, urbem ab imis fundamentis diruit, & præter Rahabem omnes, urbe incenſa trucidati ſunt. Sed qvod Achan qvædam ex præda contra DEI mandatum abſconderat, paulò poſt Iſraelitæ, ab Ainitis fuſi, fugatiqve ſunt: qvos tamen Achano ad ſupplicium, ſacrilego dignum, rapto, mox exſciderunt. Gabeonitæ verò, cognitis Joſuæ victoriis, pacem ab Iſraelitis callidiſſimè impetrarunt, & qvia fraude ſocietati ſeſe eorum inſinuarant, miniſteriis tabernaculi publicis deputati, & Nathinæi dicti ſunt. Qvos cùm Adoniſedechus, Rex Hieroſolymarum, cum qvatuor aliis ſociatis Regibus, ob factam à ſe defectionem obſideret, Joſua grandine adjutus, & Solis atq; Lunæ, adeoq; totius cœli ſyſtematis curſum deprecatus, reges confœderatos debellavit, trucidavit, eorumqve urbes expugnavit, & victoriis novas ſuperioribus addens XXXI. in univerſum Reges, ut S. Scriptura teſtatur, qvos regulos, ſingulis præfectos urbibus novimus, ſubegit, omnemq; eorum terram ſibi ſubjectam tribubus ſorte diſtribuit, tandemqve tabernaculum Silunte erexit. Nec tamen ſingulæ tribus omnem terram ſibi aſſignatam ſtatim occupare poterant, DEO iis hoſtes, munitiſſima oppida incolentes, ſupereſſe volente, cùm ut probarentur Jud III. 4. tum ut erudirentur in bellis, Jud. III. 1. tùm deniq; ne terra in ſolitudinem uno impetu redacta à feris infeſta redderetur. Exod. XXIII 29. Cumq; Joſua exercitum Rubenitarum, Gaditarum & dimidiæ tribus Manaſſenſium, qvi agro ultra Jordanem jam antea adepti, reliqvos in occupanda terra hactenus juverant, dimiſiſſet, altare illi trajecto Jordane erexerunt, & præterea à cultu Jehovæ vero ritibusq; patriis receſſiſſe viſi, bello petiti fuiſſent, niſi ſe ſuſpicione liberaſſent, cauſati, altare illud, non ad holocauſta offerenda, ſed in monumentum erectum fuiſſe, qvo poſteri admonerentur, iis etiam, qvi cis Jordanem habitant, partem eſſe in Domino. Tandem Joſua decrepitus, graviſſima oratione de beneficiis DEI, ejusqve vero cultu habita, & erecto ſub qvercu lapide obſignatâ, piè defunctus eſt, anno ætatis CXX. principatus XXV. ut teſtatur Joſephus lib. V. cap. 1.

XVI. Qvi

XVI. Qvâ Reipubl. formâ, Joſua defuncto, uſi ſunt Iſraelitæ?

Cura Reipubl LXX. optimatibus commiſſa fuit, qvi, ſi in delibe rationem gravis controverſia forte incideret, ipſum qvoqve populum advocarunt, nec abſqve eo vel bellum hoſti indixerunt, vel rem alicujus momenti niſi ad populum relatam, confecerunt Jud. XX. 1. Hinc qvamprimum Joſua fatis ſuccubuiſſet, totus populus, oraculo ſacro conſulto, Calebo ex tribu Judæ oriundo primas belli adverſus Chananæos partes ſuſtinendas concredidit. Et Caleb, à tribu Simoneida adjutus, primùm Regem Bezechi, qvi LXX. Regibus (nos populi primores appellamus) à ſe bello victis, manuum ac pedum ſummitates olim amputaverat fugavit, & corpore eadem ratione mutilato graviter afflixit: Deinde Hieroſolymorum partem inferiorem cepit. Nam Jebuſæi, naturâ loci adjuti, munitiorem eorum partem usqve ad Davidica tempora tenuerunt. II. Sam. V. 6. Porrò in Chananæos loca montana incolentes, movit, & Hebronem ſeu Cariath Arbena tribus gigantibus celebrem, ut & Debirem ſeu Cariath Sepher, illam literarum civitatem, expugnavit: qvâ ipſa in expeditione Athniel, qvi primus urbem conſcenderat, gener Calebi factus eſt. Tandem Gazam, Aſcalonem & Accarum, tres munitiſſimas Palæſtinorum urbes, Caleb cepit. His victoriis omnibus erecti Judæi, etſi auxiliares Simeonidarum copiis adjuti, reliqvos hoſtes, uti juſſi fuerant, potuiſſent exſcindere, Ioſephitis etiam, Bethele inſidiis occupato, mandata DEI facile fuiſſet exeqvi, tamen & ipſi, & reliqvæ tribus duplici ſe ſcelere obſtrinxerunt, cùm, qvia qvos vitâ DEUS indignos Num XXXIII. Deut. VII. & XX. Joſ XXIII. cenſuerat, iis ignoſcebant, tùm qvod vero DEI cultu neglecto Idolis gentium delectabantur.

Joſ. XIV. 6. XV. 13. 14. Jud. I. 10. 11. Sirac. XLVI. v. 9. 10. 11. Joſeph. lib. 5. antiq. Jud. cap. 5.

XVII. Ideoq; antiqvum obtinuerunt Hebræi: Sed qvid ad illam impietatem Zelus Domini?

Qvid opus eſt qværere, cùm ſe deſerentes non poſſit non deſerere? Hinc, qvod ultimis libri Judicum capitibus per hyſterologiam prolixè deſcribitur, Micha Euphraimites Idolum præpoſterâ pietate ſibi fabricavit, & Danitæ, qvi ſortem ſuam, ab Amorrhæis præpediti, occupare neqviverant, novas ſibi ſedes ad radices Libani qvæſituri, idolo ſecum ablato aliena impietate ſe alligavere: Gabaëni etiam, contra jus hoſpitalitatis, Levitæ cujusdam concubina ad mortem usqve abuſi fuerant. Cumqve fœminæ cadaver, in XII. partes diſcerptum, horrendo ſpectaculo

culo ad tribus Iſraeliticas mitteretur, populusqve ad vindictam inflammatus ſontes ad ſupplicium poſceret, Benjamitæ ſceleſtos adulteros impiè foverunt, & reliqvas qvidem tribus bis in fugam conjectas, magno numero ceciderunt, ſed tandam ex inſidiis ſuperati præter ſexcentos, qvi per medios hoſtes viam ſibi fecerant, ad unum omnes obtruncati, & oppida eorum devaſtata ſunt. Populus tamen miſericordia motus, cùm antea connubia cum Benjamitis jurejurando interpoſito vetuiſſet jungere, ne nobiliſſima tribus penitus exſcinderetur, permiſit, ut ſexcenti illi ex acie ſuperſtites uxores ſibi impunè raperent. Hæc & multa alia ſcelera, qvibus cùm in homines, tùm in Deum indigna committere, Diisq; atqve Deabus gentium, qvos ſcriptura Baalim & Aſtharoth nominat, ſervire & conjugia divinitus prohibita miſcere non ſunt veriti, juſtæ exceperunt clades, & peregrini Reges ſubindè gravi eos preſſerunt ſervitutis jugo, qvod non niſi delictorum pœnitentiâ ducti potuerunt excutere. Nam qvoties divinum auxilium, ad preces confugientes ſollicitarunt, DEUS, in extremis periculis Eccleſia verſante, Heroico impetu qvosdam armavit, Judicum nomine in Scriptura vocatos, qvi populum tyrannide vicinarum gentium preſſum in libertatem aſſererent. Ut autem laborem noſtrum in compendium vocem, omnes illos Iſraelitarum Judices, & omnia Eccleſiæ fata, qvibuscum usqve ad Davidem colluctati ſunt, una tabella comprehendemus.

Abul Phar. Dynaſt. 2. p. 25. Sulpit. Sever. lib 1. Hiſt. Sacr. c. 47. Torniell. & Salian. in Annalib.

CATALOGUS JUDICUM ISRAELITICI POPULI.

	A mundo condito ad diluvium anni	1656
1656	Hinc ad Abrahamum præcisè anno ante C. N. bis milleſimo natum	292
1948	Hinc ad Iſaacum natum	100
2048	Hinc ad Jacobum natum	60
2108	Qvi vixit	147
2255	Hinc ad Moſen natum	117
2372	Qvi vixit	120
2492	Hinc Joſua ſecundum Joſephum præfuit	25

2518 Hinc ad mortem primi Iudicis ATHNIELIS, qvi fuit Calebi ex fratre nepos & gener. Joſ. XV. 40.

(Hi XL. anni ita diſpeſcendi ſunt, ut dicamus, Optimates, qvorum tempore contigit ſub Chuſane Aſſyrio, rege Meſopotamiæ, PRIMA SERVITUS octennis, poſt Joſuam genti Judaicæ annos XX. præfuiſſe; deinde

de autem Athnielem, ſeu, ut vocat Joſephus, Genizum, libertatis patriæ vindicem, gubernacula Reip. ſuſcepiſſe, qviſqvod Debiran urbem Gigantum expugnaſſet, à ſocero Calebo dotem ampliſſimam ante id acceperat; nunc autem temporis ab Iſraele jugum Chuſanis feliciter excuſſit.)

2558 II. Hinc ad mortem ſecundi Judicis Phudi ἀμφιδέξιυ ſunt anni 80

(Hoc octuagenario tempore plura contigere. Nam I. Eglon rex Moabitarum, copiis Ammonitarum & Amalecitarum auxiliatricibus adjutus, in SECUNDAM SERVITUTEM abripuit Iſraelitas. & Hierichunte capta, eos duo de viginti annos jugo preſſit valido. II. Sed Ehud Benjamides, qvem Joſephus Joden vocat, Eglone ex inſidiis trucidato, copias hoſtium cæcidit, & imperium eorum excuſſit feliciter. III Circa qvæ tempora fames illa contigiſſe videtur, qvâ impulſus Elimelech cum uxore Naemi ad Moabitas confugiens, cum duobus filiis, qvi Moabitidas, Orpham & Rutham, duxerant, in vivis eſſe deſiit. Sed pia vidua Ruth cum ſocru terram ingreſſa Iſraelitarum, cùm ſpicas in agro divitis Boozi, conſangvinei Elimelechi, paupercula legeret, ſecundas nuptias feliciores ex lege Moſaica obtinuit, & ex grandævo Boozo Obedum, avum Davidis, peperit.)

2638, III. Samgar, immenſo facinore DC. Palæſtinos pedo paſtorali (qvod alii interpretantur arma pro tempore oblata) obtruncavit, & ſuis ita ab injuria vicinorum liberatis, paucos menſes Reip. præfuit. Jud. 4. 2 Jud. 3. v. 31.

2638 IV Hinc ad mortem Deboræ Prophetidis & Judicis, anni 40 Jud. 4. v. 15. 16. 21.

(Hanc Rabini dicunt fuiſſe lychnopœiam, qvæ ad ſacrarum lucernarum uſum lychnos confecerit: Sed fuiſſe uxorem viri, Lapidoth dicti, omnes Græci Latiniqve patres, cum pleriſqve Theologis noſtratibus, exiſtimant. Sunt tamen qvi eam ideo Jud. IV. 4. dictam eſſe mulierem Lapidoth cenſent, qvia divinis fuit illuminata ſplendoribus. Jam TERTIO, ut ſcelerum pœnas luerent, in vicenariam ſervitutem abrepti, & qvidem à Jabino, rege Aſſoris Chananæorum, tributum pendere juſſi fuerant Iſraelitæ. Sed cum, autore Debora, BARACUS adverſus Siſſeram Jabini ducem exercitum tumultuariè collectum educeret, hoſtiles copiæ terrore cœlitus incuſſo fuſæ; Siſſera à Jahele, ex proſapia Jethronis Cinæi oriunda, clavo per cerebrum adacto interfectus; ipſe etiam Rex Jabin penitus à Baraco deletus eſt.)

2678. V. Hinc usqve ad mortem Gedeonis, patris LXX. filiorum 40.

Jud. 6. v. 11. c. 7. v. 13. c. 8. 22. (Vix emerſerant Judæi ex Chananæorum tyrannide, cum Midianitæ, cum Amalekitis ſociati, univerſam terram ferro & igni miſerandum in modum vaſtatam, & integro ſeptennio in prædam haberent, & tanqvam QVARTA SERVITUTE affligerent. Sed Gedeon, qvem ob aram Baalis, juſſu Angeli everſam, Jerobaalem nominabant, cœlitus excitatus, libertatis publicæ egregius aſſertor repentè extitit, & ſigno roris atq; velleris confirmatus, exercitu ad aqvas probato, cum CCC. Viris, tubarum clangore, fictilium ſtrepitu, lampadum fulgore, militumqve clamore, hoſtes, ut mutuis ſeſe vulneribus conficerent, terruit, & incredibili ſtrage, qvâ CXXXV. millia occubuerunt, editâ, regibusqve eorum qvatuor necatis, penitus contrivit. Tanta victoria clariſſimus Gedeon rem commiſit pio imperatore indignam, & cultum DEI à vera pietate alienum, in ſuæ poſteritatis & totius populi ruinam, introduxit.

Jud. 8. v. 31 c. 9. v. 4. 5. & 34. 53. & ſeq. 278 VI. Abimelech ex pellice Gedeonis filius. 3

(Hic, præter Joatham celeri fugâ ſervatum omnibus LXX. fratribus interfectis, tyrannidem affectavit, ipſosqve Sichemitas, qvorum auxilio imperium obtinuerat, exſcidit, &, tandem in oppugnatione Thebezi ſaxo ſupernè à fœmina percuſſus corruit.)

2711. VII. Thola Iſaſcharides, Jud. X. 23

Jud. 10. v. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 2744. IIX. Hinc Jair Manaſſæus, XXX. liberorum Pater, & totidem urbium Dominus. 22

(Anno hujus XVII. Iſraelitæ abripiuntur in QVINTAM SERVITUTEM, qva XIIX. annos ad tributa & ſervitia præſtanda à Palæſtinis & Ammonitis damnati ſunt.)

Nota ergò ex annis Qvintæ ſervitutis. 13

Jud. 11. v. 1. 2. 3. 21. 32. 2779. IX. Jephtha è pellice natus, & ob id qvondam à fratribus domo paterna ejectus, tandem contra Ammonitas à Galaaditis Dux expetitus. 6

(Hic voto facto de eo immolando, qvod domum feliciter reverſo primum occurriſſet, Ammonitas, qvibus pacem perſvadere neqviverat, egregia victoria repreſſit, & Jephten filiam, qvæ prima victorem gratulabunda exceperat, aut immolavit, qvod tamen leges non permiſerunt, aut ad cœlibem vitam damnatam, DEO conſecravit. Paulo poſt in Ephraimitas gravi ſeditione inſurgentes movit, partaqve victoria vada Jordanis occupavit, atqve ex vocis Schiboleth pronunciatione agnitis Ephraimitis, numero XLII. millia jugulavit.)

2785

2785 X. Ebzan Bethlehemites pater XXX. filiorum, & totidem filiarum, totidemq; generorum ſocer. 7

2792 XI. Elon Sebulonides. 10

2882 XII. Abdon, pater XL. filiorum, & avus XXX. nepotum. 8

(Hujus tertio anno Iſraelitas in SEXTAM & graviſſimam ſervitutem Palæſtini, qvinqve illis ſuis ſatrapiis ſeu regiis urbibus, Azoto, Gaza, Aſcalone, Geth, & Accarone, maximè conſpicui, abripuere, qvos fregit Simſon, David tandem perdidit.)

2810 XIII. & XIV. Simſon & Eli. 40

2851 XV. Samuel. 24

XIIX. Qvid cauſæ eſt, qvod Samuelem & Eli in idem tempus conjungis?

Id facio autoritate Chronologorum præſtantiorum, ne tricis impediar, qvibus alii. Ideoqve cum in Scriptura Simſon dicitur XX; Eli XL. annos Iſraelem judicaſſe, intelligendum id eſſe judico de extraordinario Simſonis; de ordinario verò Eli, tanqvam ſummi Sacerdotis, & LXX. ſeniorum Præſidis judicio. Aut, ſi mavis, Simſone defuncto, Eli, qvi hactenus Pontifex fuit, Judicis nomen dignitati Sacerdotali adjungere cœpit. Helvicus in Theatro Hiſtorico, & Joſephus Scaliger, ut annos XX. Samſoni, & XL. Eli Sacerdoti aſcribere poſſint, Joſuæ & Athnielis annos in tempus qvadragenarium conſtringunt. Sed res eodem recidit, & eadem, ſi qva eſt, difficultate laborat.

Torniell. An. 2901. n. 1. ſeq. Salian. A. 1940. num. 1 ſeqq.

XIX. Redige qvæſo Hiſtoriam Simſonis & Eli in compendium.

Simſon, qvi videtur 1. Sam. XII. 11. vocari Bedan, qvaſi filius Dan, ut matri ſterili divinitus fuit promiſſus, ita DEO ab utero ſacer, fatalem aluit capillum, victus ſobrietate Nazaræum ſe profeſſus. Deinde cum adoleviſſet, robori prudentiam conjungens, plurimum nocuit hoſtibus: Nam ex nuptiis gentilibus occaſionem liberandæ patriæ qværens, ænigmate Leonis, nuda manu occiſi, in nuptiis uſus, cauſam invenit, cur Palæſtinos exagitaret, & facibus ad CCC. vulpecularum caudas annexis, ſegetem hoſtilem concremuit, graviterqve ſuæ gentis oppreſſores afflixit: Qvi tamen paulo poſt Simſonem à Judæis armata manu ad ſupplicium depopoſcerunt. Sed ille, ruptis repentè vinculis, putrida maxilla aſini ex hoſtibus circiter mille interfecit, & poſtea portas Gazæ, cui urbi illum incluſerant, cum ipſis clauſtris & vectibus revulſas, procul in

Jud. XIII. XIV. & XVI. Joſeph. lib. 5. Antiq. Jud. c. 10. Sulpit. Sever. lib. 1. Hiſt. Sacr. c. 52.

montem deportavit,tandemqve proditus ab infida conjuge, cum ſecretam ſui roboris cauſam amore victus aperuiſſet,in manus hoſtium devenit, & exoculatus multa paſſus eſt, donec, robore cum capillis renovato, in ludis publicis ædificio ſubverſo, tria hoſtium millia, ſeqve adeò ipſum oppri meret. Hinc Eli rebus populi præfuit, ſed in filios ἀθέους, avaros & libidinoſos indulgentior,animadverſionem divinam incurrit, ut, cum populus à Palæſtinis graviter cæſus arcam fœderis in prælium injuſſu DEI educeret, non tantum uno die binos filios, Hophni & Pinehan, cum XXX. millibus Iſraelitarum peremtos deſideraret, ſed & ipſe, cùm arcam Domini in hoſtium poteſtatem perveniſſe intelligeret, ſolio excuſſus animam ſenex exhalaret.

XX. Proh DEUM immortalem! Num ſanctiſſima fœderis arca, illud DEI ſcabellum, hoſtium ceſſit poteſtati?

Sed cùm videretur DEUS victus, vicit. Nam arca Azothum in ſpeciem trophæi in templum delata Dagonis, qvem putant fuiſſe Neptunum, ſuperiori parte corporis humanam; inferiore piſcis præ ſe tuliſſe ſpeciem, nocte prima idolum proſtravit, alterâ denuo proſtratum,& capite, manuumqve palmis truncatum,in ædis limen abjecit,&Palæſtinos non ſolum in podicibus morbo occulto percuſſit, ut dyſenterico cruciatu & ventris profluvio, alviqve projectione torqverentur, ſed & muribus immiſſis vexavit, à qvibus ſegetes atq; reliqvi fructus omnes ſunt depaſti. Palæſtini igitur cùm qvidem arcam captam ad placandam Numinis iram, per varias urbes fruſtrà deportaſſent,nec tamen ſe ſenſiſſent liberatos, plauſtro tandem novo eam impoſitam, & anathematibus ſeu monumentis qvinqve annorum & murium aureorum dotatam, vaccis nuper enixis uſi, in trivium deduxerunt. Atqve ita Arca vaccarum ductu Eccleſiæ eſt reſtituta.

XXI. Cum igitur Arca fœderis varia obierit loca, dic qvæſo, ubi tandem conſtiterit?

Torniell. An. 2940. n. 1. 3. 4. & A. 2990. n. 1. Salian. A. 2940. n. 8. & 12.

Commodè qværis: Nam lumen accedet hiſtoriæ Biblicæ, ſi arcæ, qvæ typus fuit noſtræ in terra peregrinationis, varias noveris deportationes. Circumiit I. per annos XL. omnia illa deſerti loca, in qvibus tanto tempore peregrinati ſunt Iſraelitæ. II. Subſtitit deinde in caſtris Gilgalis, non procul ab Hierichunte, in terra Chanaan, Joſ. IV. & V. poſt-

qvam

qvam Iſraelitæ Jordanem exſiccatum tranſiiſſent: & hoc in loco, ut Chronicon Hebræorum magnum habet XIV. annos permanſit III. Erectum eſt tandem ejus tabernaculum non procul ab Hieroſolymis Silunte, in tribu Ephraim, Joſ. XIIX. ibiqve plurimis permanſit annis, & ob id freqventes populi conventiones in hoc oppido celebratæ ſunt. Si Majemonidæ & Chronico Hebræorum dicto credimus, domus lapidea hic locorum exſtructa, & ſuper eam, qvia deerat tectum, aulæa tabernaculi expanſa ſunt; qvod confirmari videtur I. Sam. I. 9. & 24. ubi domus Domini in oppido Silunte fuiſſe dicitur. Cæterum ante dies Salomonis domus Domino negatur eſſe exſtructa, I. Reg III. 2. II. Sam. VII. 6. Ideoqve hac diſtinctione conciliata ſibi videtur Scriptura. Permanſit autem Tabernaculum Silunte CCCLXIX. annis, ſecundum prædictum Chronicon. IV. Hinc in prælium Palæſtinum educta eſt & capta, perq; urbes deducta, plagis occultis incircumciſos percuſſit, I. Sam. V. V. Cum autem Palæſtini eam remiſiſſent, in agro Joſuæ ad terminos Bethſames eſt recepta. Qvo in loco cum illam Bethſamitæ diſcoopertam vidiſſent, præter V. millia LXX. ex ſuis deſiderarunt. VI. Ideoq; I. Sam. VII. in domum Abinadab Levitæ; in colle, ſeu altiore oppidi Cariath-Jearim parte, deducta eſt, ubi annis XX. permanſit usqve ad tempora Saulis. VII. Qvi eam in caſtra, qvæ habuit circa Gabeonem in monte Silo non procul ab Hieroſolymis, deportari juſſit, I. Sam. XIII. 8. Unde tamen IIX. brevi pòſt iterum in Cariathjearim deportata eſt, in qva manſit usqve ad imperium Davidis. IX. Qvi eam II. Sam. VI. in civitatem ſuam deducturus, cùm Uza imprudenter illa tacta à Domino percuſſus fata obiiſſet, in domum Obededomi Gethei primum depoſuit. X. Deinde in civitatem ſuam ſeu arcem Sion deduxit. XI. Unde tandem à Salomone exportata, in templo Hieroſolymitano in monte Moria certam invenit manſionem I. Reg. IIX. Arcâ adverſus Palæſtinos, in prælium, ut diximus, eductâ, tabernaculum illa vacuum manſit Silunte: deinde translatum eſt in Noben. I. Sam. XXI. Nobe à Saule deſtructa, Gibeonem occupavit, ubi cum altari permanſit, & populus tabernaculum arca vacuum coluit, ut legere eſt I. Par. XVII. 39. II. Par. I. 3. donec Salomon illud in cœnaculis ſeu ſolariis templi, cum aliis jam obſoletis miniſterii vaſis, reponeret.

XXII. Invitat jam ad ſe Samuel Propheta ſtylum Hiſtoriæ.

1. Sam. I. 1. Chron. VI. 1. Sam. VIII. X. XVI. Joſeph. I. Ant. c. 11. & l. 6. c. 2. ſ. 9. Euſeb. præp. Evang lib. 9. c. 4. Sulpit. Sever. lib. 1. cap. 59. & 60.

Ille Levitico ortus ſangvine, ut fuit à DEO exoratus, ita DEO conſecratus, & à DEO vocatus, atqve Prophetico divinoq; Spiritu dotatus, Eli defuncto, Remp. Iſraeliticam tam piè tamqve prudenter adminiſtravit, ut 1. Sam. XII. 12. rectè gloriaretur, ſe, qvia injuriam nulli intuliſſet, nullius à qvoqvam criminis incuſari poſſe. Populo autem in Miſphat congregato, atqve expiato, miraculoſam prorſus tempeſtatem adverſus Palæſtinos precibus obtinuit, ut, qvod Joſephus dicit, terræ motu & hiatu multi abſumerentur, & qvidem cœcitate & amentia percuſſi. Etſi autem Samuel Judæis præerat feliciter, multisqve locis occupatis, ſuorum res laudabiliter augebat: cùm tamen filios ſuos, inconſulto Domino, Reip. præficeret, à populo compulſus eſt Regem conſtituere. Qvod cùm DEO ad poſtulata populi indignante feciſſet, & Saulem in thronum jam evexiſſet regium, didicerunt tandem Iſraelitæ, ſe imprudenter feciſſe, qvod meliores ſe inventuros eſſe reges ſperaverant, qvam DEUS poſſet invenire Judices. Nam qvia Saul hactenus in præliis felix, intempeſtivam clementiam in exſcindendis Amalekitis DEI anteferebat decretis, Samuel, qvi antea illum Regem unxerat, & Domini præſentiam in pluviis ſereno cœlo excitandis conteſtatus fuerat, I. Sam. XII. eum, ut verbo DEI immorigerum, non ſaltem graviter objurgavit, ſed & regiam ejus poteſtatem ad Davidem tranſtulit, & ita ſenex diem obiit.

XXIII. Cùm in Saulis hiſtoria multa occurrant cognitu digna, illa ex te audire allubeſcit.

1. Sam X. XV. XVIII. XIX. XXII. ſeqq. Joſeph. lib. 6. antiq. c. 8. 12. 14. ſeqq. Euſeb. lib. 9. præpar. Evang. cap. 4. Sulpit. Sever. lib. 1 Hiſt. Sacr. cap. 59. ad usqve 64.

Is origine fuit Benjamita, ſtaturâ corporis omnibus procerior, formâ egregius, animo infractus: Et aſinas qværens patrias, regnum invenit: Nam ad Prophetam & Judicem populi Samuelem, divinationis famâ præclarum, divertens, primus Iſraelitarum Rex inunctus & ſortitione per tribus & familias confirmatus eſt. Qvanqvam autem multis ab initio videretur tanto regno indignus, ſubitò tamen occaſio virtutes & heroicum animum exerendi eſt ei oblata. Naaſem enim Ammonitarum Regem, Jabeſinos ultra Jordanem in Gilead hoſtili obſidione fatigantem, egregia victoriâ ad qvam tribus Iſraeliticas, bobus diſſectis, & in omnes partes demiſſis, invitaverat, fudit: filiusqve ejus Jonathan præſidium Palæſtinorum in Gabea feliciter expugnavit, & cum hoſtes tripartito exercitu univerſam terram depopularentur, ſolus cum armigero in terrorem omnes conjecit, & patri victoriam peperit ampliſſimam: à qvo tamen, temeritate juramenti præpoſteri obſtricto, ultimo

timo pene fuiſſet ſupplicio affectus, niſi univerſus interceſſiſſet populus. Ipſe deinde Saul victoriis addere victorias, & Moabitas, Ammonitas, Edomitas, Syros, & Amalekitas, qvorum injuriis hactenus ſubjacuerant Hebræi, in ſummas adigere anguſtias. Sed qvia DEI injuſſu, periculis urgentibus, non exſpectato Samuele, I. Sam. XIII. 9. ſacra fecerat, rebus contra benè ſuccedentibus eadem omiſerat, I. Sam. XIV. 19. edictoqve ſtulto & noxio atqve juramento temerario de non guſtando cibo ſuis gravis fuerat, nec niſi ad populum in officio continendum religionem ſimulatam peſſimus hypocrita curaret, qvin & Agagum, regem Amalekitarum, qvem expreſſis verbis interficere juſſus fuerat, cum prædam, anathemati ab ipſo DEO ſubjectam, ſervaret, à DEO repudiatus, ejusqve loco David, Vir ad arbitrium Domini ſe melius componens, Rex deſignatus eſt. Qvo facto Saul, Spiritu DEI recedente terroribus animi expoſitus, & in furorem Melancholicum conjectus, à malo Dæmone exagitari viſus eſt. Qvem morbum cùm David, in aulam vocatus, cantu & fidibus leniret, poſtea etiam Goliathum inermis ſterneret, & regius gener factus, inter omnes prudentiâ & ſolertia emineret, omnis furor in illum converſus eſt. Arma autem Palæſtina, ne innocuus David aperto Marte & inſidiis petitus trucidaretur, ſæpius retraxerunt furioſum Regem, eumqve tandem eò deſperationis in monte Gilboâ adegerunt, ut amiſſis tribus filiis, prælio fuſus & fugatus, ipſe ſuo ſe transverberaret gladio. Cadaver injuriis hoſtium expoſitum, capite truncatum, & à muris ſuſpenſum eſt: qvod tamen Jebuſini olim adverſus Naaſem, Ammonitarum Regem, à Saule defenſi, furtim ablatum terræ grati demandarunt. David illud poſtea ſepulcro regio intulit. II. Sam. XXI. Tantam, tamqve funeſtam & fatalem cladem Samuel, a Pythoniſſa eductus, Sauli antea prædixerat.

XXIV. Qvid audio? Num Samuel defunctus potuit à Pythoniſſa evocari?

Theologi in utramqve partem multa diſputant: Aliqvi, inter qvos ipſe Eccleſiaſticus c. XLVI. 23 verum credunt Samuelem fuiſſe, qvi apparuit Sauli: cùm qvia maligni ſpiritus futura contingentia certò non norint, tum qvia eum, qvi è terra aſcendit, Scriptura Samuelem nominet: Illum igitur non vi incantationis à Pythoniſſa, ſed ſpeciali DEI conſilio & voluntate fuiſſe ſuſcitatum, non ut Magia confirmaretur, ſed ut Saul perterrefieret. Alii ſpectrum fuiſſe & φάντασμα ſtatuunt,

unt, qvod formâ Samuelis tectum viſum ſit prodire, cùm qvia Deus Sauli nec per Prophetas, nec per Sacerdotes, nec per ſomnia, multò ergò minus per mortuos reſpondere voluit; tùm qvia prohibita erat mortuorum evocatio, nec ab ipſo DEO in gratiam perterrefaciendi Saulis promota videtur; tùm deniqve qvia cum patre improbo filius DEO gratiſſimus in eundem locum poſt fata non eſt congregatus, qvod tamen ſimulacrum illud Salomonis excitatum fore dixerat.

XXIV. Redige qvæſo & Hiſtoriam Davidis in compendium.

1. & 2. Sam. per tot. nec non 1. Chron. Joſeph. lib. 7. Antiq. Jud. toto. Seder Olam. c. 14. Euſeb. lib. 9. præp. Evang. c. 4. Sulpit. Sever. lib. 1. Hiſt. Sacr. cap. 65. ſeqq.

Etſi id ob tantam rerum tam luculenter in Scriptura S. deſcriptarum varietatem nec facilè fieri, nec neceſſarium eſſe videtur, nobis tamen inſtituto noſtro inſiſtendum eſſe meminerimus. Ex tribu Judæ David natus, & à teneris pecudum cuſtodiæ addictus, urſum adoleſcentulus & leonem admirabili audacia, confecerat: Paulò poſt à Samuele in medio fratrum Rex inunctus, & Spiritu DEI repletus, ob artem, qvâ in hymnis ſacris adverſus vim Satanæ decantandis excellebat, aulæ Saulïticæ innotuit: Cumqve Goliathum, pio Zelo & heroico impetu concitatus, pedo & funda paſtorali percuſſiſſet, & metu ingenti populum liberaſſet, conſtantiſſimum Jonathanis, Regii filii, amorem; Regis autem pertinaciſſimum demeruit odium. Præfectus tamen regiarum cohortum, qvin &, qvod non ſolùm victoriâ de Goliatho reportata, ſed & ducentis Philiſtæorum funeribus meruerat, Gener Regis factus eſt. Sed invidiam honores auxerunt: Ab uxore autem & Jonathane ſervatus, pericula effugit. Bis lethali ſpiculo à Saule petitus, bis evaſit: In ſchola deinde Samuelis propheticâ ad necem qvæſitus, furorem Saulis numine Spiritus prophetici ſedatum conſpexit. Sed in Abimelechum Pontificem, à qvo cibatus & armatus fuerat, aliosqve LXXXV. Sacerdotes, ut innocentes, omnem iram Saul evomuit. David ad Achin Regem Palæſtinorum fuga delatus, ne periret, furorem ſimulavit, & parentes ſenes filii causâ proſcriptos vicino regi commendavit. Poſteà (o miſera exulis fata!) Ceilenſes, qvos DC. ipſius ſocii adverſus Palæſtinos paulò ante defenderant, benefactorem prodere hoſti voluere. Sed oraculo DEI per profugum Sacerdotem Abjatharem monitus, in montes & ſolitudines confugit. Illo etiam in loco, qvò ſceleratiores inſidiæ Siphæorum fuerunt, eò luculentius DEI favorem expertus eſt, qvi Saulem, cujus jam exercitus Davidem cinxerat, nuncio de Palæſtinorum irruptione repen-

tino

tino avocavit. Ecce autem manſvetudinem Davidicam! Conjunxerat Numinis providentia utrumqve hoſtem in ſpelunca longo receſſu opaca, & cum David regem interficere potuiſſet, laciniam ſaltem regii veſtimenti præcidit, hoc ſymbolo ſuum erga regem animum pientiſſimum conteſtatus: Qvam ipſam pietatem, cùm ebrioſi fatuiqve Nabalis prudentem uxorem, qvæ cœlitus percuſſo marito, ſe ejus fidei credebat, in torum recepiſſet, denuò in ſceleſtorum Siphæorum regione exeruit: Nam nactus poteſtatem obtruncandi Regis, alto ſomno in caſtris oppreſſi, ſuperveniens, ſpiculum ſaltem & lecythum abſtulit. Tantis tandem periculis ſe ſubducturus, Regi Palæſtinorum ſeqve ſuosqve commiſit, & tanqvam ſuos tribules hoſtiliter oppugnaturus, ſæpius qvidem milites eduxit, ſed prædas ab aliis hoſtibus, & præſertim finitimis Amalekitis, qvæſitas, tanqvam Hebræas, diviſit. Hoc nomine apud Barbaros aliqvamdiu magno in pretio habitus, Saule tandem miserè confecto gubernacula regni, cujus auſpicia jamdudum commiſſa tenuerat, ſuſcepit.

XXVI. Innumeros exulis Davidis labores exantlatos explicuiſti: Placet etiam audire vitam ejus regiam.

Nondum omnis memoria Saulis, magni illius hoſtium terroris, Iſraelitis effluxerat: Ideoqve per biennium ſe commiſerunt ejus filio Iſboſeth. Sola tribus Judaica Davidem Hebrone Regem inunxit, eumq; adverſus exercitum Isboſethi ductu Abneris in aciem eductum viriliter per Joabum defendit. Qvamprimum autem dux Abner ab Isboſeth, qvem ignavum nullus impetus heroicus armabat, defeciſſet, cœperunt omnes tribus in Davidem inclinare, eumqve, Abnere à Joabo, à ſicariis verò duobus Isboſethi inſidiosè interemptis, regem ſuſceperunt, &, qvi jam bis unctus fuerat à Samuele & tribu Judæ, tertia vice inunxerunt, eiqve univerſum Iſraelis regnum commiſerunt. Ille libertatis ſuorum cupidiſſimus, binis cladibus, miro foliorum ſtrepitu confirmatus, Palæſtinos repreſſit. Jeſubæis arcem Solymarum, qvam in hunc usqve diem tenuerant, eripuit, inqve illam, poſtqvam VII. annis ſederat Hebrone, regiam ſedem tranſtulit, & palatio in Sione ſibi exſtructo, arcam Domini cum tabernaculo ad ſe tripudians, & qvod Micholi Saulitidi, uxori ſibi redditæ, non ſine gravi ſterilitatis damno, turpe viſum eſt, amiculo linteo indutus transportavit. Templum etiam DEO ſuo, corde non fucato, exædificare decreverat: Sed curam illam filio reſervatam eſſe didicit.

Ita-

Itaqve ad hoſtes converſus, jugum qvod à cervicibus Iſraelitarum excuſſerat, ipſis Palæſtinis, Gaza expugnata, impoſuit, Moabitas ita cæſos, ut vix tertia pars ſupereſſet, ad pendendum tributum adegit, remotiſſimos Sophenorum, Syrorum, Ammonitarum, Idumæorum, Meſopotamiorum & Amathenorum reges aut vicit, aut ſupplices in amicitiam recepit, prædaqve aurea & ærea, qvam templo à filio ſucceſſore condendo deſtinavit, exutos, Damaſco expugnata, ſibi tributarios fecit, & ultra CC. milliaria limites regni extendit.

XXVII. O felicem Davidem, cui tàm proſperè res ſub manibus ſucceſſere!

Tornſell. An. 2994. & Salian. ibid.

Sed audi qvoqve, qvæ ei humanitus acciderint. Incidit enim Vir, alioqvin inclytæ juſtitiæ, in fœdum libidinis crimen, utqve adulterium cum Bethſabæa celaretur, parricidium commiſit, & inſontem Uriam hoſtibus ad cædem objecit. Et qvanqvam ad increpationem Nathanis Prophetæ, ſeria tactus pœnitentia, veniam conſeqvebatur, multis tamen poſteà calamitatibus objectus fuit. Nam I. infans, ex illegitimo Bethſabææ concubitu natus, cum inſigni Davidis dolore extinctus eſt. II. Filia ejus Thamar, Abſolonis germana, à ſuo ipſius fratre Ammone vim paſſa, & cum ſumma ignominia è ſtupratoris domo ejecta eſt. III. Abſolon, ſtatura forma & cæſarie admiranda, in ſororis vindictam inſurgens, tanti inceſtus reum inter pocula trucidari curavit, & perpetrata cæde ad maternum avum confugit. IV. Cumqve prudentia fœminæ Thecoenſis, & Joabi interceſſione uſus patri eſſet reconciliatus, ſubdolè regnum affectavit, & patre vim ſeditioſorum fugiente, ipſa Hieroſolyma occupavit. V. Conſiliisqve uſus Ahitophelis (qvem ex II. Sam. XXI I. 34. & I Par. III. 5. Bethſabææ avum, & ob id Davidi, neptis ſtupratori, infeſtum fuiſſe conjicimus) cum pellicibus paternis congreſſus eſt, ut populum hactenus, ne pax inter patrem & filium facile coiret, veritum, ſublata ſpe reconciliationis, in ſuis partibus perſeverantiorem haberet. VI. David interea in fuga à Semei, Saulis cognato, ſaxis & convitiis eſt impetitus. VII. Cumqve conſiliis Chuſai verſutiam Ahitophelis, & virtute ſuorum ducum ferociam ſeditioſorum fregiſſet, Abſolonem filium, abſq; omni ſpe animæ ſervatæ, ex arbore implicitis capillis pendentem, defixis in cor telis, interemptum eſſe miſerabiliter luxit. IIX. Etſi autem clementiſſimus Princeps univerſis copiis, earumqve Ducibus, qvi Abſoloni adhæſerunt, veniam conceſſit, alium tamen Saulis cognatum Sebam adverſari-

ſarium invenit, qvi claſſico cantato, noviterqve turbis concitatis ægrè repreſſus eſt. IX. Qvo in tumultu facinus Ducis Joabi, Amaſan, Virum ſtrenuum ſibiq; cariſſimum ex inſidiis perimenti s dennò diſſimulavit. X. Fame deinde triennali vexatus, DEI juſſu ſeptem è poſteritate Saulis in Gibeonitarum, Sacerdotumqve LXXXV. cæſorum vindictam ſuſpendit. XI. Inde in prælio contra Palæſtinos in præſens vitæ diſcrimen incidit: II. Sam. XXI. & tandem XII. cum animo elatus cenſum non rogato DEO conderet, nec, ut videtur, ſemiſiclum ex lege DEI Exod. XXX. in uſus divinos converteret, tanta peſte, (qvam DEI manum ex tribus malis elegit, afflictus eſt, ut intra triduum LXX. millia terræ mandarentur. Hanc tamen pœnam etiam mitigatam vidit, cum altare erexiſſet in area Araunes Jebuſæi proſelyti. His igitur omnibus malis eluctatus tandem anno Mundi MMCMXXX. exemplum pietatis veræ Chriſtianæ, Imperator laudabilis, Propheta venerabilis, Pſalmiſta admirabilis, ſeptuagenarius moritur, curá regni Salomoni filio demandata.

XXIIX. Anteqvam ad Hiſtoriam Salomonis properamus, conjunge, qvæſo, majores Davidis una ſerie, ut, qvia Chriſtus ex eo natus eſt, ejus inde Genealogia mihi clarior pateat.

Qva ſerie usq; ad Abrahamum Patriarchæ ſe inſecuti ſunt, qvæſtione XIV. Eccleſiæ Patriarcharum explicatum eſt. Qvinam igitur inde usqve ad Salomonem deſcenderint, jam notabo.

CONTINUATIO GENEALOGIÆ CHRISTI.

XX. Abraham ex Sara genuit Iſaac.
XXI. Iſaac ex Rebecca genuit Jacob.
XXII. Jacob ex Rahele genuit Judam.
XXIII. Juda ex Thamare nuru genuit Perez.
XXIV. Perez, cujus benedictionem novis conjugibus ſoliti ſunt apprecari, Ruth. IV. 21.
XXV. Hezron ſeu Jephune.
XXVI. Ram ſeu Aram frater Calebi.
XXVII. Aminadab ſocer Aaronis, Exod. VI. 23.
XXIIX. Nahaſſon (dux tribus Judæ in deſerto.
XXIX. Salma dux in ingreſſu terræ Chananææ, ex Rahab genuit Booz,

(A terræ Chananææ occupatione usqve ad nativitatem Davidis CCCLXIIX. anni intercedunt, ut Salmam & ſeqventes in ſera ſenectute liberos procreaſſe neceſſum ſit: qvod qvidem factu impoſſibile non erat circa ea tempora, in qvibus Caleb anno ætatis LXXXV. vegetus adhuc & validus prælia obibat. Joſ. XIV. 11.)

XXX. Booz in ſera ſenectute ex Rutha Moabitide genuit Obed.

XXXI. Obed itidem, ut Salma & Booz, in ætate provecta Iſai procreavit.

XXXII. Iſai, qvi & Jeſſe & Nahas dictus fuit, genuit ſeptem filios & duas filias hac ſerie:

Ex Iſai nati ſunt
- duæ filiæ
  - Zeruja, Mater
    - Abiſai, fideliſſimi Achatis Davidis,
    - Joabi, qvi Abnerum & Amaſam interfecit.
    - Aſaëlis, ab Abnero trucidati.
  - Abigail, Mater Amaſæ qvē peremit Joab.
- ſeptem filii
  - Eliaſib, Pater Abihaelis, uxoris Rehabeami.
  - Abinadab.
  - Semea, Pater Jonathani, qvi gigantem ſenis digitis monſtroſum interemit.
  - Nethanael.
  - Raddai.
  - Ozem.
  - 33. David qvi genuit ex
    - Achinoam, Ammonem.
    - Abigail, Cheleabum ſeu Danielem.
    - Maacha F. Regis Geſſur
      - Abſolonē,
      - Thamar.
    - Hagitthâ Adoniam.
    - Abitat, Saphatiam.
    - Eglā Jethreamum, aliis alios.
    - BETHSABÆA
      - Salomon
      - Nathan.
      - Samiam
      - Sobabū.

XXIX. Allubeſcit jam audire Hiſtoriam Salomonis.

Ille fuit & in Patrem, & in Patriam, & in DEUM munificentiſſimus. Patri non ſaltem juſta fecit regalia, ſed & tantas intulit in ejus monumentum divitias, ut inde Hyrcanus Pontifex, oppugnatus ab Antiocho Pio Demetrii Filio, tria talentorum millia, Joſ. lib. XIII. cap. XVI. Herodes item, ſed non absq; inſigni flammarum erumpentium periculo, aliâ cella aperta, magnam ornamentorum aureorum vim inde auferret. Joſ. lib. VII. cap. X. & l. XVI. cap. II. Patriam verò conditis plurimis oppidis & Hieroſolyma egregiis ædificiis, palatioqve regio exornata vehementer auxit. Pietatem tandem in DEUM incredibili & auguſtiſſima templi ſtructura declaravit. Regnum qvidem ab initio ei præripere conabatur Adonias frater, ſed matris deprecatione uſus, illud vivo adhuc patre occupavit, eoqve defuncto pœnas de omnibus facinoroſis, qvibus hactenus parcitum fuerat, exegit, & data ſibi divinitus optione, cùm præ divitiis & vitæ longævitate donum ſapientiæ depoſceret, omnium mortalium ſapientiſſimus extitit, ſeqve mentis ſagacitate, etiam qvæ incognita eſſent, ſcire in duarum mulierculárum lite diſcernenda comprobavit, & variis libris editis, nauticaqve claſſe in regiones auriferas, in ſocietate Hirami Regis Tyrii ablegatâ donum θεόσδοτον cum inſigni regni incremento uſurpavit. Ad hanc ejus ſapientiam cognoſcendam ipſa Sabæ Regina, ſeu ut à Chriſto nominatur, Regina Auſtri, è remotis regionibus advolavit, & cùm plura, qvam ſperaſſet, comperta eſſet, donis datis & acceptis læta & felix diſceſſit: Utrum autem ſobolem à ſapiente Rege qvæſierit & impetraverit, ex ſacris haut certò patet. Hanc nonnulli Æthiopiſſam Africanam autumant fuiſſe. Plurimi autem ex Sabæis Arabibus, qvi Abrahamo & Cethuræ ſangvinem debent, & in confinio Chananæos ad Orientem primò in ſolo thurifero conſederunt, deinde in terras à Judæa remotas diſſeminati, eam oriundam fuiſſe cenſent. Summos autem qvosqve viros infirmitati mortalium communi ſubjacere docuit Salomon, qvi & diſſolutior fuit in numeroſiſſimis conjugibus alendis, & matrimonio cùm gentibus inito ad Idolorum cultum ſe, amoris impatientem inclinari paſſus eſt. Ideoqve non ſolum hoſtes exteros Hadadum Idumæum, regio ortum ſemine, qvi manus Davidis, dum Idumæam ſubjugaret, effugerat, & jam Reſonis Syri auxiliis, Damaſco occupata, Syros ad defectionem inſtigaverat, I. Reg. XI. ſed & domeſticum adverſarium Jerobeamum invenit, eiqve præcipuam regni partem à Propheta promitti non ſine cordolio audiit, tandemqve ita

1. Reg. V. VI. ſeqq. 2. Chron. III. ſeq. Joſeph. l. 8 Antiq Jud. c. 1. 2. 3. Euſeb. lib. 9 præp. Evang. c. 4. Sulp. Sever. lib. 1. Hiſt. Sacr. c. 69. 70. 71. Pineda de Rebus Salom.

obiit, ut qvid de ejus ſalute ſperandum ſit, multi ſe ignorare fateantur. Pineda tamen in Salomone prævio eum pœnitentiâ actâ ad ſe Deumqve rediiſſe inde probat, cùm qvod Eccleſiaſten ſuum poſt lapſum ſcripſerit, tùm qvod vetus aliqvod monumentum, cui vita Salomonis inſcripta ſit, reſipiſcentiam ei adſcribat. Qvod autem Joſephus lib. IIX. cap. II. de libris Salomonis incantatoriis atqve adjuratoriis, & radice Dæmoniacos curante refert, id Judaicis fabulis ſimilius eſt, qvam veræ hiſtoriæ. Si ceſſit ad qvorundam exorciſmos Dæmonium, atqve ad radicis olfactum per naſum extrahebatur, non adſcribatur Solomoni ſuperſtitio, ſed Cacodæmoni fraus & præſtigiæ.

XXX. Cum Moſaicum tabernaculum ſuperioribus qvæſtionibus diligenter deſcripſeris, templum qvoq; Salomonis labore aliqvo dignum videtur.

Villalpandus & Prado de Templo Salomon. Hafenreff. de Templo Salom. Bened. Arias Montanus in Antiqq. Jud Jacob. Juda Leo de Templo Salom. Ludov. Capel. de Templo Salom. ex deſcr. Joſephi.

Digniſſimum, fateor, eſt conſideratione, præſertim cum duplo majus tabernaculo extiterit, & præterea altitudine eximia foris exornatum. Longitudo æqvabat cubitos LX. Latitudo XX. Altitudo externa & completa CXX; inferior atqve interior XXX. ut conſtat ex II. Par. III. 4. & I. Reg. VI. 2. Tota enim templi altitudo à Torniello putatur tribus contignationibus intus fuiſſe diſtincta, in qvarum duas ſuperiores tanqvam cænacula ſive ſolaria, Moſis tabernaculum, & Davidis altare holocaumatum, & alia miniſterii vaſa Salomon ut aſſervarentur, intulerit. Extruxit templum rex pientiſſimus in Civitate ſanctum Hieroſolymorum, in Monte Moria, in qvo Abraham qvondam juſſus erat offerre filium, & David paulò ante aream Araune ſibi comparaverat Gen. XXII. 2. I. Paral XXI. 28. ſanctitas templi in dicto monte extendit ſe ad L. cubitos. Ornatus ejus fuit vel interior vel exterior. Interiorem conficiebant tabulæ cedrinæ cælaturis variegatæ, laminisq; aureis opertæ, & pavimentũ auro qvidem tectum, ſed absq; cælatura. Qvin & Sanctuarium ſeu Sanctum Sanctorum præter cælaturæ & laminarum aurearum ornamenta velo totum operiebatur. Exterior autem ornato conſpiciebatur partim in ſublimitate illa prædictâ CXX cubitorũ, in loco montis præalto, & eminenti, partim in marmore candido, electo, qvadrato, qvod qvaqva verſus præſtrinxit oculos: tandem in tecto cedrino, tabulatis in modum cancellorum eleganter fabrefactis exornato, qvod dixerunt pinnaculum. Extrinſecus etiam in circuitu templi, præterqvam in fronte orientali, fabricatum fuit ligneum ædificium, qvod nomine trium

trium tabulatorum, I. Reg. VI. 5. appellatur, in qvorum ſingulis Joſephus lib IIX. cap. II. facit XXX. cellas, ad uſum templi conſtructas, oſtiis ita diſpoſitis, ut ab una in aliam commodè tranſitus pateret, & omnes inter ſe conſtipatæ parietes templi fulcirent. Ante ipſum autem templum in fronte orientali exſtructa erat porticus, tanqvam veſtibulum, X. cubitos lata, & XX longa, ſurgens in altum, ut Joſephus teſtatur, CXX. cubitis. Templum univerſum undiqvaqve circuibant atria, qvæ erant Areæ, marmoreo pavimento in medio diſcoopertæ, ac ſub dio poſitæ, porticibusqve, qvas adhuc tempore Chriſti porticus Salomonis nominarunt, cinctæ, ſub qvibus à pluviis & æſtu populus defenderetur. Qvorum qvidem atriorum duo exſtruxit Salomon II Par. IV. 9. II Reg. XXI. 4. alterum interius pro ſacerdotibus, pro populo exterius alterum. Utrumqve ſepto diſtinxit trium cubitorum, ut populus in viros, fœminas & exteros ſeu Gentes interſtitio qvodam murorum diſcretus, in exterioti atrio, ſacerdotes, in interiori ſua munia ſacrificatoria obeuntes, cernere poſſet. Tandem in atrii exterioris circuitu, præſertim ad portas cœnacula ſeu Exedræ, & Gazophylacia ſeu arcæ aut Paſtophoria exſtructa fuerunt, I. Par. XXIIX 12. II Par. XXIV. 8. Marc. XII. 41. In qvibus aut theſauri & oblationes vaſaqve ſacra reponebantur, aut Sacerdotes toto illo tempore commorabantur, qvo vacabant miniſteriis in ſuæ vicis ordine, aut carnes ſacrificiorum ſuſpendebantur. Videatur Arias Montanus in libro de ſacris fabricis, Torniellus, & alii.

XXXI. Credo hanc templi ſtructuram: ſacræqve ſupellectilis confectionem, magni conſtitiſſe Salomoni?

Id non ſaltem ex magno CLIII. millium & præterea DC. operariorum numero, ſed ex impenſis etiam ſtupendis eluceſcit: Qvas anteqvam ſupputemus, cogites velim templum fuiſſe ædificatum in area Araunæ, hominis gentilis, ab artificibus & operariis gentilibus, II. Par. II. 17. ex manubiis gentilium, ut vel hinc colligas, Chriſtum gentium qvoq; cauſâ in mundum veniſſe. Hanc verò materiam tractent Theologi. Tu ſi ſolum aurum ſupputes, qvod in ſtructuram templi David ſepoſuit, & principes tribuum I. Par XXX contulerunt, invenies IIX. millia talenta cum X millibus aureis. Sunt autem talenta Hebræorum, vel Vulgaria, vel Sanctuarii in duplo pondere, vel deniqve Regia, proportionis inter talentum Sanctuarii & vulgare mediæ. Qvo talenterum diſcrimine obſer-

Torniell. A. 3023. n. 7. 8. ſeq. Salian. Anno eod. & ſeq. tot.

ſervato, ex Joſepho, qvid ſumma ſuperior efficiat, diſcere licet. Nam talentum aureum pendebat C. minas, Joſeph. lib. III. c. VII. Mina conſtabat duabus cum dimidia libra, Joſeph. lib. XIV. cap. XII. Libra autem communis eſt XII. unciarum. Singulæ ergò minæ æqviparabantur XXX. unciis, qvarum unaqvæqve IIX. aureis nummis æſtimatur. Ideoqve talentum Sanctuarii aureum valebit XXIV. mille aureis. Qvos ſi ducas in IIX. millia talenta auri & X. mille aureos, prodibunt 192010000. aurei, ſeu CXCII. milliones, cum X. mille aureis. Præter hunc aureum theſaurum David etiam Principum munificentiâ adjutus, reliqvit Salomoni XVII. mille talenta argenti. Cumqve ſingula argenti talenta æqviparentur CCC ſiclis; Siclus verò Tetradrachmo ſeu dimidio aurei Rhenani, ut Budæus de re numeraria annotat, illa XVII. mille talenta argenti pendebunt 25500000. aureis, ſeu XXV. millionibus. Sed adhuc major auri & argenti vis, qvam David in paupertate ſua ſe in uſus ſacros collegiſſe dicit, ad Salomonem transmiſſa legitur I. Par. XXIII. centena videlicet millia talentorum auri, & millena millia talentorum argenti, qvæ efficiunt 3900000000. aureos, ſeu ter mille & nongentos milliones. Hos adde ad ſuperiores CXCII. & XXV. milliones, & prodibunt cIↃↃcxvII. milliones ſeu XLI. mille & CLXX. tonellæ auri. Qvæ ſumma fidem ſi ſuperat, ſiqve putas me ſecundum Talenta ſanctuarii calculum collegiſſe, qvæ duplo excedunt vulgaria ſeu congregationis talenta, age dimidiam ſumito ſuperioris partem, & habebis XX. mille & DLXXXV. tonnellas auri.

XXXII. Exhorreſco ſanè ad tanta divitiarum ad Salomonem transmiſſarum pondera, qvæ vix ipſe Tagus ferat.

Obſtupeſces magis, ſi calculum Theodori Bibliandri in præfatione in ſermonem divinæ majeſtatis ad Epiſcopum Glóceſtriæ ad valorem aurei Gallici ſcutati inſtitutum adjecero: Cujus ego fidem nunc nec confirmo nec elevo: qvamqvam videtur aurum & argentum donativum reliqvis impenſis non addendum, ſed cum iis conferendum fuiſſe, cùm ex eo factæ ſint. Sic autem ille:

	Tonell.	*Coron.*
Aurum donativum	27121	20000
Argentum donativum	20540	
Artificum merces	6080	2718
Gemmæ	53741	22711
Veſtes ſacræ	27121	20000
Æs	520	
Ferrum	516	$66666\frac{2}{3}$
Lapides & ligna	1036	$66666\frac{2}{3}$
Merces opificum	240	76444
Currus	24	26616
Sacrificium & epulum dedicationis	3	73210
Tyrio Regi donatum	7	51025

Summa Sum. 137672. 10075.

Videbuntur, pergit Bibliander, hæ immenſæ, ſtupendæqve opes. Verùm qvem non pigebit calculum ducere, deprehendet me non exceſſiſſe modum in rebus æſtimandis. Qvibus ſi addantur oblationes & ſacerdotibus decreti annui reditus, multum accedet. Neqve verò DEUS voluit in hoc negotio profuſionem rerum docere, qvi DEUS eſt judicii: ſed hac magnificentia orbi univerſo voluit declarare inæſtimabilem theſaurum verbi ſui, qvi fuit in hoc ærario ampliſſimo, qvod longè ſuperat omnia miracula & ſpectacula orbis, reconditus. Hactenus Bibliander, cujus hæc verba præter alios allegat Michael Neander in Erotem. ling. Hebr.

XXXIII. Magnus eſt Dominus, & opera ejus admiranda. Qvid autem Salomone mortuo?

Eo adhuc vivo, Jerobeam Ephraimites in ſpem ab Ahia Propheta erectus erat de præcipuâ regni parte obtinenda. Et qvanqvam in Ægyptum exulatum abierat, Salomonem tamen fata obiiſſe intelligens, à ſuis contribulibus revocatus, & cùm Rehabeam ignavus & ſtolidus Salomonis ſapientiſſimi filius, in comitiis populo res novas molienti, conſilio ſeniorum repudiato, conſultoribus adoleſcentulis uſus, durius reſpondiſſet, à X. tribubus Rex conſtitutus eſt. Rehabeamo ſoli Judæi & Benjamitæ cum Levitis II. Par. XI. 13. adhæſerunt. Qvia igitur hac ratione

ra-

regnum Iſraeliticum ſciſſum eſt, ut X. tribus cum dimidia parte Manaſſæorum, qvas porro Iſraelitas cum Scriptura vocabimus, Prophetæ autem non ſaltem Iſrael, ſed & Joſeph, Ephraim, Bethel, Bethaven, Jezreel & Samariam vocaverunt, Jerobeamum ſecutæ ſint; duæ autem cum reliqvis Manaſſæis, qvæ dicentur poſtmodum & Prophetis ſunt Benjamin, Juda, domus Davidis, Jeruſalem, Judæi, Rehabeamum ejusqve poſteros reges agnoverint: age ſcindemus & nos hiſtoriam, & primùm Reges Iſraelis novos, qvi univerſi DEO diſplicuerunt, deinde Reges Judæ, ex Davide & Salomone oriundos, una ſerie intuebimur.

XXXIV. Qvinam igitur poſt Salomonem ſunt Reges Iſraelis facti?

A. Mundi. A. Regni

2969. I. Jerobeam Ephraimites præfuit annos 22

1. Reg. XI. 40. XII. 1. 2. Chron X. 2. 19. Joſeph. lib. 8. Antiq. c. 2. 3. 6. Sulpit. Sever. lib. 1 Hiſt. Sacr. cap. 72. 74.

(Hic veritus ne populus religionis causâ Hieroſolymam freqvens aditurus, à ſe alienaretur, duo vitulina ſpecie ſimulacra, in duabus extremitatibus regni, alterum Bethele in tribu Benjamin, alterum in Dane oppido ad radices montis Libani, ex auro erexit, atqve ſacerdotes neglecta lege ſuo arbitrio inſtituit, feſtumqve ſcenopegias in ſeqventem anni menſem rejecit. Et licet Propheta I. Reg. XIII. denunciaret, fore, ut prius aliqvis rex, nomine Joſias, hunc cultum Idolorum aboleret, (qvod demum poſt annos CCCLVI. factum eſt) non tamen vel illis comminationibus, vel brachii, qvod ad apprehendendum Prophetam extenderat, ſubitanea ſideratione ab impietate eſt avocatus: ſed Deo prorſus poſthabito, & ſibi nocuit & poſteris. Nam & ipſe inſigni clade, cujus vix ſimilem in profanis legas hiſtoriis, afflictus eſt, & filii ejus partim morbo, partim ferro miſerè abſumpti ſunt.)

1. Reg XV. Joſeph. lib. 8. Antiq. cap. 6. Sulpit. Sever. lib 1. cap. 74.

2989. II. Nadab F. peremptus à ſucceſſore. 2

(Cum Patre biennium regnavit & poſt eum paucis menſibus, ſecundum ἀπόδειξιν Chronologicam. Sed in Scriptura ei biennium integrum adſcribitur.)

1. Reg. XV. 2. Chron. XV. Joſeph. 8. Ant. c. 6. & 17. Sulpit. Sever. loc. cit.

2990. III. Baëſa Iſaſcharides impiæ ſtirpis Jerobeami impius everſor. 24

(Romam urbem, qvam occupaverat, munire cœpit, ut Judæis noceret. Sed Aſa eorum Rex auxiliaribus Benhadadi Syri copiis adjutus, eum diſcedere coegit.)

3013. IV. Ella F. voluptuoſus, à ſucceſſore trucidatus, 2

(Et

(Et hic poſt Patrem paucis ſaltem menſibus; cum eo a[illegible]bien-nium regnavit, qvod ipſi in Scriptura adſcribitur.) 1. Reg. XVI. Joſeph. c. 7. Sulpit. l. cit.

3014. V. Simri præfectus anteà dimidiæ partis militarium curruum, everſor ſtirpis Baëſæ, præfuit VII. diebus. Iidem ibid.

(Nam cùm ob ſcelus, qvo Regem ſuum trucidaverat ab exercitu regio obſideretur, igne Regiæ ſubjecto ſe concremavit.)

3014. VI. Amri, Dux antea militiæ, ab exercitu Rex renunciatus, 12 1. Reg. XVI. Joſeph. lib. 8. antiq. c. 7.

(Regium qvoqve nomen Thibni ſibi uſurpaverat. Sed tandem cedere coactus eſt. Hinc cum antea ſedes regia Thirzæ fuiſſet, Amri Samariam Anno Mundi MMMXXIX. condidit, aulæqve ſedem illuc tranſtulit, impietate omnes, qvos ante ſe habuit, ſuperans.)

3025. VII. Achab F. patre peſſimo pejor, cum qvo aliqvos ex XXII. annis exegit, 22 1. Reg. XVI. XVIII. XXI. 2. Reg. IX. X. Joſeph. 8. Antiq. c. 7. 8. 9. & lib. 9. cap. 5. 6. Sulp. Sever. lib. 1. Hiſt. Sacr. cap. 75.

(Ducta Iſabele regis Sidoniorum filia, ad ſuperſtitionem gentium vicinarum tranſiit, & Idolis templa Samariæ erexit; Ideoqve atroci trium annorum & ſex menſium ſiccitate, atq; adeo ingenti annonæ caritate Iſraelitæ percuſſi ſunt. Et qvanqvam Elias Propheta, igne cœlitus delapſo, ſuperſtitionem vanitatis coarguerat & DCCCL. Sacerdotibus Baalis, qvi populum à vero DEI cultu abſtraxerant, ad aram mactatis, pluviam, regioni ſalutarem impetrarat, ab Iſabele tamen ad necem qvæſitus eſt. Diffugit autem vir divinus, & Ahab, Propheta expulſo, alios ſenſit in regni viſceribus hoſtes. Nam Benhadad rex Syriæ, filius ejus Hadadi, qvi, ut ſupra dictum eſt, Syris ad defectionem ab Iſraelitarum imperio ſollicitatis, regnum obtinuit, Samariam, XXXII. ſociis regibus adſcitis, obſidione cinxit, & prima qvidem vice, DEO faſtum ejus vindicante, pulſus, deinde etiam perdito & amiſſo CXXVII. millium exercitu captus eſt: ſed tandem bello redintegrato, fugatum Ahabum, ſangvine Nabothi innocentis, cui vineam paternam extorſerat, adhuc madidum, omiſſo in fuga Joſaphato rege Judæ, qvi ſuppetitas tulerat Achabo, telo incerta manu miſſo interemit, cruoremqve ejus, ut vatibus ſua conſtaret fides, canibus lambendum proſtituit.)

3044. IIX. Ahaſia F. à qvo defecerunt Moabitæ, II. Reg. I. 1. 2 2. Reg. 1. Joſeph. & Sulpit. l. cit.

(Et hic maximam biennii hujus partem cum Patre explevit: Deinde è ſolario prolapſus, cùm ad ſanitatem recuperandam non DEUM, ſed Idola conſuluiſſet, qvin & Prophetam Eliam igne cœleſti in milites armatum conſtringi juſſiſſet, ex caſu illo ſupremum diem obiit.)

2. Reg. 6. 5. 10. Joſeph. lib. 9. antiq. à c. 1. usq; ad 4. Sulp. Sever. lib. 1. Hiſt Sacr. c. 79.

30[illegible] X. Joram, Fr. qvi qvidem Baalis idolum à Patre Ahabo conſecratum ſuſtulit, ſed non item Jerobeami vitulos, 12

(Hic Moabitarum regi Miſæ, qvi tributum debitum negaverat, in conſortio Joſaphati regis Judæ ejusq; clientis regis Idumæorum, bellum indixit, & penuriam aqvarum paſſus, potum procurante Eliſæo Propheta cœlitus nactus, eò hoſtem adegit, ut rutilanti fluentis umbra deceptus, perdito exercitu, primogenitum ſuum filium, qvem deſignaverat ſucceſſorem, in muris obſeſſæ urbis mactaret, & abominando ſpectaculo Iſraelitas ad ſolvendam obſidionem permoveret. Deinde multis modis Joram à Syris eſt vexatus, qvorum tamen inſidias, monitore Eliſæo, qvem integras hoſtium turmas adverſus ſe emiſſas legimus excœcaſſe, feliciter evaſit, & cùm Samaria à Benhadado Syriæ Rege ad tantam eſſet adacta famem, ut nec ab immundis cibis nec ab ipſis ſuis liberis obſeſſi abſtinerent, hoſtibus tandem terrore divinitus immiſſo noctu dilabentibus, divite præda auctus eſt. Sed cum Haſael Benhadado ſtragulâ humectatâ, per ſpeciem caloris febrilis mitigandi præfocato, bellum adverſus Iſraelitas redintegraret, fugatus, vulneratus, atqve à ſucceſſore, cùm nondum convaluiſſet, cum omnibus cognatis interemtus & beſtiis lacerandus in vineam Naboth expoſitus eſt.)

2. Reg. X. 2. Chron. XXII. Joſeph. lib. 9 Antiq Jud. c. 5. 6.

30[illegible]7. X. Jehu, everſor ſtirpis Achabi, 28

(Hic jus regni ab ipſo DEO conſecutus, tumultu excitato, Rege Iſraelis Joramo, ut dictum eſt, ſublato, Ahaſiam etiã Regem Judæ Achabi ex filia nepotem, qvi avunculũ ſuum ægrotantem inviſerat trucidavit, atq; Iſabelem è feneſtra dejectam à canibus prius diſcerptam vidit, qvam humum contingeret. Dein progreſſus LXX. filios Achabi & XLII. Ahaſiæ fratres, & præterea univerſam Achabi ſtirpem exſcidit, omnibusqve Baalis Sacerdotibus mactatis, templum Idololatricum ſordium fecit receptaculum. Sed qvod Jerobeami vitulos non removerat, inter impios & ipſe reputatus eſt nec potuit Haſaeli Syrorum Regi reſiſtere, qvi agris Rubenitarum, Gaditarum, & dimidiæ tribus Manaſſenſium trans Jordanem vaſtatis, omnia rapinis, incendiis ac cædibus miſcuit.)

2. Reg. XIII. Joſeph. 9. Ant. cap. 8.

3085. XI. Joahas, F. 17

(Ita hic à Syris fuit afflictus, ut vix exiguum militum numerum haberet ſuperſtitem. Sed ad Dominum precibus confugiens, Herois cujusdam operâ à Syris eſt liberatus. II. Reg. XIII.)

3099. XII. Joas F, cum patre annum unum; ſolus XV. annos præeſt, 16

(Juxta Eliſæi morituri oraculum tribus vicibus (qvoties ſcilicet ter-

terram percuſſerat) Benhadadum Haſaelis filium vicit,& plurima Iſrae-litarum oppida ei ademtá regno reſtituit. Deinde Amaziam Regem Judæ ſuperciliosum in prælio cepit, mœnia Hieroſolymorum diruit, regiumq; & ſacrum theſaurum direptum ſecum aſportavit. Qvin & Moabitarum irruptionem feliciter ſuſtinuit, oſſaqve defuncti Eliſæi ſuo contactu mortuum vitæ reddidiſſe vidit.) 2.Chron.XXV. Joſeph lib. 9. Antiq. cap. 10. Sulp.Sev.lib.1. Hiſt. Sacr. c.81.

3114. XIII. Jeroboam II. F. 41 2.Reg.XIV.Joſeph. 9. Antiq. c. 11.

(Hic Damaſcum & Hemathem, Antiochiam deinde dictam, regno Iſraelitico eximiis uſus victoriis reſtituit.)

3154. Interregnum & tumultus bellici 22

(Nam anno XV. Amaziæ Regis Judæ An. Mundi MMMCXIV. cœpit Jeroboam II. regnare: Hinc ad XXXIIX. annum Uſiæ ſeu Azariæ ad Annum Mundi MMMCLXXVII. qvo ejus filius Zacharias rex conſtitutus eſt, effluxerunt LXIII. anni. A qvibus ſi demas XLI. annos regni Jeroboami II. colligentur XXII. anni interregni.)

3177. XIV. Zacharias F. interemptus à ſucceſſore
3177. XV. Sallum everſor ſtirpis Jehu, malè partum regnum malè perdidit
} ½ 2.Reg. XV 2. Joſeph. l. c.

3178. XVI. Menahem everſor ſtirpis Sallum, 10

(Hic inaudita in Dei populo immanitate prægnantes Tiphſenſium, qvi ſe portis obfirmatis noluiſſent admittere, diſſecuit. & à Phulo Aſſyriorum Rege, pactis mille talentis argenti, pacem ſibi, ſuoqve regno redemit: Qvam ſummam populus contulit, exactis L. ſiclis in ſingula divitum capita.)

3188. XVII. Pecaja F. à ſucceſſore ejusqve conjuratis interemtus, 2
3191. XIIX. Pecah, everſor ſtirpis Menahemi à ſucceſſore everſus. 20
2.Reg.XVI. Joſeph 9 Ant. c. 11. Sulp. Sev. lib. 1. c. 85.

(Hujus tempore Tiglathpillaſer Rex Aſſyriorum, ſubacta Galaditica regione, & qvicqvid trans Jordanem colitur, vicinaqve Galilæa & tribu Naphthali domita, colonos abſtractos in ſuum regnum traduxit. Nam Pecah ſocietati Rezini Regis Syrorum innixus, incurſiones in Judæam fecerat, & ipſa Hieroſolyma fatigaverat obſidione, qvin & commiſſa pugná XII. millia Judæorum ceciderat, & niſi à Propheta Obed fuiſſet prohibitus, XX. millia captivorum utriusqve ſexus abduxiſſet. Hiſce cladibus ſuccumbens Rex Judæorum Ahas, contra Syros & Iſraelitas, Aſſyriorum Regem evocavit, qvi Rezinum expugnata Damaſco peremit. Regno verò Iſraelitico florentiſſimas regiones, incolis abductis, eripuit.) II Reg. XV. II. Par. XXIII.

2. Reg. XVII. Joſeph. 9. Antiq. cap. 13. 14. Sulp. Sev. lib. 1. Hiſt. Sacr. cap. 26.

3210. XIX. Hoſea, everſor ſtirpis Pecah, in regno obtinendo conſumpſit IIX. annos, & deinde ab anno Achabi XII. regnavit 9

(Hic Salmanaſſaris Regis Aſſyriorum factus tributarius, qvia, fœdere cum Ægyptiis inito, jugum voluerat excutere, captus, & Samaria triennali obſidione preſſa atqve expugnata, populusq; Iſraeliticus decem tribuum in Aſſyriorum & Medorum colonas perpetuò ſerviturus diſperſus eſt. II. Reg. XVII. & XIIX. Ex qvibus omnibus conſtat, regnum Iſraeliticum à morte Salomonis, qvæ incidit in A. Mundi MMDCCCCLXIX. usqve ad abductionem decem tribuum Iſraelis, qvæ contigit An. Mundi MMMCCXXVII. annos CCLIIX. duraviſſe. Qvi anni etſi numeris regni, ſingulis Regibus aſſcriptis, non prorſus conveniunt, tu tamen memineris, annos rotundos plerumqve ſumi pro incompletis, & filium proregem ſæpe cum patre vel bellis occupato, vel ſenio langvido, vel morbis confecto regnaſſe, atqve ob id aliqvot ejus annos jam in patris annis numeratos denuò numerari. Interim (qvod & in Chronologia annorum, qvi aſſcribuntur Regibus Judæ, obſervandum eſt) ſemper recurrendum eſt ad illum annorum CCCXC. numerum, qvem definit Ezechiel c. IV. 5. à diſtractione regni ad excidium Hieroſolymitanum, qvod contigit Anno Mundi MMMCCCLX. Salomone autem defuncto, diſtractio regni contigit Anno Mundi MMCMLXIX. Abductio verò decem tribuum anno IV. Ezechiæ anno mundi MMMCCXXVII. Tu computa calculum & invenies rationem.)

XXXV. Horrendum iræ divinæ exemplum adduxiſti, ut ingratos & impios Iſraelitas perpetuæ ſervituti ob ſcelera ſua addictos meritò nobis ob oculos ponamus. Sed qvosnam incolas beatæ Palæſtinorum ſedes poſtea habuere? qvidve rerum Iſraelitæ in captivitatem abducti geſſere?

Abductis à Rege Aſſyriorum decem tribubus, in terras vacuas ex Babyloniis, Medis & gentibus aliis, qvæ Aſſyriorum regi paruerunt, coloniæ deductæ ſunt. Qvi populi omnes cùm nulla veri DEI religione tenerentur, à beſtiis & feris, qvas in eos DEUS armaverat, indignè ferens terræ ſibi peculiariter electæ prophanationem, graviter afflicti ſunt. Rex ejus rei certior factus, qvosdam ex abductis Sacerdotibus qvi religionem ſaniorem incolas docerent, miſit. Sed ecce vana hominum commen-

menta! Incolæ ſeqventibus temporibus Samaritani vocati, hinc ſuperſtitione jam à teneris hauſta tracti, illinc malis divinitus immiſſis preſſi, mixtum qvoddam & ex utraqve doctrina compoſitum religionis genus ſecuti ſunt, & Judæos cùm ante captivitatem Babylonicam, tum reduces jam factos, & novam templi ſecundi ſtructuram tempore Cyri & ſeqventium Perſicorum Regum molientes, virulento animi niſu oppugnavere, donec illis invitis, Darii Nothi & Artaxerxis Mnemonis tempore, novum templum conſummaretur, & Galilæa etiam iis eriperetur. Tempore Alexandri M. Manaſſes frater Jaddi Pontificis, cùm uxorem alienigenam, qvam legibus repudiare jubebatur, dimittere nollet, ab altari pulſus, ad ſocerum Sanaballaten in Samariam confugit, ibiqve templum Hieroſolymitano ſimile in monte Garizim è regione montis Hebol, in qvo qvondam Joſua, altari conſtructo, Deuteronomion in tabulas lapideas inſculpſerat, & holocauſtis DEO oblatis populo benedixerat, Joſ. IIX. 30. Alexandri permiſſu exſtruxit, ſeqve Pontificem profeſſus, Samaritanis id animi addidit, ut de loco adorandi Deum litem moverent Judæis, & non niſi libros Moſis approbantes, Davidem ejusqve filium Salomonem minus rectè feciſſe dicerent, qvod monte Silone in Ephraim relicto, in Sionem arcam tranſtuliſſet. Joſephus libro XII. cap. I. Joh IV. 20. Hinc factum, ut ſi qvis Hieroſolymis aut illiciti cibi ſumti, aut violati ſabbathi, aut ſimilis criminis reus ageretur, confeſtim ad Sicimas confugeret, calumniam ſe paſſum dictans. Joſeph. lib. XI. cap. IIX. Hanc litem tandem Alexander Epiphanes pro Judæis ſententiam ferens diremit. Joſeph. lib. XIII. cap. VI. Ingenium interea ſubdolum Samaritanorum qvis non miretur? Hactenus ſe, ſuo templo ſuperbientes, Ephraimitas & DEI Iſraelitici cultores aſſeruerant: Cum autem Antiochus Epiphanes Regem & ſacra Judæorum evertiſſet, ſe non Iſraelitas, ſed Sidonios nominarunt, utqve templum ſuum Jovi Xenio Cretenſi ſeu Hoſpitali conſecraretur, non repugnarunt. Subacti ſunt tandem Samaritani à Johanne Hyrcano Rege, qvi templum eorum Garizitanum, poſtqvam annis CC. Samaritanæ impietatis officina fuerat, funditus Anno Mundi MMMDCCCXV. cum gente Chutæorum evertit. Ad extremum autem uterqve populus cùm Samaritanorum, tùm Judæorum, variis agitatus ſeditionibus, in Romanorum poteſtatem conceſſit. Interim qvia templi Samariæ Garizitani hîc feci mentionem, notandum etiam hoc loco eſſe duxi, eo tempore, qvo illud Jovi Hoſpitali conſecratum eſt, Oniam Oniæ IV. Pontificis filium cum Judæis ſeditione pulſis in Ægypto,

permiſſu Antiochi Epiphanis, in Heliopolitana præfectura oppidum Hieroſolymis ſimile condidiſſe, inqve eo Templum Salomonæo conforme ædificaſſe. Joſ. lib. XII. cap. XV. & lib. XX. c. IIX. Qvod poſt CCCXXX. annos, templo Hieroſolymitano à Tito combuſto, Paulinus Ægypti Proconſul claudi juſſit, ita, ut veſtigium cultus divini in eo nullum remaneret. Joſ. lib. VII. belli Jud. II Macc I. Qvod verò attinet illos Iſraelitas, qvi inter gentiles in illis terris, in qvas à Salmanaſſere abducti ſunt, vitam egere, ſunt, qvi putant maximam eorum partem incluſos eſſe in montibus Caucaſæis, unde ad recuperandam terram ſanctam tandem ſint egreſſuri: qvos vel unica confutat Geographia, ne afferam Theologorum rationes, Iſraelem non niſi ſpiritualiter per prædicationem Evangelii ex Aſſyriaca captivitate liberandum fuiſſe, evidenter aſſerentes. Sunt, qvi putant. eos maximam partem trajeciſſe in Americam. Sunt qvi Boruſſos antiqvos, aliosqve barbaros, vocibus nonnullis, ut ita loqvar, hebraizantes, ex abductis Iſraelitis coaluiſſe dictitant. Veriſimile eſt, exules Iſraelitas pedetentim in leges, mores & ſuperſtitionem eorum, apud qvos exulabant, degeneraſſe. Nonnullos tamen in ſpe venturi Meſſiæ in remotiſſimis etiam terris perſeveraſſe, donec ab Apoſtolis ad Eccleſiam Chriſti inter gentes colligerentur: plurimos etiam ex omnibus X. tribubus ſeſe reliqvis Judæis, cùm ex captivitate Babylonica reducerentur, aſſociaſſe II. Par. XXX. 1. & XXXIV. 6. & ob id tempore adhuc Chriſti & Apoſtolorum Judæos pios ex omnibus ferè tribubus inventos fuiſſe, ut Hannam ex tribu Aſeritica, Paulum ex Benjamitica, alios ex aliis. Et qvod non omnes prorſus Iſraelitæ, inter gentes abducti cultum veri DEI ſtatim abjecerint, ex Hiſtoriâ TOBIÆ ex tribu Nepthalim oriundi patet. Ille enim ut a pueris aureos Jerobeami vitulos, qvibus occæcari vidit ſuos contribules, rejecerat, ita in Aſſyriam abductus, ſua egenis liberaliſſimè diſpertiit, & tandem ſtercore hirundinum è nido deſuper in dormientis faciem delapſo oculis privatus, extrema rerum penuria cœpit affligi. Sed cum angelus Raphael filium ejus in Mediam, debita exacturum deduceret, & cum novella uxore Sara. Raguelis filia reductũ parentibus cura & ſenio confectis redderet, non ſaltem ſpe fellis, qvod filius ejus balænæ è mari extractæ exemtum oculis cœcutientis impoſuerat, viſum, ſed & commodam vitæ ſuſtentandæ rationem ex egregia dote filio accreſcente accepit. Conjunge hic hiſtoriam lectu digniſſimam, qvam Joſephus lib. XIIX. cap. XII. refert de Aſinæo & Anilæo fratribus, qvi collecta manu Judæorum, ritus patrios adhuc tempore Hero-

Herodis Agrippæ ad Babylonem obſervantium, ipſi Parthorum Regi terrorem incuſſerunt: ſua tamen libidine, qvâ alter alienigenam duxerat, effecerunt, ut Barbari in gentis Judaicæ perniciem conjurati Seleuciæ, qvo ſe receperant, L amplius millia deleverint. Confer qvoqve qvæ Joſephus lib. X. cap. XII. de Judæo Sacerdote ſepulcri Regii Perſici cuſtode perpetuo habet, & intelliges, tantum abeſſe, ut Iſraelitarum & Judæorum in peregrinas terras, procul è ſedibus antiqvis deportationes omnem ex animis exulum fidem exemerint, ut potius plures ex gentibus ſingulari DEI gratia Eccleſiæ piorum conjuncti ſint.

XXXVI. Cùm ſeriem regum Iſraelitarum notam mihi feceris, redige qvæſo & Reges Judæ in unum numerum.

Faciam cum DEO, qvod cupis, & qvi DEO ſive perpetuo placuerunt, ſive ſe certo tempore probarunt, illos majuſculis notabo literis.

A. Mundi. A. Regni.

2969. I. Rehabeam Salomonis & Naemæ Ammonitidis Filius, præfuit annis 17 — 1. Reg. XII. & 2. Chron. XII. Joſeph. lib. 8. Antiq. Jud. c. 3.

(Hic pro aſſerenda regia autoritate adverſus decem tribus, qvæ Jerobeamum elegerant, exercitum educturus, à DEO monitus deſtitit: Contemptor alioqvin religionis, qvippe qvi aliis etiam in locis qvàm in templo ſacrificia fieri permiſit. Ideoqve Seſacus, qvi Seſoſtris fuiſſe videtur, Rex Ægypti, deditione occupatis Hieroſolymis, Regis & templi theſauros, interqve illos IX. aureas menſas, totidemqve aureos lychnuchos, & mille ſcuta aurea abſtulit. & in Judæorum ignominiam, qvi more imbellium populorum, priusqvam Martem experirentur, deditionem fecerant, columnam pudendis muliebribus inſculptam erexit: ut legere eſt apud Herod. lib. II. I. Reg. XIV.)

2985. II. Abia F. 3 — 2. Paral. XIII. 1. Reg XV. Joſeph. l. cit.

(Eductis in aciem CCCC. millibus, Jerobeamum duplo majoribus copiis inſtructum, ingenti prælio fudit, ut uno die, (qvod mireris, nec facile in claſſicis hiſtoriæ profanæ Scriptoribus invenias) D. millia cæderentur. II. Paral. XIII.)

2988. III. ASSA F. idolis confractis ipſam matrem à cultu Priapi removit. 41 — 1. Reg. XV. 2. Chron. XIV. Joſeph. 8. Antiq. c. 6.

(Diſciplina militari inſtaurata, & oppidis paſſim munitis, millena millia Æthiopum, (non qvi Africani & Occidui ſunt, ſed qvos Orienta-

les

les nominant, Arabibus conterminos) magno prælio delevit. II. Par. XIV. Tantus tamen tantarum copiarum victor cum externa Benhadadi Regis Syrorum auxilia adverſus Regem Iſraelis Baeſem ſollicitaret, & præterea ad morbum pedum levandum, qvo ultra biennium excarnificatus fuerat, non tam à Deo, qvam à Medicis opem qværeret, gravem DEI indignationem incurrit. II. Par. XIV.

2. Chron. XVII. usq; XXI. 1. Reg. III Joſeph. 8. Antiq. c. 9.

3028. IV. Joſaphat F. cujus encomia II. Paral. XVII. & XIX. vide deſcripta. 25

(Non qvidem laudes Regis hujus pientiſſimi, & ob reformatum Dei cultum & ob Rempubl. benè ordinatam celeberrimi, ſatis decantari poſſunt: Sed qvia non ſaltem affinitatem & fœdus cum Achabo, impiiſſimo Iſraelis Rege, contraxit, ejusq; filiam ſibi nurum elegit, ſed & in prælium contra Syros, infauſtis auſpiciis cum illo deſcendit, claſſemq;, Deo non conſulto, cum ejusdem filiis Ahaſia & Joramo in Oceanum ad exemplum Salomonis eduxit, & Moabitas nulla de cauſa oppugnavit, integram pietatis famam non retinuit, & ob id juſto DEI judicio Ammonitarum, Moabitarum & Edomitarum ingentes copias in ſui regni viſceribus prædas agere vidit. Qvos tamen precibus, non armis vicit: Nam hoſtes ſe mutuis & incertis vulneribus conficientes, ad unum omnes periere.)

2. Chron. XXI. Joſeph. 9. Antiq. Jud. c. 1.

3042. V. Joram F. Ahabi gener, de qvo II. Reg I. & IIX. II Par. 21. rex à patre deſignatus, cùm egrederetur in bellum contra hoſtes. 8

(Ad exemplum ſoceri & uxoris Atholiæ, cultor fuit Baalis impius, & à cædibus fratrum & paternorum amicorum regnum ſceleſte auſpicatus eſt. Hinc Deo tantam impietatem juſta vindicta perſeqvente non ſolum à Joramo Edomitæ, qvos malè habuerat, & præter illos Libnenſes defecerunt, ſed & Arabes Palæſtinis conſociati omnem Judæam & ipſam regiam rapinis deformarunt, uxoresqve regias & omnes earum liberos, unico ægrè elapſo, trucidarunt: ipſeqve Rex Epiſtolâ Eliæ Prophetæ monitus, inteſtina per ventrem dolore biennali effudit. Nec populus eum regio honore & monumento patrum dignum cenſuit.)

2. Chron. XXII. 2. Reg. 1. Joſeph. 9. Antiq. Jud. c. 2. & 5.

3056. VI. Ahaſia F. paucis menſibus pro anno ſupputatis præfuit. 1

(Cum avunculo Joramo Rege Iſraelis adverſus Haſaelem Syrum in prælium egreſſus eſt: ſed fuſus & fugatus cum XLII. cognatis ſeu fratribus à Jehu interfectus periit. Achabi enim Idololatræ veſtigiis inſiſtens unà cum eo exſcindi debuit.)

3057. VII. Athalia mater Ahaſiæ, Jorami uxor, Achabi F,

(Hæc

Hæc furiis agitata, vel potius à Satanâ ſtirpis Davidicæ infenſiſſi- 2. Reg XI Jo-
mo hoſte concitata, regnum ſibi rapuit, cumque filium ſuum peremtum ſeph. loc. cit.
audiiſſet, è Davidis familiâ neminem ſupereſſe rabioſa voluit. Sed A- cap. 7.
haſiæ ſoror Joſabeath Joam anniculum, ſuum ex fratre Ahaſia nepotem,
ſurripuit furibundæ, & ſummo Sacerdoti Jojadæ, clam aviâ, educan-
dum tradidit. Tutelam pueri tam fideliter adminiſtravit Pontifex, ut ſe-
ptimo poſt anno eum in templo creari Regem, Athaliam verò è medio
tolli curaret.]

3063. IIX. JOAS, Ahaſiæ filius primus templi partim vetuſtate col-
lapſi, partim impietate inquinati reparator 40

[Jojadam Pontificem in rebus omnibus ſecutus, laudem optimi & 3. Reg. XII.
pientiſſimi regis meruit. Sed eo defuncto quinquennium ætatis ulti- 2. Chr. XXIV.
mum, neglecto vero DEI cultu, transegit. Ideoq; à propheta & Pontifice Joſeph. 9. An-
Zacharia, Jojadæ filio, graviter correptus, & deinde à Syrorum rege Ha- tiq. cap. VII.
ſaële miſerrime afflictus eſt. Zachariam quidem lapidibus obrui juſſit:
ſed ab Haſaële, ingente pecuniâ è templo deprompta, libertatem rede-
mit, tandemque à conjuratis necatus ſepulcro regio caruit.]

3103. IX. AMAZIAS F. Patri ſimilis 29

[Dixi eum Patri ſimilem: Nam quam laudem à pietate primorum 2. Reg. XIV.
annorum commeruerat, eam poſtmodum novata religione, & pietatis 2. Chr. XXIV.
Prophetarumque contemtu corrupit. Expeditione enim in Idumæos Joſeph. 9 An-
facta cum eorum decem millia peremiſſet, totidemque immani tyranni- tiq. cap. 9.
de de ſaxo præcipitaſſet, Deos eorum impotentiſſimos colere veritus
non fuit. Conduxerat verò ab initio hujus belli milites Ephraimitas,
quos quia juſſus à Deo dimiſerat, hoſtes expertus eſt: Ideoque impru-
dens ipſum eorum Regem Joam provocavit à quo victus, captus, omni-
que theſauro exſpoliatus, urbem Hieroſolymorum expugnatam, dire-
ptam & magna mœniorum ſuorum parte nudatam vidit. Tandem ex
conjuratorum inſidiis & ipſe periit.

3129. X. UZIAS ſeu AZARIAS F. patri & avo ſimilis. Fuit ab anno 2 Chron. XVI.
ætatis quarto ſub tutoribus 12 2. Reg. XIV.
Deinde ipſe regno præfuit 52 Joſeph. 9. An-
tiq. Jud. cap. 11.

[Uti huius σύγχρονος Jerobeam II. regnum Iſraëlis ampliavit, ita
nec ipſe defuit ſibi regnovè, reditibusque regiis ex agricultura auctis,
oppida paſſim muniit, & ornatiora reddidit. & diſciplinæ militari inſtau-
randæ ſtrenuus incumbens, vir fortis, pius & parſimonia laudabili con-
ſpicuus audiit, à Palæſtinis & Arabibus egregiam victoriam reportavit,

conditaque urbe ad mare rubrum, præſidium in ea collocavit. Poſthæc Ammonitis ſubactis tributum præfinivit, & nominis celebritatem longè lateque diſſeminavit. Sed officii tandem limites curioſius transgreſſus, cum ſumto Sacerdotali amictu ſuffitum ad altare aureum eſſet facturus, lepra percuſſus & templo ejectus eſt, integroque novennio cutem & carnem ſuam morbo abominando exedendam dedit. Meminit Joſephus lib. IX. cap. XI. terræ motum eo temporis momento, quo Uzia lepra percuſſus eſt, contigiſſe, quo dimidium montis ad occidentem vergentis revulſum, & per quatuor ſtadia volutum, objectu demum Orientalis montis conſtitit, obſtructa via publica, & oppreſſis ruinâ hortis regiis.]

2. Chr. XXVI. Sulp. Sev. lib. I. cap. 8-3.

3192. XI. JOTHAM F. alter templi reparator. 16

[Feliciſſimus domi, & foris formidabilis, ab Ammonitis, prælio devictis, ingens exegit tributum.]

2. Reg. VI. 2. Chr. XXVIII. Joſeph. 9 Antiq. cap. 12, 13.

3207. XII. Achas F. impiiſſimus 16

[De hoc dubites, malitioſior fuerit, an infelicior. Syri eum primò afflixerunt, & multos Judæorum Damaſcum abduxerunt. II. Par. XXIIX. 5. Deinde Pecah Rex Iſraëlis ſtragem XII. millium in ejus exercitu edidit, ipſumque ejus filium Maeſaiam peremit, & ducenta millia captivorum abducturus, monitis DEI, qui tantam turbam libertati reſtitutam voluit, finibus Achaſi exceſſit: qui adverſus hos hoſtes, contra quam juſſus fuerat, Eſai. VII. 4. Tiglathpillaſſarem Regem Aſſyriorum evocavit. Sed ab ipſis illius copiis tandem preſſus, obſidione cinctus, & ad omnes regios theſauros prodendos adactus eſt. II. Par. XXIIX. 20. Quin & Edomitæ inſigni victoria potiti, non paucos Judæorum abduxerunt: Palæſtini quoque oppida nonnulla ſibi prius ademta recuperarunt. II. Par. XXIIX. 16. Ille tantis cladibus nihil emendatus, non ſaltem impietatis Achabi ſe fecit participem, & Idolo Baalis victimas obtulit, ſed & filium Cacodæmoni immolavit, & ſacris, contra quam leges jubent, paſſim locorum factis, ipſum templum, remoto vero altari, deteſtanda Idololatria prophanatum, omni pene ornatu denudavit, operâ uſus impii Pontificis Uriæ.]

2. Reg XVIII. 2. Chr XXIX. Eſ. XXXVIII. Joſ. lib. 10. Antiq. cap. 1. 2. Herod. l. 2. c. 41. Shikard. in Miſchna p. 54. Hammel. c. 4.

3272. XIII. HISKIAS ſeu EZECHIAS F. omnium optimus, tertius reparator templi II. Par. XXIX. 29

[Natus eſt, ex mente Chronologorum, Achaſo nondum decem annorũ puero. Ejus igitur putatur vel privignus, vel frater, vel adoptivus filius, cumque eo biennium, ſolus XXVI. annos regnavit, religionis puritatem

ritatem revocavit, reliquias Iſraëlitarum è regno Samariæ everſo ad Paſcha celebrandum convocavit, Idola, ut & æneum ſerpentem, olim à Moſe in remedium ſerpentinorum morſuum erectum, ne offendiculo eſſet Idololatris, confregit, & totum DEO ſe conſecravit. Excepit pietatem magna domi & foris felicitas. Nam victos Palæſtinos ad Gazam usque fugavit, II. Reg. XIIX. 8. Eſai. XV. Deinde vim, minas & blaſphemias Sannacheribi, regis Aſſyriorum, ſolis precibus fregit, & ut una nocte ab angelo Domini CLXXXV. millia cœlitus ſternerentur, impetravit. Fuit alioquin & ipſe humanæ fragilitati obnoxius, & cùm Deus miraculo, omnem naturam ſuperante, Solem, & ſic omne cœlorum ſyſtema, ejus cauſâ retraxiſſet, & XV. annos vitæ, peſtilenti morbo jam jam abrumpendæ, adjeciſſet, Merodacchi legatis cauſam umbræ Solis retrogradæ ſciſcitaturis, II. Par. XXXII. 31. faciliorem, quam par erat, ſe præbuit, & ob faſtuoſam theſaurorum oſtentationem pœnas ſuis olim nepotibus immittendas denunciari audivit.]

3251. XIV. MANASSES F. primis regni annis omnium crudeliſſimus & ſceleratiſſimus, deinde è vinculis Aſſyriacis dimiſſus, pientiſſimus; Quartus templi inſtaurator 55 — 2. Reg. XXI. 2. Chr XXIII. Joſeph. lib. 10. Antiq Jud. c. 4. Sulpit. Sev. lib. 1. c. 9 Cedren. pag. 91.

[Scelera ejus quamplurima notat Scriptura: Nam impio gentilium more vixit, aras Idolis paſſim erexit, aſtra coluit, templum imaginibus idololatricis prophanavit, ſobolem Dæmonibus mactavit, augures, fatidicos & incantatores magnifecit, innocentium ſangvine Hieroſolyma replevit, & ſi quando à Prophetis increpabatur, ludibrio illos habitos graviter afflixit. Ideoque rex Aſſyriorum, expeditione in agros Judæorum factâ, vivum eum cepit, & Babylonem captivum deportavit. Sed ſeriam in vinculis agens pœnitentiam, dimiſſus, templo & cultu Dei vero repurgato, ritibusque ſuæ puritati priſtinæ reſtitutis, ut & collapſis urbis mœnibus reparatis, inque iis altiſſimis turribus excitatis, piè diem extremum obiit.]

3305. XV. Ammon F. 2 — 2 Reg. XXI. Joſeph. lib. 10. Antiq. cap. 5.

[Impiam patris juventutem, non autem pœnitentiam imitatus, maturè dedit impietatis pœnas, à ſuis oppreſſus familiaribus, in quos tamen viciſſim animadvertit populus.]

3307. XVI. JOSIAS F. reparator Templi quintus, nulli pietate ſecundus 31 — 2. Reg. XXI. 2. Chr XXXIV. Jer. XXXVII. Joſ. 10. Antiq. c. 5. 6 Sulpit. Sever. lib 1. Hiſt. Sacr. cap. 91. Cedr. Otam.

[Omnia Idola confregit, omnes colles Idololatricos eſt demolitus, omnia altaria, quæ à Jerobeamo, & aliis impietatis aſſeclis, Diis alienis exſtru-

cap 24. Selden. Synt. 2. de Diis Syris. cap. 8. Cunæus lib 1. de Rep. Ebr. c. 14.

exſtructa erant, in Judæa & Samaria evertit, inque iis ipſos fanaticos Sacerdotes immolavit, inventos legis libros in publico legendos protulit, novoque inter DEUM & populum fœdere ſancito, Paſcha ceremoniis à DEO imperatis tanta magnificentia celebravit, ut à Samuelis usque temporibus vix ſit majori ſolennitate celebratum. Tandem cùm Pharaoni Necho, per Judæam adverſus Aſſyrios tranſituro, temerè occurreret, ſagittâ percuſſus, cum omnium piorum luctu interiit.]

NOTA.

Primis Joſiæ adhuc pueri annis veriſimile eſt, hiſtoriam Judithæ contigiſſe, quanquam aliqui poſt ſolutam captivitatem Babylonicam tempus hujus Heroinæ prorogent. Nam omnia dicuntur à Pontifice, tanquam tutore Regis, geri. Judith, cap. IV. 5. & 11. templum & urbs nondum fuerunt diruta cap. IV. 2. pax fuit, obtruncato Holoferne, diuturna cap. XVI. 30. Hiſtoria autem, ut ex noſtris hiſtoriis explicari queat, hæc eſt: Aſſarhaddonis, Eſ. XXXVII. 38. Regis Aſſyriorum, ſive filius, ſive nepos, Nebucadnezar, non ille Babylonius Judæorum everſor, ſed Ninivæ Dominus, devicto Arphachſade, ſeu Arbaze, Medorum Rege, longè lateque regni ſui limites extenderat. Ab Herodoto autem libro primo Phraortes nominatur, Patre natus Deloce, qui regno ad ſe fraudulenter pertracto, Ecbatanam Medorum, ſecundum Plinium & Euſebium, condere cœpit, & filio Arphachſadi ampliandam reliquit. Illius dux Holofernes oppidum Judæorum in Galilæa munitiſſimum, Bethuliam, in tribu Zabulon ſitam, Ammonitarum & Moabitarum conſiliis atque auxiliis uſus, validiſſimâ cinxit obſidione, & ad deditionem jam jam faciendam aquis interceptis videbantur adacti incolæ. Sed Judith, ex tribu Simeonis oriunda, in ſui populi libertatem viriliter incumbens, quanquam feſtivius induta, in caſtris Aſſyriorum, in ſummum vitæ caſtitatisque periculum ſe conjecerat, propitio tamen DEO uſa, Holofernis ebrii caput abſciſſum ad ſuos retulit, & ex muris ſuſpendi, hoſtesque forti animo aggredi juſſit. Judæos conatus fœminæ heroicus ita erexit, ut hoſtibus fugatis, integram ſibi parerent victoriam, proque tam inſperata liberatione DEO gratias feſtis diebus inſtitutis agerent.

2. Reg. XXIII. Joſeph. 10. Antiq. cap. 6. 7.

3330. XVII. Joahas, filius Joſiæ minor natu, Jer. XXII. 11. dictus Sallum 4

[Filius regis Joſiæ natu major Johanna ad regnum non pervenit. Reli-

Reliqui ejus tres filii, Joachim, Sedechias & Joahas, illud deguſtarunt, ſed omnes infauſto ſidere ad paternum faſtigium evecti. Joahas ſeu Sallum ſuffragiis populi fratribus reliquis prælatus, vix tribus menſibus rerum ſummæ præfuit, cum Pharao Necho Rex Ægypti captivum eum abduxit, & Judæis tributum imperavit, II. Reg. XXIII. 31. II. Par. XXXVI. 6.]

3338. XIIX. Eliakim Fr. alter Joſiæ filius, quem Pharao Necho fratri Joahaſo ſurrogavit, & Jojakimum vocavit 11

2. Reg. XXIV. 2. Chr. XXXVI. Jerem. XXII. XXVI. & XXXVI. Joſeph. l. 10. Antiq. cap. 7. 8. 9. Euſeb. lib. 9. de præpar. Evang. cap. 4.

[Poſtquam Pharao Necho ex Judæâ ſeceſſerat, & Palæſtinos miris modis vexaverat, Jerem. XLVII. Jojakim in Prophetas, mala inſtantia prædicentes, ſævire cœpit, & Uria necato, Jeremiam ſeniorum interceſſione ſervatum dimiſit, Jerem. XXVI. Ideoque Nebucadnezar Babylonius, filius Nabopollaſſaris, à patre adverſus hoſtes miſſus, victo & in Ægyptum repulſo Pharaone Necho, Jer. XLVI. expeditionem in Judæos ſuſcepit, & Hieroſolymis occupatis, Dan. I. 2. Danielem cum aliis generoſis procerum filiis Babylonem abduxit, populumque ad tributa ſolvenda adegit. Sed Jojakim poſt triennium, rumoribus expeditionis Ægyptiorum contra Babylonios excitatus, negato iis tributo, & libro Jeremiæ fatidico igni tradito, Jer. XXXVI. 23. à Nebucadnezare Syrorum, Chaldæorum, Ammonitarum, & Moabitarum auxiliis ſuffulto, ad deditionem adactus, vinctus, & in vinculis mortuus, nec ſuorum majorum monumentis illatus eſt, Jer. XXII 19. Abducti ſunt cũ eo MMMXXXIII. atque inter eos Propheta Ezechiel, Ezech. XXXIII. 21. Jer. LII. 28. & nonnulla templi vaſa, II Par. XXXVI. 7.]

3349. XIX. Jechonias ſeu Jojachin, ſeu, ut Jeremias cap. XXII. 24. nominat, Chania, filius Eliakimi ¼

2. Reg. XXIV. 2. Chron. XXX. Jer. LII. Joſeph. lib. 10. de Antiq. cap. 10.

[Cum hoc anni LXX. captivitatis Babylonicæ anno Mundi MMMCCCXLIX. ante natum Chriſtum DXLIX. incipiunt. Jerem. XXV. 11. XXIX. 10 Ezech. IIX XX. Nam Babylonium Regem, Jechoniæ dediſſe regnum, ſtatim pœnituit, veritum, ne memor injuriarum, patri illatarum, Judæos ad defectionem perpelleret: Ideoq; reverſus, Regem cum matre cepit, cumque eo vaſa & theſauros templi omnes, & præterea MDCC. captivos Babylonem abduxit. Sed Jechonias tandem poſt XXXVII. annorum decurſum, ab Evilmerodacho Rege Babyloniæ, è carcere extractus, interque præcipuos Regis amicos numeratus eſt, & omnibus aliis prælatus. II. Reg. XXIV. & XXV. II. Par. XXX. Jer. ult.]

3349. XX. Sedechias ſeu Mathanias, tertius filius Joſiæ, Jechoniæ patruus, è Salomonis ſtirpe cum poteſtate ultimus 11

2. Reg. XV. 2. Chr. XXXVI. Joſeph. lib. 10. Antiq. cap. 10. Sulp Sever. l. 2. Antiq. cap. 94. Cunæus l. 1. de Republ. Ebr. cap. 8.

[Conſtituerat hunc Nebucadnezar Regem: ſed cùm primis ſtatim regni annis cum Edomitis, Moabitis, Ammonitis, Tyriis & Sidoniis de jugo Aſſyriaco excutiendo conſilia ageret. Jerem. XXVII. 3. & nihil minùs Propheticas curans, inſuper cum Rege Ægypti Pſamno, contra fidem Aſſyriis datam fœdus iniret, Ezech. XVII. 7. Nebucadnezar triennali obſidione Hieroſolyma preſſit, & nihil moratus copias Ægyptias, quanquam iis ad tempus ceſſit, Jerem. XLII. 11. invaſit, ex fuga Sedechiam retraxit, eiq; oculos, quibus paulo ante viderat regiam familiam penitus deleri, eripuit, & templo, regiâ, atque urbe direptâ & concrematâ, muriſque dirutis, nulli ſexui, nulli ætati pepercit, omneſque aliquâ præpollentes dignitate, aut abduxit, aut trucidavit, vix paucis, qui agrum colerent, relictis, quibus præfecit Gedaliam II. Reg. XXV. 22. Jer. XL. & XLI. Hic cum reliquias Judæorum feliciter videretur collecturus, & jam miſerias ſuorum prudenter ſublevare cœpiſſet, ab Iſmaele, Regis Ammonitarum emiſſario, ex inſidiis cum nonnullis ſuorum ſceleratiſſime trucidatus eſt. Ideoque reliqui alicujus nominis Judæi in Ægyptum abierunt: cumque id diſſvaderet Jeremias, illuc eum vi ſecum traxerunt. Jerem. XLI. XLII. XLIII.]

XXXVII. Dixiſti Sedechiam, è Salomonis ſtirpe cum poteſtate fuiſſe ultimum: Sed memini Matthæum cap. I. 12. ex eo deducere ducem Zorobabelem.

Commodè quæris: Nam lubet hoc loco tibi Genealogiam Chriſti, quam Matthæus & Lucas diverſâ ratione texunt, planiſſimam facere. Etſi enim variæ ſubtilitates conquiſitæ ſunt, quibus διαφωνία Evangeliſtarum excuſari poſſet, nodum tamen in ſcirpo plurimos quæſiiſſe patebit, ſi cogitabis I. Lucam generationes ab Adamo ad Chriſtum exactè numerare; Matthæum verò Teſſaradecadas juxta tres inſignes in populo Iſraëlitico mutationes obſervare, & ob id aliquos, ut Ahaſiam, Joam, Amaziam, Reges Judæ, certo conſilio omiſiſſe. II. Matthæum & Lucam non per diverſas lineas unius & ſolius Joſephi genealogiam texere, ſed Lucam deſcribere ortum Mariæ ex Nathane, filio Davidis altero; Matthæum verò nativitatem Joſephi deducere ex Salomone Rege, Nathanis fratre. III. Fallere igitur, qui Salathielem & Zorobabelem apud Matthæum & Lucam confundunt. Nam Sealthiel apud Matthæum à Jechonia

nia ex ſtirpe Salomonis deducitur; apud Lucam verò Salathiel ex ſtirpe Nathanis. Nec ſufficit dixiſſe, Jechoniam tanquam ſobole deſtitutum adoptaſſe Salathielem Neri filium: Numeroſam enim poſt ſe reliquit poſteritatem. I. Par. III. 7. & in ea mediatis generationibus Sealthielem atque Zorobabelem, qui non poſſunt eſſe duces, propter maledictionem Jechoniæ, Jer. XX. 30. XXXVI. 10. Quid igitur dubii reſtat, ſi ſequenti ratione avos Chriſti numeramus? hos quidem, penes quos ab initio regia poteſtas aliquandiu fuit, usque ad Joſephum, Mariæ maritum, per Salomonem; illos verò, ad quos deſinente regia poteſtate devolutus eſt principatus, usq; ad Mariam, Joſephi uxorem, per Nathanem.

CONTINUATIO GENEALOGIÆ CHRISTI:

XXXIII. DAVID

Secund. Matth.		*Secund. Lucam.*	
Salomon		34. Nathan	
Rehabeam		35. Mathatan	
Abia		36. Menam	
Aſa		37. Melea	
Joſaphat		38. Eliakim	
Joram		39. Jonam	
[Ahaſia		40. Joſeph	
Joas		41. Juda	
Amazia]		42. Simeon	Privati
(*Hos tres omiſit*	REGES	43. Levi	
Matthæus, propter		44. Martha	
Teſſaradecadas)		45. Joram	
Uzia		46. Eliezer	
Jotham		47. Jeſo	
Ahas		48. Her	
Ezechia		49. Elmadan	
Manaſſe		50. Koſam	
Ammon		51. Addi	
Joſia		52. Melchi	
Jechonia		53. Neri	

Aa

(*In ſequenti Teſſaradecade etiam plures creduntur à Matth. omiſſi, ne numerus XIV. excederetur.*)

Sealthiel
Zorobabel
Abiud
Eliachim
Afor
Zadoch
Achin
Eliud
Eleaſar
Mathan
Jacob

} PRIVATI

Joſeph, Maritus Mariæ, ex quâ
JESUS CHRISTUS.

Bb

54. Salathiel
55. Zorobabel
56. Reſia
57. Johanna
58. Juda
59. Joſech
60. Simei
61. Mathathia
62. Maath
63. Nange
64. Esli
65. Nathum
66. Amos
67. Marhalia
68. Joſeph
69. Janna

} DUX

Hos Baronius & nonnulli ex noſtris Theologis faciunt Duces continua ſerie; Montacutius autem Exerc. II. ſect. III. nullum agnoſcit in Zorobabelis poſteris principatum in tribum Juda, cum omnia primum per Pontifices, deinde per Aſſamonaeos acta fuiſſe legatur.

(*Hinc Chemnitius, Carion, & alii putant, illum eſſe Johannem Hyrcanum, cujus laudes recenſet Joſ. l. 12. c. 4. & 5. Confer. 2 Macc. 3. 11.*)

70. Melchi
71. Levi
72 Mathat
73. Eli, dictus alioquin Joakim vel Jachim, non pater, ſed ſocer Joſephi, pater Mariæ, quam, ut Lutherus cenſet, nec diffitetur Baronius. quanquam Montacutius id aſſerere dubitet, ducta ex tribu ſacerdotali Anna, Eliſabethæ ſorore, genuit, ut ita Chriſtus futurus Rex, Dux & SACERDOS Iſraëlis, ex ſtirpe Regiâ, Sacerdotali & Ducali natus ſit. Maria enim virgo ejus mater, ex matre ſanguinem Sacerdotalem, ex Zorobabele Ducalem traxit, per deſponſationem autem in Joſephi familiam, quæ regia erat, tranſiit.
74. Maria, pro quâ Lucas penit Joſephum
75. JESUS CHRISTUS.

Quod autem in Genealogia, quam Lucas recenſuit, Joſeph dicatur fuiſſe filius Eli, id verè dicitur eo ſenſu, quo generi & nurus filiorum filiarumque nominibus appellari conſveverunt. Quod etiam Maria non dica-

dicatur filia Eli, quo tamen erat genita, ſed quod ejus loco ſubſtituatur maritus ejus Joſephus, qui gener Eli fuit, in cauſa eſt, quod uſitatum apud Judæos non erat, ut in Genealogiis fœminæ cenſerentur, niſi incidenter, & alia de cauſa, ut de Rahab & Ruth factum legimus.

XXXIIX. Genealogiam Salvatoris noſtri videor mihi intelligere: Sed ut ad captivitatem Babylonicam revertamur, quisnam quæſo ſtatus Judæorum in ea fuit?

Miſerandus admodum, ut vel unus Pſalmus CXXXVII. docere poteſt. Sed concionibus Prophetarum ſublevabatur miſeria. Ezechiel enim & Daniel, vaticinia conſolationibus intermiſcentes, captivitatem fecerunt tolerabiliorem. Et Daniel quidem, ſi quid apocrypho ſcripto, Prophetiæ Danielis adjecto, dandum eſt, quamprimum annis captivitatis LXX. nondum inchoatis, ſub Jojakimo in Babyloniam transportatus eſt, puer adhuc, SUSANNAM, adulterii falſo inſimulatam, ſingulari prudentia morti ſubtraxit, & mœchos, à quibus incuſata fuerat, ultimo addixit ſupplicio, Dan. XII. Deinde, cùm Nebucadnezari ſomnium de quatuor Monarchiis, in ingenti ſtatuâ & coloſſo præfiguratis, explicuiſſet, ut Judæis reliquis, paulò poſt iterum iterumque abducendis, Pater quæreretur, eò dignitatis evectus eſt, ut à latere regis perpetuò eſſet, & conſiliis publicis adhiberetur. Et licet cùm ipſi, tùm ſociis, & cognatis ejus, Hananiæ, Miſaëli & Aſariæ, ſeu, ut Chaldaicis eos appellem nominibus, Sadracho, Miſacho & Abednegoni, pericula objicerentur immenſa, his quidem, ut ob negatum ſtatuæ aureæ cultum in furno ardenti Nebucadnezaris ſeu Nabuchodonoſaris juſſu cremarentur, unde tamen nulla corporis vel veſtimentorum parte læſi egreſſi ſunt; Iſti vero, ut ob preces ad verum DEUM effuſas Leonibus à ſervis Darii Medi, ultimi Aſſyriorum Regis, in victum objectaretur: Utrisque tamen profuit calamitas: Daniel enim intactus à Leonibus prodiens carior deinde fuit Regi, imprimis cum ab iisdē Leonibus diſcerperentur, qui eum ad beſtias damnaverant; Cognati itidem Danielis, nova aucti autoritate, poſthac ſummis regni negotiis curandis adhibiti ſunt. Antequam autem Daniel à Dario Leonibus objectus fuit, viderat Nebucadnezarem, ob inſolentem animi impotentis faſtum ab hominum conſortio inter beſtias ſeptennio integro remotum, & denuo cùm ſanitati, tùm regno reſtitutum: Viderat præterea Belthaſarem

Dan. II. 19. VII. 1. 17. III. 27. V. 5. 17. 26. VI. 22. 28. Joſeph. l. 10. Antiq Jud c 11. 12. Gregor. Abul. Pharaj Hiſt. Dynaſt 4. & 5. pag. 47 Sulpit. Sever. lib 2. in princip. cap. 3. & 11.

ſarem, Nebucadnezaris nepotem, ebrium, divinâ illâ ſcripturâ (MENE MENE TEKEL UPHARSIN) monitum, ab amicis conjuratis interfici; Viderat denique Darium, à cujus ſervis, invito pene rege, leonibus inſons objectus fuerat, à Cyro captum, omnique regno exutum. Quin & ipſius Cyri tempore, ſi Apocryphos S. Scripturæ libros in teſtimonium allegare velimus, hoſtes expertus eſt. Nam cùm Sacerdotum in divinitate Idoli Belis probandâ fallacias cineribus ſparſis, furtiva veſtigia exprimentibus, detexiſſet, & Draconem Babyloniorum, loco Numinis coli ſolitum, lethifero edulio ſuſtuliſſet, ſex integras noctes in leonum foveâ ſalvus, & à Propheta Habacuc per aëra delato cibatus conſumſit. Dan. XIV. Quæ omnia in Daniele & aliis DEI ſervis miratus Cyrus, & ex oraculis Prophetarum & imprimis Eſaiæ cap. XLV. de captivitate Judæorum à ſe ſolvenda, deque vero Iſraëlis DEO colendo, edoctus, Eccleſiæ ſe præſtitit nutricium eximium, edictoque promulgato, quo Judæis (hoc enim nomen, qui prius dicti fuerant, vel Hebræi, vel Iſraëlitæ, nunc primum ſolutâ captivitate ſortiti ſunt) omnia ſua reſtituit, & ut patriam repeterent, urbemque & templum inſtaurarent, ſumtibus neceſſariis promiſſis, vaſisque templi aureis & argenteis redditis, ipſis autor fuit. Id interim notes velim, Judæis dicto LXX captivitatis annorum tempore in ipſa Babylone ſuperfuiſſe Sapientes. Sanhedrin, qui indultu Regum Babyloniæ poteſtate judiciaria uſi, res Judæorum ordinavere: Quorum princeps, dictus NASI, ex qualibet tribu legi poterat. Præerat illis præterea, ſed non niſi ex Davidis ſtirpe, Reſchgalioth, ſeu Aichmalotarcha, id eſt, princeps Exulum, ad quem curæ tribuum potiſſimum devolvebantur. Et quidem cum jam finitis ſeptuaginta captivitatis annis illi rediiſſent in Palæſtinam, qui ſe Duci Zorobabeli & Joſuæ Pontifici aſſociaverant, plurimis Judæorum novæ in Babylonia ſedes ſic placuere, ut illas terræ ſanctæ præferrent: Hisq; ipſis tantæ fuere vires, ut Hyrcano ex Parthis ad Herodem properanti infulam & Diadema, pontificatum ſcilicet & regnum, offerrent; tantaque autoritas & exiſtimatio, ut commiſſa ſibi Babylonici imperii arcana Sacerdos Hebræus in turri immenſi operis in Ecbatanis Perſarum exſtructa cuſtodiret. Et hodienum in urbe Bagded Judæis τῆς πάλαι διασπορᾶς, ſeu antiquæ diſperſionis, Aichmalotarcham ſeu Principem captivitatis ex tribu Davidis ſupereſſe, ſunt, qui ex Benjamini Tudelenſis Itinerario credunt.

XXXIX. Quo quæſo anno ſeptuagenaria captivitas Babylonica finita eſt?

Si,

Si,uti ſupra dictum eſt, ann. mundi MMMCCCXLIX. cœpit, finita eſt anno MMMCDXIX qui quidem erat annus imperii Cyri XXIX. ingens, primus tamen ab Esdra cap. I. 1. dictus, quia in gratam liberationis memoriam Judæis novam Epocham in Cyro conſtituere placuit. Egreſſi ſunt autem ſub Duce Zorobabele, & Joſuâ Pontifice, præter CCCLX quadraginta duo millia Judæorum, atque Deo jugis ſacrificii inſtauratione placato, feſtorumq; dierum celebratione collaudato, fundamenta Templi prima poſuerunt. Sed pietatem Cyri impietas Samaritanorum ſcelerato niſu impediit. Illi enim cùm à Judæis jure templi conjunctâ operâ exſtruendi, excluderentur, Cyri, bello Maſſagetico, quo à Tomyri occiſus periit, occupati, Satrapas donis & perſvaſionibus à pio opere avocarunt. Eſdr. IV. 1. Nec tempore Cambyſis, furioſi illius regis & Darii Hyſtaſpis, ab avaritia & tenacitate admodum infamis, quicquam memoratu dignum à Judæis ſuſcipi potuit. Xerxi quoque, quem Scriptura Ahaſverum nominat, Eſdr. IV. 6. cū Ægyptios rebelles in ordinem cogeret, Judæi Ægyptiis vicini, in aulâ regiâ de fide ſuſpecti facti ſunt. Ideoque nec ipſe Xerxes, nec ejus filius Artaxerxes Longimanus, quem Eſdras Arthaſaſtam nominat, Eſdr. IV. 7. urbem & templum Judæorum inſtaurari voluerunt. Ipſe interim Xerxes, cùm tertio regni anno epulum ſumptuoſiſſimum Suſis in Perſiâ per ſemeſtre ſpacium luxu plus quàm regio protraxiſſet, ſuperbamque uxorem Vaſthi, contumaciæ ream, repudiaſſet, & factâ per totum orbem Perſicum formoſarum virginum conquiſitione, Eſtheram, antea à Judæis Hadaſſam dictam, quæ ob pulcritudinem placebat, inveniſſet, illam in torum regium aſſumſit, eo ipſo quidem anno, quo à Græcis fuſus & fugatus, in regnum redierat, ut vel hinc ſtoliditatem & libidinem Xerxis, paſſim ab Hiſtoricis notatam, intelligere queas. Accidit autem anno ejus XII. ut, neſcio ob quod meritum, Hamanem, ex poſteris Agagi Amalecitæ, quem Samuel obtruncaverat, eò dignitatis eveheret, ut proximus à Rege haberetur. Sed cùm Mardochæus, patruus reginæ grandævus, qui ante CXXVII. annos captivus fuerat tempore Jechoniæ abductus, & ſecundum Philonem annum ætatis, ſi tres demas, ducenteſimum attigit, caput Hamani detegere, & genibus flexis eum adorare recuſaret, DEO hunc honorem integrum reſervaturus, codicillos ille, excidium Judæi nominis imperantes, ingenti pecuniarum vi Regi oblatâ, conſcribi, & Mardochæo crucem erigi curavit. Quem verò voluit penſilem videre, illum, Rege memoriam beneficii, quo à ſicariorum telis beneficio Mardochæi

Joh. Vorſt. in Exerc. Acad. de LXX. Annis Captiv. Babyl.

olim ſervatus fuerat, recolente, ſervus comitari, & triumphantem per urbis plateas deducere juſſus eſt, & tandem in eam crucem ſublatus, quam Mardochæo paraverat, pœnas ſe dignas luit, populusque Judæus, poteſtate ſibi facta, vim vi repulit, multisque proſelytis ad verum DEI cultum perſvaſis, in rei tam feliciter geſtæ memoriam, feſtos dies Purim, annuatim ſolenni celebrandos feſtivitate, inſtituit.

XL. Gratum eſt, te & ſuprà Hiſtoriam Juditha & Tobiæ, & hic ea, quæ de Eſtherâ in Scripturis tradita ſunt, commodo loco pro ratione temporis deſcripſiſſe. Sed quandonam fundamenta templi ſecundi, jam Cyri temporibus jacta, & hactenus malevolorum invidiam paſſa, altius ſurrexerunt?

Idem. Ibid. Id nondum ſub Artaxerxe Longimano contigit. Nam etſi conabantur Judæi & exſtructioni templi incumbere, & muris ſe includere, tamen Syri, & quicunque alii terminos Judææ attingebant, Regi turbulentum & ſeditioſum Judæorum genium graphicè magis, quam verè expoſuerunt, id curantes, ut ab opere eos edicto ceſſare juberet. Sed defuncto Artaxerxe res Judæorum felicius cœperunt geri. Ejus enim filiis, Xerxe II. & Sogdiano intra annum parricidio ſublatis, regnum devolutum eſt ad Darium Nothum, ſive ex pellice Artaxerxis natum, ſive ſororis ejus maritum. Hic (ne, quod Joſephus ex Apocrypho libro Esdræ recenſet, ex ignorantiâ prætermiſiſſe videar, quanquam ille de Dario Hyſtaſpe loquitur) memor voti, quo ſe, ſi poteſtatem regiam adipiſceretur, obſtrinxerat III. Eſdr. IV. 46. Joſeph. libr. XI. cap III. cùm anno Imperii ſecundo Satrapas ſuos ſplendido apparatu & luxu Perſico excepiſſet, & inter eos Zorobabelem Judæum cum aliis ſatellitibus de potentia fœminarum & veritatis longè majore, quam quæ vini & Regis eſſe poteſt, diſſerentem audiiſſet, templi inſtaurationem hactenus negatam conceſſit, & vaſa olim per Nebucadnezarem perlata Babylonem, necdum per Cyrum reddita, Judæis reſtituit. Atque ſic, Haggæo, & Zacharia Prophetis animum populo addentibus, pium opus ſtrenuè ſub manibus ſucceſſit, & poſt annum VI. conſummatum eſt. Et ab hoc tempore, videlicet anno Mundi MMMDXXIIX. numerandæ ſunt LXX. hebdomades Danielis, ſeu anni CDXC. usque ad Hieroſo-

roſolymorum excidium, quod contigit anno mundi poſt quater milleſimum XIX poſt Chriſtum natum anno LXX. Tantum autem abfuit, ut Darius Nothus literis præfectorum Syriæ à pio exſtruendi templi propoſito avocaretur, ut potius novo privilegio caveret Judæis: qui, quod dixi, anno imperii Darii ſexto templum abſolverunt, dedicarunt & feriis Paſchalibus habitis initiarunt, & Rempubl. ad tenorem legum ſuarum per optimates adminiſtrari curaverunt.

XLI. Raram Darii Nothi, noni Perſarum Regis, pietatem, cujus hiſtoriam profani Scriptores ſicco ferè pede prætereunt, mihi proponis. Num autem hoc ſecundum templum Salomoneam præ ſe tulit magnificentiam?

Id lacrymæ ſeniorum, in fundamenta ejus fuſæ conteſtantur, Esdr. III.12. Ut autem, quâ in re præcelluerit templum Salomoneum, ſcias, hoc Perſicâ munificentiâ exſtructum templum I. non fuit laminis aureis obductum, ſed hoc, & multo alio ornatu caruit, ſumtibus neceſſariis deſtitutum. II. Altare Holocaumatum in eo, ob redeuntium inopiam, non factum fuit æneum, ſed lapideum I. Macc. IV.46. III. Defuit etiam præter multa alia, mare & luteres ænei, vaſis luteis loco eorum adhibitis. IV. Altitudo ejus LX. cubitorum æquavit ſaltem dimidiam prioris templi partem. Rabini dicunt, templo ſecundo res quinque defuiſſe: I. Arcam fœderis. II. Urim & Thumim. III. Ignem ſacrum. IV. Divinam præſentiam, ſeu gloriam Domini. V. Spiritum Propheticum, &, ut probat Galatinus, lib. IV. cap. XVII. oleum ſacrum. Nonnulli tamen, hæc omnia non defuiſſe, ſed aut paulatim defeciſſe, aut ab Antiocho Epiphane ablata fuiſſe, cenſent.

XLII. Cùm Judæi denuò jam ſuis vivere legibus cœperint, num felicius poſtmodum res eorum ſe habuerunt?

Defectum Hiſtoriarum Hebræarum ab hoc tempore ad Judam usque Maccabæum, per annos trecentos quinquaginta, non immeritò deploramus. Pauca tamen annotavit Scriptura, nonnulla Joſephus. Defuncto Dario Notho ſucceſſit Artaxerxes Mnemon gener, violenta fratris Cyri Junioris, & trium liberorum funera, aut ipſe procurans, aut procurata

Eſdr. IX & XI. Sulp. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. c. 15. Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. ad Ebr. Irenæus lib. 3. cap. 25. Joſeph. 11. Antiq. cap. 5.

rata infelix intuens. In hujus amicitiam pervenerat Esdras, primarius Judæorum, qui Babylone remanſerant, Sacerdos, Esdr. VII. 1. & auro atque argento, quo novum templum exornaretur, à Rege, proceribus, atque amicis, inſtructus, atque comitibus MD ſtipatus, in terram ſanctam contendit, Legis libros ab interitu vindicatos populo prælegit, exteras ductas dimitti juſſit, & ſacra volumina, ſi Scaligero vis credere, cùm Hebraicarum literarum formas aut connexionem Judæi, Chaldaicæ lingvæ in Babylonicâ captivitate aſſvefacti, non amplius intelligerent, figuris Chaldaicis deſcripſit. Aliis enim, atque nunc, characteribus olim ante captivitatem Babylonicam conſcripta fuiſſe Biblia, cùm ex aliis rationibus, tùm ex Pentateucho Moſis, qui antiquis literis in Palæſtina apud Samaritanos aſſervari dicitur, comprobare conatur Scaliger. Cui an ſuffragetur, quod de Maſorethis traditur, quivis judicet. Esdras enim Sacerdos ut demonſtrat Buxtorfius in commentario Maſorethico, ſoluto exilio Babylonico, concilium magnum, ſeu ſenatum Eccleſiaſticum magnum CXX. virorum congregavit, penes quos fuit triplex Legis, Sacerdotii & Regni corona, quique de religionis ſummâ piè, graviterque conſultantes, ut ſaluti poſteritatis proſpicerent, quicquid heterogeneorum ſcriptorum in Canonem S. Scripturæ irrepſerat, rejecerunt, numerum librorum authenticorum conſtituerunt, alios Legem, alios Prophetas, alios Scripta ſancta ſeu Hagiographa vocarunt, textum in verſus diſtinxerunt, diverſas vocum literas & vocales, & pronunciationem non ſaltem notarunt, ſed & ipſas voces & earum literas numerarunt, ut ſciretur, quæ litera, quæ vox, qui verſus, in ſingulis libris mediũ occuparet, quæ vox non niſi ſemel occurreret, quæ voces ſæpius, & quoties ſub hac vel illâ formâ legerentur: idque eo fine, ut ne minima quidem mutatio contextus Biblici invehi queat, quin ſtatim deprehendatur. Sed & alii, ut Fullerus Miſcell. lib. IV. cap. IV. Scaligeri opinionem de mutatis literarum Hebraicarum formis doctè refellunt. Etſi autem jam tria regum Perſiæ edicta de Judaicæ Reipubl. inſtauratione facta erant, Cyri puta, Darii Nothi, & Artaxerxis Mnemonis, Nehemias tamen Judæus, ex Davidis ſtirpe, ut Cedrenus habet, Artaxerxis Mnemonis pincerna, cùm non ſine lacrymis inaudiret, excurſionibus & depopulationibus vicinarum gentium ſuis popularibus multũ detrimenti inferri, veniâ à Rege impetratâ, urbem, Samaritanis fruſtra renitentibus, muris cinxit, ad Legem Moſis delinquentes coërcuit, & Rempubl. tam ſapienter ordinavit, ut laudem principis eximii promereretur. Quæ-

nam autem fata, Nehemiâ defuncto, Eccleſiam per ſubſequentia duo ſecula manſerint, vix ſcire licet. Ne tamen Hiſtoria noſtra hîc deficiat, Pontifices ſeu Sacerdotes ſummos Judæorum, ab ipſo Aarone, usque ad Aſſamonæos numeratos, ex I. Par. VI. XXIII. XXIV. Joſeph. lib. V. cap. XII. & lib. VIII. cap. I. & lib. X. cap. XI & lib. XX. cap. VIII. recenſebimus, idque eo gratius fore tibi ſpero, quia penes eos rerum ſumma paulatim eſſe cœpit. Etſi autem ſcio, à Joſepho nonnunquam, ut lib. X. cap XI. alios aliis nominibus numerari, nobis tamen, quicunque ex ſacris erui poſſunt, aſſcribere lubitum eſt.

SERIES PONTIFICUM V. T.

I. Aaron, filius Amram Frater Moſis, ex tribu Levi Caathiticâ, extra ſortem à Deo viva voce, ad eximium pontificatus munus, nominatus, & adverſus Levitas Schiſmaticos divino miraculo aſſertus.

[Quatuor habuit Filios, quorum duo, Nadab & Abihu, ignem alienum ſuccendentes, deleti ſunt; reliqui duo Eleazar, & Ithamar jus ſucceſſionis obtinuerunt: Ille ſtatim defuncto patre; Hujus poſteri, cum Eli poteſtatem judiciariam civilem Sacerdotio jungeret.

II. Eleazar F. qui patri, anno mundi MMCDXCII. populo adhuc per deſertum peregrinante, ſucceſſit.

III. Pinehas F. qui ob interfectum Zimri, principem populi, cum Moabitide illicitâ congreſſum Venere, paſſim in Scriptura laudatur.

IV. Abiſua F.
V. Bukki F.
VI. Oze F.
} Joſeph. lib. V. cap. ultimo.

VII. Eli, Judex primus ex poſteris Ithamari.

[Quia enim poſteritas Eleazaris in docendo & arguendo populo negligens fuit, translatum eſt Sacerdotium ſummum ad poſteros alterius filii Aaronis, Ithamari. Eli per colliſragium extincto.]

IIX. Achitob, Filius Pinchæ, in prælio contra Philiſtæos cum fratre Hophni extincti, Nepos Elis.

[Hic quia tempore Samuelis vixit, vix videtur inter ſummos Sacerdotes relatus, nec quicquam ſcitu dignum geſſit.]

IX. Ahia F. I. Sam. XIV, 3. & 18.

X. Achimelech, Fr. cum LXXXV. Sacerdotibus à Saule interfectus, quod Davidem profugum cibaverat, I. Sam. XXII. 28.

XI. Abiathar F. I. Sam. XII. 20. XXX. 7. pontificatum tenuit XL. annos.

[Cùm alio loco eſſet arca, & alio tabernaculum, ut quæſtione XXI. probatum dedimus, illa quidem translata in domum Davidis Hieroſolymitanam; hoc autem relictum in Gabeone: Ideoque David Sadocum de domo Eleazaris præfecit tabernaculo Pontificem; Abiatharem autem juſſit Hieroſolymis ſummum eſſe Sacerdotem. Cujus tamen vices ſubinde geſſiſſe videtur Achimelech filius.]

XII, Sadoc, ex familia Eleazaris, Esdr. IV. 2. poſtliminio pontificatum reduxit in domum Eleazaris.

Zemah David ad Ann. 3460. Druſ. de ſect. Jud. lib. 3. cap. 3.

[Quia enim Abjathar partes Adoniæ fovit, ideoque, eo depoſito pontificatus Sadoco concreditus eſt, ut primus eſſet in templo Salomonis pontifex, I. Reg. II. 27. filius Achitabi, nepos Amariæ, pronepos Merajohi, abnepos Zerajæ, atnepos Oze, qui poſtremus ante iſtum de domo Eleazaris ſummo functus erat Sacerdotio. Poſt Sadocum qui fuerint ſummi Sacerdotes, non facile eſt explicare, ſi eos, quos ſacra ſcriptura paſſim nominat, conferimus cum catalogo Pontificum, quem Joſephus lib. X. cap. XI. nectit. Sed & alios atque alios recenſent Nicephorus, Chronicum Siculum, Genebrardus. Et ſeries filiorum Sadoci, quæ enarratur I. Par. VII. ab omnibus ſuperioribus diſcrepat. Sic enim in Paralipomenis linea Sadoci genealogica per XII. generationes deſcendit: Sadoc: Ahimas: Azarias: Johanan: Azarias: Anonias: Achitob: Sadoc: Sellum: Helkias: Azarias: Serajas: Joſedec, qui deportatus eſt in captivitatem Babylonicam. Joſephi Catalogus, ſublata Lectionis menda, quæ in textum animadvertente Montacutio in Analectis exercit. VI. cap. I. irrepſit, hic eſt: Ahimas: Azarias: Joramus: Phideas: Sudeas: Julus: Jothamus: Urias: Nerias: Odeas: Soldamus: Ilkias: Sareas: Joſedec. Genebrardi hæc eſt ſeries: Ahimas: Azarias: Joas: Jojarib: Joſaphat; Jojada: Sedechias: Joel; Joathan: Urias: Nerias: Ozias: Sellum: Hilkias: Azarias: Seraia: Joſedec. Sic cum liber Paralipomenon recenſet XII. Joſephus XIV. Genebrardus cum Rabinis numerat XVII. Id interim certum eſt, nonnullos in illa ſucceſſione à Sadoco usque ad captivitatem intervenire potuiſſe, qui tanquam Curatores & ἐπίτροποι, Pontificatum pro parvulis relictis & fratrum filiis adminiſtrarint. Nos adſcribemus, quos in ſacra ſcriptura legimus ſummo ſacerdotio fuiſſe adhibitos.]

XIII.

XIII. Ahimaaz Fil. Sadoci, Joſeph. lib. X. cap. XI. I. Par. VII. 8.

XIV. Azarias Fil. I. Par. VII. 10.

XV. Amarias, tempore Joſaphati, II. Par. XIX. 11.

XVI. Jojada, tempore Athaliæ & Joæ, I. Reg. XII. 7. qui anno ætatis CXXX. ſepulcris regum illatus fuit II. Par. XXIV. 15. Hujus filius Zacharias à Joa Rege, à ſe ipſo degenerante, in ipſo templo necatus, an fuerit ſummus Sacerdos, diſputant nonnulli: nec qvicqvam certi afferri poteſt.

XVII. Azarias Uſiæ regi incenſum adolenti, & ob id lepra percuſſo reſtitit. II. Par. XXVI. 17.

XIIX. Urias, Jothami Filius, idolomaniam Achazi facillimo conſenſu promovit II. Reg. XVI. 15.

XIX. Aſarias pietatem Hiskiæ conſilio & opera adjuvit. II. Par. XXXI. 14.

(Qvi Judithæ hiſtoriam in tempora Joſiæ referunt, hîc collocant Jojakimum. Judith. IV. 11. Torniellus etiam illum Eliakim, cujus fit mentio II. Reg. XIIX. 2. & Eſ. XXXVI. 2. cum prædeceſſore Sobna ſummum fuiſſe Sacerdotem autumat, idqve ex officio atqve veſtimentis ejus colligit.)

XX. Helkia, filius Sellum II. Reg. XXII. 4. cujus opera Joſias in inſtaurando templo uſus eſt.

XXI. Seraja F. à præfecto Nebucadnezaris cum præcipuis ex populo viris in Reblatha interfectus, Pater Eſdræ, II. Reg. & Jerem. ult. capp.

XXII. Joſedec F. Eſdræ frater natu major, à Nebucadnezare in Babylonem abductus I. Par. VII. 16.

(Hunc Joſephus lib. XX. cap. IIX facit Pontificem trigeſimum primum: Sed alios recenſere, qvam qvos in ſacris legimus, animus non fuit. Nunc porro ſeqvemur Joſephum ad directorium Nehemiæ cap. XII. 5. & 11.)

XXIII. Jeſua ſeu Joſua F. nepos Eſdræ, ex fratre Joſedeco.

(Hic cum patruo ſuo Eſdra, filio Saraiæ, Eſdr. XII. è Babylonia redux, urbem & templum reficere cœpit.)

XXIV. Jojakim F.

XXV. Eliaſib. F.

XXVI. Jojada F. qvem Joſephus vocat Judam, lib. XI. cap. VII.

XXVII. Jonathan F. qvem Joſephus vocat Johannem.

 (Hic

(Hic fratrem Jeſum, cui Bagoſes ſeu Bagoas Eunuchus, Imperator copiarum Perſicarum promiſerat pontificatum, in ipſo templo interemit. Ob qvod ſcelus Judæi libertatem per ſeptennium perdiderunt, templumqve à Perſis pollutum eſt. Joſ. II. cap. VII.)

Joſeph. lib. II. Antiq. cap. 8. Euſeb. lib. 8. Demonſtr. Evang. c. 2. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei. c. 45.

XXVIII. Jaddus ſeu Jaddua F. tempore Alexandri M.

(Hujus frater Manaſſes cum uxorem alienigenam Micaſonam repudiare legibus ſciſcente populo juberetur, confugit ad Socerum Saraballetem præfectum Samaritanum: qvi à Dario Codomanno, Rege Perſarum, deficiens, Alexandro M. octo millia auxiliariorum adduxit, & genero Manaſſi poteſtatem templi in monte Garizim exſtruendi impetravit. Ipſe autem Alexander M. expugnatâ Tyro & Gaza infeſto animo contendit in Judæos, qvi Græcis forum rerum venalium aperire noluerant. Sed Jaddus, à Deo in ſomniis monitus, coronata urbe, portas aperuit, & ſolenni veſtimenro indutus, cum reliqvis Sacerdotibus & omni populo prodiens, Alexandro novo ſpectaculo Numinis illius memoriam ingeſſit, qvod olim nocturna viſione victoriam de Perſis promiſerat. Rex igitur victimis DEO oblatis, ſuas victorias à prophetis multis ante temporibus prædictas fuiſſe didicit, & Judæis αὐτονομίαν conceſſit. Joſ. l. XI. cap. ult.)

Joſeph. lib. II. antiq. in fin. & l. 12. c. I. Appian. in Syriac. p. 119, Uſſer. ad Ann. 3684.

XXIX. Onias I. F. Joſ. XI. cap. IIX.

(Hujus tempore Ptolomæus Lagi, anno Mundi poſt ter milleſimum DCXXXIIX. Judæos Hieroſolymis Sabbathum celebrantes, dolo circumvenit, inclementer habuit, multos eorum in Ægyptum tranſtulit, eosq; deinde ob fidem, qvam audierat illos Regibus præſtare ſolere, aut pari, aut potiori jure cum aliis vivere paſſus eſt, Joſeph. lib. XII. c. I.)

3650. XXX. Simeon Juſtus F. cœpit præeſſe ſecundum Galviſii calculum ex Euſebio deductum anno Mundi MMMDCL. 12

(Hic juxta Syracidem cap. L. verſ. I. templum inſtauravit, auxit, & à ruina vindicavit, Pontifex per XII. annos optimus)

3662. XXXI Eleazar, Oniæ I. Fil: Simeonis Juſti Fr. filio Simeonis Onia adhuc puero, ſuſcipit Pontificatum. 33

Ariſtæas lib. de 70. interpp. Joſeph. lib. 12 c. 2. Juſtin. Martyr. in Apol. 2. Irænæus l. 3. c. 25 Euſeb. lib. 8. de præpar Evang. c. l. Auguſtin.

(Hujus tempore Ptolomæus Philadelphus, vel potius Philobiblius anno ante C. N. CCLXVII. Judæorum circiter viginti millia dimiſit, templum multis Regiis donis, adeoqve menſa aurea, crateribus atqve phialis exornavit, ſacrum Bibliorum codicem indultu & opera Pontificis per LXXII. Interpretes in Græcam lingvam Alexandriæ transferri curavit, qvod Joſephus lib. XII. cap. II. prolixè deſcribit. Traditiones au-

autem de LXX. cellulis Interpretum qvos etiam agnoſcit Auguſtin. lib. de doctr. Chriſt. c. XV. Irenæus l. III. c. XV. Juſtinus in Admonitorio,& alii, & qvæ alia de LXX. Interpretibus in libro Ariſtææ, qvi in Bibliotheca Patrum extat, ſed ex cenſura plurimorum minus authenticus eſt, leguntur, mittimus, non omninò rejicientes eorum ſententiam, qvi putant, verſionem hanc Bibliorum factam fuiſſe à Judæis Ægyptiis: idqve adeò malè reliqvos Judæos habuiſſe, ut ſolenni jejunio inſtituto, qvo DEUM deprecabantur, ne propter hanc ſcripturæ ſacræ prophanationem totam gentem perderet. Judæos, Græca hac verſione utentes, Helleniſtas vocarent. Vulgatus tamen poſtea eſt Græcorum Bibliorum uſus, adeò ut etiam Hieroſolymis admitteretur. Act. VI.)

lib. 18. de Civit. Dei c. 42. 43; & lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15.

3695. XXXII. Manaſſes patruus Eleazari frater Oniæ I. pro qvo alii ponunt Menelaum, fratrem Eleazari. 23

(Telam bellorum inter Syros & Ægyptios texi vidit: Nam Rex Syrius Seleucus Callinicus, poſtqvam novercam Berenicen ſororem Ptolomæi Evergetis, è medio ſuſtuliſſet, gravi bello, ſuorum etiam ſeditionibus, ſeſe implicuit.)

2718. XXXIII. Onias II. Fil. Simeonis Juſti.

(Hunc Joſephus lib. XII. cap. III. nominat puſillanimem & avarum, eumqve dicit tributo XX. talentorum argenti Ptolomæo Evergeti negato, Judæos in maximas difficultates conjeciſſe, ex qvibus eos tamen Joſephus, Oniæ ex ſorore nepos, juvenis mira liberalitate conſpicuus, vectigalibus tandem Cœleſyriæ præpoſitus, aliqvis ut videtur Chemnitio, ex proavis Chriſti, explicuit. Qvem Joſephum Joſ. lib. XII. cap. IV. dicit amaſſe ſaltatriculam, & per errorem cum fratris filia congreſſum, ex ea ſuſtuliſſe Hyrcanum, puerum adeò ſagacem, ut cùm itinere aliqvot dierum in ſolitudinem ad ſementem faciendam à patre ablegatus, lora clam ſubtracta vidiſſet (ſubtraxerat autem pater ex induſtria) mactatis decem jugis carnes qvidem in operarios diſtribueret, ſectis autem tergoribus & loris inde factis juga hoc modo bobus aptaret. Qvin & ad Ptolomæum natalitia filii celebrantem miſſus, cum X. talenta erogare in mandatis haberet, ultra mille à patrio procuratore extorſit Alexandriæ, & magno cum Regis applauſu erogavit. Idem Arabibus magna detrimenta intulit, Joſeph. lib. XII. cap. V. donec tandem metuens potentiam Antiochi M. Regis Syriæ, ſibimetipſi mortem conſciſceret. Sub hoc ipſum tempus Syracides Panareton ſuum, ut veteres ejus librum vocaverunt, conſcripſit, ceu teſtatur Euſebius lib IIX. Demonſt.

Joſeph. lib. 12. antiq. c. 3. in fin. Gregor. Abul Pharmy Hiſt. Dynaſt. 6. p. 65.

Lib. 3. Maccab. cap. 1. 2.

XXXIV. Simeon II. F. per XXIV. annos Remp. moderatus eſt.

(Sub hoc contigit, qvod liber tertius Maccabæorum prolixè narrat: Nam cùm Ptolomæus Philopator anno MMMDCCXXIII. Cæleſyriam ab Antiocho vi recepiſſet, Hieroſolymis εὐχαριςήρια immolare, & Sanctum Sanctorum ingredi voluit. Cumqve nec lacrymis, nec precibus Judæorum ab impio illo conſilio avocaretur, divinitus in veſtibulo templi percuſſus, omnium membrorum uſum perdidit. Sed majori in Judæos inflammatus odio, totam gentem exſtirpaturus, multa utrinsqve ſexus millia, qvingentis Elephantis objici juſſit. Qvæ immanitas etſi bis divinitus fuit impedita. Rege ſolito diutius non ſine DEI nutu conſopito, deinde mente moto, rerumqve actarum immemore, tandem tamen in hippodromum Elephanti in inſanum opus educti ſunt. Sed angeli cœlitus demiſſi, beſtias, ut in ſuos rectores ſævirent, irritarunt, & Rex hactenus furibundus clementer Judæos dimiſit, honoravit, locupletavit.)

2. Maccab. cap. 3. per tot. Joſeph. de Maccabæis.

3742. XXXV. Onias III. F. 32

(Huic Spartani, Abrahamo originem ſuam adſignantes, fœdus & amicitiam per literas promiſerunt Joſeph. lib. XII. cap. V. Antiochus autem Judæam, expulſis præſidiis Ægyptiis, ſuo adjecit regno, & munificentia regali ad ſacra in templo facienda uſus, ſuis legibus Judæos vivere permiſit, atqve à tributis dandis per triennium liberos eſſe voluit. Tandem tamen unà cum Cæleſyria & Phœnicia Judæam Ptolomæo Epiphani, cui elocaverat filiam Cleopatram, dotis loco conceſſit. Joſeph. lib. XII. cap. III. Paulò verò poſt videtur ea iterum in poteſtatem Syrorum veniſſe: Nam cùm Antiocho M. defuncto filius ejus Seleucus Philopator ſucceſſiſſet, miſit is Heliodorum, ut exſpoliaret theſauros templi. Qvod cùm ille ingreſſus eſſet, ab eqvite auratis armis conſpicuo proſtratus, & à duobus geniis ad necem usqve flagellatus, ſed interceſſionibus Oniæ ſervatus eſt. Ipſum verò Oniam Pontificem, poſteà per delatores variorum criminum coram Rege falsò poſtulatum, frater Jaſon ſeu Jeſus deponi curavit, II. Mac. III. & Andronicus tandem per inſidias, ſed non impunè, eum ſuſtulit, II. Macc. IV. 35. Sic Legem Sacerdotii de termino vitæ primus omnium Antiochus irritam fecit.)

2. Maccab. l. 12. 16. 2 Macc. IV. 7. 15. 23. Joſeph. lib. de Maccabæis cap. 4. &

3774. XXXVI. Jaſon ſeu Jeſus, Fr. malis artibus Pontificatum ab Antiocho Epiphane adeptus. 3

(Nam & ſub ipſis Pontificatus auſpiciis Regi trecenta talenta numeravit, & præterea annuum ei promiſit tributum, ſuosq; contribules

ad

ad gentiles ritus, ludosqve palæſtricos aſſvefecit,& ipſi gentium Idolo Herculi ſumptuoſum offerri voluit ſacrificium. II. Macc. IV. 7. tandem qve poſt triennium iisdem artibus amotus eſt, qvas contra fratrem intenderat.

3778. XXXVII. Onias IV. ſeu Menelaus, Fr. iis ipſis pecuniis Pontificatum cauponatus eſt, qvas nomine Fratris Pontificis Regi offerre debuiſſet. II. Macc. IV. 23.

(Et ipſe tandem ſacerdotio & patria pulſus, Lacedæmone moritur in exilio.)

3779. XXXIIX. Jacimus ſeu Alcimus, alienus à familia Pontificali, licet Aaronides, Joſeph. lib. XX. cap. IIX. cùm ultra triennium in Pontificatu conſumſiſſet, defunctus, Judam Maccabæum habuit ſucceſſorem. Joſ. lib. XII. cap: XVI.

& l. 12. Antiq. c. 6. Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. cap. 25.

Joſeph. lib. 13. antiq. cap. 6. & lib. 7. de bello Jud. cap. 37. Uſſer. ad Ann. 3844. Zemah David. Lib. 2. Chron A. 3585.

(Cum Onias IV; ſeu Menelaus non poſſet promiſſas pecunias Regi numerare, excidit Pontificatu, qvi datus eſt Lyſimacho, ejus fratri, II. Macc. IV. 29. Sed Menelaus ſacrilegio aurum adeptus. dignitatem recuperavit. Et qvanqvam tumultuantibus ob ſpoliatum templum Judæis, captus & coram Rege repetundarum poſtulatus fuit, auro tamen ſibi favorem aulæ demeruit. Paulò poſt Jaſon expulſus, copiis improvisò contractis, mœnibusqve Solymarum conſcenſis, & multis civium trucidatis, Sacerdotium recuperare annifus eſt, ſed fruſtra II. Macc. V. 5. Ideoqve his turbis motus Antiochus Epiphanes ann. mund. MMMDCCXXCII. cùm ex Ægypto, qvam occupaverat, rediiſſet ingreſſus urbem Hieroſolymorum, LXXX. millia Judæorum peremit, totidem vendidit, XL. millia abduxit, Sanctum Sanctorum, non repugnante Menelao, prophanavit, menſam & candelabrum aureum, omnemq; templi ornatum pretioſum, & præterea MDCCC. talenta abſtulit, ſeqve verum eſſe Antichriſti typum immani tyrannide declaravit. Parcitum tamen eſt Samaritanis, qvæ ſe gentiles profitebantur.)

XLIII. Hiccine eſt ille Antiochus, de cujus Tyrannide longè antea vaticinatus fuit Daniel?

Ille ipſe eſt. Et qvidem ſacrâ onuſtus prædâ, ex Judæa diſceſſurus, immites incolis dedit præfectos, & biennio elapſo miſit exercitum ſub Apollonio, qvi ſub ſpecie amicitiæ tempore Sabbathi urbem ingreſſus tantam præ ſe tulit immanitatem, qvantam vix unqvam alįs. Muri deſtruuntur, arx in monte Sionis condita præſidio valido adverſus Judæo

Joſeph. lib. 12. antiq. cap. VII. & 11. Appian. in Syriac p. 131. Joſeph. l. I. de bello Jud. c. 1. Diodor. Sic. l. 34. ecl. 1.

dæos inſtruitur, ædes direptæ concremantur, alii ferro cadunt, alii neci ſubtracti divenduntur, altaria Diis gentium eriguntur, templum Hieroſolymitanum Jovi Olympio; Garizitanum Jovi Xenio conſecratur, ſacri libri exuruntur, edictum de una religione in omnibus nationibus colenda promulgatur, & Haſidæi, ſeu viri pii & veræ religionis aſſertores, ut vocantur I. Macc. VII.13. XIV.6. & præcipuus inter eos Eleazarus ſenior, ut & pia qvædam fœmina, cum VII. filiis ob Judaicum ſuillæ carnis faſtidium, variis ſuppliciis enecantur II. Macc. VI. & VII. I. Macc. I. Joſeph. libr. I. de imperio rationis.

XLIV. O miſeram Eccleſiæ tam indignis modis à Tyranno habitæ faciem! Sed nunqvid ea calamitas Judæos diu afflixit?

1. Macc. I. v. 39 2. Macc. VI. 2. 4. 5. Joſeph. lib. 12. antiq. Jud. cap 7. Tacit. lib. 5. Hiſt. cap. 8. Sulp. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. cap. 27.

Admiranda DEI providentia Matathias ex Aſmonæorum genere, Levita, & Sacerdos ex vico Jojarib, qvæ inter XXIV. vicos Sacerdotales principem locum tenuit, I. Par. XXIV. I. Macc. II. Joſeph. lib. XII. cap. IIX. pio ductus Zelo, armis in regios miniſtros leges Judæorum penitus abolituros, correptis, altaria gentilia paſſim erecta deſtruxit, inqve deſerto, in qvod fugerat, manu aliqva collecta, vel ipſo Sabbatho, ne more aliorum cum ſuis periret, ſe vitamqve & libertatem defendere cœpit. I. Macc. II. Moriturus tertio ex qvinqve filiis Judæ bellum tradidit. Qvi qvod in vexillis ejus hoc Symbolum legebatur: מי כמוך באלים יהוה Qvis ſicut tu in Diis Domine? juxta literas initiales מכבי Maccabæus, ſecundum Junium, dictus eſt. Alii tamen, ut Fullerus lib. II. miſcell. cap. XIII. cenſent, qvod dictus ſit Maccabæus, qvaſi PLAGA PER ME, puta, infligetur acriter & Judæis apoſtatis, & gentibus fidelium perſecutoribus, vel etiam à כבה qvaſi EXTINCTOR, aut etiam כאב qvaſi DOLOREM AFFERENS. Hi ipſi Maccabæi alio nomine dicti ſunt Aſmonæi, qvaſi à Simone orti. Simon enim Sacerdos ex vice Jojarib, Joſeph. lib. XII cap. VII. genuit Joannem, patrem Matathiæ, ex qvo natus eſt JUDAS. L' Empereur cap. III. ſect. VI. in Middoth. Chaſmonæos, qvaſi PRÆFECTOS dici putat. Qvamprimum autem Judas rerum ſummæ præfici ſe paſſus eſt, Apoſtatas Judæos, & qvos Idololatras occupavit, ad ſupplicium rapuit, Apollonium Samariæ præfectum evertit, Seronem Cœleſyriæ Satrapam fugavit. Antiochus interim exacturus tributa, qvibus milites alerentur, Perſiam adiit, & Lyſiæ, vicario regni conſtituto, ut Judæos affli-

affligeret, in mandatis dedit. Ille ſub tribus ducibus Ptolomæo, Nicanore & Georgia, exercitum XLVII. millium in Judæam miſit iisq; ſubitò fugatis, anno ſeqventi majores copias inſtruxit. Sed & illas Judas repulit, atq; urbe inſtaurata, templo luſtrato, puræq; religionis cultu adornato, & novo altari exercitato, Encœnia qvotannis celebranda inſtituit. Deinde cum finitimis gentibus, Edomæis & Ammonitis, ut & Duce Timotheo, feliciter manus conſeruit, II. Macc. X. partemq. copiarum ſub fratre Simeone ad Galilæam recuperandam ablegavit. I. Macc. V. Joſeph. lib. XII. cap. XI. Interim Antiochus dat in Perſide pœnas Tyranno dignas, & impatienti animi dolore morbum corporis, ipſa viſcera vermibus corrodentem, contraxit, impiamqve animam exhalavit, Ejus filius Antiochus Eupator, ſub tutore Lyſia, Bethſura deditione capta Hieroſolyma aliqvamdiu obſedit II. Macc. XI. I. Macc. VI. Sed cùm Philippus qvidam ſibi regnum uſurpare nunciaretur, per ſpeciem pacis, muro templi ſolo æqvato, atq; Menelao Pontifice ſecum abducto, Alcimum ſeu Jacimum, alienum à pontificia familia, ut jam diximus, ſubſtituit. Onias autem, filius Oniæ III. videns ſe excludi à ſacerdotio, confugit in Ægyptum, atq; ibi in præfectura Heliopolitana novum templum excitavit. Joſeph. lib. XII. cap. XV. & lib. XIII, c. VI.

XLV. Siccine eodem tempore tria illa templa Judaica, qvorum mentionem qvæſtione XXXV. injeciſti, Hieroſolymitanum, Garizitanum in Samaria, & Heliopolitanum in Ægypto floruerunt?

Sed qva ratione Samaritanum tempore Johannis Hyrcani everſum; Heliopolitanum verò poſt Hieroſolymitanum dirutum, tandem occluſum fuerit, & conſtat jam, & ſuo etiam dicetur loco. Interim notes, Antiochum Eupatora, Regem Syriæ, cum Lyſia à ſuis captum, & Demetrio patruo traditum, ſuprema fata à violentis manibus obtinuiſſe. Demetrius autem, Rex ſcelere factus, adverſus Judam Maccabæum, ut Alcimus in Pontificatu confirmaretur, Bacchidem Meſopotamiæ præfectum in Judæam miſit: Sed illi, licet inſidiis rem ageret, minus tamen feliciter commiſſa expedienti, ſucceſſit Nicanor, qvi dolo Judam intercepturus, ipſe in fugam verſo, & cæſus eſt. I. Mac. VII. II. Mac. ultimo. Paulò poſt Alcimus Pontifex veterem templi parietem, ſeu murũ demoliturus, miſerè à Deo percuſſus periit. Succeſſit ei ex omnium piorum votis Judas Maccabæus, qvi amicitia cum Romanis inita cum Bacchides

Joſeph. lib. 13. antiq cap 18. Sulpic. Sever l. 2. Hiſt Sacr. cap. 37. fin.

chides

chides, denuò à Demetrio cum copiis miſſus, prælii copiam faceret, à ſuis deſertus, piam animam pro aris & focis inter hoſtium manus effudit.

XLVI. Qvid ſi hiſtoriam Maccabæornm, qvos Aſmonæos dixiſti vocari, qviqve paulatim & Ducum & Pontificum, qvin & Regum tandem titulum & jus uſurparunt, in numerum more tuo redigeres?

A. M. — A. R.

1. Macc. IV. 28-60. 1. Macc. X. 1.-7. Joſeph. lib. 12. c. II. Antiq. 17 Sulpit. Sever. l. 2. Hiſt. Sacr. cap 31. ſeqq.

3783. I. Judas Maccabæus, ex tribu Levi. Mathathiæ F. in domo qvidem Aaronica & Sacerdotali, ſed non Pontificia genitus. 10

(Etſi Aſmonæi tribui Sacerdotali & Levitis originem debebant, qvia tamen Levitæ ex Lege in tribubus XII. non recenſebantur, nec ullas terræ poſſeſſiones hereditate adibant, & tribus Judæ tanqvam qvædam acceſſio erant & imprimis poſt reditum ex Babylone cum Judæis eodem nomine cenſebantur, ideoq; ſceptrum Judæ hoc tempore nondum deſiit, præſertim cum autoritas Synedrii nulla ſui parte imminueretur.)

1. Macc. X. 20. 21. Joſeph. XIII. antiq. cap 5. & 8. Sulp. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. cap. 35. ſeqq.

3793. II. Jonathan Fr. Dux & Pontifex 13

(Judâ defuncto, Judæi innumeris modis miſerrimè afflicti ſunt nec Syrorum petulantiæ qvisqvam obſtitit. Ad eorum enim arbitrium omnia componebantur, cùm arcibus communitis cogerent fratres Judæ in ſolitudinem ſecedere. Sed in locum Judæ Jonathan tandem ſubſtitutus, paucis copiis vim à Bachide intentatam cautè declinans, tandem pacem impetravit. Joſeph. lib. XIII. cap. I. I. Macc. IX. Commodùm autem accidit, ut Demetrius, Rex Syriæ ab Alexandro, qvi ſe Antiochi Eupatoris filium ſimulabat, oppugnaretur. I. Macc. X. Joſeph. lib. XIII. cap. III. Jonathæ igitur amicitia ab utroqve rege expetita eſt: ipſeqve indultu Demetrii muros Hieroſolymitanos reſtaurauit. Beneficio vero Alexandri, in cujus partes traductus tandem eſt, ſtolam Pontificalem induit, & ab eo adverſus omnes inimicos fortiter eſt defenſus Illum tamen, à Demetrii, qvem oppreſſerat, filio ὁμωνύμῳ oppugnatum, Jonathæ fides ſervare non potuit. Etſi enim Apollonius, Duce Demetrii fugato, multas urbes oppugnaverat, tamen cùm Alexander ab ipſo ſocero Ptolomæo Philopatore, cui inſidias ſtruxerat, deſereretur, Demetrii imperiū ſub certo tributo agnovit, ut cum ſuis immunitate frueretur,

&

& Judæam cum tribus Toparchiis, Samaria, Galilæa & Joppe obtineret, I. Macc. XI. Joſeph. lib, XIII. cap. IIX. Paulò poſt Demetrius, copiis Judæorum adjutus, rebelles Antiochenos compeſcuit: ſed eo ſucceſſu elatus, parum gratiæ Judæis retulit: qvi ob id, cùm à Triphone, Alexandri filium Antiochum in regnum reducturo, oppugnaretur, hoſtibus ejus ſe aſſociarunt, oppidisqve ejus expugnatis, & copiis fractis, Hieroſolymorum muros refecerunt, cum Romanis & Spartanis fœdus renovarunt, Jonathaqve ex inſidiis à Triphone capto, & ſcelerate cum duobus filiis perempto, Simeonem ejus fratrem Ducem ſortiti ſunt. I. Macc. X. II Joſeph. lib. XIII, c. X.)

3806. III. Simeon Fr. Pontifex & Ethnarcha. 9

(Hic Joppen, Gazam, ipſamqve arcem Sionis, qvam hactenus tenuerant Syri, aliasqve urbes recepit, inſtauravit, communivit: jugumqve Syriacum penitus excuſſit, & immunitatem ab omnibus tributis, ſuis peperit, I. Macc. XIII. 39. Joſeph. lib. XIII. cap. XI. Interim adverſus Triphonem, Demetrii Regis à Parthis capti frater Antiochus Sedetes inſurrexit, & multis promiſſis Simeonem in ſuas partes protraxit. Qvamprimum autem à Triphone victoriam reportavit, à Judæis, qvod conceſſerat, mox repetiit. Sed Simeon duos ei filios Johannem & Judam feliciter oppoſuit, & paulò poſt, cum Juda & Mathathia filiis à genero ſuo Ptolomæo, ad inſulam Sacerdotalem aſpirante, ex inſidiis obtruncatus eſt.)

1. Macc. XIII. v. 43. 48. 49. 50. 51. Joſeph. lib. 13. Antiq. c, II. fin.

3851. IV. Johannes Hyrcanus F. Pontifex & Ethnarcha. 31

(Hic necem Patris ulturus, Ptolomæum ſororium in arce Dagon obſedit, à qva tamen, cum tormentis & flagris in germanas ipſius & matrem ſæviret, ultrò receſſit, Joſeph. lib. XIII. cap. XV. & lib. I. de bell. cap. II. Paulò poſt Antiochus Rex Syriæ, impetu in eum facto, in urbem, qvæ infirmiorem turbam ob frumenti defectum expulſam recipere ab ipſo hoſte coacta eſt, compulſum, induciis ad feſtivitatem Scenopegiæ celebrandam conceſſis, ad ſolidam pacem ſub D. talentorum ſolutione ineundam invitavit. Hyrcanus igitur, monumento regis Davidis effracto, ingente auri vi, qvam in illo reperit, tranqvillitatem Judæis redemit, & poſthac melioribus uſus eſt ſucceſſibus. Nam defuncto Antiocho, Syriam afflixit, Idumæos ad circumciſionem ſuſcipiendam adegit, templum in monte Garizim evertit, Samariam urbem foſſâ & duplici muro per LXXX. ſtadia cinxit, & tandem, copiis Antiochi Cyziceni feliciter per filios Antigonum & Ariſtobulum profliga-

Joſeph. lib. 13. Antiq. cap. 17. 18. & Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. c. 37. fin.

tis, cepit, ſoloqve inductis torrentibus æqvavit: Tantam victoriæ felicitatem voce divina edoctus in templo didicerat. Tribus enim maximis à DEO dignus habitus eſt honoribus, Principatu gentis Judæorum, & Pontificatu & Prophetia: Fruebatur enim divinis colloqviis, inqvit Joſephus lib. XIII. cap. XIIX.

3845. V. Ariſtobulus F. Phyſellen, Rex & Pontifex 1

Joſeph. lib. I. Antiq Jud. c. 19. & l. 1. de bello Jud. c. 3. Euſeb. lib. 8 Dem. Evang. c. 2. Auguſt l. 18 de Civit. Dei c 45. Sulpit Sever. l. 2. cap. 38.

(Poſt captivitatem Babylonicam primus ſibi Diadema aptavit, & Ituræis ſuæ religioni initiatis, in regni ſocietatem fratrem Antigonum admiſit. Sed & illum paulò poſt, falsâ dementatus ſuſpicione, occidit, & alios tres fratres in vinculis tenuit. ipſamqve matrem fame enecavit. Tandem pœnas parricidii in turri Stratonis. in qva fratrem interemerat, effuſi ſangvinis vomitu luit. Joſeph. lib. XIII. cap. XIX. lib. 1. de bell. cap. III.)

3846. VI. Alexander Jannæus Fr. à ſuis ob tyrannidem Thracidas dictus, Rex & Pontifex 26

Joſeph. lib. 13. Antiq c. 20. 21. 22. 23. & l. 1. de bello Jud c. 1. 2. 3 4. Zemah David Chron. ad Ann. 3470.

(Hic nunqvam antehac in Patris conſpectum admiſſus, à fratre etiam in vinculis aliqvandiu detentus, faſtigium tandem regium conſcendit, & alterum fratrem ſibi inſidiantem ſuſtulit, alterum privata contentum vita in honore habuit. Ptolemaidem, innixam auxiliis Ptolomæi Lathuri Ægyptiorum Regis, & Zoili, qvi tyrannidem in turri Stratonis invaſerat, fruſtra oppugnavit, & à Ptolomæo victus XXX. millia ſuorum deſideravit. Nec tamen animum deſpondit, licet & alia clade affectus, X. millia ex ſuis deſideraret, & caſtra etiam hoſtibus diripienda relinqveret. Nam partibus reginæ Cleopatræ, matris Ptolomæi accedens, urbes aliqvot hoſtiles expugnavit, tumultuantes Judæos inteſtino bello, qvo multa millia periere, compeſcuit, & multa loca in Arabia & Moabiticis agris occupavit, qvæ tamen paulò poſt viciſſim amiſſa ſunt. Nam qvia motus illi in ipſis Judææ viſceribus nondum qvieverant, ſeditionis autores Demetrium Syrum Damaſci Regem evocarunt, à qvo Alexander victus & fugatus eſt. Ille verò in fuga manu ſex amplius millium collecta in regnum rediens, DCCC ſeditioſorum crucibus juſſit affigi, & adhuc ſpirantium uxores & liberos ſævitia plusqvam tyrannica jugulavit. Etſi autem nec ſic qvietus regnum adminiſtravit, tandem tamen eluctatus, Uxoris imperio florentiſſimum regnum tradidit, Joſeph. lib XIII. cap. XX. II. & qvartana febri, ex temulentia contracta, integro triennio afflictus expiravit.)

3872. VII Alexandra Salome ſeu Solina, Alexandri Jannæi Uxor, fœmina ſupra ſexum egregia 9

Pha-

(Phariſæos adminiſtrationis regiæ fecit conſortes, & Hyrcanum filium, juſto remiſſiorem, ad Pontificatum evexit: qvem tamen defunctâ matre frater Ariſtobulus, qvem agilior impulit animus, dejecit, ſibiqve diadema & Infulam impoſuit. Joſeph. lib. XIII. cap. XXIV.)

Joſeph. lib. 13. Antiq. cap. 24. Euſeb. l. 8 Dem. Evang. cap. 2. Sulp. Sever. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 38.

3881. IIX. Hyrcanus F. Rex & Pontifex 1/4

3881. IX. Ariſtobulus Fr. Rex & Pontifex 6

(Ariſtobuli fratrem dejectum Hyrcanum Antipater, Dux totius Idumææ, filius Antipæ, ut fugeret ad Aretam Regem Arabiæ, & ab eo ſui in regnum reductionem flagitaret, impulit. Et Aretas qvidem victum Ariſtobulum in urbe Hieroſolymorum, ad qvam confugerat, obſedit. Sed à Scauro, Pompeji Legato, obſidionem ſolvere eſt coactus, cùm paulò ante Judæi, in ejus caſtris, Oniam, virum DEO carum, qvi precibus adverſus Ariſtobulum uti noluerat, interfeciſſent, & ob id vehementi procellâ omnem ſementem depaſcente, ad maximam famem condemnati, pœnas condignas luiſſent. Paulò poſt cum Romani diſſidiis Judæorum in Palæſtinam jam attracti eſſent, Pompejus cauſam audiit duorum fratrum, & cùm Ariſtobulum omnia fraude agere intelligeret, in eum movit, & urbe ab Hyrcano tradita, templo die Sabbathi, cum Judæi ab armis feriebantur, expugnato, millibusqve duodecim interemtis clauſa hactenus profanis oculis loca introgreſſus, ea; qvæ alioqvin nefas erat videre, niſi ſolis ſacerdotibus inſpexit: Sed nihil ex templo abſtulit, gentemqve Judaicam rebus proſperis elatam, intra veteres terminos contraxit, & Solymas populo Romano fecit ſtipendiarias, urbesqve qvas Judæi in Cœleſyria ſubjugaverant, illis ademtas, Romano parere præſidi juſſit, & Ariſtobulo Romam ſecum abducto, Hyrcano Sacerdotium absqve regno conceſſit. Tum primùm, inqvit Joſephus, libertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum Imperio, & regionem de Syris bello captam reddere ipſis coacti ſumus: & inſuper plus qvam decem millia talentorum brevi tempore à nobis Romani exegerunt: & regnum, qvo prius pontificale genus honeſtabatur, ad plebejos translatum eſt homines. Confer Joſephum libro XIV. cap. IIX. & lib. de bello cap. V. Tacitum lib. XXI. Auguſt. de civ. DEI lib. XIIX. cap. XLV. Dion. l. XXXVII.)

Joſeph. lib. 14. Antiq. Jud. c. 1. & l. 1. de bello Jud. c. 5. Dion. l. 37 Hiſtor. Strabo l. 16. Geogr. p. 881 Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. cap. 38.

3887. X. Hyrcanus Fr. denuò Pontifex, Ethnarcha, & tandem Rex. 23

(Eum Alexander, Ariſtobuli captivi filius, incurſionibus vexavit, ſed defendit Gabinius, ille præſes Syriæ, qvi etſi eſt Dioni ab avaritia infamis, tamen inſignis Judæorum benefactor videtur; qvippe qvi urbes dirutas inſtauravit, & qvinqve Dicaſteria, in qvibus jus diceretur, conſtituit.

Joſeph. lib. 14. Antiq. Jud. c. 1. & l. 1. de bello Judaico cap. 4. Strabo lib. 16. Geogr. p. 881.

ſtituit. Joſeph. lib. XIV. cap. XVI. Ipſe interim Ariſtobulus cum Antigono altero filio, Romæ operâ Gabinii vinculis elaſpus, cùm coëgiſſet ultra octo militum millia, à copiis Gabinii victus, iterum captus Romam remiſſus, & ibi benignè habitus eſt, donec à Cæſare dimitteretur. Sed cum Pompejanas partes videretur adjuturus, veneno ſublatus, filiusqve ejus Alexander juſſu Pompeji ſecuri percuſſus eſt. Joſeph. lib. XIV. cap. XIII. Qvamprimum autem Gabinius Craſſo provinciam tradidit, ille ex theſauro ſacro, qvem Pompejus non attigerat, duo millia talentorum, & trabem ex auro ſolidam, CCC. minas ſeu DCCL. libras æqvantem abſtulit, & templum omni auro, cujus ſumma accedebat ad octo talentornm millia, contra fidem datam, exſpoliavit. Sed ſacrilegii pœnas in bello Parthico brevi poſt tempore luit. Joſeph. l. XIII. cap. XII. Hyrcanus interim Cæſaris partes contra Pompejum defendendas ſumſit, & utilem ei operam per Antigonum in Ægypto navavit. Ideoq; Cæſar ei poteſtatem confirmavit, urbisqve mœnia ut reſtitueret, permiſit: Antipatrum autem, qvi & ipſe à partibus Cæſaris in bello civili ſteterat, civitate Romana & immunitate donavit, & PROCURATOREM Judææ, anno mundi MMMCMIII, anno ante natum Chriſtum XLV. conſtituit. Cæterùm Antipater Hyrcani regis ſtupiditatem & ſegnitiem in rem ſuam vertit, & Phaſaëli filio urbem Hieroſolymitanam cum vicinis oppidis; Herodi verò alteri filio, (cujus in jus à Synedrio vocationem, & bilem inde conceptam, ap. Joſeph. lib. XIV. cap. XVII. leges) Galilæam curandam commiſit, & paulò poſt veneno à Malcho Arabe, qvi Hyrcano à poculis fuerat, ſublatus eſt. Eam captans occaſionem Antigonus, Ariſtobuli filius, Galilæam manu tumultuaria invaſit: ſed Herodes facilè eum repreſſit, & gener Hyrcani factus, ejus ex filia neptem Mariammem uxorem duxit, cum jam ex Dore Antipatrum filium natu maximum ſuſcepiſſet. Antonio poſtea in Syriam profecto, ipſe & ejus frater Phaſaëlus, dimiſſâ culpa, qvam Caſſio, qvi Judæos ſui juris fecerat, ut Dion, libr. XLVII. teſtatur, adhærentes, contraxerant, Tetrarchæ conſtituti ſunt. Occupârunt deinde Parthi omnem penè Syriam, & ut Antigonum, mille talenta & qvingentas mulieres ipſis pollicitum reducerent, Hieroſolymitanam urbem per ſpeciem amicitiæ ingreſſi, Hyrcanum cum Phaſaëlo in vincula conjecerunt: & illi qvidem, ut ad Sacerdotium inhabilis eſſet, auriculæ ſunt amputatæ; hic verò ulterius vivere dedignatus, capite parieti alliſo expiravit. Herodes fugâ elapſus, Romæ Rex deſignabatur. Joſ. lib. XIV, cap. XXVI.)

Joſeph. lib. 15. Antiq. cap. 9. & lib. I. de bello Jud. cap. 17. Euſeb. lib. 8. Demonſtr. Evang. cap. 4.

3909.

3909. XI. Antigonus, Ariſtobuli F. ultimus ex Aſmonæis, à Parthis regnum Judææ obtinuit. 4

(Illum Herodes, Romanorum & inprimis Ventidii & Antonii auxiliis fretus bello petiit, & Hieroſolymis in ſolennitate jejunii occupatis, volente ſic Antonio, flagellatum prius & palo alligatum, ſecuri percuſſit. Noverat enim, Judæos illo viro Regem peregrinum non toleraturos. Atqve ſic Aſmonæorum principatus, qvi in Juda Maccabæo ante annos CXIX. cœperat, deſiit. Joſeph. lib. XIV. cap. ult. Dion. lib. XLIX.)

Joſeph. lib. 15. Antiq. Jud. c. 1. & l. 1. de bello Jud. cap. 13. Dio l. 49 Hiſt. pag. 463. Plutarch. in Anton. cap. 8.

XLVII. Sic ergò ſceptrum Judæ, ad peregrinum Herodem delatum, certò arguit, tempus Meſſiæ in carnem adventuri commodè inſtare.

Joſephus qvidem lib. XIV. cap. II. Herodem dicit fuiſſe Idumæum: addit autem, Nicolaum Damaſcenum ejus genus deducere ex primatibus Judæorum, qvi in Judæam venerant è Babylonia. Qvam ſententiam propugnavit Torniellus ad ann. MMMMXIIX. ſtatuens, Herodem reverâ fuiſſe Judæum, dictum Idumæum, qvia ejus majores Idumæam incoluerunt, ſicuti Apoſtolus Paulus, etſi Judæus, eadem ratione Tharſenſis dicitur. Addit Joſephus Scaliger in prologo ad Chronicon Euſebii, tempore Antipatri, avi Herodis, nullum fuiſſe diſcrimen inter Idumæum & Judæum, nec Herodem poſſe vel ἀλλόφυλον dici, vel προσήλυτον. Qva de re etiam videri poteſt Caſaubonus exerc: I. ad appar. Annal. Baron. num. II. & III. Sed Montacutius exerc: II. in analectis, ſect. IX. verè illum Idumæum & alienigenam fuiſſe validis fundamentis aſtruit, ut Joſephi aſſertionem de Herode vindicet. Nos litem illam nunc non diremturi, ea, qvæ acqviſito regno geſſerit Herodes, Magnus & Aſcalonita dictus, breviter recenſebimus. Regno enim potitus, qvos factionis novit adverſæ, qvotidianis abſumſit ſuppliciis. & inter eos LXV. Primates: qvin & ipſum Mariammes fratrem Ariſtobulum, cui paulò ante, precibus ſacris motus, Pontificatum conceſſerat, in aqvis ludentem ſuffocari curavit. Cujus ſceleris poſtulatus, cum cauſam dicturus ad Antonium proficiſceretur, Joſepho patruo curam regni commiſit, inqve mandatis reliqvit, ut ſi ſibi qvid humanitus accidiſſet, Mariammem uxorem etiam fati adderet comitem, ne qvis alius pulcerrimæ fœminæ frueretur commercio. Sed Antonio muneribus placato, cum rediiſſet, Joſephum, qvi qvod de Mariamme ipſi commiſſum erat, imprudens effutierat, interemit; Alexandrum ſocrum in vincula conjecit; Mariammem

Joſeph. lib. 14. Antiq. Jud. cap. 26. 28. Euſeb. l. 8. Demonſtr. Evang. cap. 2. Sulpit. Sever. l. 2. Hiſt. Sacr. cap. 38.

mem cariſſimam alioqvin, ſed moroſam & contentioſam uxorem, cui aliqvoties ignoverat, tandem de veneno offerendo ſuſpectam, non ſine inſigni animi dolore, nec ſine morbo corporis ſubſeqvente, judicio & ſupplicio ultimo ſubjecit, & Arabico bello feliciter confecto, Auguſto (contra qvem Antonii partes ſecutus fuerat) reconciliatus, Hyrcanum ſenem, ejusqve filiam Alexandram, ſuam ſocrum, qvam jam antea vinculis conſtrinxerat, & multos alios ſibi ſuſpectos ſuſtulit. Interim Judæa & terræ motu, qvo X. amplius millia perierunt, & fame affligitur: ad qvam ſublevandam Herodes ex aurea & argentea ſuppellectile pecunia confecta frumentum comparat, populoqve diſtribuit: Deinde arces binas Hieroſolymis, Regiam nempe & juxta templum Antoniam, munit; Cæſaream eo loco, ubi Stratonis urbs fuerat, aliasqve urbes condit; Athletica certamina, non ſine motu populi, inſtituit; theatra atqve amphitheatra in Cæſaris Auguſti honorem inſtruit, atqve ab eo Trachonitide, Bataneæ item & Auranitidis ditionibus donatus, tanto in honore habetur, in qvanto præter Agrippam virum conſularem nemo alius. Cumqve magnifico templo in honorem itidem Auguſti ad fontes Jordani exſtructo, populum videretur offendere, non ſaltem tertiam iis tributorum partem remiſit, ſed & templum Hieroſolymitanum ſumtuoſius exſtruxit. Interim diſſidia domeſtica à Salome Herodis ſorore impensè aluntur. Illa enim Mariammes filios, Alexandrum & Ariſtobulum, adjuta ab Antipatro, primogenito qvidem Herodis filio, ſed peſſimi ingenii, falsò ad patrem traduxit, & totam aulam tormentis & inqviſitionibus undiqve ſtrepentem, ſceleſtiſſimè perturbavit. Illi aliqvoties patri reconciliati, tandem facta Herodi ab Auguſto de filiis ſtatuendi libera poteſtate, nullius ſceleris convicti, ſuſpicionibus ſaltem onerati, ſenioribus populi ſententiam ad arbitrium Herodis actoris ferentibus, condemnati ſunt, & laqveo necati. Antipatrum mox excepit ſors eadem, ſed magis promeritum. Ille enim revera patri inſidias ſtruxerat, & convictus in vinculis tenebatur, donec qvinqve ante obitum diebus Herodes eum è medio tolli juberet. Morbus enim horrendus, qvem Joſephus lib. XVII. cap. IIX. luculenter deſcribit, ita corripuerat Herodem, ut cum nec thermæ, nec Medici diſcutere poſſent. Et rex doloris impatiens, malum poſcens & cultellum, manus ſibi violentas inferre conſtituerat: Qvod tamen ne fieret, miniſtri impedierunt. Ille, qvo propiorem ſe morti videbat, hoc magis ab humanitate receſſit. Juvenes aliqvot, à Magiſtris ſuis concitati, aqvilam auream, ſuper majori templi

porta

porta collocatam, per ſeditionem dejecerant: hos ſtatim percuti juſſit, & plurimos ex Judæorum proceribus circo incluſos, poſt exceſſum ſuum neci dari voluit, ut vel ſic ſubditi mortem ſuam inviti lugerent. Sed ſcelus hoc Salome, uxor Tyranni, deteſtata, damnatos proceres dimiſit incolumes. Immane tandem monſtrum anno mundi MMMCMXLIX damnatam animam efflavit, eo ipſo qvidem anno, à qvo nos æram noſtram ſupputamus, cum jam ante biennium CHRISTUS è virgine Maria natus, mundum glorioſo aſpectu ſalutaſſet. Qvem ipſum interficere conatus Herodes, omnes Bethlehemiticos infantes, qvi biennium nondum exceſſerant, & inter qvos SALVATOREM fore arbitrabatur, perimi juſſit: Vir, ut Joſephus ait, in omnes ex æqvo ſævus, iræ ſervus, juris Dominus, fortuna autem propitia uſus, ſi qvis alius. Confer Joſephi libros XIV. XV. XVI. XVII. ut & lib. I. de bello Judaico.

XLIIX. Truculentisſimum Herodis ingenium accuratè depinxiſti: Sed cum tanta impietas illud ipſum templum, in qvo Chriſtus verſatus eſt, ſumtuoſius exſtrui permiſerit, id velim breviter mihi deſcribi.

Præſtitit id Joſephus libr. XV. cap. XIV. & lib. VI. de Bello cap. VI. Nam ex omni artificum copia, peritiſſimos, decem hominum millia, ſelegit, iisqve mille ſacerdotes, Architectonicæ peritos, præfecit & anno mundi MMMCMXXXI. ante natum Chriſtum XIIX. aut ſublatis veteribus fundamentis nova repoſuit, aut, quod doctis ſit veriſimilius, novos parietes ſuperſtruxit fundamentis templi Salomonæi, & iis ipſum templum circumdedit, ut undiqvaqve auguſtius eniteret, ut videre eſt apud Sanctium in Hagg. cap. II. & alios. De hac Herodis ſtructura eſt illud Joh. II. 20. intelligendum: Qvadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc. Nam etſi Herodes magna celeritate parietes excitaverat, & tectum iis impoſuerat, in his tamen ipſis exornandis, & illis, qvæ reſtabant, perficiendis multò ſegnius procedebatur, usqve ad annum poſt C.N. XXVII. Qvin A.C. LXIX. cum ſexennio poſtea à Romanis exſcinderetur, abſolutum demum eſt: inqve eo hactenus operam inſumſerant qvotidie octo decem hominum millia, & inde victum ſibi qvæſiverant. Erat autem ut plurimum conveniens templis duobus prioribus, veſtibulo ornatum auguſtiori, longitudine æqvans C. cubitos, altitudine CXX.

Joſeph. l. XV. de Antiq. Jud. c. 8. 9. 11. 13. 14. & lib. 6. de bello Jud. c. 11. 13. 14. 16.

Ipſa

Ipſa ſtructura candido marmore, & tectum cruſtis aureis reſplendeſcebat. Portæ erant tres. Una, per qvam patebat ingreſſus in veſtibulum: altera ducebat in ſancta: Tertia in ſanctiſſima. Circa templum ſpacium duplo majus, qvam prius fuerat, muro circumdatum eſt, ingenti ſumtu & magnificentia, ut totus muri ambitus ſingulis lateribus per ſtadium extenſis, IV. ſtadia comprehenderet, & à Septentrione munitiſſimo Aſmonæorum caſtello, qvod Antoniam Herodes vocavit, annecteretur. Joſeph. l. I. de bello, cap. XVI. Intra illum ambitum tria diſtinxit atria, qvæ alicubi Joſephus triplicem murum nominat, duplo qvoqve majora, qvam antea fuerant. I. ATRIUM SANCTUM, ſolis Sacerdotibus pervium, in cujus medio altare Holocaumatum cubitos centum latitudine complectebatur. II. ATRIUM POPULI, tribus partibus ſuo muro circumdatum, qvarta autem parte verſus Orientem ab atrio gentium & immundorum Judæorum cancellis ſaxeis, tres cubitos altis ſejunctum. Qvin & hoc ipſum atrium transverſo muro fuit diſtinctum, qvo fœminæ à viris ita ſegregatæ fuerunt, ut pars interior atrio Sancto proximior viris; exterior fœminis eſſet deſtinata. Ut verò atrium populi Salomonæum. qvatuor tantum portis, verſus qvatuor mundi plagas recludebatur, ita in hoc decem portæ fuere, qvarum reliqvæ auro & argento obductæ viſebantur, una ære Corinthio eximiè reſplendeſcebat. Joſeph. lib. VI. de bello cap. VI. & lib. VII. de bello cap. *XII.* Actor. III. 2. Qvæ qvidem portæ tricenis utrinqve cubitis ſuas Exedras & porticus habuere. III. Superiora atria claudebat ATRIUM GENTIUM & immundorum Judæorum, ex qvo aſcendebatur per gradus ad reliqva. Templum enim ſitum erat in collis ſummitate: atria in declivi æqvato.

XLIX. Immanes in hoc templum ſumtus impendiſſe Herodem oportet. Sed qvisnam filiorum ei ſucceſſit?

Ille moriturus, teſtamento Archelaum regem duarum Tetrarchiarum, Judææ & Samariæ, nominaverat, & Antipæ Tetrarchiam Galilcæ & Perææ; philippo Tetrarchiam Trachonitidis & Ituræ adjudicarat. Sed defuncto rege Judæi adverſus Archelaum ſtatim inſurrexere, & in feſto Paſchatis tumultuati, non potuere prius in ordinem redigi, qvam tria millia civium à militibus perimerentur. Delatus ob id ad Auguſtum, abſolutus qvidem primo eſt, deinde denuò in judicium vocatus, regio privatus nomine, Ethnarcha conſtitutus, tandem cum non ſaltem

ob

ob tyrannidem, ſed &, qvia Mariamme uxore repudiata, cum Alexandri fratris uxore Glaphyra neglecta lege connubium contraxerat, in odio eſſet omnium, Viennam in exilium miſſus, ejusq; tetrarchia provinciæ Syriæ adjecta, & bona in fiſcum redacta ſunt. Sic Judæa (qvæ paulò ante à Pſeudalexandro qvodam, & multis aliis turbis atq; ſeditionibus jactata fuerat, in qvibus ſedandis ipſi milites Romani in diſcrimen venerunt, ut videre eſt apud Joſeph. l. XVII. cap. XII. & XIV.) nomine Prætoris Syriæ, Procuratores accepit, &, licet reluctans, cenſui ſubjecta. Joſeph. l. XIIX. cap. I. nunc primum in formam provinciæ redacta fuit, conceſſâ tamen genti αὐτονομία in religione & jurisdictione inferiore. Hoc modo, inqvit Philippus Melanchthon, pacem DEUS Judææ tribuit per Magiſtratus Romanos, ut Eccleſiæ reliqviæ ſervarentur, & Zacharias, Simeon, Johannes, Chriſtus, & deinde Apoſtoli, aliqvantiſper locum docendi haberent. Nam Herodes & ejus poſteri non faciebant finem lanienæ, trucidabant præcipuos viros, & aſſiduis ſeditionibus occaſionem præbebant.

L. Siccine Judæa in Romanorum poteſtatem tota ſeceſſit? Sed qvid rerum ſub illis Judææ procuratoribus geſtum eſt, qvos nunc tandem eſſe conſtitutos dixiſti? qvive fuerunt?

A. C.

7. I. Coponius à Cyrenio ſeu Qvirino Syriæ prætore, procurator Judææ A. C. VII. Archelao relegato, eſt conſtitutus.

(Sub hoc Samaritani templum noctu clanculum ingreſſi, ſparſis oſſibus humanis illud prophanarunt. Joſeph. lib. XIIX. cap. III.)

9. II. M. Ambivius. 2

11. III. Annius Rufus, qvo Præſide Auguſtus fato functus eſt. 3

15. IV. Valerius, à Tiberio miſſus, præfuit annis XI 11

26. V. Pontius Pilatus, cujus uxorem Nicephorus vocat Proclem, à Tiberio & ipſe miſſus 11

(Hic ille eſt, qvi importunitate Judæorum victus, Salvatorem noſtrum innocentem cruci affixit. Et, ut ait Tertullianus in Apologetico adverſus gentes cap. XXI. omnia ſuper CHRISTO, ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nunciavit. Sed & Cæſares credidiſſent ſuper CHRISTO, ſi aut Cæſares non eſſent ſeculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares. Vetus erat decretum, inqvit idem

Euſeb. l. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 2. & 7. Egeſipp. l. 5. de excid. Rom. Niceph. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 10.

Tertullianus, ne qvis DEUS ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu comprobatus. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, qvod illic veritatem illius divinitatis revelavit, ad Senatum detulit, cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, qvia non in ſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Pilatus autem non impunè tulit ſcelus, qvod in Dominum mundi conſignaverat. Nam cum poſtea & noctu ſigna cum effigie Cæſaris in urbem ſanctam intuliſſet, & ex ſacro ærario aqvas à ducenteſimo ſtadio deducere conaretur, reluctantes invenit cives, qvorum animis nondum illa immanitas Pilati, qvæ Luc. XIII. deſcripta extat, exciderat. Compeſcuit tamen Judæos, & ſigna qvidem illis inviſa removit, ipſos autem nimis duriter habuit. Ideoqve primates adeunt Vitellium, Syriæ Præſidem, Pilatumqve cædis accuſant, negantes defectionem à Romanis ſibi objectam. Vitellius, Marcello ad Procuraturam Judææ miſſo, Pilatum juſſit Romam proficiſci, reſponſurum apud Cæſarem ad objecta per Judæos crimina. Sed priusqvã ille Romam perveniret, vitâ exceſſit Tiberius. Joſeph. lib. XIIX. cap. IV. & V. & lib. II. de bell. cap. IIX. Cajo Caligula deinde in Pilati acta inqvirente, ille in tantas incidit calamitates, ut, dicente Euſebio lib. II. cap. VII. hiſt. Eccleſ. neceſſitate compulſus, ultrò ſibi manus intulerit. Idem teſtantur Nicephorus & Oroſius. Recentiores addunt, cadaver ejus, horrendum in modum à ſpiritibus malignis exagitatum, inqve montes tandem Helvetiorum delatum, & in locum qvendam non longè à Lucerna, qvem à nemine impunè turbari ajunt, abjectum fuiſſe.)

37. VI. Marcellus à Vitellio Syriæ Præfecto miſſus: Joſ. l. XIIX. cap. V. qvi cum eſſet in itinere, Tiberius vitâ exceſſit.

37. VII. Marullus miſſus anno Caligulæ primo cum Petronius Vitellio in Syria ſucceſſurus, Prætor Româ abiret, Joſ. lib. XIIX. cap. IIX.

Joſeph. lib. 18. de Antiq. c. 10. Philo de legat. ad Cajum. Baron. ad Ann. Chriſti 42.

(Vitellius & qvi ei ſucceſſit Petronius, Syriæ Præſides, omnia pene in Judæa ipſi adminiſtrarunt: Et cùm Petronius A. C. XL. Caligulæ ſtatuam, ejus juſſu, in ipſo templo conaretur erigere, pertinaces Judæorum preces eum ab inſtituto revocarunt, ut miſſis ea de re ad Caligulam legatis, mitiorem in Judæos ſententiam impetraret: qvi totis XL. diebus, porrectis ultrò ad necem cervicibus, prophanationem templi deprecati fuerant. Qvo ipſo tempore Flaccus, præfectus Syriæ, ad populi Alexandrini lubitum, Judæos graviter Alexandriæ afflixit, & ut imaginem Cæſaris in Syna-

Synagogas reciperent, adigere voluit. Ii qvidem Philone, viro gravi, ad Cæſarem miſſo, cauſam, ut poterant, agebant: ſed cum contumelia repulſi, didicerunt ceſſante auxilio humano, divinum præſtò eſſe. Nam paulò poſt accidit, ut Caligula ob Tyrannidem à conjuratis tolleretur. Claudius poſt eum Judæos qvidem, & cum iis Chriſtianos Roma expulit, Act. XIIX. 2. Sed Herodi Agrippæ, Regi nuncupato, Judæam atq; Samariam, ſemotis Procuratoribus, condonavit, ut ita Judæi poſthac per qvadriennium non Romanis, ſed ſuo Regi tributum penderent. Joſeph. lib. II. de bello cap. IX.)

45. VII Cuſpius Fadus poſt Agrippam Regem denuo Procurator à Claudio miſſus, præfuit annis 2

(Purgavit Judæam à latrociniis, diſſidia Judæorum & Philadelphenſium compoſuit, Theudam præſtigiatorem, qvi ſe verbo Jordanem ſciſſurum pollicitus fuerat, immiſſis in multitudinem, cui impoſuerat, turmis, compeſcuit. Joſeph. lib. XX. c. II. Act. V. Ejus tempore Helena Adiabenorum Regina, & Izares ejus filius, religionem Judæorum non ſine propitio Numine amplexi ſunt: qvorum pulcerrimam hiſtoriam vide apud Joſephum dicto loco.) Bzov. ad Ann. Chriſti 46. n. 9.

47. IIX. Tiberius Alexander, eqves Romanus, Judæus genere, Philonis frater. 2

(Sub hoc fames totum terrarum orbem pervagata, Judæam etiam ſollicitam tenuit: Eam autem Agabus prædixerat, & Helena Adiabenorum regina ſublevavit in Judæa. Joſeph. l. XX. c. III. Euſeb. lib. II. hiſt. cap. XI. Act. XI.)

49. IX. Cumanus Ventidius 2

(Sub hoc unius militis impudentia magnam intulit Judæis cladem: Nam in feſto Paſchatos genitalibus nudatis, ingentem præbuit ſeditioni materiam: qvam ſedaturus Cumanus exercitum tumultuantibus immiſit: Hunc illi declinaturi in tantas anguſtias inter fugiendum redacti ſunt, ut XX. amplius millia perierint. Paulò poſt cùm miles librum legis in conſpectu populi diſcerperet, tumultum inde denuo obortum Cumanus ſedare prius non poterat, qvam ſecuri militem percuſſiſſet. Tandem cum Samaritani Galilæos, per dies feſtos Hieroſolyma contendentes, latrociniis vexaſſent, & Judæi ad arma pro Galilæis concurriſſent, cauſaqve Romæ cognoſceretur, Cumanus, qvi Samaritanorum partes defenderat, exilio multatus, & Felix ſubſtitutus eſt. Joſeph. l. XX. c. III. & lib. II. de bello cap. XI.)

51. X. Claudius Felix, Pallantis liberti, qvi omnia apud Claudium poterat, frater. 2

(Nupſit huic Druſilla, Agrippæ regis Chalcidis ſoror, calcata Religione patria. Joſeph. lib. XX. cap. V. Ipſeq; latrones, magos præſtigiatores, vulgiq. ſeductores, qvi ſigna & prodigia ſe divinitus oſtenſuros pollicebantur, & ſuo juſſu mœnia Hieroſolymorum caſura mentiebantur, ſuppliciis affecit. Sed ad pejora poſtmodum delapſus, Jonathanem Pontificem, à qvo de rebus Judaicis melius adminiſtrandis fuerat ſubmonitus, immiſſis ſicariis trucidavit, multorum in ipſo etiam templo lanienarum autor. Audiit deinde cum Druſilla cauſam Pauli, eumqve annis duobus detinuit. Act. XXIV. Tandem cum ſeditionem inter Judæos & Græcos Cæſareæ ortam diſcuſſiſſet, ſucceſſorem obtinuit Porcium Feſtum, cumq; Judæis in judicium vocaretur coram Nerone, Pallantis fratris precibus ſervatus eſt. Joſeph. lib. II. de bell. cap. XII.)

58. XI. Porcius Feſtus à Nerone miſſus. 4

(Hoc tempore per edictum Nero jus civitatis Cæſarienſis Judæis abrogaverat. Hinc initium belli Judaici conflatum eſt. Contra Agrippam tamen Nero, Poppeæ uxoris precibus motus, ſententiam dixit, qvi arcem in urbe ſancta ea altitudine exſtruxerat, ut niſi Judæi parietem altiorem oppoſuiſſent, qvid ageretur in templo, proſpici inde potuiſſet. Joſeph. lib. XX. cap. VII.)

62. XII. Albinus, ſpurciſſimus homo. Joſeph. lib. II. de bello cap. III. 2

(Hujus tempore latrociniis tota urbs Hieroſolymorum patebat. Ipſi etiam Pontifices, qvos Agrippa pro lubitu jam dedit, jam removit, adſcitis audacium juvenum globis, ſæpe à conviciis prorumpebant ad lapides. Nec eos deterruit ille *οὐαὶ φερὺς* indefeſſus, ſeu multiplex illud VÆ, qvod qvidam plebejus & agreſtis Jeſus qvadriennio prius, qvam bellum gereretur, detonuit, & usqve ad obſidionis Hieroſolymitanæ tempora per annos VII. & qvinqve menſes continuavit. Joſeph lib. XX. cap. IX. & lib. VII. de bello cap. XII.)

Joſeph. lib. 18. Antiq. Jud. c. 2. circa fin.

64. XIII. Geſſius Florus ultimus eſt Procuratorum: qvem his verbis deſcribit Joſephus libro antiqvitatum ultimo capite ultimo: Florus ad oſtentandam miſſus malitiam, publicè traducebat noſtræ gentis injurias, nihil ſibi ad ſummam in rapinis & ſuppliciis iniqvitatem reliqvum faciens. Erat enim inflexibilis ad miſericordiam, nullis unqvam lucris ſatiabilis, undecumqve parva æqvè captans

ac

ac magna, ut & latronum eſſet particeps. Multi enim illum qvæſtum exercebant, ſecuri de incolumitate, qvam ob eo redimebant, deciſis prædarum partibus. Adeoqve nullus erat injuriarum vel modus vel finis, ut miſeri Judæi non ferentes rapacem latronum inſolentiam, cogerentur, laribus relictis & patriis ceremoniis, ad exteros fugere, judicantes, ubivis etiam apud Barbaros ſe vivere poſſe commodius. Et qvid multis verbis opus eſt? Bellum contra Romanos ſuſcipere ſolus Florus nos compulit, malens ſimul univerſos, qvam paulatim perdere. Hactenus Joſephus.

LI. Procuratores Judææ fuiſſe ſub præſidibus Syriæ, & ab iis ſæpe in ordinem eſſe redactos intelligo. Ut igitur hiſtoria rectius ſibi conſtet, catalogum qvoq; Præſidum Syriæ ſubjicias, velim.

Caſaubonus hic & Montacutius poſt Baronium egregiam locavere operam. Nos brevi tabula contenti erimus.

SUCCESSIO PRÆSIDUM SYRIÆ.

A. M.

Joſeph. lib. 18. Antiq. cap. 3. 5. & lib. 1. de bello Jud. c. 1. Baron. in Apparatu ad Annal. n. 85. pag. 34.

3888. Pompejus, Coss. Cicerone & Antonio, cum Mithridate tunc res gerens, Cœleſyriam ad Euphratem usqve & Ægyptum, ut & Palæſtinam Romano imperio adjecit, & in formam provinciæ redegit Syriam; Palæſtinam autem Hyrcano permiſit, regio nomine ei adempto, & tributo imperato. 2

3890. I. Æmilius Scaurus, Pompeji legatus, reverſo in Italiam Pompejo, Præſes Syriæ primus impoſitus. Joſeph. lib. XIV. cap. IIX. 2

3892. II. L. Marcus Philippus, vir Prætorius, ſecundum Appianum. 1

3893. III Cn. Lentulus Marcellinus, vir Prætorius. 2

3895. IV. A. Gabinius, qvem Joſephus Scauro dat ſucceſſorem, nemine interjecto. Hic Ptolomæum, Ariſtobuli filium, ex Judæa ejecit: Urbem Hieroſolymorum & omnem Syriam expilavit: Dein repetundarum poſtulatus, & in exilium ejectus eſt. Cicero eum primò in judicio accuſavit: deinde defendit: Et qvidem accuſante abſolutus, defendente damnatus eſt. 1

3896. V. M. Licinius Craſſus Hieroſolymitanum templum diripuit, expeditione in Parthos facta. 1

3897. VI. Caſſius Longinus, Craſſi Qvæſtor, fuga ex clade Craſſi elapſus, Syriam adverſus Parthos ingruentes tuetur, neceſſario non legi-

legitimo imperio, & hoſtes tandem magna clade afficit. Oſace duce eorum cæſo. 3

3900. VII. M. Bibulus, Ciceroni, qvi eo tempore vicinæ Ciliciæ præfuit, ſæpe nominatus. 3

3903. IIX. Scipio, Pompeji ſocer, tempore ingruentis belli civilis, in Syriam præſes miſſus eſt. Ejus tempore Antipater Judææ procurationem obtinuit apud Cæſarem, & mœnia Hieroſolymorum inſtauravit. I

3904. IX. Julius Cæſar, ut ipſe teſtatur libro primo Comm. Hoc tempore Antipater alterum filium Phaſelum Hieroſolymis; alterum Galilææ præfecit. I

3905. X. Sext. Jul. Cæſar, Juvenis, à Cæſare cognato in Syriam miſſus, à Cæcilio Baſſo, qvi Pompeji partes ſeqvebatur, ſublatus. I

3906. XI. Cæcilius Baſſus dejectus à Murco.

3906. XII. L. Statius Murus, à Cæſare adverſus Baſſum miſſus. Joſeph. lib. XIV. cap. XVII. & Appianus.

3907. XIII. P. Dolabella poſt necem Cæſaris, à Senatu, qvod Trebonianum, qvi inter percuſſores Cæſaris fuerat, tormentis enecaſſet, dejectus & hoſtis judicatus.

3907. XIV. Caſſius Dolabellam, Laodicææ obſidione preſſum, ad mortem adegit, & opera Herodis uſus, Judæam plusqvam DCC. talentis argenti exſpoliavit: Poſt eum plurimum potuit in Syria Fabius, cujus Joſephus meminit lib. XIV. cap. XIX. qvo tempore Antipater veneno ſublatus eſt. 2

3909. XV. Antonius Triumvir per Legatos, Soſium Ventidium, Baſſum, & alios, Syriam adminiſtravit per XII. annos: Et eo tempore Parthi, Hieroſolymis ſpoliatis, Antigonum regem crearunt. Herodes contra à Romanis rex Judææ renunciatur. Hinc variis in Judæa turbis uberrima materia. 12

3921. XVI. Qvintus Didius poſt Actiacam pugnam, Dio lib. LI. 2

3923. XVII. Meſſala. I

3924. XIIX. Varro. Hoc tempore Herodes Samariam inſtaurat, & Sebaſten appellat. 4

3928. XIX. Agrippa Syriam, & qvicqvid terrarum ſupra mare Ionium, per duo qvinqvennia poteſtate tribunitia rexit, ipſe ſe in Leſbo continuit. Qvo tempore templum Herodis ſpecioſo apparatu ſurgebat. Poſt Agrippam Caſaubonus ponit Marcum Titium, ex Joſepho

ſepho lib. XIV. cap. XII. Sed Saturninum ei ſucceſſiſſe probat Montacutius. 10

3938. XX. C. Sentius Saturninus Joſeph. lib. XVI. cap. XIII. Cujus Legati erant Volumnius & Pedanius. Hoc tempore Chriſtus anno mundi MMMCMXLVII. natus eſt, & C. Cæſar extraordinario imperio ad bellum Parthicum, & recuperandam Armeniam, in Syriam venit, & per Qvirinium cenſum egit. 10

3948. XXI. Qvintilius Varus, Joſeph. lib. XVII. cap. VII. Syriam, ipſe rapinis ditatus, pauperem reliqvit. 8

3956. XXII. P. Sulpitius Qvirinius, anno æræ Chr. VII. damnato Archelao, in Syriam miſſus, cum duplici poteſtate, regendæ provinciæ & cenſus habendi. Joſeph. initio libr. XIIX. Hujus tempore primus Judææ Procurator datus eſt Coponius, de qvo & reliqvis Procuratoribus paulò ante Catalogum nexuimus.

3966. XXIII. Silanus, remotus à Tiberio, ſec. Tacitum lib. II. Annalium.

3966. XXIV. Cn. Piſo, violentus ingenio & obſeqvii ignarus, ſec. Tacitum tandem è Syria profugus, cùm Germanicus è veneno obiiſſet.

XXV. Cn. Sentius Saturninus, è Germanici amicis & legatis unus, ut habet Tacitus lib III. Annalium.

XXVI. Pomponius Flaccus, à Tiberio datus, qvem Joſephus dicit ſucceſſiſſe Qvirinio.

XXVII. L. Vitellius, qvi Pontium Pilatum à Judæis accuſatum, ad cauſam dicendam Romam miſit. Hujus bona juventæ ſenectus flagitioſa obliteravit, ut exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris haberetur, inqvit Tacitus lib. VI.

398[illegible]. XXIIX. Petronius miſſus cum exercitu à C. Caligula contra Judæos, ut illam gentem penitus deleret, qvod imagines imperatorias non admitterent. Sed cum Judæi ſe lamentis & luctui darent, & neglectis rebus omnibus, jugula offerrent ferienda, in hæc verba prorupit: Vel Deo adjuvante, perſvaſo Cæſare, vobis & mihi vitam procurabo & ſalutem, vel ſi noluerit placari, libenter eqvidem vitam ipſe meam pro tot millibus oppignorabo. Dilatum verò de imaginibus in templo collocandis negotium ægrè ferens Cajus Cæſar, mortem illi literis minabatur. Sed Joſephus teſtatur, literas illas tres integros menſes violentiâ tempeſtatum detentas fuiſſe, & alios, qvi Caji interitum nunciarunt, proſperrimâ navigatione uſos, prævenîſſe illas.

XXIX.

XXIX. Marſus, Joſeph. lib. XIX. cap. VI. cujus tempore Judæa exemta eſt à Præſidibus Syriæ, in gratiam Procuratoris Judæi Cuſpi Fadi, propter graviſſimas inimicitias, qvæ illi cum Vibio Marſo intercedebant. Sed Fado defuncto, antiqvum obtinebat. Joſeph. l. XIX. & XX.

XXX. Caſſius Longinus.

XXXI. Numidius Qvadratus, qvi Cumanum Procuratorem à Judæis poſtulatum Romam juſſit ad cauſam dicendam proficiſci. Cujus tempore Corbulo Armeniam tuebatur contra Perſas.

XXXII. Ceſtius Gallus Tac. lib. V. hiſt. & Sveton. in Veſpaſ. cap. IV.

XXXIII. Licinius Mucianus, vir ſecundis adverſisqve juxta famoſus, ut ait Tacitus hiſt. I. Qvi poſthac Syriæ præfuerint, eorum certa ſeries vix necti poterit.

LII. Hiſtoriam Herodianæ familiæ abrupiſti, ut ſeriem Procuratorum Judææ poſſes recenſere. Nunc explica qvæſo, qvis fuerit ille Herodes Agrippa, cui Claudium Cæſarem dixiſti Judæam atq; Samariam condonaviſſe, Regio nomine addito.

Joſeph. lib. 14. Antiq. cap. 2. & 12. lib. 7. c. 2 lib. 18. cap. 7. & lib. 19 c. 7 de bello Jud. cap. 17. & 18.

Archelao Viennam in exilium deportato, ejus fratres, Herodes, Agrippas, & Philippus, Tetrarchæ, in honoribus Auguſto deferendis admodum occupati, urbes à ſe conditas aut inſtauratas, Cæſaream Philippi. & Bethſaidam, Juliadam dictam, ei ejusq. filiæ dedicarunt. Joſeph. lib. XIIX. cap. III. Et Philippus qvidem frugi ſemper fuit, & amator qvietis atqve otii. Antipas vero repudiata uxore, Aretæ Regis Arabum filia, Herodiadem, ſuam ex altero fratre Ariſtobulo neptem, & alterius fratris Herodis Philippi uxorem, rapuit, ſibiqve inceſtu deteſtando copulavit. Tantum crimen, non ſaltem ingens clades excepit. qva Antipæ exercitus ab Areta cæſus internecione periit, ſed & ipſe à Johanne Baptiſta graviter eſt increpatus. In qvo tamen DEI ſervo, & CHRISTI præcurſore, grande commiſit parricidium, populo perſvaſo, novam Baptiſtæ doctrinam ſeditioni materiam præbere potuiſſe. Joſeph. lib XIIX. cap. VII Matth. XIV. 1. Interea Agrippa, Ariſtobuli a patre Herode necati filius, Romæ multa facit nomina, & ad ſummam paupertatem liberalis, juvenis & ferè prodigus aliqvoties redactus, tandem in vincula à Tiberio Cæſare conjicitur, qvia C. Caligulam, in cujus amicitiam ſe inſinuaverat,

rat, imperio eſſe digniorem, qvam Tiberium dixerat. Id autem, qvod ei ex bubonis augurio unus è vinctis, natione Germanus, prædixit, fore, ut paulò pòſt florentiſſima uteretur fortuna, & in opum ſucceſſione liberos relinqveret, & qvando hanc alitem iterum conſpicaretur, qvintum ex eo diem fatalem haberet, eventus ipſe comprobavit. Nam Tiberio poſt VI. menſes defuncto, Caligula eum mox liberatum aurea catena, ejusdem ponderis, qvo ferrea fuerat, atqve diademate ornavit, & Regem dedit Tetrarchiæ, qvam hactenus obtinuerat Philippus, ejus patruus. Qvam felicitatem cum ei inviderat ſoror Herodias, Herodis Antipæ uxor, maritum, ut & ipſe à Caligula diadema & nomen regium peteret, impulit. Sed cum Parthis colludere viſus, perpetuo ad Lugdunum Galliæ exilio, in qvod voluntaria comes Herodias unà abiit, damnatus eſt: ejusq; Tetrarchiam Agrippa & præter eam poſtea à Claudio Cæſare Judæam & Samariam, ut & Abilam finitimasq; in Libano regiones, qvæ Lyſaniæ fuerant, accepit, ut regnum amplius, qvam qvod avi Herodis M. fuerat, obtineret, & ex annuis reditibus ultra XV. tonnas auri, ceu vocantur, colligeret. Qvia verò ſuperbus divinos honores in ludis Cæſareæ, à populo ſibi exhibitos, non recuſavit, bubone viſo, divinitus A.C.XLIV. ventris torminibus eſt percuſſus, cùm paulò antè Jacobum Apoſtolum peremiſſet, & Petrum in carcerem conjeciſſet. Act. XII. Joſeph lib. XIIX & XIX. Hinc iterum Procuratores Judææ dati ſunt, qvos jam recenſuimus. Genealogiam nunc Herodis non plenam, (nam numeroſiſſimam habuit prolem) ſed eam, qvæ intellectui hiſtoriarum noſtrarum eſt acommodatior, oculis tuis ſubjicere placuit: Eam fuſius videre licet apud Joſephum lib. Antiq. XIV. c. II. & XII. l. XVII. c. I. l. XIIX. c. VII. l. X X. c. VII. & lib. de bello Judaico c. XVII. & XIIX. Confer. Epiph. hæreſ. XX. Theoret. in Dan. Orat. IX. Hieron. in c. XXII. Matth. Euſ. b. l. I. c VI & IV. & de Demonſtrat. Evang. l. IIX. Id unum interea, tanqvam indicium inconſtantiſſimæ ſortis humanæ, conſidera, qvod florentiſſima Herodiadum familia unius ſeculi ſpatio à parvis initiis ad ſumma honorum faſtigia conſcenderit, multis regibus terrorem incuſſerit, in maximum numerum excreverit & pedetentim ita variis caſibus attrita fuerit ut ſeculo elapſo penitus exſtirpata, non niſi memoriam nominis qvalem qvalem reliqverit. De ſe igitur illud Ovidii meritò uſurpare poſſet:

Nos qvoq; floruimus, ſed flos fuit ille caducus,
Flammaq; de ſtipula noſtra brevisq; fuit.

Antipas ab Alexandro Rege Judæorum Dux totius Judææ conſtitutus

Antipater Vir inſignis à J. Cæſare Præfectus Judææ factus. Ejus uxor Cypros Arabiſſa.

- *Joſephus* ab Herode peremtus, ob ſilentium rei commiſſæ non præſtitum.
- *Pherora.*
- *Phaſaëlus* Tetrarcha Jud. à Parthis abductus.
- *Salome* domus fraternæ perturbatrix.
- HERODES Aſcalonita, infanticida à ſenatu declaratus, Rex Judææ
  - ex Doride
    - *Antipater* à patre in carcere necatus.
  - ex Mariamme Maccabæa
    - *Alexander* à patre interfectus.
    - Ariſtobulus à patre interfectus.
      - Herodias
      - *Herodes* Rex Chalcidis. Joſ. l. 20. c. 1.
        - *Ariſtobulus* III. maritus Herodiadis, cui Nero Armeniam Minorem conceſſit, Joſ. l. 20. c. 5.
      - Philippus
      - AGRIPPA M. Rex, qvi Jacobum damnavit, Actor. 12.
        - *Agrippa Junior*, qvi audiit Paulum, Act. 25. & regnum Herodis Regis Chalcidis à Claudio accepit.
        - Druſilla.
  - ex Cleopatra Jeroſolymitana
    - Philippus I. maritus Herodiadis, Tetrarcha Trachonitidis & Gaulonitidis.
  - ex Malthace Samaritide
    - *Archelaus*, Rex Judææ ab Auguſto conſtitutus, Matth. 2, 22.
    - *Herodes Antipas*, Tetrarcha Galilææ, II. maritus vel potius raptor Herodiadis, qvi ſuſtulit Baptiſtam Luc. 3.
      - Salome ſaltatrix.

Hic

(Hic nota, qvod Agrippa M. Rex fratri & genero ſuo Herodi regnum Chalcidis in Syria circa Alexandriam à Claudio impetraverit, Joſeph. lib. XIX. cap. IV. eidemqve, Agrippâ defuncto, Claudius jus conſtituendi Pontificis tribuerit. Sed cum fato A. C. XLIIX. conceſſiſſet Claudius regnum ejus Agrippæ Juniori adjudicavit: poſt tamen Chalcide ademta, tribus Tetrarchiis eum præfecit. Joſeph. lib. XX. cap. III.)

LIII. Anteqvam bellum Judaicum pertexis, Pontificum ſeriem, qvam ſupra qvæſt. XLII. nectere cœpiſti, continuari pervelim.

Defuncto Jacimo ſeu Alcimo, qvem ſecundum noſtram ſupputationem trigeſimum ſeptimum Pontificem fecimus, ſtolam induit Judas Maccabæus: Illo verò poſt triennium in acie peremto, Pontificatus per triennium vacavit. Joſeph. XIII. cap. V. Deinde hoc ordine ſibi ſucceſſerunt ſummi Sacerdotes:

XXXIIX. Judas Maccabæus, ex familia Aſmonæorum Levitica.

XXXIX. Jonathas Fr.
XL. Simeon Fr.
XLI. Johannes Hyrcanus F.
XLII. Ariſtobulus F.
XLIII. Alexander Fr.
XLIV. Hyrcanus.
XLV. Ariſtobulus Fr.
XLIV. Hyrcanus iterum.
XLVI. Antigonus Ariſtobuli F.

} Horum Hiſtoriam vide qvæſt. XLVI. deſcriptam.

(Hinc ſtola pontificia qvibusvis ex Sacerdotum ordine conceſſa eſt, etiam obſcuris, absqve uno Ariſtobulo: Qvem in piſcina natantem arte necavit Herodes: & poſthac legitimam Pontificum ſucceſſionem non una ratione contaminavit, ut ait Euſebius lib. IIX. Demonſtr. Id tantum, ſpreta omni ex parte lege Moſis, ſervavit, ut is, qvem fecit Pontificem, eſſet Hebræus, aut, ut Joſephus ait lib. XX. cap. IIX. è ſacerdotali genere.)

XLVII. Ananelus Levites, ſtirpis Aaronicæ, ſed non Pontificiæ nec Aſmoneæ, accitus Babylone ab Herode, non obſcuri generis, Pontifices cognatione attingens. Joſeph. lib. XV. cap. II. & III.

XLIIX. Ariſtobulus, Alexandri F. Ariſtobuli N. Herodis M. affinis, à matre ſua, Herodis ſocru, ad Pontificatum evectus, in aqvis per ludum inſidioſum ſuffocatus, ultimus ex Aſmonæis.

XLVII. Ananelus iterum.
XLIX. Jeſus Phabetis F.
L. Simon Boëthi Alexandrini F. Herodis ſocer.
LI. Matthias Theophili Hieroſolymitani F.
} Ab Herode M. creati & depoſiti.

(Huic, qvod ea nocte, qvæ diem jejunii præcedebat, ſibi per ſomnum viſus fuerat cum uxore congredi, ut ad rem divinam faciendam non eſſet idoneus, alius Pontifex JOSEPHUS ad unum diem ſubſtitutus eſt, Joſeph. lib. XVII. cap. IIX.)

LII. Joazar. Sim, F.
LIII. Eleazar. Fr.
LIV. Jeſus Siæ F.
} Ab Archelao dati & remoti.

LII. Joazar. iterum à Qvirinio Procos. Syriæ remotus. Joſeph. lib. XIIX. cap. III.

LV. HANNA ſeu Ananus, Joazari F. à Valerio Grato Procuratore Judææ, datus & depoſitus.

(Hannæ, qvi tantus ſui Meſſiæ hoſtis fuit, ut cum cruci adjudicandum cum aliis cenſeret, felicitatem mirare: Nam ipſe Pontifex generum Caipham & qvinqve filios ſummi Dei pontificatu potitos vidit)

LVI. Iſmael. Fabii F.
LVII. Eleazar. Hannæ Filius I.
LIIX. Simeon Camiti F.
} à Val. Grato Procuratore Judææ dati & remoti.

LIX. Joſephus Caiphas, Hannæ gener, ſub qvo Chriſtus paſſus eſt, tandem à Vitellio remotus.

(Cum tamen ii, qvi Pontificatum geſſerant, etiam Pontifices vocarentur, factum eſt, ut ab Evangeliſtis & hic Caiphas, & ejus Socer Hanna, Pontifices eodem anno fuiſſe dicerentur: Ille qvidem, qvod verè erat; hic, qvod fuerat, & Pontifici aſſidebat in deliberationibus. Qvod qvi faciebat, vocatus eſt δεύτερος τοῦ ἀρχιερέως, II. Reg. XXV.18. Thalmudiſtæ nominant Vicarium Summi Sacerdotis, cujus vicem, qvoties per morbum vel aliam ſonticam cauſam obire munia ſua non poſſet, ſupplebat. Aliqvi, ut Montacutius, putant Hannam contra jus & fas remotum, fuiſſe legitimum Pontificem, ut cui, ſecundum præſcriptum legis, ad terminum vitæ, gerendus fuit Magiſtratus: Evangeliſtam igitur utrumqve Pontificem nominaſſe, cùm illum, qvi de facto fruebatur Pontificatu, tum illum, qvi de jure erat Pontifex. Ha-

ctenus

ctenus autem, qvod notes, Reges & Procuratores cuſtodiam ſtolæ Pontificiæ, in turri Antonia aſſervatæ, ſibi arrogarant: Sed Vitellius Procoſ. Syriæ Sacerdotibus conceſſit, ut ſub ſua ipſorum cuſtodia eam haberent. Longinus tamen Caſſius, Syriæ Præſes, & Judææ procurator Cuſpius Fadus, eam curarunt denuò in turrim Antoniam deportandam, unde ter in anno depromeretur, cum Pontifici ſacra in feſtis anniverſariis obeunda erant.)

LX. Jonathan, Hannæ Filius II. à Vitellio remotus, & tandem à Felice Procuratore Judææ per ſicarios trucidatus. Joſeph. XX. cap. VI.

(Vir videtur fuiſſe modeſtiſſimus. Nam cum Agrippa ei Pontificatum eſſet redditurus, ſacrum illum amictum ſemel ſumſiſſe ei ſatis fuit: ideoqve commendavit fratrem Matthiam. Joſeph. lib. XIX. cap. VI.)

LXI. Theophilus Hannæ Filius III. }
LXII. Simeon Sim. Boëth F. } ab Agrippa M. dati & depoſiti.
LXIII. Matthias Hannæ Filius IV. }

LXIV. Elionæus, Cithæi F. ab Agrippa M. datus, & ab Agrippa juniore remotus.

(Seqventes omnes Agrippa Junior Rex Chalcidis conſtituit & removit, præter ultimum Phanaſum, qvi bello Judaico urgente per ſeditionem creatus eſt.)

LXV. Joſephus Canei F. Joſ. l. XX. c. III.

LXVI. Ananias Nebedæi F. paries dealbatus Paulo dictus Act. XXIII.

LXVII. Iſmael, Chabæi F. Joſ. l. XX. c. VI.

(Pontifices ſummi à Sacerdotibus & optimatibus Hieroſolymitanorum civium diffidere cœperunt, ſinguliq; incedebant ſtipati audaciſſimorum & ſeditioſorum catervâ, & conflictati inter ſe mutuis certabant conviciis, & incertis lapidum jactibus. Nec erat, qvi compeſceret, qvaſi vacante urbe magiſtratibus. Joſeph. lib. XX. cap. VI. & VII.)

LXIIX. Joſephus, Cabi Simeonis, Pont. Fil. Joſeph. lib. XX. cap. VII.

LXIX. Ananias Hannæ Filius V. audax & ferox ingenio, ſecta Sadducæus.

(Qvi Jacobum fratrem Domini cum aliis qvibusdam damnaverat, coram Agrippa accuſatus, & poſt tertium menſem remotus eſt. Joſeph. l. XX. cap. IX. Act. XII.)

LXX. Jeſus Damnei F.

LXXI. Jeſus Gamalielis F.

(Agrippa Junior inſtituta legis patriæ immutavit, & Levitis uſum ſtolæ

ſtolæ lineæ, qvæ hactenus ſolis fuerat conceſſa Sacerdotibus, decrevit. Joſeph. lib. XX. cap. IIX.)

LXXII. Matthias Theophili F. in cujus tempora initium belli Judaici incidit.

LXXIII. Phanaſus è rure vocatus, à ſeditioſis Pontifex proclamatus.

Etſi autem Joſephus XXCIII. Pontifices fuiſſe dicit l. XX. c. IIX. atq; ita denario numero hanc noſtram ſupputationem ſuperat, te tamen noſtro hoc inſtituto, qvo ſacris Bibliis primum locum vendicamus, contentum fore non dubitamus.

LIV. Nunc lubet cognoſcere bellum Judaicum & excidium Hieroſolymorum.

Joſeph. lib. 20. Antiq. Jud. c. 9. & lib. 2. de bello Jud. cap. 14. Lib. 6. c. 7. & ſeqq. Baron. A. C. 72.

Cognoſces illud ex ſeptem libris Joſephi de bello Judaico conſcriptis: qvos qvam breviſſimè in unum faſciculum tibi colligam. Cùm prodigia, qvorum ſeptem Joſephus lib. VII. de bello cap. XII. numerat, fruſtra pertinaciam Judæorum terruiſſent, & Florus Procurator cum Cæſarienſes, tum Hieroſolymitanos Judæos, miris divexatos modis, ad bellum exitioſum provocaſſet, illi non ſaltem Agrippam Regem, pacis ſvaſorem, ſaxis petitum, urbe pepulerunt, ſed & omnes alios, qvi pacem malebant, in ſuperiore urbe oppugnaruut, arci regiæ & archivo ignem intulerunt, ſuum Pontificem Ananiam ſuſtulerunt, & milites Romanos, armis traditis, de abitu pactos, contra datam fidem peremerunt. Interim omnis Syria adverſus Judæos armabatur, & in qvavis civitate viſebantur duæ infeſtæ acies, Græcorum & Judæorum, multaqve hominum millia paſſim interibant. Alexandriæ in Ægypto in hac diſſenſione ultra L. millia Judæorum occubuerunt: Damaſci X. amplius millia. Præſes qvidem Syriæ Ceſtus Hieroſolyma manu militari cinxit: Sed turpiter in fugam eſt conjectus, ſex mille ſuorum deſideratis. Veſpaſianus igitur, à Nerone miſſus, poſtqvam Antonius duplici clade Judæos affecerat, eorumqve XIIX. millia peremerat, Galilæam igne & cædibus fœdavit, Gadara & Japham cepit; Jotapatam, adverſus admirandas Joſephi Hiſtorici, artes & ſingularem prudentiam, XL. amplius millibus cæſis, expugnavit, & ipſum Joſephum in profundo puteo delitescentem, ſociisqve ultrò per ſortem pereuntibus vix ſuperſtitem, in ſuas partes traduxit, & ex eo tanqvam vate fatidico futuram ſuam felicitatem didicit, & præterea Joppen, Tiberiaden, Tarichæas, Gamalas, Giſcalam, aliaqve loca, aut deditione cepit, aut vi expugnata excidit, totamqve ſibi Gali-

læam

læam ſubjecit. Interim urbem Hieroſolymitanam inteſtina diſſidia & ſceleratæ ſeditiones graviter affligunt, nihil juris & æqvi latrocinia impunè paſſim commiſſa relinqvunt, hoſtiles inter cives & Zelotas conflictus hoſtibus externis viam ſternunt, Idumæorum XX. millia accerſita ingentem civium ſtragem edunt, & ſeditioſi, velut rabidæ feræ, externorum penuriâ, in ſua viſcera, inqve ipſa granaria in tres factiones ſcelerato conatu abeuntes, gladio & igne deſæviunt. Tandem cum Veſpaſianus auguſtalibus indutis, filium Titum exercitibus præfeciſſet, ille Judæis fruſtra erumpentibus, caſtra ad urbem locavit, fame intolerabili ad carnes humanas plurimos adegit, murisqve exterioribus expugnatis, expertus Judæos in mortes ruere furioſos, cum deſperatis pugnare noluit: Sed muro per XL. ſtadia exſtructo & XIII. caſtellis in circuitu diſpoſitis, partim fame, partim vi urbem tandem expugnavit, templum incendit, ſacerdotes ad unum omnes necari juſſit, & qvod Chriſtus prædixerat, ex ipſis fundamentis ingratam urbem diruit. Numerus Judæorum, qvi aut ferro cæſi, aut fame perditi, aut in ſervitutem abducti ſunt, cum incredibilis non nemini videri poſſet, niſi exacta ejus ratio iniretur, videatur in ultimis Joſephi de bello libris.

LV. Siccine jam tandem Politia Judaica planè deſiit?

Reſpondeat Joſephus lib. VII. de bello cap. XXVI. Eodem, inqvit, tempore (A.C. LXXI.) Cæſar (Veſpaſianus) ad Liberium Maximum (Procuratorem) ſcripſit, ut omnem terram venderet Judæorum: nec enim civitatem in ea condidit, proprium ſervans ſibi eorum agrum. Solis autem octingentis militibus illic relictis locum dedit, qvem incolerent, qvi vocatur Ammaus: diſtat autem ab Hieroſolymis XXX. ſtadiis. Stipendium verò, ubicunqve degerent, Judæis indixit, binasq; drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium juſſit, ita, ut ante hac Hieroſolymorum templo penderant. Hactenus Joſephus. Qvanqvam autem res Judæorum in hunc ſtatum profligatiſſimum redactæ erant, Domitianus etiam A.C. XCVI. eos, qvi ex familia Davidis ſupererant, interfeciſſe ab Euſebio lib. III. Hiſt. cap. XIX. ſcribitur, anno tamen poſt everſionem Hieroſolymorum XLIV. poſt C.N. XIV. Trajano imperante, tantis furoribus in Africa inſurrexerunt, ut circa Cyrenem, teſte Dione, ducenta amplius hominum millia; in Cypro etiam ducenta ac qvadraginta millia cæderent, nec minores ſtrages in Ægypto ederent, cæſorumqve carnibus deglutitis, eorum ſangvine ora tingerent, & pellibus velati, ac inteſtinis cincti incederent furibundi. Libyam certè his Judæorum furoribus

Benjam. Tudelenſ. in Itinerar. Conf. Fechtium Eccleſ. Judaic. p. 60. & ſeqq. & Hottinger. in Hiſt. Eccl. N. T.

bus adeò vaſtam & vacuam hominibus eſſe factam, Eutropius & Oroſius tradiderunt, ut ſi Hadrianus colonias aliunde in eam non deduxiſſet, non niſi feris poſthac latibula videretur præbitura: Sed non impunè tulerunt Judæi tantam rabiem. Nam Trajanus exercitu in eos miſſo nullum fecit ſuppliciorum finem, ut numerus cæſorum nulla ratione iniri poſſet, Euſeb. lib. IV. cap. I. legemqve tulit, ut Judæo capitale eſſet ſi in Cyprum veniſſet ſive caſu, ſive errore, ſive vi eò deferretur. Qvieverunt his editis & acceptis cladibus usqve ad A.C. CXXXII. Qvo tempore cum Hadrianus Hieroſolymorum ruderibus Æliam Capitolinam, inqve ea templum Jovis ſuperſtruxiſſet, & ſecundum Spartianum & Volateranum, genitalium circumciſione Judæis interdicta, externa ſacra in loco DEO dicato fieri juſſiſſet, ſpecubus illi ſe ſubterraneis munientes, duce Bencochabo, qvaſi filio Stellæ, qvi ſe Meſſiam profitebatur, & deinde Bencosba, i. e. filius mendacii à Judæis dictus eſt, apertum denuò bellum moliti ſunt. Sed tanta clade eos fregit Hadrianus, ut DLXX. amplius millia, teſte Dione, lib. XIX. cæderentur; eorum autem, qvi fame, morbo & igni perierunt, multitudo eſſet innumera, arcibusqve L. munitiſſimis & vicis DCCCCXXCV. nobiliſſimis funditus everſis, omnis penè Judæa deſerta relinqveretur. Hadrianus nec è longinqvo patriam antiqvam Judæis aſpiciendi poteſtatem eſſe legibus cavit, portæqve Ælianæ in everſa Hieroſolymorum urbe, qva Bethlehem ibatur, in majorem Judæorum ignominiam, marmoream ſuis ſeu porcæ effigiem impoſuit. Dehinc Judæi ſparſi in varia loca, qvieti vixere usqve ad Conſtantinum M. cujus tempore qvædam tumultuantium factio auſu temerario templum Hieroſolymitanum inſtaurare cœpit. Verum Imperator, re cognita, eorum opera disjici curavit & perduellionis reos ſeverè caſtigavit. Sub cujus tamen filio Conſtantino jugum Romanum denuò conati ſunt excutere, ſed irrito conatu. Socr. lib. II. cap. XXXIII. Sozom. lib IV. c. VII. Ultimo tandem conatu ſub Juliano criſtas erigere cœperunt. Hic enim Apoſtata Chriſti vaticinium de nunqvam inſtaurando templo mendacii convicturus, vel erogatis pecuniis publicis, Judæos ad inſtaurationem exciſi templi conduxit. Vidiſſes ibi tripudiantes Judæos immanes adverſus Chriſtianos minas ſpargere: Ecce verò DEI in evertendis impiorum conſiliis potentiam! Turbo primum horrendo fragore & procellis graviter intonans gypſum & calcem magnis ſumtibus congeſta diſperſit, cumqve ruderibus jam remotis Judæi fundamenta everſi templi attigiſſent, alteraqve die nova in iis opera excitaturi eſſent, terræ motus

noctu

noctu ſaxa & lapides evomuit, & ipſa fundamenta una cum contiguis ædibus disjecit, ut vel ſic ſua verbis Chriſti conſtaret fides, quibus dixerat fore, ut ſuper lapide lapis tandem non inveniretur. Hæc nondum qvicqvam moratos Judæos ignis cœlitùs delapſus, vel, ut Sozomenus cum Nazianzeno refert, ex templi fundamentis emicans operarios aduſſit, & omnia artificum inſtrumenta incendio per totum diem durante abſumſit. Cum nec ſic qvidem ab opere diſcederent, noctu in cœlo ſignum † fulſit, & veſtibus Judæorum, qvi præſtò erant, cruces atri coloris, cœlitus delapſæ, impreſſæ ſunt, qvæ ablui nullo modo poterant. Sic tandem ferociam & pertinaciam Judæorum & Judaizantis Juliani victorioſiſſimè retudit DEUS noſter benedictus in ſecula. Porro A.C. CDXXXII. ſub Thedoſio Juniore Imperatore, ceu narrat Socrates, impoſtor qvidam in Inſula Creta Judæis perſvaſit, ſe eſſe Moſen cœlitus ad reducendos eos in patriam demiſſum. Vagatus eſt anno integro, finxit vaticinia, compilavit multum auri, & diem emigrationis ſuis conſtituit. Qvi cum adeſſet, nonnulli impoſtoris juſſu in mare deſilientes ſubmerſi perierunt. Aderant illico vicinæ nautæ, qvi multitudinem reliqvam, ne furorem aliorum æmularentur, elata voce inclamarunt. Fraude ita detecta, Moſes ille perſonatus, à ſuperſtite populo inqviſitus, nusqvam comparuit. Sub Juſtino Seniore, circa A.C. DXX. alius Judæus, nomine Dunaan, Homerita, Moſis filium ſe profeſſus, Negram, Arabiæ Felicis urbem, ingreſſus, Chriſtianos, interqve eos Aretham Epiſcopum, vi adortus oppreſſit: ſed flagitioſi conatus mox pœnas dedit, & ab Elesbano Æthiopum duce ſtrenuiſſimo vivus captus, & ferro cæſus eſt, Nicephorus lib. VII. cap. VI. Elapſo hinc decennio ſub Juſtiniano Samaritani, Juliano qvodam Rege ſibi creato, Eccleſias Chriſtianorum, maxime circa Neapolin, per ſacrilegium compilatas, igne vaſtaverunt, presbyteros in fruſta diſſecuerunt, alios aliis ſuppliciis ſuſtulerunt. Sed Juſtinianus multa manu cum illis congreſſus, cùm alios multos tùm Julianum ipſum ſuſtulit. Niceph. lib. XVII. cap. XXIV. & Paulus Diaconus lib. XVI. qvi ipſe teſtatur, paulò pòſt alium fuiſſe Judæorum Regem electum, qvi tamen cum complicibus facilè ſit everſus. Nec ceſſavit inſania Judaica adhuc Anno C. DCCXXII. Nam Syrus qvidam, teſte Eutropio lib. XXI. homo verſipellis, cùm videret Judæos anxiè expectare Meſſiam, ſe eum profeſſo, plurimos ſeduxit. Poſtea A. C. DCCCCXXXII. teſte Benjamino Tudelenſi, David Elroi Magus, ſe à DEO miſſum Judæis in Perſia perſvaſit, Hieroſolyma ſe expugnaturum, Meſſiam ſe eſſe, exſtirpaturum

gentes. Captus à Rege Perſarum liber e carcere evaſit. Reliqvis Judæis Rex minatus eſt extrema qvæqve, niſi ſibi impoſtor redderetur. Primores Judæorum literis juſſerunt Davidem qvieſcere, qvia nondum ſigna adeſſent ſperatæ liberationis: Id ille nihil curans, tandem à ſocero per inſidias in lecto confoſſus eſt.

LVI. Politiam Judæorum variis mutationibus obnoxiam, variisqve ſceleribus deformatam, ab ipſo Moſe ad excidium usq; gentis, accuratè deſcripſiſti, ut faciem in ea Eccleſiæ facilius deprehendam. Sed anteqvam ad cœtum malignantium, qvem Cacodæmon tempore Moſaicæ Eccleſiæ coëgit, progrediaris, velim ut prius de V. T. Doctoribus, Prophetis, Scholis, martyriis, miraculis, & exterorum converſione me erudias.

Doctores in Eccleſia Moſaica qvod attinet, fuerunt eorum qvamplures, omnes tamen aut in principatu conſtituti, ut Moſes & Eſdras, aut Sacerdotes, Cantores & Levitæ, ut Aſſaph & Korah, qvorum crebro fit mentio in Pſalmorum inſcriptionibus, aut Synagogarũ Præfecti, aut demùm Prophetæ. Prophetas autem Scriptura cùm eos nominat, qvi verbi ſunt Doctores & Interpretes, tùm qvi à DEO peculiariter excitati & edocti futura prævíſa prædicunt, aut τὰ παρόντα λανθάνοντα explicant. & antiqvitus Videntes nominabantur, ab Auguſtino lib. XIIX. de Civit. Dei cap. XII. Philoſophi Dei, Sapientes, Theologi & Doctores probitatis atqve pietatis dicti: qvorum qvidem officium erat, piorum regum conſiliis præſtò eſſe, ad reſipiſcentiam torpidos adhortari, perterritos conſolationibus exigere, & ut Suidas dicit, τὴν γνῶσιν παρέχειν ὑπουργὸν τῇ τοῦ πνεύματος χάριτι. Inter eos poſt Moſen, Mirjam Prophetidem. Exod. XV. 20. Joſuam, Syrac. XLVI. 1. Deboram, Samuelem & Davidem, qvorum, ut Patriarcharum ante Moſen, lumine Prophetico irradiatorum hiſtoriam jam novimus, hi præcipui in Sacris nominantur.

2. Sam. 7. v. 5. c. 12. v. 1. 13. Pſ. 51. v. 2. 1. Reg. 1. v. 8.

I. Nathan, ad Salomonem optimum ſuum diſcipulum, II. Sam. XII. rejecto Adonia, regnum deferri curavit. I. Reg. I. Davidem de adulterio & homicidio commmiſſo prudenter increpatum, nomine

tan-

tandem Dei abſolvit, eidemqve Domini voluntatem de templi ſtructurâ Salomoni commendanda, tum de Meſſia ex ejus proſapia naſcituro aperuit II. Sam. VII. & fideliſſimus ejus in officiis Sacerdotum & Levitarum rectè diſtribuendis Paraſtates fuit, II. Par. XXIX. 25. ſacrasqve Hiſtorias commentatus eſt. I Par. XXX 29. Epiphanius, aut qvi alius libri de vitis Prophetarum autor eſt, ex traditionibus Hebræorum narrat. Nathanem præſciiſſe ex peculiari revelatione amores Davidis & Bethſabææ: à qvibus ut abſtraheretur David, Hieroſolyma profectum, in itinere à Beliale impeditum fuiſſe, qvò minus juſto tempore adeſſet: Nam objectum illi præſtigiis Satanæ nudi hominis cadaver, in qvo ſepeliendo dum tempus conſumeret, illâ ipsa nocte Bethſabææ ſtuprum illatum eſſe.

II. Gad, ſacer hiſtoriographus, I. Par XXX. 29. Davidem ex Moabitarum regione in Judæam reverti juſſit, I. Sam. XXII 5. eiqve cum cenſum populi ſuperbus egiſſet, iram Dei primò denunciavit, deinde ad aram eo loco, qvo templum poſtea fundatum eſt, extruendam, conſilium ſuppeditavit. II. Sam. XXIV.

1. Sam. 22. v. 5. lib. 2. c. 24. v. 11 18. 1. Chron. 21. v. 11. 2. Reg. 15. v. 14. 17.

III. Ahia, Silonites, decem pallii ſciſſi laciniis Jerobeamo, tanqvam X. tribuum Iſraeliticarum futuro Regi, oblatis, Salomonem ob Idololatriam graviter puniendum eſſe prædixit. I. Reg. XI. 29. Sed & ipſi poſtea Jerobeamo, ejusqve familiæ, ob vitulos Bethele erectos excidium denunciavit. I. Reg. XIV.

1. Reg. 11. v. 29. cap. 12. v. 15. 2. Chron. 9. v. 19.

IV. Jadon (ſic enim nominat Joſephus lib. IIX, cap. III.) aram Idololatricam Bethelenſem à Jerobeamo erectam, poſt annos CCCLVI. à Joſiâ eſſe demoliendam vaticinatus, verbis, fidem fecit miraculo, cùm Jerobeam, manum, qvâ extenſa comprehendere vatem juſſerat, ſubitò ſideratam retrahere non poſſet. Huic Jadoni ad ſuo reverſuro Pſeudo-Propheta, colloqvia cum Deo mentitus, turpiter impoſuit, ut neglectis commiſſi officii partibus iram numinis incurreret, & à Leone immiſſo diſcerperetur. I. Reg. XIII. Epiphanius vocat eum Joamum; Tertullianus & Clemens Alexandrinus Sameam.

1 Reg. 13. & Joſeph. lib. 8. de Ant. Jud. c. 3.

V. Semaja expeditioni, qvam Rehabeam, Salomonis filius, adverſus Jerobeamum copiis ingentibus ſuſceperat, interceſſit, & Judæos poſtea à Seſaco Ægyptio afflictos conſolatus eſt. I. Reg. XII. 22. II. Par. XII. 5. Scriptor hiſtoriæ Rehabeami. II. Par. XII. 15.

1. Reg. 12. v. 22. 24. 2. Chron. 11. v. 2 & 12. v. 13. alius à Pſeudoprophetis ejusd. nominis. Nehem. 6. v. 10. 11. 13. Jerem. 29. v. 24. 31. 32.

VI. Iddo, itidem Scriptor hiſtoriæ Rehabeami, ejusqve filii Abiæ II. Par. XII. 15. XIII. 22.

Alius ejusd. nominis Eſdr. 8. v. 17.

2. Chron. XV. v. 1. 2. 8.

VII. Aſaria, Filius Obed, Aſſæ Regi Judæ, de Æthiopum victoria gratulatus, graves regno inſtare caſus prædixit, & ſalutem in pœnitentia unicè qværendam eſſe docuit. II. Par. XV. 1.

VIII. Hanani eundem Aſſam Regem ob fœdus cum Syris contra Iſraelitas initum, increpans, in carcerem compactus eſt. II. Par. XVI. 7.

1. Reg. 22. & 2. Chron. 18. 1. Reg 20. v. 13. 28. 35.

IX. Micha, Filius Jemlæ, II. Par. XIIX. 1. Achabo & Joſaphato regibus, aciem contra Benhadadum Syriæ Regem dirigentibus, clàdem denunciat, & ob id à dementi Pſeudo-Propheta Sedekia, cornibus ferreis in Syros fruſtra armato, colapho excipitur.

1. Reg. 16. v. 1. 7. 12. 2. Chron. 19. v. 2.

X. Iehu, Filius Hanani, Baëſam regem Iſraëlis ob Idololatriam, & Joſaphatum ob ſocietatem cum Ahabo contractam increpat. I Reg. XVI. I. Par. XIX. 2.

XI. Jehaſiel, Lephita, Joſaphatum trinâ Moabitarum, Ammonitarum & Edomitarum acie exterritum erexit, & cœleſte Dei auxilium promiſit. II. Par. XIX. 14.

2. Chron. 20. v. 37.

XII. Elieſer Joſaphatum cum Ahaſia rege Iſraëlis in claſſe in Oceanum expedienda occupatum objurgat, & irritos conatus fore prædicit. II. Par. XIX. 35.

1. Reg. 17. v. 1. cap. 18. v. 18. c. 21. v. 18. 21. Sulpit. Sev. Lib. I. Hiſt. Sacr. c. 75.

XIII. Elias Thesbita à Thesbone oppido terræ Gileaticæ oriundus, Joſeph. lib. IIX. cap. VII. Epiphanius eum in vitis Prophetarum tribui Levi, & qvidem domui Aaronis, adſcribit. Lutherus & alii ad tribum Gad, ex Deut. XXXIII. 21. ejus originem referunt. Sobacum, Eliæ parentem, refert dicto loco Epiphanius, ſub tempore naſcituri filii vidiſſe in viſione qvadam viros ſtolis albis indutos, qvi puero faſciis ignitis reverenter involuto flammas pro cibo miniſtrarunt, idq; ſacerdotes, oraculo conſulto, dixiſſe certum indicium fore, ut domus infantis magna luce coruſcaret, & ipſe Iſraëlem gladio & igni & ſermonis vehementiâ judicaret. Anno Joſaphati XVI. prodiit, à Moſe longe ante vocatus Doctor in parte ſua repoſitus, i. e. in cœlos aſſumtus, veniens cum principibꝰ populi & juſtitias Domini faciens, Deut. XXXIII 34. Encomiũ ejus vide Syrac. XLIIX. 1. Cœlum I. clauſit tribus cum dimidio annis. II. Ipſe interim à corvis paſtus, III. Viduam Sareptanam hydria farinæ, & lecytho olei inexhauſtis diu ſuſtentavit, I. Reg. XVII. cujus etiam IV. Filium defunctum in vitam revocavit, I. Reg. XVII. Poſt V. precibus cœlum in nubes coëgit, & pluviam terræ ultra triennium avidæ eſt conſecutus, Jac. V. 17. 1. Reg. XIIX. Anteqvam tamen id fieret, ut verum Dei Iſraëlis numen demonſtraret, VI. victimas igne cœlitus delapſo

pſo conſumi impetravit, & DCCCL. ProphetasBaaliticos, qvorum idolum non potuerat iſtiusmodi præſtare miraculum, Prophetico Zelo percuſſit. VII. Sed vir pius ingens hinc natum Jeſabelis reginæ odium ſuſtinuit, & profugus bis ab Angelo cibatus eſt. IIX. qvi cibus eum, tanqvam alterum Moſen, XL. dies ab omni fame conſervavit. IX. Deinde in monte Horeb majeſtate DEI illuminatus, atqve ad ejus colloqvium admiſſus, mandatum accepit de Haſaele & Jehu, ut ſpem regni conciperent, inungendis. Hinc X. poſtqvam non ſaltem Ahabo & Jeſabeli, ſed & Achaziæ Regi Judæ omnia triſtia nunciaſſet, & à militibus Achaziæ jamjam eſſet comprehendendus, igne armatus cæleſti, duas cohortes perdidit. XI. Cumqve Scholas ſuas Propheticas, Bethlehem, Gilgalem & Hierichuntem ultimo itinere obiiſſet, Jordanem pallio diviſit, ut ſiccis tranſiret pedibus. Et tandem XII. qvadrigis igneis in cœlum vivus, Eliſæo cum L. Prophetarum filiis inſpectante, aſſumtus eſt. Et poſt longum temporis tractum, ut vel ſic Apoſtoli majeſtatem Domini ſui ex tantis tamq; beatis ſervis conjicerent, cum Moſe in montem Thaboris deſcendit. Matth. XVI. Mentio fit Epiſtolæ Eliæ II. Par. XXI. 12. ad Joramum filium Joſaphati miſſæ; Qvia autem hoc Jorami tempore Elias jam ante ſeptennium mundo valedixiſſe videtur, nonnulli eam Epiſtolam cenſent vel alterius Eliæ fuiſſe, vel ante abitum cæleſtem ſpiritu Prophetico ſcriptam, nunc demum commodè exhibitam Regi. Alii, ut Lutherus, Melanchthon, & Saubertus, Eliam putant adhuc tempore Jorami vixiſſe, & aſſumptionem ejus, ante obitum Joſaphati, per ὑστεροπρωτίαν freqventiſſimam, eſſe deſcriptam.

IV. Eliſæus, agricola Saphatæus, cum primum hanc lucem adſpiceret, prodigioſo buculæ boatu, Galgalis tam clarè emiſſo, ut Hieroſolymis audiretur, exceptus eſt, ſecundum Epiphanium. Ab Elia ad munus Propheticum ſegregatus, I. Reg. XIX. Eliæ Spiritum duplo efficaciorem accepit. I. Reg. II. & Eccleſiam per annos LXII. docuit. Rapto autem in cœlos Præceptore, I. pallio, qvod igneis qvadrigis exciderat, Jordanem, ut ſiccum concederet tranſitum, diſrupit. II. Aqvas Hierichuntinas ſalis inſperſione ſalubres reddidit. III. Duos & qvadraginta pueros, calvitiem ſibi exprobrantes, precibus adverſus eos uſus, urſis devorandos, indignatus objecit. IV. Tres Reges, Iſraëliticum, Judæum, Idumæum, aqvarum difficultate in expeditione Moabitica laborantes, aqvis miraculosè profluentibus refocillavit, & victoriæ promiſſione erexit. V. Obediæ pientiſſimi regii diſpenſatoris, magni Eccleſiæ ab Ahabo

2. Reg. 7. v. 18. Joſeph. lib. 9. antiq. Jud. c. 2.

 affli-

afflictæ benefactoris, viduam relictam (Sic enim Lyra cenſet) ære alieno graviter laborantem, oleo ex una fidelia copioſiſſimè profluente, ditavit, ut omnia ſolveret nomina. VI. Sunamitidi hoſpitæ non ſaltem filiolum à DEO impetravit, ſed & eundem paulo adultiorem febri maligna correptum vitæ reſtituit VII. Diſcipulis Propheticis, colocyntidis, propter inſignem purgandi vim inter venena habitis, famem ſublevaturos, amaritie pulmenti per aſperſam farinam edulcorata, conſuluit, & præterea viginti hordeaceis panibus plurium virorum famelicorum egeſtati miraculose ſubvenit. IIX. Leprâ Naamani Ducis Syriaci aqvis Jordanis ablutâ, avarum & mendacem famulum Gehaſium percuſſit. IX. Ferrum aqvis ſupernatare juſſit. X. Conſilia & inſidias Syrorum Joramo Regi Iſraelis detexit, & hoſtes ſe captivum ducturos angelicâ militiâ cinctus excæcavit, inqve ipſam Samariæ urbem deductos impunè dimiſit. XI. In Samariæ obſidione cum fames ad filiorum carnem matres adigeret, ad mortem, tanqvam calamitatum cauſa, qvæſitus, profuſam annonæ in craſtinum ubertatem; duci verò incredulo mortem prædixit. XII. Tandem cum Haſaeli regi Syriæ mortem; Joaſo verò trinam à Syris victoriam nunciaſſet, placidè expiravit. II. Reg. à cap. XI. ad cap. XIII. Sepultus eſt in Samaria, ubi adhuc tempore Hieronymi monumentum ejus viatoribus oſtenſum fuit.

Jon. I. v. 1. 2. Reg. 14. v. 25. Joſeph l. 9. antiq. c. 11. Epiphan. de Vita Prophet. in Jona Sulpit. Sever. lib. I. Hiſt. Sacr. cap. 84.

XV. Jonam Epiphanius & Hebræi putant fuiſſe illum viduæ Sareptanæ filium, qvem Elias in vitam revocavit. Sed qvia Jonas LXXX. annis poſt Eliam aſſumtum docuit, ne ex colonia Sidoniorum Sarepta, ſed ex Gadhepher in tribu Zabulonitica, non gentili, ſed Hebræorum ſtirpe, II Reg. XIV. 25. Joſ. XIX. 13. Jon. I 9. oriundus eſt, meritò illam Hebræorum traditionem mittimus. Cæterùm Jonas Jeroboamo Regi Iſraelis egregiam victoriam de Syris prædixit. II. Reg. XV. 25. Ante id temporis miſſus fuerat à DEO in Aſſyriam, ut Sardanapallum & Ninivitas à ſceleribus ad pietatem hortaretur: Sed tantum gentem alloqvi veritus, navem Joppenſem conſcendens, ut latibulum Tarſi in Cilicia qværeret. ſe vocationi divinæ ſubtraxit: At tempeſtate coorta, in Deum deliqviſſe, ex ſorte miſſa, eſt deprehenſus; Ideoqve in mare projectum belua marina aperto rictu in ventrem demiſit, & poſt triduum ad littus evomuit vivum & illæſum. Sic tandem Propheta, juſſa DEI executurus, Nini urbem adiit, eamqve pœnarum cæleſtium, intra XL. dies imminentium, denunciatione eò pœnitentiæ adduxit, ut, rege ſuo exemplo reliqvis præeunte, emendationi vitæ omnes inſiſterent. Atqve cum mala denunciata

ciata dictum diem haud facerent funeſtum, Jonas ſui contemptum veritus, Zelo præpoſtero incenſus, Symbola hæderæ una nocte natæ & denatæ, & tamen Jonæ admodum gratæ, divini erga Ninivitas amoris didicit magnitudinem.

XVI. Hoſea, è tribu Iſachar, à temporibus Uziæ, X. regis Judæorum, per LXX annos oracula DEI usqve ad Hiskiam enunciavit, nec ſaltem peccata minis intermixtis, Symbolis etiam additis, coarguit. ſed & fidem verasqve virtutes inculcavit, & de adventu, regno & beneficiis Chriſti egregia edidit vaticinia. Oſea. cap. 1. v. 1. Cyrill. l. 3. Cont. Julian. Dorothæus de Vita & Morte Prophetar.

XVII. Joel è tribu Ruben, initio libri ſiccitatem prædixit, ad qvam Amos IV. 6. homines neqvicqvam reſipuiſſe dicit. Unde hunc Prophetam primo Uziæ tempore, ante Amoſum floruiſſe facilè colligitur. Primo autem ſuæ Prophetiæ Capite ad peccatorum conteſtationem Judæos invitavit: altera de Babylonica regni Judaici everſione, deq; regno Chriſti & Spiritus Sancti effuſione vaticinatur: tertio demum vocationem gentium delineat. Joel. 1. cap. 1. Conf. Act. 2. 16. & 17. Rom. 10. v. 13.

XIIX. Amos è tribu Zabulon, ex Thecue oppido, homo plebejus, & paſtor, ruborum mora vellicans, ut ſeipſum nominat cap. VII. 14. ſubita & divina vocatione in ordinem Prophetarum, tempore Uziæ, adſcitus, adverſus gentes ſimul, & Judæos atqve Iſraelitas, concionatus eſt, & ob id ſeditionis cap. VII. 10. poſtulatus, Meſſiæ regnum capite ultimo egregie deſcripſit, & à Jerobeamo II. Rege Iſraelis, & ſacerdote Bethelis, qvem de duobus vitulis aureis reprehenderat, clavo circa tempora transfixus, occubuiſſe putatur. Amos. 1. v. 1 & c. 7. v. 14 15. Conf. Act. 7. v. 42. & c. 15. v. 15.

XIX. Zacharias, Jojadæ filius, qvem Joaſus Rex in atrio templi, contra qvem locutus fuerat, lapidibus obruit. II. Par. XXIV. Hunc plerique à Chriſto, Matth. XXIII. 35. indigitari putant, qvanqvam pater ejus dicatur Barachias. Binominem enim cenſent Jojadam Sacerdotem Zachariæ patrem fuiſſe: Et Hieronymus teſtatur in Evangelio, qvo Nazareni utuntur, pro filio Barachiæ filium Jojadæ reperiri ſcriptum. Rabini teſtantur, Prophetæ hujus ſangvinem usqve ad Nebucadnezaris adventum inſtar ollæ bullientis in ſaxis ferbuiſſe, qvaſi ultionem poſceret. Qvo nonnulli trahunt Parabolam, Ezech XXIV. 5. Qvomodo hujus corpus poſt Chriſtum natum repertum ſit, legere eſt apud Sozomenum, lib IX. c XVII.

XX. Zacharias alius, cujus autoritate Uzias Rex inductus Dominum toto pectore coluit. II, Par. XXVI. 5.

Eſ. 1. v. 1. c. 6. v. 1. c 37. v. 6. 2. Reg 19. v. 6. & 20. v. 16. 2. Chron. 32. v. 20. Auguſt. lib. 18. de civit. Dei cap. 29.

XXI. Eſaias, ille, juxta Hieronymum & Auguſtinum, non ſolum Propheta, ſed & Evangeliſta & Apoſtolus, & ſecundum Chryſoſtomum μεγαλοφωνότατος, natus creditur ex Amaſiæ Regis Judæ fratre Amoſo, ut ita verè Chriſtum cap. V. poſſet patruelem vocare. Hieronymus qvæſt. in Paral. Tom. IV. dicit, ſocerum eum fuiſſe Hiskiæ, & ſic avum Manaſſis, ex filia Hephziba, cujus mentio fit II. Reg. XXI. 1. Anno regni Uziæ XXIIX. munus aggreſſus Propheticum, XCVI. amplius annos, ad duodecimum annum Manaſſis, ei præfuit, & in libro ſuorum vaticiniorum qvicqvid de Phyſicis, Ethicis, Logicis, & qvicqvid de ſanctarum Scripturarum myſteriis poteſt humana lingva & mortalium ſenſus accipere, complexus eſt, ſumma præ cœteris Prophetis venuſtate ſermonis & urbanæ dictionis, ceu dixit Hieronymus. Uno enim volumine conciones legales & Evangelicas, hiſtorias regni præcipuas, parænefes vividas, conſolationes efficaces, preces & gratiarum actiones piiſſimas comprehendit, hoc qvidem ordine, ut primis XII. capitibus Judæos corripiat, conſoletur, doceat, de futuris præmoneat: inde usq; ad c. XXIV. gentibus minetur: poſt usqve ad XXXVI. caput ſe denuò ad Judæos convertat; hiſtoriam deinde Hiskiæ IV. capitibus explicet, & hinc ad finem usqve ad Judæos iterum ſermonem dirigat, tam perſpicuo uſus calamo, ut in vaticiniis ſuis nihil de Chriſti incarnatione, miraculis, vitâ, regno & paſſione prætermiſerit. Tandem vir, optimè de patria & Eccleſia meritus, cùm optimates regiæ domus vocaſſet principes Sodomorum, cumqve à lege Moſaica diverſum ſcripſiſſe argueretur, juſſu Manaſſæ, omnibus ferè patribus teſtibus, ſerrâ in duas partes diſſectus, & monumentis regiis illatus eſt. Legitur II. Reg. XIX. qvod Eſaias conſilio & oratione ſervaverit Jeruſalem, & ita verus pater patriæ fuerit. Dorotheus, Tertullianus & Epiphanius uno ore teſtantur, Eſaiæ ægroti precibus fontem eſſe productum, qvi ob id Siloah, qvaſi miſſus, ſit vocatus.

Mich. 1. v. 1. Jerem. 26. v. 18.

XXII. Micha, è tribu Ephraim, temporibus Jonathani, XI. Regis Judæorum exorſus, vivente adhuc Hiskia, eccleſiam docuit, & qvidem non ſine fructu: Jerem. XXVI. 17. Mala autem, qvorum maxima ſegete ingrati Judæi ſint obruendi, regnum Meſſiæ non eſſe remoratura inſinuat, cujus nativitatem, victoriam & beneficia graphicè admodum cap. IV. & V. depingit. Dicitur à nonnullis, qvod Sixtus Senenſis annotat, ex alto loco præcipitatus, & in Patria ſua Moraſti, ſeu Mareſa, prope Polyandrium ſepultus.

2. Sam 6. v. 11. 12. 1. Chron. 13.

XXIII. Obed, temporibus Ahaſi, XII. Regis Judæ, Pecam regem Iſraë-

Iſraelis, qvi Judæorum centena & viginti millia in acie peremerat, & ducenta millia imbellis turbæ abducere conatus fuerat, corripuit, utqve tantus hominum numerus dimitteretur, impetravit. II. Par. XXIIX. 9.

v. 13. 14. Theodoret. præf. in Paralip.

XXIV. Nahum, è tribu Simeon, cap. III. 8. urbis Ægytiacæ No, poſtea Alexandriæ dictæ, everſionem ab Eſaia cap. XX. 3. prædictam, contigiſſe ſcribit, & ob id circa Hiskiæ, XIII. Regis Judæ, tempora floruiſſe putatur. Hic Ninivitis, Jonæ monita porrò non curantibus, regni Aſſyriaci ruinam à Medis inſtare prædixit, ut populum Dei preſſum firmius erigeret.

Nah. cap. 1. 2. 3. Joſeph. 9. Antiq. cap. 11.

XXV. Hulda, Prophetis, ab aliqvibus putatur avia Jeremiæ, qvam Hiskias, invento legis libro, conſulens, didicit, ſe placidè defunctо, extrema qvæqve Judæos immorigeros manere. II. Reg. XXI. 14. II. Par. XXIV. 22.

2. Reg. 22. v. 14. 15. Hieronym. Epiſt. ad Principiam. Tom. 3 & Proœm. in Sophon.

XXVI. Zephanias, è tribu Simeon, tempore Joſiæ XVI. Regis Judæ, una cum Habacuc & Jeremia, Eccleſiæ datus, mira atqve luculenta brevitate excidium cùm Hieroſolymitanorum, tum aliorum regnorum prædixit, atqve feliciſſimis Meſſiæ tandem adventuri temporibus afflictos erexit.

XXVII. Habacuc, è tribu Simeon, natus in agro Bezochar, populi fuit amantiſſimus, pro qvo, in captivitatem Babylonicam paulo poſt abducendo, ardentiſſimas fudit preces, ſeqve ipſum & Judæos in pœnarum Babyloniæ infligendarum denunciatione confirmavit. Utrum ille ſit, qvi Danieli captivo eſcam attulit, & qvem Angelus, ceu Prudentius canit,

Ejus cæſarie manu prehenſa
Plenis, ſicut erat, gravem caniſtris
Suſpenſum rapuit,

dubitant nonnulli; aſſerunt Nazianzenus, Alcimus & alii.

Habac. cap. 1. v. 1. & cap. 3 v. 1. Auguſt. l. 18. de Civ. Dei cap. 32. Clem. Alex. 1. Strom. Theodoret. præf. in Proph.

XXIIX. Jeremias, Anathote oriundus, è tribu Levi, decimo tertio Joſiæ, trigeſimo ante excidium Hieroſolymitanũ anno, prodiit, Prophetia & divinis illuminationibus admodum clarus, & in threnodiis fundendis admirabilis, ſed omnium calamitoſiſſimus: Cùm enim conſtanter ruinam patriæ imminentem aſſereret, tot habuit hoſtes, qvot auditores: Vir rixarum & diſcordiæ habitus, cap. XV. à ſacerdotibus plagis contuſus, inq; carcerem conjectus, cap. XX. à plebe ad necem poſtulatus, cap. XVI. à Pſeudoprophetis coràm, cap. XXIIX. & abſens afflictus, c. XXIX. à Re-

Jerem. cap. 1. v. 2. 3. cap. 29. v. 27. cap. 33 37. 38. 39. &c.

à Rege in vinculis detentus, cap. XXXII. à principibus pulſatus, morti addictus & in fœdum locum detruſus, cap. XXXVII. & XXXIIX. à victis & profugis in Ægyptum tractus, cap. XLIV, & ab iisdem tandem, ſecundum plerorumqve Patrum traditionem, lapidibus obrutus. Mortuum, ſi credendum eſt, qvod Epiphanius, Iſidorus & alii habent, Ægyptii coluerunt, eò, qvòd aſpides & crocodili ejus beneficio ex illis finibus eſſent profligati. Alii referunt, Jeremiam prædixiſſe ſimulacrorum caſum, qvando Virgo, infantem enixa, in Ægyptum eſſet aſcenſura. Amanuenſis Jeremiæ fuit BARUCH, qvi præter ea, qvæ ex ore Magiſtri excepit, librum qvinqve capitum ſcripſit, qvi poſt vaticinia Jeremiæ in ſacro codice legitur.

Jerem. 32. v. 12. cap. 36. v. 4. 26. 32. & c. 45. v. 1.

Jerem. 26. v. 20. 23.

XXIX. Urias, Semejæ filius; juſſu Jojakimi, XVII. Regis Judæ, è fuga, quâ poſtqvam de malis imminentibus multa prædixerat, in Ægyptum ſe mortis metu proripiebat, retractus, & interfectus eſt. Jerem. XXVI. 20.

Abd. 1. v. 1. Hieron. in Epitaph. Paulæ & Comm. in Abd.

XXX. Obadia ſeu Abdia, circa initium captivitatis Babylonicæ vixiſſe videtur: Nam & liberationem ſuis promiſit & Edomitas ob ἐπιχαιρεκακίας graviſſimis pœnis eſſe adjudicandos docuit. Rabini & Epiphanius, ut & Hieronymus, hunc faciunt eundem cum Obadia, regiæ aulæ magiſtro, I. Reg. XIIX. 3. qvem, ob ſingularem in Prophetas munificentiam, & ipſum ſpiritu Prophetico ornatum fuiſſe credunt. Joſephus lib. IX. cap. II. addit, ejus uxorem fuiſſe illam viduam, qvæ oleo divinitus per Eliſæum ſubminiſtrato nomina diſſolverit. II. Reg IV. 1.

2. Sam. 3. v. 3. Dan. I. v. 6. & & ſeq. Joſeph. lib. II. Antiq. cap. ult.

XXXI. Daniel, è tribu Juda, qvem Ezechiel cap. XIV. 14. pium, & cap. XXIIX. 3. ſapientem nominat, Hieroſolymis à Nebucadnezare occupatis, puer adhuc Babylonem miſſus, ibiqve ducatus eſt. Vitam ejus & res geſtas jam qvæſt. XXXIIX. deſcripſimus. Vaticinia ſua, à ſe deſignata ipſe in ſacro volumine copioſè explicat. Confer Joſephum, qvi lib. X. cap. XII. teſtatur, eum apud Ecbatana Mediæ turrim, opus pulcerrimum & ſingulari admiratione dignum, excitaſſe, qvod ipſius adhuc Joſephi tempore, nihil omninò tam longo ævo læſum, ſpectantibus recentiſſimæ ſtructuræ viſum fuit, ac ſi ea ipſa die, qva ſpectabatur, fuiſſet abſolutum: Qvam ob cauſam Medorum, Perſarum & Parthorum reges in ea turri ſepeliri voluerunt; cujus cuſtodia nemini, niſi ſacerdoti Judaici generis, unqvam concredebatur.

Ezech. c. 1. 3. 8. 11. 24. & 43. Gregor. Nazianz. Or. Apolog. 1.

XXXII. Ezechiel, è tribu Levi, ſeptennio poſt Danielem in Babyloniam abductus, nec captivus deſiit calamitatem Regi & urbi imminer-

tem

tem plurimis viſionibus & Prophetiis depingere, donec excidio univerſa periiſſent. Anno XIV. excidii, & qvi inde conſeqvuntur, egregias, ſed obſcuriores conciones de ſpirituali Jeruſalem edidit, & tandem cùm, teſte Epiphanio, ducem gentis ſuæ reprehenderet ob Idolorum cultum, ab illo in Chaldæa obtruncatus periit. Solebant Judæi ad ejus tumbam, tempore captivitatis Babylonicæ, ad ſacra Deo facienda convenire, cœlitusqve aliqvando defenſati ſunt, adverſus injuriam eorum, qvi ipſis vim intentare audebant, fluvio ſiccum tranſitum illis concedente, ut eſt apud Epiphanium.

XXXIII. Haggæus, anno Darii Nothi ſecundo, Judæos in templo reſtaurando tardiores corripuit, & adventum Meſſiæ, veri illius gentium Deſiderii, in hoc templo præſtolandum eſſe docuit.

Hagg. 1. v. 1. Eſdr. ſ. v. 1. & cap. 6. v. 14.

XXXIV. Zacharias, Filius Berechiæ, duobus menſibus Haggæo poſterior, itidem Judæos ad templi ſtructuram animavit, & futura Eccleſiæ fata atqve Antichriſtorum ſectas, Thalmude, Alcorano, & decretis Pontificum Majeſtatem Chriſti obſcuraturos, miris picturis delineavit, inqve deſcribendâ perſona, paſſione & regno Chriſti, veri illius Zemach, & ſurculi Davidici, Evangeliſtarum more, clariſſima protulit teſtimonia.

2. Chron. 26. v. ſ. ibidemque Theodoret. Eſdr. cap. ſ. v. 1. & 6. v. 14.

XXXV. Malachias, è tribu Zabulon, ultimus eſt ex iis, qvi Propheticos libros ad nos tranſmiſerunt. Hunc Origenes putat natura fuiſſe Angelum, qvi aſſumpta ſpecie humana populo concionatus fuerit. Hieronymus, & nonnulli alii, Eſdram eum fuiſſe opinantur. Abſolutâ jam templi ſtructurâ, ſacerdotes ob doctrinæ corruptelas, & ad peccata publica conniventiam; populum verò, ob negata Sacerdotibus ſtipendia, objurgavit, & de Johanne Baptiſta præcurſore Meſſiæ, deq; judicio ab ipſo Meſſia adornando, vaticinatusq́, anathema dixit impœnitentibus.

Malach. 3. v. ult. Clem. Alex. l. 1. Strom. Dorotheus in Synopſi.

LVII. Num putas nullos alios V. T. Prophetas fuiſſe, qvam qvos hac ſerie comprehendiſti?

Qvos qvidem inveni nomine deſignatos, adſcripſi. Fuerunt tamen præter eos alii ἀνώνυμοι, ut qvi à Gilgalis, ubi arca Domini aſſervabatur, aſcendens, Iſraelitas ob fœdus cum Chananæis initum corripuit. Jud. II. 1. qui iisdem, ſervitute Midianitica afflictis, peccata objecit. Jud. VI 8. qvi aliqvoties Achabo victoriam de Syris polliciti ſunt eumq; tandem ob dimiſſum Benhadad Regem Syriæ increpuerunt. I. Reg. XX. qvi deniqve Amaziæ, IX. Regi Judæ, diſpari eventu verba Domini annun-

Theodoret. in 1. Reg. qvæſt. 7. Aug. l. 17. de Civit. Dei cap. ult. Hieron. Hom. 3. in Cant. ſub fin.

ciarunt: alterum enim Rex audiens, inſigni victoriâ potitus eſt, alteri mortem minatus ipſe, in manus hoſtis pervenit. II. Par. XXV. 7. & 15. Fuerunt procul dubio plures alii, ſed qvorum nomina, conciones, & res geſtas Scriptura Sacra ad nos non tranſmiſit. Etſi autem Malachias ultimus Prophetarum dicitur, non tamen poſt eum omnino ceſſavere divinæ revelationes. Hinc Jaddo Pontifici in ſomniis Deus apparens, juſſit, ut de Alexandro M. ſecurus, coronata urbe ei portas aperiret. Joſ. lib XI. c. IIX. Hinc Johannem Hyrcanum ſuis colloqviis dignatus eſt, ut futurorum nanciſceretur præſcientiam. Joſ. lib. XIII. cap. XIIX. Hinc de Juda qvodam Eſſæo Joſephus audet dicere, ejus prædictiones nunqvam fefelliſſe, & ne tunc qvidem, cum Antigonum certo die periturum prædixiſſet. Joſ. lib. XIII. cap. XIX. & lib I. de bello, cap. III. Confer. lib. II. de bello cap. IIX. ubi de prædictionibus Eſſæorum propheticis, raro fallentibus diſſerit. Hinc Onias qvidam, vir juſtus & Deo carus, qvi aliqvando piis precibus, pluviam ſiccis diu agris impetraverat, civile bellum præſenſit, ſeq; in latebras abdidit, tandem à Judæis, cum nollet Ariſtobulum diis devovere, lapidibus obrutus. Joſ. l. XIV. c. III. Hinc Manahem Eſſæus divinitus conceſſum habens donum fatidici Spiritus, Herodem, cum pueris cæteris ludum literarium ingreſſurum, Judæorum regem ſalutavit, ſed fore prædixit, tam divini, qvam humani juris immemorem, alioqvin feliciſſimum, niſi qvod extremo vitæ tempore gravi caſtigatione excipiendus ſit. Joſ. lib. XV. c XIII. Hinc ipſe Joſephus, hiſtoriarum ſcriptor, à vaticiniis, ſuo eventu confirmatis, fuit celeberrimus. Hinc Simeon homo ille juſtus ac pius, παράκλησιν Iſraëlis anxius expectavit, & à Spiritu S. qvem in ſe entheus ſentiebat, reſponſum de Meſſia in ulnas recipiendo, accepit, deq; regno ejus inter gentes & Judæos, deqve ejus afflictionibus vaticinatus eſt, Luc. II. 25. Hinc qvoqve Hanna Prophetis, templi cuſtos fidelis, (non autem monialis, ut id Baronius ex Cyrillo Hieroſolymitano, qvi ἀσκήτριαν ſeu exerciatricem illam vocavit, fruſtra conatur concludere) de jamjam venturo Meſſia diu piis concionata eſt. Luc. II, 36. Hinc Caiphas etiam, iniqvus ille & impius Pontifex, ὀυκ ἀφ' ἑαυτοῦ, nec imprudens, ſed Spiritu Prophetico divinitus compulſus, expedire dixit, ut Jeſus moriatur, ne tota gens pereat. Joh. XI. 50 Hinc tandē agreſtis ille & plebejus Jeſus clamore indefeſſo ultra ſeptennium calamitatem Judæorum exitioſam conteſtatus eſt, Joſeph. lib. VII. de bello cap. XII. Ex his omnibus patet, non omnes, qvibus divinitus aliqva relevata ſunt, ejusdem eſſe generis; nec ipſas

ſeve-

revelationes eodem omnibus contigiſſe modo. Fuit enim primò Ecſtaſis in mentis exceſſu & ſtupore, cum qvis, qvod dicit Apoſtolus II. Cor. XII. 2. neſciebat, in corpore eſſet, an extra corpus. Et iſtiusmodi Ecſtaſi corripiebantur plerumqve Prophetæ, de divina vocatione certi faciendi, ut Eſaias, cùm Dominum in throno excelſo & elevato, inter Seraphinos Angelos ſanctitatem ejus concelebrantes, videret conſidentem, & ab angelo carbone ignito labiis admoto propitiaretur. Eſ. VI. Jeremias, cùm os ejus manu ipſius Domini tangeretur, ipſiqve virga vigilans oſtenderetur. Jer. I. Ezechiel, cùm apertis cœlis in throno ſapphirino undiqvaqve ignibus coruſcante, & ſuper qvatuor rotis igneis, qvæ à qvatuor Cherubinis animalibus miro motu agebantur, erecto, Dominum in forma hominis conſpiceret. Ez. I. & X. Daniel imprimis qvatuor vicibus tanta Ecſtaſi legitur correptus, ut cum poſt qvatuor orbis imperia, ſub ſpecie qvatuor ferarum figurata, ipſum antiqvum dierum, & alia ſtupenda vidiſſet, omnibus corporis viribus exueretur. Ipſius etiam Adam & Abraham profundum ſomnum, qvo ille ſolutus qvid de nova Sponſa contigiſſet, ſcire potuit, & de inſolubili conjugum nexu prophetavit; hic vero de ſervitute in Ægypto à nepotibus ſuis toleranda reddebatur certior, Gen. XV. 12. Septuaginta per Ecſtaſin interpretantur. Deinde erant Viſiones ſine Ecſtaſi per ſomnum: qvæ omnibus penè Patriarchis fuere familiares, & contigere etiam Samueli I. Sam. III. Nathani II. Sam. IV. Salomoni I. Reg. III. & IX. Eliæ I. Reg. IIX. Ipſis etiam impiis ſæpenumero per ſomnia voluntas Domini innotuit, ut Abimelecho, Labani, Pharaoni, ejusqve piſtori & pocillatori, Bileamo, Nebucadnezari. Tertiò erant viſiones ſine Ecſtaſi & ſine ſomnio, per internam revelationem & allocutionem: qva ad Propheticum munus evectos DEUS dignatus eſt. Hujus illuminationis beneficio Joſeph intellexit, qvod Pharaó in ſomnis viderat; cœcus Ahias Jerobeami uxorem oculis illuſtratæ mentis agnovit. I. Reg. XIV. 4. Jeremias in domo figuli intra ſe loqventem Deum audiit. Jer. XVIII. 5. Eliſæus, ut inhabitantis in ſe DEI alloqvium provocaret, pſaltæ cantum reqviſivit. II. Reg. III. 15. Eadem gratia omnibus contigit Apoſtolis poſt viſibilem Spiritus S. in ſe effuſionem. Bileam etiam, etſi idololatra, irruente in ipſum Spiritu DEI, elevatis oculis mente intra ſe vidit, qvod corporeo adſpectu negabatur. Num. XXIV. Qvartò erat Viſus corporalis rerum divinitus revelandarum. Sic Angelos videre Loth, Hagar, Jacob. Bileam. & Bileami aſina, ſervus Eliſæi, Joſua item, Gedeon, Manoah & ejus uxor, Tobias, Heliodorus, exercitus Ti-

mothei, Judas, & plures, qvos recenſere ſuper vacaneum duco. Sic Protoplaſtis in Paradiſo; Patri credentium in qverceto Mamre; Jacobo in Pnuel; omni populo ad radicem montis Sinai, DEUS aſſumta ſpecie viſus eſt. Sed omnes hæ viſiones ænigmata & figuræ fuere præ illa gratia, qvæ Moſi contigit, Num. XII. 8. Ore enim ad os, ut loqvitur Scriptura, tanqvam amicus cum amico, familiariter cum illo DEUS, aſſumta humanæ naturæ forma, locutus eſt. Ideoqve etiam Deut. XXXIV. 10. dicitur, qvod non ſurrexerit ultra Propheta in Iſrael, ſicut Moſes, qvem noſſet Dominus à facie ad faciem. Et qvanqvam ipſam DEI eminentiam non vidit, qvam nemo videre poteſt, I. Tim. VI. 16. ipſeqve Moſes fatetur, ſe poſteriora Domini tantum conſpexiſſe, Ex. XXXIII. 20. vidit tamen Deum in forma aſſumta ſecum, inſtar amici, loqventem, eumq; coram veneratus eſt, longè ſublimiori gratia donatus, qvam cùm in rubo, inqve ignis & nubis columna, fumoque ignito, præſentiam Domini agnoſcebat. Tandem erat Revelatio per vocem in auribus ſonantem, qualem audiere Adam, Noa, Abraham, Hagar, Job, Samuel, Elias omniſqve ad montem Sinai populus. Cumqve Cacodæmones, omnibus penè ſeculis in decipiendis mortalibus occupati, hoc agerent, vel Enthuſiaſticis raptibus Ecſtaſes divinas; vel ſomniis Tryphonianis monita DEI nocturna; vel inſeſſu ſtygio internas DEI illuminationes; vel ſpectris & terriculamentis apparitiones Angelicas; vel tandem Oraculorum fallaciſſimis reſponſis vocem cœleſtem æmularentur, commodè Deus Eccleſiæ conſuluit, cùm certos Characteres præſcriberet, qvibus veri Prophetæ à falſis diſcriminarentur. Legi illi poſſunt Devt. XIII. 1. XIIX, 15. Unde intelligitur, ſi qvis novas leges cælitus affert, ceu Moſen & Chriſtum feciſſe meminimus, illum oportere miraculis inſtructum eſſe: reliqvos veræ doctrinæ debere inſiſtere, & ab eventu teſtimonium veritatis accipere. Cæteroqvin Prophetæ, etſi erant ſancti Dei homines à Spiritu S. inſpirati, II. Pet. I. 21 homines tamen erant fragilitati humanæ cum Davide obnoxii, II. Sam. XI. & XXIV. I. Par. XXI. 1. nec ſemper ad lubitum illuminabantur, ut patet ex exemplo Eliſæi, II. Reg. IV. 21. Jeremiæ, qvi decem diebus alloqvia Dei præſtolabatur. Jer. XLII. 7. Nathanis, cujus effata humanitus, corrigebantur divinitus, II. Sam. VII. 2. & 3. Omnes autem in hac materia occupabantur, ut de Meſſia, regnorum mutationibus, malis inſtantibus, malorumqve remediis vaticinarentur, & jam minis terrerent mortales, jam vivis conſolationibus erigerent: ipſi interim variis contumeliis proſciſſi, furioſis ſæpenumero accenſerentur,

II. Reg.

II. Reg. IX. 11. & neci exponerentur, II. Par. XXIV. 20. niſi cum Elia, I. Reg. XIX. 3. fuga ſibi conſulerent. Accidit etiam, ut qvandoqve cum Eliſæo, II. Reg. IIX. 10. veritatem impiis profiteri dedignarentur, & quod prædixerant, certa de cauſa à Deo immutatum deprehenderent, ut videre eſt ex exemplo Ninivitarum, Jon. IV. & Hiskiæ, II. Reg. XX. Nonnunquam non ſolum ſermone, ſed & converſatione & actibus prædicarunt, ut loquitur Irenæus lib. IV. adverſus hæreſes, cap. XXXVI. ut cum juberentur nudipedes incedere, Eſæ XX. vulneribus corpus lacerare, I. Reg. XX. capillos detondere, Ezech. III. oppida in lateribus picta obſidere, & longo tempore eodem decubitu immoti jacere, Ezech. IV. ſcorta ducere Hoſ. I. cingulum defodere, Jer. XIII. jugum collo aptare, Jer. XXVII.

LIIX. Sed qvid ſtatuis de Prophetia Eldad, Medad, atq; LXX. ſeniorum, qvi Num. XI. 24. prophetarunt?

Conf. Alphonſ. Toſtat. Cornel. a Lapide & Menoch in h. lib. Polum qvoqve & Calovii Bibl. Illuſtr.

Cum Synedrion ſeu Conſiſtorium ſupremum, collegium illud ſceptri & publicæ poteſtatis totius regni, ut Thalmudiſtæ nominant, adornandum eſſet, ut illi, qvibus officium ſublime ſubeundum erat, neceſſariis eſſent inſtructi dotibus, fatidico impetu correpti ſunt, cùm, ut vocatio eorum divina comprobaretur ſolenniter, tùm ut reliqva iis dona contigiſſe viderentur, qvæ gubernationis difficultas poſtulabat. Ideoq; dicitur: Num. XI. 25. Reqvieſcente in iis Spiritu prophetaverunt, & non יָסָפוּ addiderunt, vel, ut LXX. exponunt, οὐκ ἔτι προσέθεντο. Nam ſufficiebat, ſigno inſolito ſemel approbari vocationem. Eſſe enim Propheticam mentis illuminationem aliqvando momentaneam, exemplũ probat Saulis, in qvem bis Spiritus Domini inſiluit, ut prophetaret. Cujus donum Propheticum ut recte intelligatur, eximia Auguſtini diſſertatio, Tom. IV. lib. II. ad Simplic. qvæſt. I. legenda eſt: Duplicem enim, ait, eſſe modum, qvo Spiritus afficere ſoleat, aliqvos per informationem Spiritus & imagines, aut in ſomnio, aut in Ecſtaſi oblatas, & minus intellectas; alios per fructum mentis ad intelligentiam; alios utraqve inſpiratione; alios etiam neſcientes. Primi generis exemplum qværit in Pharaone & Nebucadnezare, Daniele & Petro, qvibus, qvod non intelligebant, vel per ſomnium, vel per Ecſtaſin oblatum eſt: alterius in Joſepho, qvi meruit intelligere, qvod Pharao non niſi videre: tertii in Johannis Apocalypſi: qvarti deniqve in Caipha. Hinc dicit: Tantum diſtat inter pro-

prophetiam Prophetarum, ſicut Jeſaias, ſicut Jeremias, & cæteri hujusmodi fuerunt, atqve iſtam tranſitoriam, qvæ in Saul apparuit, qvantum diſtat inter loqvelam humanam, qvam loqvuntur homines, & cùm eadem loqvela humana propter neceſſarium prodigium aſina locuta eſt in qva ſedebat Balaam Propheta. Accepit enim hoc ad tempus illud jumentum, ut Deus, qvod ſtatuerat, demonſtraret, non ut habitu perpetuo beſtia loqveretur. Et poſtea: Fieri poteſt, ut qvidam, etiam indigni vita æterna regnoqve cœlorum, aſpergantur tamen qvibusdam Spiritus Sancti muneribus, non habentes caritatem, ſine qva illa munera nonnihil ſunt, ſed nihil ipſis proſunt. Et iterum: Aliqvem reprobum habuiſſe donum Propheticum ſi alium neminem inveniremus, Saul ſatis oſtenderet: Sed tamen ille etiam Bileam reprobus apparet: Non enim eum tacet Scriptura divino judicio eſſe damnandum, & tamen Prophetiam habebat: Nam Spiritum Prophetiæ, qvod antea dixerat, nullarum animarum poteſt maculare contactus. Confer. Matth. VII. 22. Huc pertinet ejusdem Auguſtini egregius diſcurſus ex Tomo III. libro XII. ſuper Geneſin ad literam, ubi triplicem facit viſionem: Corporalem, qvæ corporis ſenſibus exhibetur; Spiritualem, qvando non corpus, ſed corporis ſimilis imago Spiritui hominis offertur; & intellectualem ſeu mentalem, qvando per contuitum mentis illuminatæ illa intelliguntur, qvæ imagines de ſe non projiciunt: & concludit: qvibus ſigna per aliqvas rerum corporalium ſimilitudines demonſtrantur in Spiritu, niſi accedat mentis officium, ut etiam intelligantur, nondum eſſe Prophetas: magis prophetas eſſe, qvi interpretantur, ut Joſeph, qvod alius, ut Pharao, vidit, qvam ipſos, qvi vident: qvia Prophetia magis ad mentem pertineat, qvam ad iſtum Spiritum, in qvo, tanqvam vi animæ qvadam mente inferiore corporalium rerum ſimilitudines exprimuntur: maximè autem prophetas eſſe, qvi & videant in ſpiritu corporalium rerum ſignificativas ſimilitudines, & eas vivacitate mentis intelligant, ſicut Danielis excellentia tentata & probata, qvi regi & ſomnium, qvod viderat, dixit, & qvid ſignificaret, aperuit.

LIX. Qvinam igitur fuerunt iſti Prophetæ, qvibus Saul aſſociatus, à furore perſeqvendi Davidem deſtitit & prophetavit?

Conf. Ravanell. in Biblioth. in hac voce pag. m. 724. ſeqq.

Prophetarum vocabulum eſſe πολύσημον, nemo non novit. Nam, ut jam ſupra dictum eſt, aut ſignificat eos, qvi extraordinariè à Deo edocti,

&i, futura prædicunt, aut qvoscunq; Doctores & miniſtros Eccleſiæ: aut deniqve (qvod addendum eſt) eos, qvi dicebantur olim filii Prophetarum, ut & cunei ſeu greges Prophetarum, & eo more, qvi I. Cor. XIV. in primitiva Eccleſia viguit, certo tempore congregati, de rebus divinis diſſerebant, mirâ qvadam mentis irradiatione cœlitus affecti, ut arcanos ſcripturarum ſenſus enuclearent. Hi ſtatis temporibus vacabant hymnis & pſalmis, & muſicis etiam inſtrumentis ſvaviter perſonabant. Et tempore Samuelis, qvi I. Sam XIX. 20. reliqvorum inſpector & Epiſcopus erat, una ejusmodi Prophetarum congregatio exſtitit Gibeone I. Sam. X. 5. altera Najothe in Ramath, I. Sam. XIX. 20. Confer I. Reg. XIIX. 4. ubi Obadia dicitur à furore Achabi & Iſabelis occultaſſe centum Prophetas, ſeu totidem pios viros & juvenes per Eliam & Eliſæum in lege Moſis & ſacris literis ita eruditos, ut vis qvædam divina in iis ſimul deprehenderetur. Qvapropter filii Prophetarum, qvorum in hiſtoria Eliæ & Eliſæi ſæpe fit mentio, non fuerunt, niſi ſtudioſi Theologiæ, uxorati tamen, II. Reg. IV. 1. qvi Prophetas tanqvam Præceptores conſectabantur, in certa collegia & Scholas (qvarum qvidem tres II. Reg. II. numerantur, Bethelenſis, Galgalenſis, Hierichuntina) diviſi, qvibus, ſingulari Dei providentia, Reges Iſraëlis idololatræ in ſuo qvoq; regno locum conceſſerunt, ne præſidio verbi prorſus denudarentur Iſraëlitæ, ſed ſeptem illa millia virorum, qvi non curvaverunt coram Baal genua ſua in Iſrael, haberent, à qvibus animæ medicinam peterent. Divinitus enim illos fuiſſe illuminatos, conſtat ex II. Reg. II. 3. & 5 Refer etiam huc Aſſaph, Heman, Jedithun, & alios Doctores Muſicos, qvi prophetarunt, i. e. Deum laudarunt in citharis, pſalteriis & cymbalis I. Par. XXVI. 1. & 5. Qvi ipſi tamen eodem loco Videntes & Prophetæ nominantur: nec immeritò: Sacros enim Pſalmos ab iis cœlitus inſpiratis compoſitos invenias.

LX. Num præter ea Collegia & Scholas Prophetarum, qvarum mentionem feciſti, etiam aliæ in Eccleſia V. T. inventæ fuerunt?

Qvî non inventæ eſſent? cui enim uſui alii putas fuiſſe urbes Levitarum in tribus duodecim diſperſas, qvam ut non ſolum Levitæ eas incolerent, ſed & juventus ibi in ſtudiis liberalium diſciplinarum atq; artium erudiretur, & in Synagogis lex Dei diligenter exponeretur? Qvin Synagogæ non tantum in Levitarum oppidis, ſed & paſſim locorum pedeten;

Conf. Chryſoſt. Hom. 15. in Act. alioſq; ibi Interpp. Aug. lib. 18. de Civit. Dei c. 25.

tentim apertæ ſunt. Fallitur enim Sigonius lib. II. de rep. Jud. cap. IIX. qvi putat in Babylonico exilio primum eſſe Synagogas conſtructas. Fuiſſe enim legem in pluribus urbibus ante id tempus prælectam & explicatam, cùm alia, tum illa Joſaphati generalis Eccleſiarum viſitatio II. Par. XVII. 7. tùm deniqve teſtimonium D. Jacobi Act. XV. 21. probat, qvi dicit Moſen, ἐκ γενεῶν ἀρχαίων in ſingulis civitatibus habere, qvi ipſum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur. Poſt illam Babylonicam μετοικεσίαν Esdras munus docendi legem ſibi ſumpſit: Qvod Scribis deinde & Sacerdotibus incubuit: A Chriſto tandem & Apoſtolis uſurpatum eſt, Matth. IV. 23. Luc. IV. 16. XIII. 10. Act. IX. 2. III. 5. Fuiſſe autem ultimis temporibus in unica urbe Hieroſolymorum CDXXC. Synagogas adornatas, in Commentariis Hebræorum legitur. Qvin & Hiſtoria Pauli docet, ubicunqve Judæi inter gentes habitaverunt, ibi Synagogas qvoqve inventas fuiſſe: qvarum Rectores dicebantur Archi Synagogi, Marc. V. 22. Luc. XIII. 14. Act. XIIX. 8. vel etiam ſimpliciter Archontes, Matth. IX. 18. vel & ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς, Luc. IIX. 41. Qvibus ſuffragati ſunt Nazaræi, magno voto, ut appellat Philo Judæus, obſtricti, qvi, cum ſacraſſent omnium rerum ſuarum primitias & decimas, non habentes amplius materiam, in qva pietatem exercerent, ſeipſos dedicarunt: qvales fuerunt Rechabitæ Jer. XXV. qvi tempore Jehu regis Iſraelitarum primò extiterunt. Jer. X. 13. Suffragati etiam iis ſunt Scribæ, in legis lectione & interpretatione occupati, dicti γραμματεῖς, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι, tandem in diverſas ſciſſi ſectas, ut aliqvi dicerentur Saducæi, alii Phariſæi, nonnulli Herodiani, alii alio nomine.

LXI. *Siccine inter Judæos etiam hæreſes & ſectæ fuerunt?*

Joſeph. lib. 2. Cap. cap. 12. Hieron. lib. 1. adv. Jovin. Theophyl. in cap. 21 Actor. & Oecum. ib. Scalig. & Druſ. libb. pecul. & Serrar. in Trihæreſ. lib. 2. c. 14.

Judæi, ut ante captivitatem Babylonicam, ab ipſa exodo ex Ægypto, ad gentiliſmum & mores vicinarum nationum, adeoq; omnem ſuperſtitionem propenſi, vitulos, Baalim, Aſtharoth, & cætera numina profana & purgamenta colebant, ita reduces in terram ſanctam, in varias diſtracti opiniones & ſectas, circa cultus avitos, & patrum religionem, variarum qvæſtionum laqveis ſeſe induebant: idqve eo magis, qvia lege ſcripta non contenti, multas ei traditionum qvaſi lacinias aſſuebant. Sectæ autem, in qvas diviſi ſcindebantur, & qvaſi Scholæ oppoſitæ tres olim extiterunt famigeratiſſimæ, ut legere eſt apud Joſephum lib. XI. cap.

cap. XIIX. lib. XIIX cap. II. lib. II de Bello cap. VII. Phariſæorum, Saducæorum & Eſſæorum: qvibus addit Joſephus illos, qvi Judam Galilæum ſecuti, cætera qvidem cum Phariſæis conſenſerunt, conſtantiſſimo autem libertatis amore flagrantes, ſolum DEUM eſſe habendum dominum & principem crediderunt, facilius vel exqviſitiſſima pœnarum genera laturi unà cum cognatis ſuis ac cariſſimis, qvam mortalium qvenqvam appellaturi Dominum. Confer. Iſid. lib. IIX. Etym. cap. V. Hi cenſum Cæſari ſolvendum eſſe negarunt, Joſ. lib. II de bello c. VII. & tandem paulo ante excidium Hieroſolymitanum ſicarios & Zelotas concitarunt, qvi gladio & ſicâ hanc opinionem tuebantur, nec ullis ſuppliciis de ſententia deduci poterant, adeo, ut pueri, illa opinione imbuti, pertinaci tormentorum patientia ſpectatores obſtupefacerent. Anteqvam autem, qvales præmemorati inter Judæos ſectarii fuerint, recenſeo, id velim prius notes, licet in codicibus ſacris Scribarum ſubinde, præter Phariſæos & Saducæos, fiat mentio, illos non conſtituiſſe peculiarem ſectam: ſed qvosdam eorum imbutos fuiſſe Phariſæorum opinionibus, qvosdam Saducæorum, cœterùm viros doctos, & legis peritos.

PHARISÆI vel à conſecratione interpretationum veterum, vel à ſeparatione, tanqvam ἀποχεχωρισμένοι & à vulgo ſeparati, dicti, ii ſunt, qvorum ſuperbiam, hypocriſin, injuſtitiam & fermentum Salvator paſſim vivis depinxit coloribus. In victu nihil lautitiis indulgebant, nihil molle, nihil delicatum adhibentes. Lotionibus manuum ſuperſtitioſis multa tribuebant, Matth XV. 11. cum peccatoribus cibum non capiebant. Matth. IX. 2. Jejunabant freqventiſſimè, & ſemet macerabant inedia. Luc. XVII Vacabant freqventer orationibus diuturnis, ut qve vigilantem noctu etiam ducerent vitam, nec per ſomnum clandeſtinè triſtem corporis defluxum paterentur, aſſeres, vix ſpithamæ aut palmi latitudinem habentes, ſibi dormituri ſupponebant, ut profundius obdormiſcentes, exciderent in pavimentum. Alii lapillos ſibi & ſpinas pro ſtrato adhibebant, ut, dum illis pungerentur, profundo procul ſomno vigilantiam ſibi cogerentur comparare, & ad DEUM orandum ſurgere: Eum in finem etiam ſibi nonnunqvam decennium, octennium, aut qvadriennium virginitatis præſcribebant, ut fuſius legere eſt apud Epiphanium. Ad miſericordiam eos Joſephus dicit inclinatiores. Sed eam erga Dominum Jeſum & ſanctiſſimos Apoſtolos nullatenus exercuere. Ut erga defunctos Prophetas benè animati viderentur,

Auguſt. Serm. 30. de verb. Dom Chryſ. in c. 15. Matth. Epiph. hær. 16. Joſeph. lib. 13 Antiq cap. 9. in vita ſua init. Maldon. ac. in c. 5. Matth. Menoch. de Republ. Ebr. Lib. 3. c. 15. [illegible] 101. Sigon. lib. 5. de Rep. Ebr. cap. 1.

X 2 eorum

eorum monumenta ſplendidè exornabant. Legem Moſis, cujus explicationem ſibi tribuebant certiorem, multo fermento aſpergebant, Matth. XVII. 11. Seniorum δευτερώσεις & traditiones plus juſto commendantes. Decimas rerum, etiam minutiſſimarum, minthæ, anethi, rutæ, cymini perſolvebant, gloriam inde apud vulgum unicè captantes. Circumibant terras & maria, ut unum lucrari poſſent Proſelytum, ſed in naſſam protractum variis excæcabant erroribus. Animas malorum æternis qvidem cruciatibus addicebant, ſed, qvod Joſephus, & ipſe Phariſæus, lib. II. de bello cap. XIII. dicit, bonorum tranſire in alia corpora, id qvod etiam apparet ex Matth. XIV. 14. Fingebant judicia qvædam animarum ſub tellure exerceri, ut, qvæ bonæ ſint, qvæ malæ, diſcerneretur. Sic fato cuncta gubernari credebant, ut tamen bene vel malè agendi facultatem maximam partem in hominum poteſtate ſitam eſſe dicerent. Qvod qvanqvam Joſephus lib. II. de bello, cap. XIII. de illis aſſerit, alio tamen loco, ut lib. XIIX. antiqvit. cap. II. eosdem, ait, ſublata libertate, cenſere cuncta fato ferri, id qvod etiam teſtatur Epiphanius. Qvicqvid ratio illis dictitavit, id ſecuti ſunt, & ſigna qvædam ſuperſtitioſa, Phylacteria Chriſto; ipſis Zizis ſecundum Buxtorfium in Schola Judai. cap. IV. vocata, veſtibus aſſuebant. Per hanc nundinariam ſanctitatem & hypocriſin, ſummam ſibi autoritatem conciliaverant, plebeculæ, muliercularum, regum etiam animis ſibi devinctis. Adhæſerat iis & ipſe Johannes Hyrcanus. Joſ. lib. XIII. cap. XIIX. Sed ille tandem ipſe ſuſtulit leges eorum, ad Saducæos inclinatus. Qvo defuncto adeo potentia invaluerunt, ut ſubſidio Syriæ regis innixi, Alexandro regi ſuo integro ſexennio copiis conſcriptis reſtiterint, eiqve, qvid ſe vellent facere, roganti, uno ore, ut ſeipſum interficeret, reſponderint: ſed non impunè. Nam multa millia eorum ab Alexandro interfecta; octingenti etiam crucibus affixi ſunt Joſ. lib. XIII. cap. XXI. & XXII. Defuncti Alexandri conjugem, rerum poſt maritum potitam, ſibi obſeqventem nacti, amiſſa recuperarunt, tanta aucti poteſtate, ut Alexandra cæteris, Phariſæi autem ipſi imperarent. Hæc ipſorum impotens ambitio, & deteſtanda hypocriſis cauſa fuit, qvare Chriſtus Phariſæos imprimis inſectatus ſit, ſeq; iis maximè oppoſuerit. Cum in aula etiam Herodis omnia ſecreta rimarentur, fœminarum animos ſubigendo grandi pecunia mulctati ſunt. Sed uxor Pheroræ, qvi Herodis frater erat, omne illud æs fiſco intulit. Ut igitur bene meritæ gratiam rependerent, tanqvam qvi prædictionem futurorum ſibi cœlitus conceſſam attribuerunt,

præ-

prædixerunt illi, ſtirpem Herodis interituram, Pheroræ regnaturam. Sed falſi in iſta prædictione vates. Nonnulli ſeptem eorum faciunt genera: I. Sichemitas, qvi ſectam ob carnale commodum ſuſceperunt. II. Impingentes, qvi pedibus ſubinde in lapides impegerunt. III. Sangvinem fundentes. qvi capita cruenta parietibus alliſerunt. IV. Mortarios, qvi calyptra caput operientes, ex illa velut è mortario, proſpexerunt. V. Qvod debeo facere, & faciam illud, qvi ſupra modum arrogantes, ab iſta formula, qvâ crebro utebantur, denominati fuerunt. VI. Ex amore, qvi amore præmii ſectam profitebantur. VII. Ex timore, qvi metu iræ Dei nomen ſectæ dederunt.

II. SADUCÆI, à Sadoco Præceptore, qvi hanc ſectam tempore Alexandri M. in templo Garizitano inſtituit, vel certè à juſtitia dicti, cum corpore ſimul & animas extingvi opinati ſunt, nec ullas patrum traditiones præter legem ſervandas exiſtimarunt: fatum omnino negarunt, & Deum extra omnem mali patrationem inſpectionemqve conſtituerunt, arbitrati, electioni hominum bonum & malum eſſe ſubjectum, & ex voluptate ejus utrumqve pendere. Ut vero Phariſæi ſociales fuerunt, ſeq; mutua dilectione complecti ſtuduerunt, ita Saducæi feris moribus inter ſe diſcreparunt, erga exteros etiam inhumani & intractabiles. Addit Epiphanius ex Matth. XXII. Marc. XII. Luc. XX. Act. IV. & XXIII. illos & Angelos & Spiritum Sanctum ignoraſſe, atqve omnia æqvaliter cum Samaritanis obſervaſſe, cum tamen Judæi eſſent, & Hieroſolymis ſacrificia facerent. Ad paucos pervenit Saducæorum inſtitutum, ſed eos præcipuos dignitate, ut Ananum Juniorem, Joh. Hyrcanum, ejusq; filios, Alexandrum & Ariſtobulum.

Hieronym in cap. 22. Matth. Tertull. de Præſcript. cap. 45. Joſeph. lib. 13. antiq. cap. 9. & 2. de bello Jud. c. 12. Euſeb. l. 2. Hiſt Eccl. c. 13.

III. ESSENI ſeu Eſſæi, à Joſepho, prolixè, non ſine inſigni commendatione, lib. II. de bello cap. VII. deſcripti ſunt, ἀσκηταὶ etiam & θεραπευταὶ dicti. Teſtatur, eos fuiſſe mutuo amore conjunctiſſimos, voluptates qvaſi maleficia vitaſſe, continentiam ſervaſſe, neqve cupiditati ſuccubuiſſe, virtutem magni duxiſſe, nuptias aut prorſus faſtidiiſſe, aut non voluptatis, ſed liberorum cauſa iniiſſe, alienos filios ſuis moribus piè & diligenter inſtituiſſe, divitiarum contemptores, rerum communicationem admirationi habuiſſe, veſtimentis indutos candidis, absqve luxu, eodem amictu cultuq; corporis ſemper inceſſiſſe, deſignatis communium rerum procuratoribus ſine certa civitate vixiſſe, diem in precum, laborum, cibi & potus tempora diſtribuiſſe, anathemate deniq; ſi immorigeros feriebant, eos certo exitio expoſuiſſe. Sunt præterea multa,

Joſeph. lib. 7. Antiq. c. 19. l. 2. de bello cap. 12. Philo lib. de vita contempl. Hieronym. Epiſt. 13. ad Paulin. & Serrar. l. 3. Trihæreſ. c. 14. nec non Menoch. loc. cit. c. 16. tot.

ta, qvæ Joſephus, ut & Philo in libro: qvod omnes probus liber: de Eſſæis ea ratione afferunt, ut non nemini videri poſſent, Euſebio etiam lib. II. c. XVI. & XVII. viſi ſint, cætus Eccleſiæ primitivæ, rerum communione gaviſos deſcribere, & (qvamvis non ſatis Chriſtianè) depingere. Qvod ſi verum eſt, manifeſtiſſimum eſt, eos confundere Eſſenos cum Chriſtianis: niſi mavelis dicere, ab ipſis Judæis, Joſephi & Philonis tempore, Chriſtianos qvandoqve Eſſenos appellatos fuiſſe. Hinc Iſidorus lib. IIX Orig. c. IV. teſtatur, Eſſenos aſſeruiſſe ipſum eſſe Chriſtum, à qvo omnem abſtinentiam didicerint. Hinc etiam Epiphanius eos nominat ἰεσσαίους παρὰ τὸ ἰάσασθαι: qvia legerat eos ab Euſebio nominatos θεραπευτὰς, qvod in nomine Jeſu morbos depellerent. Et certe Philo autor eſt, lib. de vita Theor. ipſos ſenatores ex origine vocis appellatos, qvatenus medicinam profitebantur, potiorem eâ, qvæ paſſim per urbes exercetur, cùm hæc corpora duntaxat ſanet, at ars illorum etiam animas curaret, morbis gravibus & ſanatu difficilibus laborantes. Dicti igitur ſunt à Philcone Eſſeni à ſanando, ſed non à Græco ἰάσασθαι, ut Epiphanius voluit, ſed à Chaldaico אָסָא ſanare, vel à חֲסָא pium & ſanctum eſſe. Unde חֲסִיָא ὅσιον & ſanctum notat. Poſſunt etiam derivari vel à חָזָה qvod Prophetam ſeu videntem ſeu θεωρητικὸν notat, vel à נְצַר qvod ſervare & curare ſignificat. Confer Joſephi lib XIIX. cap II. ubi dicuntur univerſitatis regimen citra exceptionem Deo aſſerere, nec qvicqvam aliud æqvè, ac juſtitiam omni contentione expetendam exiſtimare. Confer etiam Plinium l. V. cap. XVII. qvi eos nominat gentem æternam, in qva nemo naſcitur: Tam fœcunda, inqvit, eſt illis aliorum pœnitentia. Vide Fuller. I. Miſcellan. cap III. & l. IV. c. III. Hoſpinianum de Orig. Monach. l. I. c. V. & lib. III. c. I.

Epiph. de hæreſ. l. cit. S. gun. l. cit. Menoch. loc. cit. qvæſt. ult.

PRÆTER hos ſecundum Epiphanium; I. Hemerobaptiſtæ, cùm Phariſæi & reliqvi manus tantum lavarent, ſe immergebant qvovis anni tempore aqvis, & totum corpus à vertice ad talos perluerunt, reſurrectionem mortuorum cum Saducæis negarunt, cætera Phariſæi II. Nazaræi, vel, ut aliqvi legunt apud Epiphanium, Naſachæi, abſtinebant à ſacrificiis & fundendo animalium ſangvine, adeoqve nulla carne veſcebantur, libroſqve illos legis, qvi extant, inqve qvibus ſacrificia commemorantur, dicebant, eſſe fictos: nihil illorum, de qvibus in Pentateucho legitur, eſſe factitatum à qvibus: Moſen patridem accepiſſe legem cœlitus, ſed non illam literis conſignatam, verum aliam. III. Herodiani, ſecundum Epiphanium & Tertullianum, Herodi honores Meſſiæ aſſignabant,

bant, eum arbitrati verum illum Siloh, tanqvam alienigenam, à Jacobo Gen. XLIX. expectatum: Sic enim illi textum interpretabantur, & cùm ſecundum Perſium, Satyra prima,

Herodis venere dies, unctâqve feneſtrâ
Diſpoſitæ pingvem nebulam vomuere lucernæ,
Portabant violas,

&, ut Scaligeri conjectura eſt, in certis qvibusdam ſodalitatibus coeuntes, defuncti Herodis memoriam & natalem, qvotannis ſacrificiis & honoribus proſeqvebantur. IV. Samaritæ, qvinqve tantum libros Moſis, rejectis Prophetarum monumentis, receperunt, gentes non abominabantur, ſed earum religione ſuæ intermixta, carnis reſurrectionem præter Doſithæos pernegabant. Qviqvidem Doſithæi, à Doſithæo vocati (qvem Origenes libro primo contra Celſum dixit poſt Chriſtum natum ſe pro Chriſto venditaſſe) adeo ſuperſtitiosè Sabbatum coluerunt, ut qvo in loco, habitu, ſitu, quisquam deprehenſus eſſet, eodem immobilis permaneret, donec ejus diei majeſtas tranſiiſſet. Confer Juſtin. diſp. cum Tryphone, & Iſidorum lib. IIX. Orig. lib. II. contra Celſum, qvi ſuperioribus addit Morboneos, Gentiſteos, Meriſteos. Ante vero qvam hinc abeo, non poſſum facere, qvin ridiculam Monachi Jacobi Boulduci opinionem qvibusvis ridendam exponam: qvi in tribus, qvos ſcripſit de Eccleſia ante legem, libris, poſtqvam probare conatus fuerat, per Enakim, Nephilim & Raphaim, non gigantes atheos, ſed viros nobiles, fideles & religioſos, tanqvam Ordinis Torqvati ad certam vitæ regulam obligatos, intelligi, qvos ſine ullo peccato Deos vocaverint reliqvi, & inter ſidera retulerint, proqve Baalim, i.e. tutelaribus habuerint, octo dicit ſodalitates religioſorum, & q. Monachales ordines, ab initio mundi ad Chriſti usqve tempora, inſtitutos, in plurimis Cœnobiis fuiſſe; Primum Carthuſianorum Enoſcæorum ab Enos dictorum, Gen. IV. 26. qvos poſtea arbitratur Eſſæos fuiſſe dictos; Secundum Minoritarum Cinæorum, à Cainan filio Enoſi, ex Num. XXIV. 21. Tertium Hebræorum ab Archimandrita Hebere, Semi abnepote, Gen. X. 21. Qvartum Genezæorum ab Aſcenez, Gen. X. 3. & Num. XXXII. 11. Qvintum Nazaræorum Sextum filiorum Prophetarum; Septimum Rechabitarum; Octavum Eſſenorum! Macte animo, Monache, & ſtrenuè nugis tuis utere, cumqve filiis Enakim, & omnibus iliis, qvi Baalitico cultui ſe aſtringunt, præmium vobis dignum promeretor. Nos miſſis his ad Martyria piorum in V. T. properamus.

LXII.

LXII. Num præter eorum Martyria, quæ paſſim ſuperioribus quæſtionibus interſperſiſti, plura in V.T. invenis?

Nomen Martyrum in primitiva N.T. eccleſia propriè iis imponebatur, qvi tormentorum ſævitiam conſtantiâ ſuperarunt, licet mortem non obiiſſent. Et ſic Sadrach, Miſach, & Abednego ab igne, in qvem impietas Babylonica eos conjecerat, intacti, & Daniel è leonum rictibus ſalvus, Martyres dici poſſent. Uſus deinde obtinuit, ut martyres dicerentur, qvi veritatem confeſſi, religionis causâ neci addicti ſunt. Si tamen & eos, qvi, qvanqvam veritatis cauſa necem ſubire parati erant, ſine cæde tamen poſt varias calamitates patienter ſuperatas, placidè hinc exiere, Martyres ſine ferro & ſangvine nominas cum nonnullis Patribus: præter Moſen, tantum non à populo enecatum, David, Elias & omnes Prophetæ, piiqve eccleſiæ miniſtri, Martyres qvoqve V. T. dicendi erunt. Inter qvos tamen nunc non referimus, aut præter culpam extra veritatis confeſſionem cæſos, qvalis fuit Naboth, Abner & Sacerdotes Nobe, aut in bello legitimo pro patria occumbentes, qvod contigiſſe meminimus Simſoni & Maccabæis: multo minus eos, qvi juſto Dei judicio ob aliqvem ſive errorem, ſive nævum interiere, qvemadmodum Propheta à Leone I. Reg. XIII. eſt diſcerptus, & Joſias in acie cecidit II. Par. XXXV. 22. Claſſem igitur Martyrum V. T. nobis ii facient, qvi ob religionem ſunt interfecti, ut I. Infantes Iſraelitarum aqvis ſuffocati, Ex. I. II. Prophetæ à Jeſabele trucidati, I. Reg. XIIX. III. Zacharias Propheta, Pontificis filius, à Joaſo I. Par. XXIV. 20. lapidibus obrutus, ſive ille alius ſit, ſive idem cum eo, qvem Chriſtus Matth. XXIII & Luc. XI. dicit inter templum & altare interemtum. IV. Urias Propheta, à Jojakimo è fuga ad necem retractus, Jer. XXVI. 20. V. Reliqvi Prophetæ, qvos ſupra ob minas Propheticas peremtos ex eccleſiaſticis hiſtoriis diximus, ceu ſunt Amos, Eſaias, Micha, Jeremias, Ezechiel. VI. Fœminæ illæ duæ cum filiolis, contra legem Antiochi M. circumciſis, de muro præcipitatæ, II. Macc. VI. 10. VII. Omnes illi, qvi II. Macc. VI. ob cultum Idolis negatum, & dapes porcinæ carnis faſtiditas, tormentis ſubjecti & necati ſunt. eosqve inter non tantum ſenio & ſacerdotio venerandus Eleazar, à virtute, prudentia & conſtantia admodum à Joſepho in libello de imperio rationis commendatus, ſed & ſeptem illuſtres pueri Hebræorum, cum matre religioſa fœmina, ultra ſexum conſtanti, Antiochiam deducti, & exqviſitis cruciatibus enecati. II. Macc. VII.

LXIII.

LXIII. Qvid autem vindex DEI oculus ad hæc Tyrannorum facinora?

Ecce eorum interitus! Ægyptii, qvi infantes vix natos ſuffocaverant, ipſi aqvis rubri maris ſuffocantur. Jeſabel ſangvine Prophetarum madens ſangvine ſuo potat canes. Joas, cujus ſervi Zachariam Pontificem lapidibus obruerant, à ſervis trucidatus ſepulcro regio caruit. Joiakim, qvi Uriam è fuga retractum necaverat, in vinculis tractus, miserè interiit, aſiniqve ſepulturâ, juxta Jeremiam XX. 18 dignus æſtimatus eſt Judæi, Prophetarum ſuorum carnifices, in exitium à Prophetis præfinitum furioſi ruerunt. Antiochus rabie fremens, verminoſo ventre ac ſqvalidis fœtoribus conflictatus, exſpiravit. O infelix tyranne (ſic enim cum Joſepho exclamare licet) qvid tibi lebetes ardentes, qvid machinæ profuerunt? qvid ſectæ oculorum palpebræ? detractæ etiam imis faucibus lingvæ? cum ab his omnibus pejora patiaris. Illi verò, qvos interficis (mihi crede) divino utuntur imperio, & de ſalute & ultione ſecuri. Nam qvi pro cauſa ſalutis paſſi ſunt, proſper illis eventus erit, cum pater omnium Deus atqve univerſa reſpiciens ſeqventibus ſe vitam præbeat ſempiternam.

LXIV. Niſi jam de Miraculis V. T. ex libris miraculorum Biblicis pleraq; enarraſſes, & illorum ſeriem flagitarem.

Ex iis, qvæ jam dicta ſunt, facile eſt colligere, Moſaicam eccleſiam non uno tempore, ſed ſub Moſe, ſub Judicibus, ſub Regibus, ſub Ducibus, nunqvam non miraculis ſtupendis claruiſſe. Et vix qvicqvam eſt rerum, qvibus Deus ad ſuam majeſtatem miraculoſè declarandam in V. T. uſus non ſit. Hinc Angeli, Deo irato, primogenita Ægyptiaca, cives Davidis Hieroſolymitanos, exercitum Aſſyriacum, Heliodorum, Herodem Agrippam percuſſerunt, Bileamum & Ziporam viis obſeſſis ad ſaniorem mentem pertraxerunt, Balthaſari regi noctem inter pocula trahenti in pariete ſcriptura cœleſti excidium prædixerunt: Idem, ad miniſtrandum piis parati, Joſuam & Gedeonem in bella pro patria armarunt, Simſonis Herois, cujus tota vita miraculoſa eſt, nativitatem parentibus prædixerunt, Eliam omni ſubſidio humano deſtitutum cibarunt, igneisqve qvadrigis in cœlum deduxerunt, Eliſæum & Samariam adverſus hoſtium injurias cinxerunt, innumeris Prophetis myſte-

ria nulli rationi pervia recluſerunt, Habacuc, ut cibum Danieli deferret per aera vexerunt, Tobiam duxerunt in itinere & reduxerunt, ejus patri cœco viſum reſtituerunt, Maccabæis ſæpe in præliis præſto fuerunt. Hinc Cœli ſyſtema ad preces Joſuæ à curſu conſtitit, ad Hiskiæ nutum decem gradibus receſſit. Hinc Ignis holocauſta Moſis, Gideonis, Manoæ, Davidis, Salomonis, Hiskiæ mirando modo abſumſit, tumultuantium Iſraelitarum caſtra in deſerto corripuit, Nadab & Abiham igni alieno victimam adolentes, ut & milites in Eliam armatos conſumſit, Judæos templum Hieroſolymitanum ad edictum Juliani reſtauraturos invaſit, Herodem ſepulcrum Davidis expilaturum ab inſtituto revocavit, Danielis verò ſociis non nocuit. Hinc aer tenebris, peſte, grandine, in Ægyptios deſævIit, columnâ nubis diurnâ & igne nocturno iter Iſraelitarum direxit, fulmine & tonitru in Decalogo ferendo intonuit, rorem omnia humectantem à Gideonis vellere arcuit, tempeſtate in hoſtes Samuelis deſævIit, ter Judæos in deſerto aura peſtilentiali caſtigavit, iisdemqve Mannâ pluviatili annonam in XL. annos procuravit, ſiccitate deniqve ad Eliæ preces efferbuit, & ad easdem in imbrem reſolutus exhauſtas terras irrigavit. Hinc aqva in Ægyptiorum plagam cruenta rubuit: ſemel in mari rubro, ſæpius in Jordane ad Moſis, Joſuæ, Eliæ & Eliſæi arbitrium receſſit: injecto à Moſe ligno; ab Eliſæo ſale, dulcem potum præbuit: è ſaxis percuſſis prodiit: in loca ſiticuloſa à ventis collecta profluxit: ferrum non demerſit. Hinc terra Coren, Dathan & Abiram dehiſcens hauſit: Hinc ranæ, pediculi, muſcæ, bruchi Ægyptios divexarunt: urſi pueros Prophetæ illudentes diſcerpſerunt: coturnices, ſtupendo numero in loca deſerta, delatæ, carnes ſuas in cibum Iſraelitis ſuppeditarunt: corvi Eliam nutrierunt: Leones intactum Danielem dimiſerunt: Aſina loqvens Bileamum erudiit: Piſcis Jonam triduano itinere in ventre vectum exſpuit incolumem. Hinc virga Aaronis refronduit, hydria farinæ. & fidelia olei inexhauſta, viduas pauperculas ſuſtentavit & ditavit, farina colocyntidarum amaritudinem depulit, arca propitiatorii non ſolum Palæſtinos, à qvibus videbatur diſcooperta, ſed & Uzam, à qvo temerè tangebatur, perdidit. Hinc vox cœleſtis freqventer è medio Cherubinorum reſonuit, Urim & Thumim, arcanum illud ad occulta Dei conſilia retegenda inſtrumentum, ad qvæſita multoties reſpondit, ſonus tubarum muros Hierichuntinos diruit, indignatio Alexandri M. viſo Jaddo ſubſedit, furor Ptolemæi Philopatoris oblivione ſopitus qvievit. Hinc anthraces Ægyptios; ſerpentes igniti Iſra-

Iſraelitas correxerunt: lepra, in Mirjam, Uziam & Gehaſium graſſata, à Naamano receſſit: cœcitas hoſtes Eliſæo inſidiantes in inſidias duxit: manus Jerobeami extenſa retrahi neqviit. Hinc deniqve Sareptanæ, ut & Sunamitidis filius, isqve, qvi mortuus oſſa Eliſæi in ſepulcro contigit, revixerunt: Eccleſiæ hoſtes, Gedeonis, Jorami, & Joſaphati tempore, mutuis ſe vulneribus deleverunt: veſtimenta Judæorum in deſerto XL. annis non lacerata exemplum divinæ & miraculoſæ providentiæ præbuerunt. Confer prodigia, qvæ Joſephus lib. VII. de bello, cap. XII. excidium Hieroſolymitanum denunciaſſe dicit, & ſi qva alia portenta apud illum leguntur: qvale illud eſt, qvod amnem Sabbaticum in Judæa ſex diebus deficere, & ſeptimo demum largiſſimè profluere, lib. VII. de bell. cap. XXIV. teſtatur. Plinius contra lib. XXI c. II. dicit, eum Sabbatis exſiccari, & reliqvis diebus pleno alveo rapi. Alterutrum oportet factum eſſe, qvod nemo jam, qvantum ſcio, fieri videt. Defecerit, an fluxerit ſeptimo die, Hiſtoricus Judæus cum Romano Phyſico tranſigat.

LXV. Supereſt, ſi qvi extranei & peregrini ex gentibus ad religionem Judæorum & eccleſiam Moſaicam ſe contulerunt, ut de iis jam nonnulla ſubjicias.

Eos Septuaginta nominant proſelytos qvaſi adventitios, qvi rejecto gentiliſmo ad Judæos tranſibant, ſi non mutato loco, tamen religione. Qvi ex iis inter Judæos in terra ſancta ſedes fixerant, iisdem cum illis obſtricti cultibus, dicebantur peregrini. Horum Deus tantam egit curam, ut legibus pro iis paſſim latis, eodem illos cum Judæis jure frui voluerit. Exod. XXII. 12. Lev. XIX. 9. & 33. Num. XV. 15. Devt X. 18. Eſa. LVI. 3. Qvam ob cauſam, in tantum apud Iſraelitas excreverunt numerum, ut jam Salomonis tempore peregrinorum, præter ſexcentos, centena qvinqvaginta tria millia numerarentur. II. Par. II. 17. His merito accenſentur Thamar, Rahab, Ruth, Cinæi à Jethrone Moſis ſocero oriundi, Gibeonitæ, qvos à Joſua ad miniſterium Levitarum damnatos poſteritas Nathinæos, qvaſi donatos Levitis, dixit, & Idumæi ad circumciſionis ſacramentum à Johanne Hyrcano adacti: qvorum omnium hiſtoriæ ex ſuperioribus innotuere. Præter iſtos longè plures inter Gentes fuerunt, qvi religioni Judæorum per circumciſionem non initiati, verum Iſraelis Deum coluerunt, fuere ii, qvibus in eccleſia Patriarcharum Abraham nomen veri Dei annunciavit, Regina Arabiæ, qvæ

Ex. 12. Levit. 17. Carol. Sigon. lib. 1. de Rep. Hebr. c. 6. pag. 44. ſeq. Menoch. lib. I. de Rep. Hebr. c. 3. col. 18. ſeqq.

amore ſapientiæ cœleſtis, famá Salomonis auditâ, difficile iter iniit, I. Reg. X. 1. Naaman aqvis Jordanis à lepra mundatus, Ninivitæ ad Jonæ conciones reſipiſcentes, Nebucadnezar, Cyrus & alii cum Aſſyriorum tùm Perſarum principes atqve proceres, qvibus Danielis & aliorum Judæorum ſapientia, & admiranda in adverſitatibus conſervatio, verum veri Dei cultum perſvaſit, Ptolomæus Philopator, qvi cœleſtem Deum omnis principem potentiæ cognovit, ut in tertio Maccabæorum libro legere eſt. & tandem Helena Adiabenorum regina, qvæ cum filio Izare fidem veram profeſſa, magnis cumulavit Judæos beneficiis, prout Joſephus prolixa uſus narratione teſtatur lib. X. cap. II. & III.

LXVI. Nunc, ſi placet; ad cœtum progredimur malignantium.

Lactant. de Orig. Error. V ff. de Idololatr. Menoch. lib. 4. de Rep. Ebr. cap. 1.

Si ager Eccleſiæ non tritici ſaltem ferax eſt, ſed & Zizania ſentit infeſta, ſiq; ſagena regni cœlorum bonos & malos communiter permixtos trahit, Matth. XIII. 24. 47. qvid mirum, ſi in ipſa Eccleſiæ Moſaicæ enarratione cœtum eorum, qvi Dei & pietatis cultu neglecto, in manifeſtiſſima ſcelera, ipſamqve adeò Idololatriam ruerunt, jam cognovimus? Qvin omnis nonnunqvam Eccleſia ſub lege collecta, qvicqvid oggañiat Bellarminus, defecit, ut eſſent qvidem, qvorum animus in occulto adhæreret DEO, ſed non eſſet cœtus aliqvis conſpicuus, in qvo ſincerus Dei cultus vigeret: tempore puta μοσχολατρείας, Exod. XXXII. & tempore Baaliticæ Idololatriæ, qvo Elias ſe ſolùm eſſe relictum exclamavit, I. Reg. XIX. Confer II. Par. XV. 3 Jerem. II. 26 Præterea qvoties qvæſo in deſerto, poſt exodum ex Ægypto, beneficiorum acceptorum immemores Iſraelitæ contra Deum murmurarunt? qvoties ſervo illius Moſi obloqvuti ſunt? qvoties ad Idololatras, defuncto Joſua, ſub Judicibus & Regibus transierunt? Erant igitur in ipſa Eccleſia Idololatræ: erant hæretici: erant perſecutores, & qvi non? Qvi enim Salii? qvi Cynædi tanto conatu, tantoqve tripudio ſuis idolis ſervierunt, qvanto Iſraelitæ Ægyptiaco vitulo & Baali Palæſtino? Qvis hæreticorum tam impiè de anima, angelis, mortuorum reſurrectione ſenſit, qvam Saducæi? Qvi Nero? qvi Domitianus? qvi Julianus atrociùs in pios deſæviit, qvam Ahab, Ahas, Manaſſe? qvam Jeſabel & Athalia? Vidiſſes ibi Pſeudoprophetas tanto numero, ut ſoli Ahabo plusqvam mille & ducenti inſervirent, I. Reg. XIIX. 19. XXII. 6. utqve eos nec tres potentiſſimi reges Jehu, Joas, & Joſias exſtirpare poſſent. Vidiſſes Pythones & Magos,

II. Reg.

II. Reg. XXIII 24. & Pythoniſſas I. Sam. XXIIX. 7. vidiſſes in ipſo templo domos Kedeſchim ſeu effœminatorum, ſive illi fuerint ſcorta maſcula, ſive exſecti & caſtrati viri, tanqvam magnæ Deûm matris Sacerdotes, ſive qvi alii hierophantæ II. Reg. XXIII. 7. Vidiſſes monachos & Camarim pullis veſtibus ſanctitatem mentitos II. Reg XXIII. 5. Hoſ. X. 5. Zephan. I. 4. Vidiſſes (pudet dicere) tot Deos, qvot urbes. Jer. II. 28. XI. 13 totqve altaria, qvot acervos lapidum in ſulcis campi. Hoſ. XII. 11. Qvid dicam de Theudâ, Judâ, & aliis impoſtoribus, qvorum Gamaliel, Act. V. 36. & Joſephus lib. XIIX. cap I. lib. XX. cap. II. VI. VII. lib. II. de bell cap. XII. meminerunt?

LXVII. O colluviem malorum in ipſum Eccleſiæ ſinum effuſam! Sed qvinam qvæſo fuerunt Dii illi ſpurii, qvibus ſtultiſſimi Judæi more gentium ſacra fecerunt?

Uno verbo: Baalim & Aſtharoth, illi Dii: hæ Deæ alienæ. Qvod ut intelligas, ſcias nomen Baal, Bel, Belus derivatum à בַּעַל id eſt, Dominus: & in plurali ſignificatione Baalim, ex mente doctorum, rationem indicare Dominii ſive poteſtatis, qvo illa numina indicentur, qvibus vitæ uſum naturæqve gubernationem carere non poſſe exiſtimarunt: ita tamen ut de ſexu inter Deos ſeqviore nunqvam dicatur. Unde patet, qvi Europæis Ζεὺς eſt vel Jupiter, eum Aſſyriis & Phœnicibus eſſe Baalem vel Belum. Horum Baalim, qvos alio nomine Joves vocare conſveverunt, plures in Scriptura recenſentur, & pleriqve ab ipſis Judæis, impiè culti fuere, nonnulli inter prophanas gentes extra limen Eccleſiæ ſubſtitere. Apud gentes colebantur, teſte Scriptura I. BEL, Jupiter gentium, ut vult Auguſtinus, qvæſt. XVI. in librum Judicum qvi primus videtur Idololatriæ fores aperuiſſe, & cui Rex Achab in gratiam Ithobalis, Regis Tyriorum & Sidoniorum, Samariæ templum dedicavit, teſte Joſepho lib IX. cap. VI. ex I. Reg. XVI. & II. Reg. X. Sic igitur BEL & Baal, cujus Sacerdotes Elias è medio ſuſtulit I. Reg. XIIX. unus idemqve foret. Hujus Belis ſimulacrum Babylone venerabantur, Eſ. XLVI. qvod à Cyro & Daniele ob fraudes ſacerdotum, qvi cibos DEO appoſitos, cuniculis templum noctu ingreſſi, abſumere conſveverant, deſtructum legitur Eſ. XLVI. 1. Dan. XIV. 2. II. NEBO, à vaticiniis edendis dictus, oraculum Babyloniorum Eſa, XLVI. 1. III. NISROCH itidem Babylonicum Idolum, in cujus æde Sennacherib à filiis trucidatus eſt

Eſ. 46. v. 1. Jerem. 50. v. 2 & 51 v. 44. Joſeph. lib. 10. Antiq. cap. 11. & lib. 1. cont. Appion. Menoch. de Rep. Ebr. Lib. 4. cap. 2. qvæſt. 9. 12. 15. 16.

Eſa XXXVII.38. IV. DRACO tanqvam Babylonius Æſculapius, à Daniele maſſa picis, adipis, & pilorum peremtus, Dan. XIV. 22. V. BAALZEPHON Ægyptius, Ex. XIV. 25. qvem AbenEzra, & alii Hebræorum Magiſtri putant fuiſſe idolum à Pharaonis Magis ad cœleſtium corporum poſituras fabricatum, & juxta ſinum Arabicum collocatum, vim habens magicam Iſraelitas & qvosvis ſervos fugitivos retinendi, irretiendi & à profectione ex Ægypto avertendi: Sed Seldenus in primo de Diis Syris Syntagmate, forte non ſine cauſa, ex Num. XXXII. 7. I. Par. IV. 33. arguit, Baal Zephon fuiſſe urbem ſeptentrionalem. IV. DAGON Palæſtinus I. Sam. V. à דג piſce dictus, alio nomine Oannes & Odacon, ab umbilico, ſecundum traditionem Hebræorum, & aliorum antiqvorum ſcriptorum, verſus pectora, humana conſpicuus forma, inferius piſcinam trahens caudam, ut ſub nomine Dagonis, Triton aliqvis ſeu Neptunus videatur cultus, cui

Frons hominem præfert, in Priſtim deſinit alvum.

Scaliger tamen teſtatur, Venerem etiam piſcis figurâ coli ſolitam fuiſſe. Atq; ſic Dagon erit ipſa Aſtarte ſeu Aſthareth Sidoniorum. VII. HERCULES Tyrius II. Macc. IV. 19. qvem ſub nomine Baal videtur cum Achabo Jeſabel coluiſſe. IIX. RIMMON Syrorum Deus, in cujus ædem introiit qvidem Naaman cum rege, ſed cultu neqvaqvam Idolo exhibito II. Reg. V. 18. IX. JUPITER OLYMPIUS, cui Antiochus, Judæis invitis, templum Hieroſolymitanum profanavit. II. Macc. VI. 2. X. JUPITER XENIUS, qvem idem Antiochus Garizitano templo præfecit, XI. BACCHUS, cujus vinoſi Idoli, à ſuis Bacchanalibus paſſim celebrati, poſterior liber Maccabæorum XIV. 13. VI. 7. meminit.

LXIIX. Qvinam autem ſunt illi Baalim, qvos ipſi etiam Judæi coluiſſe dicuntur?

Principem inter illos locum videtur tenuiſſe MELECH, ſeu Moloch, ſeu Malcom, Lev. XIIX. & XX, Cacodæmon Ammonitarum, qvi idem fuiſſe videtur cum Adramelecho & Anamelecho idolo Sepharenſium, cujus fit mentio II. Reg. XVII. 31. ut & cum Saturno, cui apud Lacedæmonios, teſte Diodoro Siculo libro XX. & Lactantio lib. I. inſtit. cap. XXI. legimus infantes immolatos. Statua enim ejus ita erat efformata, ut manus ſupinæ ſic ad terram inclinarentur, ut impoſitus illis puer in voraginem ignis plenam devolutus rueret. Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας addit, adſtitiſſe rigidam ſine gemitu matrem, ſi ingemuiſſet vel illacrymata eſſet, pretio multatam, neqve minus puerum immolatum, per-

Euſeb. lib. 4. de præp. Evang. c. 7. Diodor. Sic. lib. 20. Ludov. Vives ad Auguſt. lib. 7. de Civit. Dei cap. 19.

perſtrepentibus circa idolum omnibus tibiarum & tympanorum ſonitu, ne ejulatus exaudiretur. Eadem ratione Molocho ἀνθρωποθύτας in ſuburbiis Hieroſolymitanis, in valle tympanorum Tophet ſeu Benhinnon, i. e. loco gemituum & interfectionis, cariſſima ſua pignora concremarunt. Ara ejus, teſte ex Hebræorum monumentis P. Fagio, ſeptem conclavia habuiſſe dicitur, qvorum primum aperiebatur ad oblatam ſimilam, alterum ad turtures, tertium ad ovem, qvartum ad arietem, ad vitulum qvintum ſextum ad bovem, ad filium ultimum. In ultimo ſtatua ænea majeſtatem regis in throno ſedentis referens, intus cava, vitulino capite, brachiis protenſis viſebatur: in cujus concavitate ſi igne accenſo æs igneſceret, parentes deteſtandi idoli, brachia per artificium extendentis & attrahentis, amplexibus liberos concremandos tradiderunt. Ne autem interea vagitus puerorum ſtorgen parentum neqviter inhibitam revocaret, raucus tubarum clangor ac tympanorum ſtrepitus jugiter perſonuit. Nonnunqvam pueri per ſtrues lignorum utrinq; incenſas tranſiere, & ſi incolumes evaderent, toti familiæ ſalutem ex opinione idololatrarum credebantur impetraſſe. Molocho ſuccenturiabatur REGINA COELI, ſeu cœli Melechet, i. e. integer Deorum, & imprimis ſignorum & planetarum cœleſtium exercitus, qvem Eſaias c. LXV. 11. videtur GAD nominare. Lutherus tamen putat, illum Gad fuiſſe Martem ab aciei inſtructione dictum. Seldenus libro primo de Diis Syris, eum habet pro Bona fortuna, idqve deducit ex Gen. XXX. 11. ubi, Gado Zilpæ nato, Lea exclamavit: Ba Gad, Venit Gad, id eſt, venit Fortuna Bona, ſive ſidus bonum, bonus Dæmon. Reginæ cœli Iſraelitæ more gentium menſam epulis & mulſo refertam inſtruxerunt, qvandocunqve anni fertilitatem aucupabantur. Illi cognatus fuit REMPHAN Act. VII. 43. qvaſi Princeps ſtellarum, qvi CHIUM dicitur apud Amoſum V. 26. ſicut Saturnus apud Arabes Ceivan, ſociatus neſcio cui alii ſtellæ SICCUTH. Eſaias LXV. 11. MENI aliqvem Gadi jungit: qvem, cùm à numero dicatur, Lutherus arbitratur eſſe Mercurium. SOLIS EQVORUM fit mentio II. Reg. XXIII. 11. qvos in honorem Solis aut vivos aluerunt, aut ſculptos honorarunt Judæi, more Perſarum, qvi ipſum Solem Mithram nominarunt: cui anteqvam ſacerdotes initiarentur, multoties probari debebant, plagis, fame, ſiti, frigore, igne deniqve ſacro, qvem Orimasdam & Urchasdim Chaldæi nominarunt. Hinc in honore habitus fuit PEOR, alias Baalpeor Moabiticus, Num. XXV. & XXXI. Joſ. XXII. à nuditate & turpitudine, vel, ut Seldenus putat, à monte Peor,

Num.

Num. XXIII. in qvo delubro & Sacris honorabatur, dictus alioqvin ex Jerem. XLIIX. 7. & 13. CHAMOS, ſecundum Hieronymum in XV. cap. Eſa. forte etiam MIPLEZETH vocatus: cui Macha, mater Aſſæ I. Reg. XV. 13. ſerviit, & Salomon templum erexit I. Reg. XI. 7. Baalpeorem hunc Cœlius Rhod. L. A. I. III. c. III. arbitratur fuiſſe Saturnum; Hieronymus Priapum, qvi etiam pro Miplezeth ponitur in antiqva verſione; nimis ille maſculus, ut vocat Auguſtinus lib. VI. de civit. Dei cap. IX. ſuper cujus immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum ſedere nova nupta ſolebat. Alii, qvia Pſalmo CVI. dicitur, ſacrificia mortuorum comeſſa eſſe in ſacris Baalpeoris, eum crediderunt eſſe Plutonem ſeu Jovem Stygium, illum mortuorum DEUM, cui inter epulas & feſtivitates ludicrorum ſolennia facere conſveverunt. Confer Num. XXV. 3. Devt. IV. 3. Joſ. XII. 17. Intruſerunt ſe porro in eccleſiæ agrum, BAALBERITH SICHEMITA, qvaſi Dominus fœderis, qvem tutelarem DEUM poſt mortem Gedeonis Iſraelitæ Jud. IIX. 33. IX. 4. ſibi præfecere; BAALZEBUB ECRONITA, Deus muſcarum, qvas creditus eſt abigere, idolum Palæſtinorum, ab ægroto Ahaſia II. Reg. I. 2. conſultum; ASIMA EMATHITES, qvem hirci ſpecie cultum fuiſſe putant II. Reg. XVII. 30. NIBCHAZ HEVÆUS II. Reg. XVII. 31. qvi ſi nomen conſideres, procul dubio eſt Anubis Ægyptiorum qvem tanqvam Cynocephalon canino capite effigiabant. Hujus numinis reverentia inducti Nubii Æthiopes canem ſibi regem conſtituerunt, ex cujus nutibus & ſaltibus res omnes agerent. NERGALEM, qvaſi Deum ignis, qvem Rabini ajunt cultum fuiſſe ſub forma gallinæ pullos operientis, Chutæi; SUCCOTH BENOTH Babylonii; THARTAK ſpeciem aſini præ ſe ferentem Hevæi; Alia Deorum portenta alii in regnum Samaritanum, cùm inde decem tribus ejectæ eſſent, invexerunt. Præterea THAMMUZEM certo anni die plangebant fœminæ, Ezech. IIX. 4. illum forte Adonin Veneris qvem ab apro interfectum, Poetæ fabulantur. Sed nec ſic ineptiarum ſatis fuit. THERAPHIM enim, tanqvam lares & penates domeſticos, & ſtatuas Spiritibus per adjurationem accerſitis plenas, ſib fabricarunt, à qvibus reſponſa ſciſcitarentur. Jud. XVII. & XIIX. Gen. XXXI. Ezech. XXI. Hoſ. III. Zach. X. Qvin & per ſagittas & extiſpicium, Ezech. XXI. 21. ut & per ῥαβδομαντείας ſeu bacillorum & virgarum ſortes Hoſ. IV. 12. & per OB ſeu Spiritum & Dæmonem ventriloqvum ab immundis partibus Harioli, ſubmiſſa voce, & qvæ ex telluris cavitatibus videretur egredi, reſponſa dantem, & per JIDEONI ſeu futurorum conſcios & mortuos,

Lev.

Lev. XX. 6. Devt. XIIX. 2. I. Sam. XXIIX. Eſ. XIX 3. IV. Reg. XXI 7. divinabant. Ægyptios etiam imitati, vitulum aureum, qvem paulo ante in igne conflarant tanqvam Deum, ad formam Apis bovis, vel in honorem Oſiridis efformatum, adorarunt: ipſumq; æneum ſerpentem, à Moſe qvondam in medicinam ſuſpenſum, divinis honoribus proſecuti ſunt, donec ab Hiskia confringeretur. II. Reg. XIIX. Qvò pertinet Ephod aureum Gideonis, aureum ornamentum & ſuperhumerale militare, in victoriæ Midianiticæ monumentum & trophæum, non ſine gloriolæ aucupio, erectum à Gideone: qvo defuncto, ſtolidi Iſraëlitæ numen veſti ineſſe arbitrati, divinum illi cultum detulerunt. Judic. IIX. 27.

LXIX. Qvænam ſunt illæ Aſtharoth, ſeu Deæ gentiles, in qvarum cultum ſtolidus DEI populus ſe protrahi paſſus eſt?

Nomen ASTHAROTH ſi interpreteris, greges, vel etiam almas & beatas ſignificat, ne pulcro nomine tectus Cacodæmon facilè deprehendatur. Inter Deas vero gentiles, Iſraëlitis notas, præcipua fuit illa Aſtarte ſeu Aſthareth Sidoniorum. II. Reg. XXIII. 13. in cujus ſervitium ipſe etiam omnium Regum ſapientiſſimus Salomon conceſſit. I. Reg. XI. 5. Videtur illa Juno fuiſſe, ut ex Auguſtino elegantiſſimè probat Fullerus, Miſcell. lib. I. cap. XIII. Nam Sidonii, ut & Afri, Junonem ſub nomine Aſtartes coluerunt: alii eam Reginam cœli, & Baaltidem ſive Baltim, hoc eſt, Dominam & Dionen, ut & Venerem Uraniam, & Lunam atqve Dianam vocavere. In decipiendis enim hominum mentibus Satanas nihil, qvam libidinoſæ Veneris numen & nomen, invenit efficacius. Utq; libidini mortalium undeqvaq; adderentur fomenta, impurus Spiritus ſtrenuè curavit. Hinc & Phœnices impulit, ut in honorem πόρνης ἀφροδίτης virgines ſuas in fornicibus proſtituerent, ceu ſcribit Auguſtinus lib. IV. de civ. Dei c. X. Qvem peſſimum morem obſervatum etiam fuiſſe à Cypriis Juſt. lib. XIIX. & à Moabitis, cùm Iſraëlitas ex Bileami conſilio ab officio avocarent, non eſt dubium. Præter Venerem in ſacris fit etiam Dianæ mentio Act. XIX. qvæ illa Nanæa eſſe putatur, in cujus templo Antiochus interfectus eſt. II. Macc. I.

Epiph. Hær. 19. Auguſt. qvæſt. 16. in lib. Judic. Theophyl. in c. 4. Oſeæ. Menoch. lib. 4. de Rep. Ebr. c. 2. qvæſt. 9.

LXX. Si tantus DEORUM fictorum numerus ipſam Eccleſiam infeſtam tenuit, qvotnam in cœtu malignantium, ipſo Satanæ ſtabulo, dicam regnum obtinuiſſe?

Voſſ. de Idol. Gentil. Euſeb. de præpar. Evang. Lact. de Orig. Error. Arnob. & Minut. Felix contra Gent. aliiq; plurimi.

Antiqviſſimus Heſiodus jam ſuo tempore triginta Deorum millia uno verſiculo comprehendere potuit:

Τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Qvot arbitraris ſecula poſteriora malorum feracia addidiſſe? Marcus Varro trecentos Joves numeravit, & neſcio qvot Veneres, qvotqve Apollines. Alii autem

Qvicqvid humus, pelagus, cœlum mirabile ſignant,
Id dixere DEOS, colles, freta, flumina, fontes,

ut ait Prudentius. Qvam dementiam Juvenalis, ipſe Gentilis, ſalſe irridet:

Porrum ac cæpe nefas violare & frangere morſu:
O ſanctas gentes, qvibus hac naſcuntur in hortis
Numina!

Sed cum nec omnes nominare poſſent DEOS, nec qvenqvam præterire vellent, δῆμον & cœtum Deorum ſtulti coluerunt, eosq; omnes ne ignoto cuipiam injuria fieret, Romani in πάνθεον concluſerunt, & Athenienſes in aris DEO ignoto conſecratis honorarunt. Et qvidem, ſi Gentiles, more fatuarum vetularum, puerulos nugis anilibus compeſcentium, Numina, qvæ ipſi haud crediderunt, aut credere potuerunt, ex Auguſtino lib. IV. de civ. Dei, cap. X. & lib. VI. cap. IX. & lib. VII. cap. II. & III. ut & Arnob. adv. Gentes lib. IV. excogitaſſe demonſtravero, mirabere. Cùm mas & fœmina jungebantur, præter Hymenæum & Thalaſſium, invocarunt DEUM Jugatinum; cùm nupta domum ducebatur, Domiducum; ut in domo eſſet, Deum Domitium; ut cum viro maneret, Deam Manturnam. Hinc ut pavidæ ſponſæ ſine ulla difficultate virginitas auferretur, adeſſe jubebatur Dea Virginenſis, Deus pater Subigus, & dea Mater Prema, & dea Partunda, & Venus, & Priapus. Ad ſemina virorum elicienda (ſi pudor non prohibet legere) Liber ſollicitabatur, ſalacibus comitatus Satyris; ad mulierum, Libera: qvam adjuvabat Dea Mena, menſtruorum fœmineorum præſes. Deinde qvod Numen partum perducebat ad diem, vocabatur Dieſpiter: qvæ dolores partus minuebant, Juno, Lucina, Diana, Dea Fœta: qvod opem ferebat naſcentibus, Opis, & Dea Naſcio, & Dii nixi, & Ægeria: qvod ad vagitum os iis aperiebat, Vaticanus vel Vagitanus. Mulieri fœtæ poſt partum contra Sylvanum tres Dii cuſtodes addebantur. Intercidona, in cujus honorem ferire limen ſolebant; Pilumnum & Deverram, qvam ſcopis limen deverrentes adjurarunt. Deinde in Amphidromiis qvinto poſt partum

die

die mulieres convenientes infantes curſu Laribus circumferebant: nono die, ut luſtrarentur, Deæ Nundinæ ſacrabantur. Hinc Eduſa præerat infantium eſcæ; Potina, potui; Cunina, cunis; Rumina vel Rumia, mammis. Ut rectè cubarent parvuli, Cuba canebatur; ut viverent, Vitumnus; ut ſenſuum omnium uſum ſortirentur, Sentinus; ut levarentur de terra, Levana; ut pedes figerent, Iterduca; ut accederent illa ſi, Adeona; ut ſtarent, Statilinus; Ajus, Locutius & Fabulinus, ut fari auſpicarentur; ut honorarentur, Honorinus; ut pecunioſi eſſent, dea Pecunia & deus Æſculanus, & filius ejus Argentinus; Forculus præerat foribus; limini Limentinus, cardini, dea Cardea, Feſſos erigebat Feſſoria, hoſtes depellebat Pellonia, pavori infantium reſiſtebat Paventia, ſpem exigebat Venilia, vacare faciebat Vacuna, voluptatem donabat Volupia Conſus & Catus præbebat conſilia & acumen; dea Sentia inſpirabat ſententias; ad agendum incitabat Agenoria; ſtimulos ad laborem addebat Horta & dea Stimula; oſſa ſolidabat Oſſilago; ſtrenuum faciebat dea Strenua, mala avertebat deus Averruncus. Dea Juventas, qvam Græci Heben vocant, poſt prætextum juvenilis ætatis exordia excipiebat: docebat canere Camœna, bona velle Volumnus cum Volumna, numerare Numeria. Meditrina medebatur morbis; viros uxoribus placabat Viriplaca. Nænia tandem dea & Libitina in funeribus cantabat, ultima, qvæ ad ipſum hominem pertinere putabatur. Ad rerum verò ſucceſſus obtinendos tot invocabantur Fortunæ, qvot vix numeres. In una Romanorum urbe templa erant Fortunæ Fortis, & Eqveſtris, & Parvæ, & Virginis & Primigeniæ, & Obſeqventis, & Privatæ, & Viſcatæ, & Publicæ, & Virilis, & Convertentis & Benè ſperantis, & Avertentis, & Malæ atqve Deteſtatæ, & Blandæ, & Dubiæ, & Mammoſæ, Barbatæ & Muliebris. Tam multiplici Fortunæ cultui originem videtur dediſſe Servius Tullius, qvod ab ea ex ſervo in regnum eſſet evectus, ipſaqve in rebus plurimum haberet in utramqve partem momenti, omniqve in re humana dominaretur, ſicut Plutarchus inqvit.

LXXI. Furere dicam, an delirare, qvi monſtroſum illam Deorum multitudinem invehentes, illa in Deorum numero habuere, qvæ nec unqvam ſunt, nec, ſi forte ſunt, Numine prædita eſſe poſſunt?

Roſin. lib. I. Antiq. Rom. Claſen in Theol. Gentil.

Qvid verò dices, ſi audies eos templa dedicaſſe non tantum Virtuti, Veritati, Menti, Juſtitiæ ſeu Aſtrææ, Fidei, Spei, Pietati, Paci, Concordiæ,

Pudicitiæ, Saluti, Felicitati, Libertati, Honori, ſed & Occaſioni ſeu καιρῷ, Qvieti, Deſidiæ, cui præſidebat Dea Mucia, Riſui, Neceſſitati, Violentiæ, Tempeſtati; Morti, Paupertati, Deæ Mutæ, Febri, ne ſæviret; Pallori & Pavori, ut ex inſtituto Tulli Hoſtilii hoſtes, non cives corriperent; Angeroniæ, ut angorem depelleret; Angeronæ & Harpocrati, ut ſilentium rectè præſtaretur; Termino, ne limites ſtatuto dimoverentur loco; Cloacinæ deniqve, cujus ſimulacrum tempore Titii Tatii in cloaca inventum, cum ignoraretur, cujus eſſet Dei, ex loco nomen meruit. Lege, ſi lubet, qvæ de anilibus hiſce nugis Auguſtinus & alibi habet, & lib. IV. de civ. Dei, cap. IIX. graviter monet. Nec agrorum, inqvit, munus uni alicui Deo committendum arbitrati ſunt, ſed rura deæ Ruſinæ, juga montium deo Jugatino; collibus deam Collinam, vallibus Valloniam, arboribus putandis Putam, pomis Pomonam præfecerunt. Nec ſaltem potuerunt unam Segetiam vel Segeſtam talem invenire, cui ſemel ſegetes commendarent: ſed ſata frumenta qvamdiu ſub terra eſſent, præpoſitam voluerunt habere deam Sejam: cum verò jam ſuper terram eſſent & ſegetem facerent, deam Segetiam: frumentis verò collectis atq; reconditis, ut tutò ſervarentur, Deam Tutulinam; ut in fornacibus rectè torrerentur, Deam Fornacem præpoſuerunt. Præterea præfecerunt Proſerpinam frumentis germinantibus; geniculis notisqve Deum Nodotum vel Nodinum, involumentis folliculorum Deam Volutrinam; cum folliculi pateſcunt, ut ſpica exeat, Deam Patelenam; cum ſegetes novis ariſtis æqvantur, qvia veteres æqvare hoſtire dixerunt, Deam Hoſtilinam; florentibus frumentis Deam Florem; lacteſcentibus Deam Lactucinam vel Lactantem Deum; matureſcentibus Deam Maturam; cum runcantur, ſeu à terra auferuntur, Deam Runcinam; cũ deverruntur, Deverronam; cum ſtercoratio perficitur, Stercutium; cum robiginis, qva poſſent ſegetes exedi, metus eſt, Robigum. Nec omnia, addit Auguſtinus, commemoro, qvia me piget, qvod illos non pudet. Et qvi finis fuiſſet futurus, ſi voluiſſet addere Mellonam, deam mellificationis; Spinenſem Deum, qvi ſpinas ab agris prohibere credebatur; Nemeſtrinum, præſidem nemorum; Pomonam pomorum; Bubonam boum; Tellumonem terræ; Pana & Palen paſtorum; Pilumnum piſtorum; Carnam vitalium humanorum; Lavernam furum; Furinam vindictæ facinorum; Penates domuum; Lateranum focorum; Annam perennam annorum; Genium rerum gignendarum; Comum conviviorum; Arculum arcarum & capſarum; Litas precum; Peitho & Suadam

dam perſvaſionis; Themin juſtitiæ; Momum convicii; Hipponam eqvorum; Myjagrum muſcarum; Libentinam libidinis; Antevortam præteritorum; Poſtvortam futurorum. Nec tantum te numerus tot vanorum Numinum in ſtuporem, vel ſi mavis, in riſum conjiciet: Ipſi Numinum cultores inſana vanitate ſe ridendos, aut certè miſerandos exponent. Vidiſſes, præter Pontificem maximum, qvi ſtultos Deorum cultus docebat & diſponebat, Regem ſacrificulum ſeu Regem ſacrorum, ſacra ſolis regibus obeunda conficere; Pontifices minores in victimis cædendis & immolandis ſingulis pene diebus occupari; Sacerdotes Deorum & templorum curam habere; Camillos pueros parentibus Sacerdotibus miniſtrare; Sacerdotes fœminas ea ſacra facere, qvæ viris non licebat; Canephoros & Pyrphoros Sacerdotibus adſtare; Augures ad avium volatum aut tripudium ſoliſtimum, aut qvem vis alium motum, ut & ad tonitrua, & alia portenta, captare auſpicia; Flamines certis Diis facere, Martiales Marti, Qvirinales Romulo, Vulcanales Vulcano, maximæque inter eos dignitatis Dialem ſuo Albegalero, ceu vocabant ejus pileum, ſemper inſignem, Jovis gratiam exambire, non nodum in veſte habere, non capream, carnem crudam, hederam, fabam tangere, nec nominare qvidem; Hæc enim & multa alia ei interdicta erant: ideoqve ſalva religione nec poterat exercitus armatos videre, nec eqvum contingere, ove uti, nec fermentatum panem in cibum adhibere, nec mortuum contingere, nec jurare, nec capillos ſervo tondendos porrigere; ſed cum ipſis ungvium ſegmina ſub arborem ſiliqvam terra operire. Vidiſſes præterea Salios, verſicoloribus tunicis ſuccinctos, in honorem Martis Gradivi, cum tripudiis ad tibiam ancilia ſeu peltas cœlo, ut credebant, delapſas per urbẽ portare; Arvales fratres cum ſpicea corona pro agrorum fertilitate vota ſolvere; Epulones ſacra convivia in Deorum ludis exhibere; Patres Patratos fœderibus ſanciendis præſidere; Potinos & Pinarios Herculi ad aram maximam litare; Lupercos Pani nudos miniſtrare, & ſterilium fœminarum palmis verbera ingerere; Duumviros ſacrorum ex ſacris libris & carminibus Sibyllinis inſpectis in animis miſerorum ſuperſtitionem augere; varios ſodales, Titios, Auguſtales, Idæos ad fraternitates ſacras ſe obligare; Hierophantas cicutæ poculo ſe caſtrare; Gallos Cybeles, ſeu magnæ matris Deûm cultores, vel manu virilia exſecare, & variis coloribus fucatos faciem cum tympanorum ſonitu & tiñitu cymbalorum, fœminis ſimiliores qvam viris, incedere, & ut Deam ſangvine ſuo placarent, lacertos cruentare, pinusqve lituo, crotalis, cymbalis, tympanis &

tibiis ſonantes geſtare. Vidiſſes Veſtales intonſas æternum efferre adytis penetralibus ignem, &, ſi forte ignis ſacer extinctus eſſet, qvod qvidem contigit Athenis Ariſtone Archonte, Delphis templo à Perſis extincto, & Romæ Mithridatici & civilis belli temporibus, flammam ex ſole accenſam elicere, & cribro aheneo exceptam in ædem deferre. Vidiſſes porro pompas, in qvibus præter imagines Deorum & victimas phallus, obſcœnum membrum portabatur; Supplicationes & lectiſternia, in qvibus omnes tribus & ordines ad delubra procedebant, & lecti in iisdem ad pernoctandum & convivandum ad Deorum pulvinaria ſternebantur; Sacrificia publica, privata, peregrina, ſtata, ſolennia, anniverſaria, amburbalia, ambarvalia, ſolitaurilia, luſtralia, ἄαιμα, ἔναιμα, ἄσπα, σπένσπονδα: in qvibus ex ſacrificio epulum; ex epulo potatio; ex potatione comeſſatio; ex comeſſatione factus eſt ludus; ex ludo lis; ex lite condemnatio; ex condemnatione compedes & ſphacelus, ut eſt apud Epicharmum. Vidiſſes victimas & hoſtias præcidaneas, ſuccidaneas, eximias, prodigias, bidentes & hecatombas, in qvibus centum aris uno loco ex ceſpite erectis, totidem animantibus cæſis ſacra fiebant. Vidiſſes urbes, claſſes, exercitus, agros, pecudes luſtrari & expiari; offerri ver ſacrum, ut qvicqvid naſceretur inter Calendas Martias & Idus Majas, Diis ſacrum eſſet; conſecrari primitias, decimas; evocari Deos in obſidio urbium hoſtilium certo carmine; vinculis annecti Deorum ſimulacra, ne hoſtili carmine poſſent evocari; urbes deinde devoveri: alia ſacra furore, alia luctu & lamentatione, alia tripudiis, alia maledicentia, alia proſtitutione virginum & matronarum, alia caſtratione, flagellatione, certamine, jejunio, & aliis nefandis vitiis celebrari.

LXXII. Inſaniam hanc dicam, an ſuperſtitionem Gentilium, dubito.

Dices id magis, ſi cogites, aliqvos haſtas aut ligna delibrata corticibus pro Diis veneratos fuiſſe: Neuros juxta Boryſthenem enſes pro Martis ſimulacro adoraſſe, Scythas acinaci ſacrificaſſe, Cheronæos ſceptrum Jovis coluiſſe, Æthiopes diem, Cyllenios pharetram, columbam Aſſyrios. Alii mari porrectum collem, velut præſentem Deum, coluere, & Phryges Mæandro & Marſyiæ fluviis ſacra fecere. Saxones noſtri columnam ligneam ſub dio collocatam, qvam Irmenſeul vocabant, votis proſeqvebantur. Qvidam humana cum brutis jungebant, & qvæ in natura diſſimilia erant, deos ſuos fecerunt, Cynocephalos, Ophyocephalos,

los, Onocephalos, Criocephalos, hoc eſt, qvi canis, ſerpentis, aſini & arietis capitibus eſſent. Hortenſia etiam & ipſa animantia culta fuere. Ægyptii cepas & allium venerabantur, Heliopolitani bovem, Memphitæ vaccam, Leontopolitani Leonem, Mendeſii capram & hircum, Arabes informem lapidem. Deteſtanda hæc ſunt: Sed accipe etiam ridendum, ſi impietas meretur rideri. Plinius lib. II. cap. VII. ait, gentes qvasdam aliqva obſcœna pro Diis habere, & multa dictis magis pudenda. Si qværis, qvæ illa obſcœna fuerint, Clemens Romanus in V. Recognitionum indicat, cum de Ægyptiis teſtatur, qvod crepitus ventris pro numinibus habendos eſſe docuerint: Hinc & Minucius Felix in Octavio refert, Ægyptios non magis Serapidem, qvam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos extremiſcere. Scilicet qvia & ſervandi hominis, ſi emittantur, & perdendi, ſi retineantur, habent poteſtatem, divinitatem meruerunt. Nondum ineptiarum finis. Galli, teſte Plinio, præſentius numen non habuerunt, qvam viſcum in qverna arbore inventum. Alii arbores paulò majores, tanqvam Deos, ferro incidiſſe, capitale judicabant. Syri piſces & columbam, Troglodytæ teſtudines, Nubii canem, Babylonii Draconem, Thebani aqvilam, coluerunt. Et qvid ferè eſt ex animalibus immundis, qvod Numinis loco Ægyptii non habuerunt? Dii erant illis feles, Ichneumones, accipitres, Ibides, lupi, crocodili, aſpides, & qvid non? Imò eò inſaniæ ſunt progreſſi, ut ſpiritibus etiam immundis Laſchedim & Laſchirim, dæmoniis vaſtatoribus & piloſis ſacrificarent. Deut. XXXII. 17. Levit. XVII. 7. Et Norici, ut ſcribit Tertullianus in Apologetico, Tibilenum (den Tübel oder Teufel) adorarunt. Saxones, ut eſt apud G. Fabricium lib. I. Originum Saxonicarum, præter Finnum Deum & Sibam, malum Deum, qvem atrum ajebant, coluere, ne noceret. Eum Heneti & Slavi vocarunt Zeerneboch, id eſt, nigrum Deum & Diabolum teſte Helmoldo lib. I. Chronicorum c. LIII. Qvid in Americanorum Idolorum Vizlipuzli & Tezcathlipucæ cultu perpetratum ſit, novimus. Nam videndum ſe nonnunqvam exhibuit miſeris Satanas, & ad victimas humanas magno numero cæſas exultavit. Illorum verò ſuperſtitio præcipue incrementa ſumſit, qvi defunctos heroas bene meritos divinis honoribus proſecuti ſunt, ut Ægyptii Iſidem & Oſiridem; Mauri Jubam; Macedones Cabirum; Pœni Uranum; Latini Faunum; Sabini Sabum ſeu Semonem ſeu Sancum; Athenæi Minervam; Samii Junonem; Paphii Venerem; Lemnii Vulcanum; Naxii Liberum; Delphi Apollinem; pleriqve Græci Herculem, Æſculapium, Caſtorem & Pollucem;

Roma-

Romani deniqve Qvirinum: Nam cum Romulus à patribus, qvos ſpernere cœperat, trucidatus eſſet, Julius Proculus ab iis ſubornatus eſt, ut nunciaret plebi, ſe vidiſſe Romulum habitu humano auguſtiorem, eumqve mandaſſe ad populum, ut ſibi delubrum fieret, ſe Deum eſſe, & Qvirinum vocari.

LXXIII. Sic igitur video, nullum pene eſſe Gentium Deum, qvi non aut antea homo fuerit, aut inter aniles fabulas, fraudibus Diabolicis commendatas, natus, opinionem deitatis acqviſierit.

Natal. Comes in Mythol. Boent. de Diis Gentil.

Rectè ſentis. Nam non aliter, ac nunc Pontificii Sanctos ſibi nonnullos, qvos in auxilium evocent, conſtituerunt, &, ceu vocant, canoniſarunt; ita Gentiles eos ſibi Deos conſecrarunt, qvos Virtus, ut Herculem, aut munera, ut Cererem & Liberum, aut artium inventio, ut Æſculapium & Minervam commendarat, ut rectè Auguſtinus lib. IIX. de civ. Dei c. XXVI. concludat, omnem religionem paganorum circa homines mortuos fuiſſe impletam. Ut præterea Pontificii ab iis, qvos tanqvam Chriſtiana emblemata antiqvitas pia depinxit, auxilia poſcunt; ita qvalem Deum ſuperſtitio Ethnicorum fabuloſa finxit, talem plebs credula coluit ſapientioribus longè aliud ſentientibus. Hinc idem Auguſtinus lib. IV. de civ. DEI c. XI. nugas gentilium refutaturus, ipſe concedit, ſubtiliores paganos multos qvidem Deos nominare, unum autem Jovem credere, qvi in æthere ſit Jupiter, in aëre Juno, in mari Neptunus & Salacia, in terra Pluto & Proſerpina, in focis domeſticis Veſta, in fabrorum fornace Vulcanus, in ſideribus ſol, luna, & ſtellæ, in divinantibus Apollo, in mercè Mercurius, in Jano initiator, in Termino terminator, Saturnus in tempore, Mars & Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in Silvis, Minerva in ingeniis. Et Seneca inqvit lib. IV. cap. IIX. de benef. Naturam voca, Fatum, Fortunamqve: Omnia ejusdem Dei nomina ſunt, variè utentis ſua poteſtate. Ad exprimendam autem Dei potentiam, Gentiles vocabulis etiam fœmineis utebantur, & Juno vocabatur, qvod ubiq; juvat; Venus, qvod vi ſua ad omnia veniat & penetret; Ceres qvaſi geres à proferendis fructibus; Minerva à minis, qvas metuenda ejus potentia incutit; Diana, qvod diem efficiat; Lucina, qvod partum in lucem edat; Veſta, qvod vi ſua ſtet, aut à Græco ἑςία, qvod vivam flammam notat; Nemeſis deniqve, qvod pravis νεμεσᾷ, ſuccenſeat, & bonis bona νεμῇ, diſtribuat. Hac eadem ratione unus ille

Deus

Deus gentibus dicebatur Pluto ob divitias; Mavors, quod magna vertat; Saturnus, quia omnes exſaturat, & ſibi tanquam verus Schaddai ſufficit; Liber pater, quod liberet; Apollo, quod perdat & aſpellat malos; Pan, quaſi univerſæ naturæ Dominus. Quæ nomina apud Gentiles inventa, non poſſunt citra crimen læſæ majeſtatis, illis, qui Dii dicuntur & non ſunt, communicari, ut non nemo ait. Qua verò tandem de cauſa non unum DEUM compendio prudentiore colunt? Cur & ſe in variis numinibus ſollicitandis fatigant, & unum omnium rerum creatorem deſerunt? Sed regnum in mundo impio ſe obtinere, vel hac techna oſtendit Cacodæmon. Illius enim ſuggeſtione varia nomina variasque figuras excogitarunt mortales, in quarum numine qvoties ſalutem quærebant, toties extremam perniciem invenerunt, iis interim magis excuſandis, ſi excuſationem meretur ſuperſtitio, qui multis nominibus unum Deum appellarunt, quam qui hieroglyphicæ Patrum religionis imperiti, tot exiſtimarunt eſſe Deos, quot repererunt vocabula.

LXXIV. Numquid tot gentium Deos certo numero potes includere?

Id quidem omnino reor factu impoſſibile. Nam & ipſe M. Varro, diligens Deorum ſuorum conſarcinator, & ſcriptor Romanarum rerum peritiſſimus, cum XVI. libris rationem & numerum Deorum comprehendere conaretur, fatigatus in ipſo labore ſubſtitit. & cum multa ſcripſiſſet, pleraqve incerta eſſe conceſſit. Fecit autem tria Theologiæ genera, unum Myſticum & fabulare, quod Scævola pontifex nominavit nugatorium: Aug. lib. IV. de Civ. cap. XXXI. alterum Phyſicum & naturale ſeu Philoſophicum; tertium Civile & politicum: qvorum illo utantur Poetæ, iſto Philoſophi, hoc populus. Illud accommodatum eſſe cenſuit ad theatrum, iſtud ad mundum, hoc ad urbes. In primo dixit multa eſſe contra dignitatem & naturam immortalium ficta, cum Deus alius dictus ſit ex capite, alius ex femore prodiiſſe, non nemo adulterii, furti, imprudentiæ incuſatus ſit. In altero multas eſſe ſententias, quæ facilius intra parietes in Schola, quam extra in foro aures ferre poſſint, & ut Scævola dixit, non congruat civitatibus, cum obſit populis, noſſe, quæ de multis Diis vera dicuntur. Tertium autem in urbibus cives, maxime ſacerdotes, noſſe & colere debere. Ex qvibus omnibus facile colligitur, ſecundum genus, qvod eſt Philoſophicum, quod eſt naturale,

qvod ad mundum ipſum eſt accommodatum, & Deos Poetarum atque populorum ridet, palmam obtinere, ſed cognoſci à plebe non oportuiſſe. Uti enim ex populi manibus, Papæ edictis, Biblia excutiuntur, ita ſacerdotes profani veritatis agnitionem invidebant reliquis. Interim Auguſtinus lib. VI. de Civ. Dei cap. VII. Poeticum Deorum & civile genus in unum coire, & populum credulum, qvos Deos Deasq; ſive Poetæ finxerunt, ſive ex Poetis L. latores aſſumſerunt, non ſaltem ridiculis, ſed & impiis ceremoniis colere, multis argumentis obtinet, & cap. X. demonſtrat, Senecam vehementius, magna uſum parrheſia, civilem Theologiam reprehendiſſe, quam Varronem fabuloſam. Sed ut expectationi tuæ ſatisfaciam tuque, qvam beati ſint, qui in gremio Eccleſiæ educati vero Jehovæ innituntur, collatione noſtræ felicitatis cum fœdis gentium tenebris inſtituta, penitius cognoſcas, ſcias omnes Deos, & præcipuè eos, quos Græci cum Romanis coluerunt, populi autem Orientales, & ipſi Judæi maximam partem ſub aliis nominibus cognitos habuerunt, in duas fuiſſe claſſes diſtinctos, in quarum altera fuerunt Dii ſelecti, in altera Dii minorum gentium.

LXXV. Qui quaſo fuerunt Dii minorum gentium?

Roſin. lib. 2 Antiq. Rom. c. 19. Eorum alios vocaverunt Semideos, alios Indigetes, alios Semones, ob meriti paupertatem cœlo haud dignos, alios, quod noviſſime in Deorum numerum recepti ſint, Novenſiles, alios Cabiros & Curetes, tanquam Deorum miniſtros. Ex horum omnium cœtu quidam dicebantur ἀποπομπαῖοι & ἀλεξίκακοι, qvi mala averruncarunt; reliqui ἀλιτήριοι & προστροπαῖοι, qvi ut peſtilentes & malitioſi mortalibus inſidiabantur. Inter hos DEOS, quaſi ſubdelegatos, celebrantur Dii marini, Æolus, Glaucus & Melicerta; Eumenides præterea, Charites, Silvani, Satyri, Fauni, Nymphæ, Najades, Nereides, Dryades. Lemures ſeu animi humani exuti & liberi ſtipendiis vitæ, ut loquitur Apulejus: Quorum qui pacato numine domum poſſideret, dicebatur Lar: qui terriculamenta objiceret, Larva: de quo incertum foret, Lar eſſet an Larva, DEUS Manes Larium mater Larunda, Manium Mania itidem colebatur. Heroas imprimis & Indigetes, quos ob beneficium cœlo conſecratos publica autoritate in DEOS retulerunt & ficta ἀποθεώσει templis & flaminibus donaverunt, ſuſpexere. Et quanquam Dii etiam ſelecti, quibus Græci varia facinora, vero DEO indigna, adſcripſere, revera homines quondam fuerunt, qvibus, ut Romano utar verbo, faſtigium decreverunt, & templa, flamines, pulvinaria, & aras, tanqvam

in

in Deorum ſedes receptis, dedicarunt, vetuerunt tamen poſtea in numerum Deorum ſemel ſelectorum plures recipere, ſed inferiori ſubſellio ſuos Semideos juſſerunt eſſe contentos. Quorum qvidem tot habebant, novis ad antiquos facile & quavis levicula de cauſa additis, ut certus, eorum numerus nondum iniri potuerit. Carthaginenſes ſuo Hamilcari, Meſſenii ſuo Ariſtomeni, Romani non ſaltem ſuis Cæſaribus; ſed & Carmentæ & Accæ Laurentiæ meretrici, quæ populum Romanum bonis ſuis heredem fecerat, & Cacæ, qvæ Herculi fratrem furem prodiderat, Divinitatis aras poſuerunt. Argonautæ Caſtorem & Pollucem, in quorum capitibus geminam flammam conſpexerant, conſecrarunt. Græci athletas, ne de aliis Heroibus in Senatum Deorum relatis dicam, Euthymum ſemper Olympiæ victorem, ſemel victum, Theagenem CD coronis ornatum, & Cleomedem, nefarium illum puerorum in ludo literario oppreſſorem, & alios propudioſos inter Semideos & Indigetes numerarunt. Plin. lib. VII. cap. XLIIX. & Pauſan. lib. VI. Pertinent tandem ad Deos minorum gentium infera illa Charontis, Cerberi, Tartari, & Stygiæ paludis numina, quæ ſi precibus in ſua vota vocent, ipſi viderint, num queant cœlitibus placere. Sed commode ſpiritus damnati ſuperſtitioſos infernalium furiarum cultores, ſuæ ſortis admonuerunt, fore ut omnes fluvium Lethen biberent, omnes paludem Acherontis adirent, omnes nigram Charontis ſqvalidi naviculam conſcenderent, frementes flammarum pœnas paterentur, perqve Cerberi & furiarum tormenta ad ſcelerum ſenſum adigerentur. Et licet nonnihil ſpei miſeros juſſerint in campis Elyſiis ponere, in qvibus ad dexterum inferorum latus, eſſet ferax tellus fructuum, chori cyclici, concinna convivia, oblectamenta muſica & voluptas nulli moleſtiæ conjuncta, quotumqvemqve tamen, ut de his rebus certiores eſſent conſulere poterant? quid rerum certarum inter nugas tantas ſupererat?

LXXVI. Inter tot Numinum ludibria ſatis miſerè Gentiles oportet & vitam traxiſſe, & extremum diem obiiſſe. Sed ad ſelectos DEOS revoca ſermonem.

Dii ſelecti à Varrone ſtatuuntur viginti. Aug. lib. XXII. de civ. cap. II. Inter quos duodecim dicebantur Conſentes & Cœlites, qui à ſuperiore æthere ad Solem usque demeent, & cauſarum latentium arca-

rum præfectura, alio nomine Phœbus. Titan, & Adonis, quaſi Adonai & Dominus vocari conſuevit. Heliogabalum Syri, quaſi Eloahgabol i.e. Dominum formatorem, Κτιστὴν τῆς οἰκουμένης, Herculem Tyrii, Mithram Perſæ, Orum Ægyptii appellabant. Cretenſis Apollo Jovis & Latronæ fuit filius, quem ab Arcadibus, quos diutius habuerat, pulſum Admetus Theſſaliæ in familiam adſcivit, cura gregis ei commiſſa. Hinc operam locavit Laomedonti in exſtruendis Trojæ mœnibus. Apud Ægyptios Apollo Oſiridis filius, choro ſymphoniaco per novem virgines adornato, figmento de novem Muſis occaſionem dedit.

Heſiod. in Theogon. v. 918. Apollod. lib. 1. de Deor. Orig p. 9. Cic. 1. & 3. de Nat. Deor.

DIANA, Apollinis ſoror, Lunæ præſidium nacta eſt à ſtultis gentibus.: quæ omnia in unum commiſcentes, & fabulis nihil non interpolantes, eam jam Hecaten, jam Proſerpinam à Plutone raptam appellarunt. Memorabile eſt, quod Æl. Spartianus, in Ant. Caracallo ſcribit, memoriæ traditum eſſe, quod qvi Lunam fœmineo nomine & ſexu nuncupandam putant, ii addicti mulieribus ſemper inſerviant: Qui verò Lunæ Deum crediderint marem eſſe, quemadmodum apud Carrinos Deus Lunus cultus eſt, & nobis Germanis Luna maſculino genere effertur, ii dominentur uxori, neqve ullas muliebres patiantur inſidias.

Heſiod. in Theog. v. 918. Apollod. l. 1. p. 9. Ovid. in Metam. l. 3. fab. 2. Treb. Poll. in Gall. c. 6

CERES, Proſerpinæ mater, Jovis ſoror & pellex, impudica ob ſtuprum, qvod fuit paſſa, infelix ob filiæ raptum, furibunda ob eandem nō inventam, quia agriculturam Siculos docuit, frugum curam ſortita eſt, eandem cum Jo, ſeu Iſide Ægyptia, & Ope, quoad munus in frumento procurando obeundum.

Heſ. in Theog v. 454. Apollod l. 1. p. 3. c. 3. § 3. Pauſan. in Corinth. l. 2. p. 49. Plin. lib. 7. c. 56.

VESTA, domorum terræque ſervatrix credita, Saturnum genuit, Pales dicta & alia eſt ab illa Veſta, qvam Saturnus genuit, quæqve ignis & Virginitatis dicitur Dea, & in cujus honorem Sodalitas virginum Veſtalium, ignem perpetuum cuſtodientium, inſtituta eſt.

Heſ. in Theog. v. 454. Apoll. l. de Orig. Deor. cap. 1. § 5.

VENUS, quæ prima artem meretriciam exercuiſſe dicitur, ſuum nomen pluribus largita eſt, & nuptiarum atque voluptatis Dea habita, plerisque cum ſuo, ſive filio, ſive famulo, Cupidine utramque paginam fecit. Etſi autem Venus verè & hiſtoricè deſcripta ſcortum impuriſſimum fuit, in cujus ſacris obeundis ea facinora commiſſa ſunt, à qvibus aures & animus abhorrêt, ut tamen fucum ſuperſtitioni facerent, Venerem finxerunt aliam cœleſtem & uraniam, rerum omnium genitricem, virginitatis amiciſſimam.

Plato in Conviv. Theocrit. in Syrac. Natal. Com. in Mythol l. 4. c. 13. Apollod. l. de Orig. Deor. p. 6. cap. 3 § 1.

Scilicet innumeris vix ſtant mendacia fulcris!

MINERVA ſeu Pallas (ne mythologiam de ejus ex cerebro Jovis

 nati-

Heſiod. in Theogon. v. 897. Diodor. l. 3. c. 5. l. 5. c. 15 Apoll. l. 4. p. 9 & l. 3. c. 13. § 1. Aug. l. 18. de civ. Dei cap 8.

nativitate attingam9)Neptuni filia, conſtantiſſima virginitatis amatrix, armorum ſcientiæ, quam bellicoſa virgo profeſſa eſt, adjunxit artes lanificii & telæ, atque cultum oleæ: & ob id ingeniis hominum præſidere dicta eſt.

Heſ. in Theog v. 922. Apollod. l. 1. c. 3. §. 5. Aug. l. 4. de Civ. Dei cap. 10.

VULCANUS, loripes, cum aut non placeret uxori Veneri ob artis fabrilis contemtum, aut miſer libidini ejus non ſufficeret, Martem & alios adulteros in toro paſſus eſt, hoc tamen lucro, ſi diis placet, beatus, ut ob uxorem & ipſe numen & nomen poſteritati tradiderit, in nuptiis tædas ferre creditus.

Heſ. in Theog. v. 922. Diod. Sic. l. 5. c. 15. Roſin. l. 2. Antiq Roman. cap. 10.

MARS, etſi Jovis & Junonis filius, tamen ob Neptuni filium interemptum, Athenis in Areopago cauſam dicere coactus, ex furtivis congresſibus cum nobiliſſimis fœminis inclaruit: cumque feroci ac acri eſſet ingenio, nullibi certam inveniens ſedem, tanquam furioſus huc illuc pererrans, omnia luctu & calamitatibus replevit, & ob id bellorum DEUS habitus fuit: quibus etiam ejus ſoror & uxor Bellona, alias Enyo dicta, præfecta eſt.

Heſ. in Theog. v. 456. Diod. lib. 5. c. 15. Apoll. l. 1. p. 3. c. 1. §. 3. Pauſan. l. 8. p. 242.

NEPTUNUS cum fratribus, Jove & Plutone, de regno Saturni patris expulſi disſidens, ſortium jactu loca inferiora marina accepit, ſicuti Pluto mediterranea, & Jupiter ſuperiora: Ideoque Deus maris creditus fuit, multarum Nympharum ſtuprator, multarum pater: innumero Deorum marinorum cœtu ſtipatus.

Heſ. in Theog. v. 938. Pauſan. l. 8. p. 150. Apoll. l. 3. de Deor. Orig. p. 169. c. 10. § 22 Aug. l. 18. de Civ. Dei c. 8. Lactant. l. 1. Inſtit. cap. 11.

MERCURIUS tandem, verſipellis ille Fur, alioquin Vertumnus dictus, quia Vulcano inſtrumenta fabrilia, Veneri cingulum, Jovi ſceptrum ſurripuit, & tanquam ab ectus ſordidisſimusque homuncio, cœnaculum Deorum verrere, curiam ſternere, mandata deferre conſvevit, mendacisſima illa ἀποθεώσει receptus eſt in ſedem & concilium Deorum, non minorum, non medioxumorum, ſed ſummorum: qvorum conſesſum, quod diximus, ingredi non auſi ſunt nec JANUS pater ille Latii primus, nec SATURNUS, qui Janum docuit agriculturam & humanitatis artes, primusque inter mortales (quantum Græci ſemper pueri & hiſtoriarum antiquarum ignari norunt) regnavit, nec PLUTO, totius Orci Monarcha, nec LIBER pater, præ omnibus fere diis à gentibus cultus, nec COELUS ſeu Uranius, ipſius Saturni, adeoque Jovis & omnium Titanum pater, nec denique MENS, nec FELICITAS, nec HONOR, nec CONCORDIA, nec VIRTUS: quæ tamen omnia pro Diis habuerunt. Hanc de Diis ſelectis narrationem veram & hiſtoricam, ut & reliqua poetarum figmenta, ad Philoſophicam rationem tranſtulerunt Stoici, artifici-

cio

cio qvidem ſubtili, ſed nullatenus ſibi conſtanti, uti patet ex tota Natalis Comitis Mythologia. In fictis vero hiſce numinibus confutandis egregiam operam locarunt Lactantius, Auguſtinus, Arnobius, & acerrimus humanæ dementiæ riſor Lucianus. Quibus confer operoſisſimum Syntagma Lilii Greg. Gyraldi de Hiſtoria Deorum XVII. libris comprehenſum.

LXXVII. Sic igitur video, nullum eſſe inter majores illos gentium Deos Conſentes, qui non inter homines homo quondam, & quidem ſatis turpiter vixerit, ſed deinde per ſtultam ἀποθέωσιν rebus ſoli DEI nutui ſubjacentibus præfectus ſit: ſed nunquid fictis iſtis numinibus Satanas cœtum ſuum certis legibus ad virtutem aſſvefecit?

Eja bonum nomothetam! Quod ſi recta ratio quandoque gentibus non præluxiſſet, cujus uſum pasſim monſtrarunt ſaniores Philoſophi & Latores prudentisſimi, nec tantillum honeſtatis inter mortales extra Eccleſiæ gremium ſuperfuiſſet. Multis enim rationibus Auguſtinus lib. II. de Civ. Dei c. V. & VII & XXII. probat, Deos præcepta probitatis nunquam dediſſe, ſed in ſacris turpia quæqve celebrari jusſiſſe, ita, ut ſenatus tandem ipſe, cui diſplicuit furor bacchantium, ſenſerit, quid immundi ſpiritus, dum pro diis habentur, in hominum posſint mentibus, ceu idem loquitur. lib VI. cap. IX. Suggeſſerunt enim, inter ipſos Deos frequentata adulteria & furta, ut docerent, eos hominum ſcelere conſimili offendi non poſſe. Cogita quæſo, & ſi caſtitas aurium permittit, audi turpitudinem LUDORUM SCENICORUM in quibus regnaverunt figmenta poetarum, inque quibus populus adulteria Jovis, furta Mercurii, ſcortationes Veneris, reliqva reliqvorum deaſtrorum ſcelera à mimis didicit. Cur quæſo? Immundi ſpiritus juſſerunt, & ſi omisſi eſſent ludi, in populum graviter animadverterunt. Qvo conſilio? Simulabant illis Numina placari. Populus igitur ſibi quoque ſimilia imitanda eſſe ſtatuebit, cum hanc petulantem & impudentem, totq; ſceleribus & neqvitiis diſtentam religionem Deos placare crederet. Qui tamen ſcenæ ſuam operam locabant, ipſosque adeo religioſarum fabularum actores, laudanda Romanæ virtutis indoles dignitatibus arcuit, tribu movit, agnovit turpes, fecit infames. Recte igitur Cyprianus ad Donatum: Adulterium diſci-

Leg. Arnob. contra Gent. Minut. Felic. Lact. & Euſeb. de præp Evang. qui hoc argumentum prolixè tractant.

diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ autoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Confer Auguſt. lib. II. de civ. Dei c. IIX. & XXVII. & l. IV. c. XXVI. Primum vidimus impietatis apud gentes fomentum; ſequitur alterum: BACCHANALIA videlicet, qvæ ipſo Varrone teſte, à bacchantibus, nonniſi mente motis, fieri poterant, & à thyrſigeris, furore correptis, tanta celebrabantur inſania, ut cum omnis pudor in illis exularet. SCto tota tandem Italia prohibita ſint, ne quod urbis imperiũ Romani virtute qværebant, iſtud Dæmonum nequitia perderet. Primã Bacchanaliorum originem Julius Firmicus in lib. de error. profan. relig. ex variis autoribus recenſuit. Nam cum Junonis impulſu Liberum, Jovis ex pellice filium, Titanes peremiſſent, adhuc puerum, reliqua quidẽ membra dentibus diſcerpta deglutierunt, ſed cor abjectum Jupiter dicitur imagini, ex gypſo plaſtico opere factæ, incluſiſſe, & pro tumulto templum exſtruxiſſe, eiqve Silenum, Liberi quondam magiſtrum & Pædagogum præfeciſſe Sacerdotem: Cujus ductu Cretenſes poſtea annua Liberi ſacra trieterica conſecratione obierunt, omniaqve, qvæ puer moribus aut fecerat, aut paſſus erat, tanquam in ſcena expreſſuri, taurum vivum dentibus laniarunt, & per ſecreta ſilvarum clamoribus diſſonis ejulantes, tantum furorem pectoribus ſubito conceperunt, ut non per fraudem agere, ſed per inſaniam crederentur. Sic, Cacodemone autore, a ſerviente plebe Deus factus eſt, qui non potuit habere ſepulturam. Confer Auguſt. lib. VII. de civ. Dei c. XXI. Quid referam horrendum illum, &, ut Herodotus ait, turpiſſimum morem, quo Babyloniæ fæminæ, ut & Cypriæ, ſemel in vita ad fanum VENERIS ſedere conſveverunt, ut hoſpites evocata aliqua, qua libuiſſet maximè, ad libidinem abuterentur, injecto prius in ſinum argento? Quid de illo cultu Veneris turpiſſimo dicã, qui apud Euſebium lib III. de vita Conſtantini legitur? Qvid Alexandrinorum deſcribam dementiam, qvi, ut Ruffinus teſtatur l. 2. c. XXV. uxores commodabant Tyranno, SATURNI ſacerdoti, ad lubitum ſtuprandas? Quid Naſamones, & modernos Calecutios in theatrum producam, qvorum ſponſæ cum ſingulis convivis prima nuptiarum nocte coeunt? Qvis patienter audiet, ſi de PRIAPI ſeu MUTINI & ITYPHALLI cultu aliqvid adjiciatur? Teſtatur Diodorus, Oſiride Ægyptiorum Rege ab impio fratre Typhone ejusqve conſciis interfecto, ejusq; cadavere in fruſta diſſecto, & præter virilia, qvæ nemo voluit recipere, aſportato, Iſidem, uxorem Regiam, bello fœderatis illato, membra iis reliqua extorſiſſe; virilia

autem

autem, cum reperiri non poſſent, templo ſacraſſe, quibus, qui initiandi ſacris erant, prima ſacra facerent; ſponſæ etiam immani priapo inſidentes, primum virginitatis florem Dæmoni delibarent. Nec illud ſatis: ſed & turpiſſimam pudendorum imaginem per agros in ſuis Ambarvalibus circumlatam in medio foro matrona ſpectatiſſima coronare jubebatur. Aug. lib. VII. de Civ. Dei cap. XXI. Sic & in SACRIS ELEUSYNIS CERERIS non oſtenſum ſaltem, ſed & cultum fuit membrum muliebre. Nã qvia, ſecundum Arnobium, Baubo vetula Cererem, de Proſerpinæ raptu triſtem, ad riſum inflexerat, cum eam partem corporis, quæ ſexum fœmineum à viris diſcriminat, feciſſet ſumere habitum puſionis, obſcœnitatem eam nefandam in ludis Cereris ſecretioribus annuatim imitari oportuit. Bellam ſane religionem! Sed qvæ tandem illa inſania eſt, qva quædam Herculi ſacra fecerunt, quæ non εὐφημίᾳ, ſed maledictis & exſecratione celebrabantur, ſevera lege interpoſita, ne cuiquam vel imprudenti bonum verbum excideret? Qvanqvam autem hæc omnia talia ſunt, ut ad ea humana mens nondum prorſus emota, obſtupeſcat, majorem tamen adhuc obſcœnitatem prodidit Cacodæmon, cum ſacra Magnæ Matris Deûm miſeris mortalibus imperaret.

LXXIIX. Memini, me de turpi Magnæ Matris Deum cultu audiiſſe: Sed quia ſemel hanc ſalebroſam provinciam ingreſſi ſumus, & illa ſacra, utut ſatis turpia, deſcribi mihi velim.

Recenſebo primum ex Arnobio lib. V. hiſtoriam, ut rideas; deinde Roſin. lib. 4. ipſa ſacra ex Auguſtino lib. VII cap. XXVI denudabo, ut impudentiam Antiq. cap. 3. Satanæ deteſteris. Ex Agdo, petra Phrygiæ, petitos eſſe à Deucalione & Pyrrha lapides ferunt, ex quibus & cœteri mortales, & Magna Mater formata ſit. Salaciſſimum verò Jovem hanc ſomno conſopitam ſtuprare conatum cum obluctaretur fœmina, petram imprægnaſſe, quæ mugitibus prius multis editis (riſum teneatis amici) enixa ſit Acdeſtin, robore invicto & ferocitate animi intractabilem, inſana libidine ex utroque ſexu, qui in eo concurrebat, ardeſcentem, terras, cœlum, ſidera, Deos aſpernantem. Deos hanc novam ſobolem compeſcere nequiviſſe, donec Liber Pater Acdeſtin vino & ſomno ſepeliret, & dormientis pedes ad genitalia robuſto fune alligaret. Sed illum vi meri ſolutum, & adducente nexus planta ſuis ipſum viribus virilibus ſe privaviſſe. Natum deinde eſſe ex cruore pomum punicum, quo Nana, Sangarii fluminis filia,

lia, in ſinum repoſto, imprægnata ſit, & cum ſtupri inſimulata à patre ad mortem & inediam condemnaretur, à Matre Deum pomis ſuſtentata, ATYN peperit, qui non ſaltem cum avia Matre Deûm, ſed & Acdeſti patre, muliebria adhuc habente, clandeſtina & inceſtuoſa conſvetudine uſus, tandem gener Peſſinuntii regis Midæ adſcitus ſit. Deûm vero Matrem, cum nuptiæ celebrarentur, muris oppidi clauſi capite ſublevatis cum Acdeſti ingreſſam, convivis nuptialibus, adeoque ipſi Aty furorem incusſiſſe; illum vero furiarum plenum, genitalibus ſibi deſectis, fato functum occubuiſſe. Abſciſſa quæ fuerant, Matrem Deum legiſſe, iisq; veſte tectis terram injeciſſe, cruoremque profluentem in violam convertiſſe; Acdeſtin vero, ne membra Atys putreſcerent, utque digitorum minimus viveret ſemper, & perpetuo ſolus agitaretur motu, à Jove impetraviſſe, corpusque ejus in Pesſinunte ceremoniis annuis conſecraſſe, & Sacerdotum honoraſſe antiſtitibus, Gallis ſcilicet abſcisſis, ſeu, ut vocat Tertullianus, Archigallis, qui tympanorum pulſu & inſana membrorum jactatione, crepituque cymbalorum, omni pudore poſthabito, utroque ſexu inſpectante, quotannis Atyn, Acdeſtin, & Magnam Deum Matrem in ſceleratisſimam ſcenam introducerent, & ſuis ipſi virilibꝰ litarent. Sic igitur, ut recte cenſet Auguſtinus, vicit Matris Magnæ omnes Deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis. Et monſtro huic jam non monſtroſitas comparatur, quod tot Jovis ipſius vitia & tanta ſtupra non vincunt. Longè plures & Dæmonum & Antiſtitum fraudes congerere poſſem, ſed qui tandem finis foret, cum finem impietatis Satan non faciat? Unam ecce Paulinam, fœminam innoxiam, a Mundo quodam per Iſidis & Anubidis ſacerdotes ad ſtuprum vocatam, ut Joſephus lib. XIIX cap. IV. fuſe teſtatur.

LXXIX. Deſine quæſo turpia Deorum apud gentes ſacra detegere, necubi pudicum inter Chriſtianos animum ipſa offendant turpitudine.

Deſinam, ſi prius artes Spirituum malignorum ex Lactantio explicuero. Cùm, inqvit ille, Dæmones ſint proditores hominum, cuſtodes tamen ſe videri volunt, ut ipſi colantur, & Deus non colatur. Per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia inſidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent. Adhærent ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi Geniorum nomen aſſumunt, & homines multis malis co-

gent ad ſua auxilia decurrere. In templis etiam ſe occulunt infidelium, & ſacrificiis præſtò ſunt, eduntque ſæpè prodigia, quibus obſtupefacti homines fidem commodent ſimulacris divinitatis ac numinis. Hinc, ne fallacium miraculorum exempla tibi invideam, augur cotem novacula incidit: Hinc Juno Veienſis migrare ſe Romam velle reſpondit: Hinc Claudiæ manum navis hactenus immota ſecuta eſt: Hinc ſerpens Romam peſtilentia liberavit, Epidauro accerſitus: Hinc extiſpicum augurum & aruſpicum ſuperſtitio multis impoſuit, ſuis nonnunquam præſagiis inclareſcens: Hinc denique quæ diabolus aut ex prophetarum prædictionibus, aut ex fatali periodo regnorum & rerump. aut ex præſenti rerum ſtatu ſtudiisque & conſiliis hominum, & aliis ex natura depromptis conjecturis prænovit, ea per oracula, licet ſatis ambiguè, tamen ad ſtuporem usque conſulentium reſpondit. Idem non inter incredulas ſaltem gentes, ſed & (infandum!) in ipſis Chriſtianorum cœtibus morbos ſæpè inflixit, & citra pharmacorum opem ægrotis ſubvenit. Per obſeſſos quoque, afflatos, ecſtaticos, & λυκανθρώπους, & olim mira fecit atque prædixit, & nunc quoque regnum ſuum ampliat. Obſeſſos voco, qui intra ſe pectori ventrive incluſos ſpiritus fatidicos premunt, ἐγγαστρίμυθοι, πυθῶνες & δαιμονιόληπτοι: Afflatos, qui non ab inſitis ſpiritibus reguntur, ſed fatidica mente imbuti, ceu per afflatum, divinitus futura prænunciant, ἐνθουσιασταὶ & ἐκστατικοί: Ecſtaticos, qui velut extra ſeſe rapti, omnique ſenſu & motu privati, tandemque expergefacti, ad quæſita reſpondent: Lycanthropos denique, quales ſunt in Livonia, Finlandia, Lappionia, & vicinis regionibus, qui credunt, ſe verti in lupos, & luporum ſpecie, pererratis campis, in obvia quævis ſæviunt. Quorum & Pilappiorum, omniumque, qui cum Dæmonibus exitioſa fœdera inierunt, hiſtoriam Peucerus in comm. de divin. Wierus, & alii eleganter pertexerunt. Quid vero dicam de Magis, illis initiatis diaboli miniſtris, qui generis humani hoſtem aut cryſtallo, aut ſpeculis, aut annulis, aut denique ſignatoris ſeu figuris inciſis ad ſignum horoſcopans, vel certam planetarum conſtitutionem factis, incluſum circumferunt, & reſponſa ab illo petunt? Quid de incantatoribus, veneficis, præſtigiatoribus? Quid de Attinganis ſeu Zigeunis? Quid de ſortilegis & Geomantiæ magiſtris? Quorum omnium tot nomina, tot artes cum legimus, non immerito, quod Virgilius de Alecto, nos de ipſo uſurpamus Satana:

Tibi nomina mille,

Mille nocendi artes.

Μυριοτεχνίτης ſcilicet non uno modo ſeducit homines. Ægyptiis ſexcentis ſexaginta ſex generibus ſacrificiorum & feſtorum impoſuit: qvot Romanis, vix computare licet.

LXXX, Proh DEUM immortalem! Tantumne Feſtorum numerum apud Ethnicos inventum eſſe? Sed num præcipua mihi enarrare potes?

Roſin. lib. 4. Antiq. Roman. cap. 4.

Adonia, ut hinc exordiar, menſe Junio adornabantur, in memoriam Adonidis, Bibliorum & Cypriorum regis filii, ob formæ excellentiam à Venere in delitiis habiti: quem cum inter venandum aper percusſiſſet, mulieres planctu annuo ejus memoriam celebrabant, &, ſi Luciano fides eſt habenda, fluvius Adonis, qui ex monte Libano profluit, rubebat, quoties planctum mulieres repetebant. Agonalia dedicabantur Jano; Agrionia laudes Bacchi ænigmatibus & gryphis ingerebant; In Alectoriis pugnabant ex inſtituto Themiſtoclis galli gallinacei; In Alexandriis Alexandro libabatur; In Amariſiis & Artimiſiis & Elaphiboliis Diana canebatur; In Ambarvalibus, arvis luſtratis, ter circa ſata chori ducebantur; In Annis perennis memoria Annæ, ſororis Didonis, quæ in aqvas ſe præcipitem dederat, cantu potuque celebrabatur; In Anacæis Caſtor & Pollux invocabantur. Ancilia, ſeu Mamuralia, ſeu Saliorum Feſtum, & Martiales ludi, ob peltam de cœlo delapſam, in qua Romanorum fata legebantur, procesſione & tripudio ſolemni, inſtituebantur. Sacra erant Angeronalia Deæ ſilentii; Antheſphoria Proſerpinæ; Baccho Antheſteria, Liberalia, Myſteria Magni Bacchi, Dionyſia, Lenæa, Bacchanalia, Aſcolia, Coum feſtum, Lagenophoria, Lampteria, Homophagia. Apaturia ſacrabantur puerorum examini, cum in ſodalitates recipiebantur; Aphrodiſia, Erotidia & Veneralia Veneri; Apollinares ludi Apollini; Areja Marti; Aſclepia Æſculapio. Porrò in Boedromiis cum exclamatione celebritatem excurſioni ſimilem adornarunt: In Bonæ Deæ feſto ſolæ mulieres, quas caſtas eſſe oportebat, ejectis maſculis, ſacris non eliminandis, noctes jocis & cantibus conſumpſerunt; In Borealm s Boreæ venti ſecund or aura implorabatur: In Buphoniis & Dypholiis, ſeu Diaſiis, bos mactabatur, & enſis qvo cæſus erat, accuſabatur In Cabirorum, Dæmonum Thebanorum, orgiis ea, quæ nefas erat eloqui, agebantur:

In

In Canephoriis virgines nubiles in caniſtris fructuum primitias, & ſuppellectilem acupictam, ſive Baccho, ſive Dianæ ferebant: In Carmentalibus matronæ pro jure carpentorum & vehiculorum; ſibi à Senatu indultorum, gratias Carmentæ Evandri matri agebant: In Caprotinis Nonis, ſeu Populifugiis, ſeu Feſto Ancillarum, quæ ſingulari aſtu à Latinis victoriam Romanis pepererant, ancillæ ſplendide comtæ vagabantur: In Cereris Myſteriis, Ludis Cerealibus, Sacris Eleuſyniis, Theſmophoriis, & Demetriis, ſacris itidem non evulgandis, Ceres Proſerpinam raptam quærens, turpiſſimis ceremoniis introducebatur. Chalcea ſeu Vulcanalia Vulcano erant dedicata; Chariſtia mutuo agnatorum conventui; Charmoſyna lætitiæ; Chelidonia hirundinum adventui; Compitalia Laribus & geniis placandis; Concordiæ feſtum quieti publicæ. Conſualia Conſo, Deo conſiliorum, tunc ſunt ſacrata, cum Romulus Sabinorum uxores & virgines rapuiſſet. Præterea Colitiæ ad celebrandam turpitudinis Deam placentis ad diripiendum propoſitis, feſtive traducebantur: Dædalia Junonem Jovi & ligneæ ejus pellici iratam exhibebant: Delia labyrintheis erroribus juventutem oblectabant: Diamaſtigoſis ſeu Flagellatio ad Aram Dianæ adoleſcentiam flagellis probabat: Epheſtria Tireſiam pro voluptate fœmineæ Veneris dicentem introducebant: Equiria ſeu Hippodromia eqvos curſu certantes in Martis honorem educebant: Faunalia agreſtes ſaltantes in ſcenam producebant: Feralia manibus mortuorum placatis, juſta defunctorum umbris ſolvebant: Floralia ſeu Laurentinalia laſciviam in honorem ſcorti impudiciſſimi Laurentiæ imperabant: Fordicidia bobus prægnantibus, ut annus fœcundior proveniret, cædem offerebant: Fornacalia frumentis ſolenniter torrendis dedicabantur: Fortunæ quoque ſacra fiebant, Forti quidem, à plebe; Muliebri à fœminis. In Gymnopodiis ſeu Nudipedalibus laudes Deorum nudis pedibus cum tripudio cantabantur. In Harpocratis feſto illud (γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων) canebatur. In Hecatombæis centum victimæ Diis offerebantur. In Hephæſtiis ſeu Lampadophoriis cum accenſis facibus in honorem Vulcani curſu certabatur. In Heræis ſeu Tonæi, Juno colebatur; in Heracleis & Lignapeſiis Hercules. In Hermæis Mercurio dicatis Domini ſervis convivantibus miniſtrabant. Hilaria publicis feſtivitatibus; Hippocratia Neptuno; Hyacinthia puerorum & virginum inſerviebant luſibus; Hybriſtica, ſeu contumelioſa ſacra mulieres ob victoriã qvandam, apud Argivos per mulieres partam inſolentes per luſum, ac petulantes in maritos faciebant.

Hydrophoria eorum, qui diluvio Attico periere, memoriam recolebant. Hyſteria ſuem Veneri immolabant. Quid dicam de variis feſtis Jovi Invicto, Liberatori, Victori, Statori, Sancto, Fidio, dicatis? Quid de Panegyribus plurimis reliquo Deorum cœtui ſacratis? ſic Juvenalia hiſtrionicis actionibus celebrabantur poſt elapſa Saturnalia pro ſalute Juvenum: Junonalia pro Junone placanda; Laphria ſeu Munychia pro Diana conciliandа: Latinæ feriæ pro univerſo Latii populo, in honorem Jovis Latiaris convocando. Lectiſternia convivia publica Diis apparabant; Lucaria populum in Aſylum à Romulo apertum cum pompa recipiebant. Lupercalia, Lycæa, & Megalartia nudos Juvenes per urbem diſcurrentes & quosvis obvios per luſum verberantes in honorē Panis emittebant. Mæmacteria Jovialium imbrium impetum ſedabant. In Matraliis Matutam Deam matronæ; In Matronaliis matronas viri exornabant muneribus. Meditrinalia vetus novum vinum, ad veteres novos morbos prohibendos, porrigebant. Imprimis Megaleſia ſeu Magnæ Matris Deum feſtum, Sacra etiam I[illegible]ra & Mytroa dicta, & ſolennitate & obſcœnitate conſpicua fuerunt. Ipſæ etiam meretrices feſtū in honorē Veneris menſe Aprili ſortitæ ſunt. Sed nondū ſeries idololatriæ finita eſt. In Nemeis ludis imagines majorum præferebantur, & curſu certabatur; In Neptunalibus, & Panioniis, ſeu Poſidoniis, gratiæ Neptuno à nautis dicebantur. In Novennalibus & Thargeliis Apollo ob Pythonem interfectum à Delphis novem diebus cantabatur. In Numeniis fœminæ virorum, & hi illarum veſtibus prodibant. In OEniſteriis ephebi comam poſituri libabant Herculi. In Opaliis Deam Opem, Saturni conjugem, ſedentes terra tacta colebant. In Oſchophoriis pueri ramum oleaginum variis fructibus onuſtum portabant; In Paganalibus agreſtium, certum numismatis genus in ſingula capita conferentium, numerus inibatur; In Paliliis urbis Romæ natalis celebrabatur; In Panathanæis & ingenio & corpore variis modis certabatur; in Periphalliis ſeu Phallagogiis Priapus circumferebatur; in Phageſiis & Phageſipoſiis genio indulgebatur; In Pithœgiis ſeu Vinalibus vina nova convivio adornato guſtabantur; In Prometheis lampas curſu tradebatur; In Pyanepſiis in memoriam Theſei EIA & HEU miſcebatur; In Quinqvatriis Minerva ſeu Pallas quinque diebus colebatur; In Quirinalibus Romulus canebatur; In Regifugio libertatis per Junium Brutum partæ Romani recordabantur; In Robigalibus Deæ Rubigini, ut ſegetibus parceret, ſupplicabant; In Saturnalibus & Sigillariis ſervos Domini convivio permutatis veſtimentis, excipie-

piebant, & munera ſibi invicem mittebant. In Solitaurifiis quinto qvoque anno Cenſor urbem expiabat, mactatis cum tauro ſcropha, hirco & ariete. Vocabantur etiam Taurilia in honorem Deorum inferorum celebrata. Erant porro Terminalia, in quibus amburbiales hoſtiæ circum terminos Urbis, in honorem Termini DEI, ducebantur; Theoxenia, qvibus omnium communiter Deorum feſtum agebatur: Theſmophoria Cereri, & Veſtalia Veſtæ dicata. Quibus omnibus ſi adjicerem varia feſta Genethliaca & Gamelia; varias Calendarum, Iduum, Nundinarum & Neomeniarum ferias: Ferias etiam privatas; jejunia, ſupplicationes, luſtrationes, expiationes mortuorum, parentationes, ludos publicos, qvando tandem nugis finem imponerem?

LXXXI. O dolos! O fraudes Satanicas! adverſus quas ſi Orcus crudelitatem fraudibus parem exeruit, quis apud Gentes Chriſti ignaras conſiſtere potuit?

Hæreo ſanè animi, crudelitate magis fuerit efferatus Satanas, an fraudibus occultatus. Nulla alia hoſtia, quam humana, litari nonnunquam volebat, quaſi cruoris humani repletus tum demum propitius eſſet, cum maxime læſiſſet, ceu loquitur Polyd. Virg. lib. V. de inv. rer cap. IIX. Molochum revoca tibi in memoriam, quem quæſt. LXIIX deſcripſimus. Tireſiæ & Calchantis hiſtoriam tecum reputa, quorum ille Thebanis ſtipulabatur victoriam, ſi Creontis filius mactaretur; hic Græcos, ſucceſſum in evertendo Ilio quærentes, filiam Agamemnonis Iphigeniam immolari juſſit. Sic Delphicus Dæmon, lue in Ionas graſſante, placari noluit, niſi Menalippus & Cometho, illicita in templo Venere perfruiti, Dianæ ſtatim, & poſtea annuatim juvenis & puella venuſtisſima ſacrificaretur. Ariſtodemi hiſtoria, qui ſuam ipſius filiam, quam amator ut liberaret gravidam dixerat, diſſecuit notior eſt, quam ut recenſere illam opus ſit: In Latio quoqve primis temporibus eodem ſacrificii humani genere cultus eſt Saturnus, non qvidem, ut homo ad aram mactaretur, ſed ut in Tiberim de ponte Milvio mitteretur. Quem morem Hercules tandem abrogavit, rogata lege, ut pro veris hominibus jacerentur imagines ex ſcirpo: quem Brutus apud Romanos imitatus cum Maniæ Larium matri, conſuevillent pueri in victimam offerri, non pueris, ſed capitibus allii & papaveris ſupplicari juſſit, ſatisfactum putans oraculo, qvod reſponderat, capitibus pro capitibus ſupplicandum. Eadem pruden-

dentia uſi ſunt Thebani poſterioribus ſeculis, qui in compitalibus non humano ſanguine ſacra polluebant, ſed pilas & effigies viriles & muliebres ex lana in compitis ſuſpendebant laribusque tot pilas, quot eſſent ſervorum capita, & tot effigies, qvot eſſent liberi, noctu pro victimis dabant, ut ſi quod periculum familiæ immineret aut triſte fatum, hoc ſacrificii genere expiarent. Carthaginenſes itidem, ab Agathocle rege Siculo victi, cum iratum ſibi Deum putarent, ducentos nobilium filios ad aras ceciderunt. Athenis, Socratis adhuc ætate, immane ſacrificium, qvo Minoi ex utroque ſexu lectisſima VII corpora mittebantur, frequentabatur. Apud Cretenſes Jovi, apud Tauros & Phocenſes Dianæ, apud Chios Dionyſio ſeu Baccho, apud Heliopolitanos Junoni, Marti apud Lacedæmonios & Melanchlænos & Scythas, apud Rhodios & Phœnices Saturno, apud Gallos, ut eſt apud Lucanum, Heſo & Teutati, apud Cyprios Palladi, apud Arcades Pani homines immani auſu immolati ſunt. Quid ad hæc omnia aliud dicam, quam quod olim Qvintilianus, ipſe gentilis, teſte Lactantio lib I. de falſa religione, dixit: Etiamne hæc ſacra ſunt? Nonne ſatius eſt, pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam prophanos, tam ſanguinarios colere?

LXXXII. Qvid autem ſanior ratio in Philoſophis Gentilibus ad hæc Satanæ ludibria & hos furores?

Korthold. de Philoſ. Gentil. & eor. Sectis.

Id ſupra jam diximus ſect. I. quæſt. XXXVII. Interim nota, non ſolum LLatores pasſim prodiiſſe, ſed & ſcholis apertis ſapientes extitiſſe, qui qvomodocunque legem naturæ inculcarunt, ne cura honeſtatis impurorum ſpirituum artibus prorſus aboleretur. In Gallia enim tempore Iſaaci Patriarchæ collegium Druydarum, qui de omnibus controverſiis judicarunt, & cives ad probitatem aſſuefecerunt, inſtitutum eſt. In Perſia Magi; In Germania Semnothei & Hylobii; In Gothia Parabuſcei; Gymnoſophiſtæ & Brachmanes in India; In Syria & Ægypto Chaldæi; In Græcia Sophi, deinde Philoſophi dicti, floruerunt. Primus Atlas Maurus ex Libya artes Philoſophicas, & inter eas Aſtronomiam, in Græciam temporibus Joſephi detulit. Cujus frater Prometheus, cum feritatem hominum in humanitatem, & imperitiam in ſcientiam transfiguraret, homines condidiſſe dicitur. Cadmus deinde literas in Græcia ex Phœnicia allatas docuit: poſt quem Linus à diſcipulo Hercule tandem interfectus, agreſtes manſvefecit, & inter alia cecinit, Deum omnia poſſe, nihil ei eſſe impoſſibile:

ῥάδια

Ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

Linum Muſæus, & hunc Orpheus, Muſicus ille & Theologus Argonautarum flexanimis, excepit: Cui ſuffragabatur Amphion cithara & cantu ſaxa, id eſt, ſaxea corda attrahens, & Tireſias cœcus, qvem ſolum dixit Homerus ſapere. Hos cœtus ille medicorum comitabatur, Apollo, Æſculapius, Chiron, Centaurus, Podalirius, & Machaon. Circa tempora Salomonis in Græcia floruit Poetarum princeps Homerus, in fabulas qvidem more poetico pronus, unius tamen DEI, qvi Rex ſit omnium reliqvorum Deorum, non prorſus ignarus. Hunc circa initium Olympiadum (qvod incidit in annum Mundi MMMCLXXIX.) excepit Heſiodus, poeta de virtute, juſtitia & pietate egregiè philoſophatus. Seqvuntur Archilochus & Simonides, qvorum hic Philoſophiâ, ille Satyris mortalium turpitudines inſectatus eſt. Ab his usqve ad VII. Sapientes Græciæ multi Poetarum numerantur, Tyrtæus claudus, milites in bello Meſſeniaco ad animoſitatem carmine exhortatus; Teleſilla ob Argos, qvos patriam habebat, ab obſidione liberatos ſtatua honorata; Alcman, Alcæus & Ibycus lyrici; Arion Muſicus; Steſichorus, qvem impuri Dii, cum Helenæ impudicæ facinora detexiſſet, excæcarunt, & palinodiâ cantata viſui reddiderunt; Mimnermus; Cradias; Sappho tandem Lesbia. Ipſi autem Græciæ Sapientes, qvi paulò ante captivitatem Babylonicam floruere, Thales Mileſius, Solon Salaminenſis, Periander Corinthius, Cleobulus Corinthios, Chilo Lacedæmonius, Bias Prienæus, Pittacus Mitylenæus, qvo alio nomine feruntur, qvam qvod vulgum à Dæmonibus ſeductum abominati, civitates certis legibus, qvarum nullam curam Dæmones habuerunt, obſtrinxere, & ob id ſapientum nomen meruere? Σύγχρονοι eorum fuerunt Pherecydes Syrus, qvi ſine præceptore lectis Phœnicum libris, dubio procul ſacra Hebræorum tractantibus, eruditus, deos, qvos ſtulta gentilitas finxerat, contempſit; Anacharſis Scytha ſapiens; Theognis & Phocylides poetæ Ethici, ipſoqve Anacharſide ſapientior Myſon, & Æſopus fabularum laude inſignis; Epimenides etiam inſignis Aſtronomus, qvem ob id à Luna adamatum fingunt, egregius ſepulti Jovis contemtor, ſomno LVII. amplius annis conſopitus, ut Laertius teſtatur.

Diogen. Laert. & Eunap. de Vit. Philoſ.

LXXXIII. Qvia commodè in hiſtoriam eorum, qvi cœtum malignantium ex lumine naturæ correxerunt, dilapſus es, perge qvæſo, & qvis poſt

 tem-

tempora VII. Sapientum Græciæ mortales ad virtutem extra Eccleſiam duxerit, declarato.

Pythagoras Samius, qvi Ægyptios & Chaldæos audierat, & à nonnullis patre Judæo natus creditur, ſcholâ in Italia Tarenti adornata, multas Judæorum leges in ſuam ſectam tranſtulit, & egregius temperantiæ Magiſter ad veriorem & ſolidiorem veritatem cives deduxit. Cui Phyſici & Philoſophi nobiles in contemnendis fictis numinibus conſenſerunt, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras (qvi dictus fuit νᾶς καὶ ἀγέλαςος, qvia Deum docuit eſſe mentem æternam, & nunqvam riſui indulſit) Zeno, Xenophanes, Archelaus, Empedocles, Protagoras, Meliſſus, ut & Heraclitus, omnia, adeoqve ſuperſtitionem populorum fletu deteſtatus, & Democritus omnia falſo riſu proſecutus. Hi omnes mentem æternam totius mundi naturæqve architectricem, primam rerum & infinitam immobilemqve motricem agnoverunt, ſtipatiqve fuerunt ſuis poetis Epicharmo, Comico, Anacreonte, Pindaro, Ariſtophane & Æſchylo; Euripide & Sophocle Tragicis: Qvibus adde ſυγχρόνες Herodotum & poſt illum Thucydidem, Xenophontem, Cteſiam Hiſtoricos; Hippocratem Medicum; Periclem Iſocratem Demoſthenem Oratores. Seculum enim hoc, qvo LXX. anni Babyloniæ finiti fuerunt, & bellum Peloponneſiacum in Græcia magnis armorum & animorum motibus gerebatur, ingeniorum fuit feraciſſimum. Extitit enim Socrates poſt cœteros ſupra nominatos, illud mundi lumen, ejusqve diſcipulus Plato divinus, & Platonis auditor admirandus Ariſtoteles, Alexandri M. Præceptor. Poſt qvem literæ ſub Speuſippo & Xenocrate, ſucceſſoribus Platonis, & Thephraſto Ariſtotelis ſuffraganeo, ut & deinde ſub Pyrrhoniis, Scepticis, Stoicis, veteribus & novis Academicis floruerunt: ab ipſo etiam Epicuro non tam obſcœno & voluptuario, ut depingitur, incrementa ſumpſerunt, & à poetis Menandro, Theocrito, Callimacho, & plurimis aliis, tamdiu excultæ fuerunt, donec in Italiam transmigrantes, ſceptrum Romanum jam toti terrarum orbi terribile exornarent & armarent. Ennius

primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

& tempore belli Macedonici ſecundi fatis concedens, poſt ſe in Italia reliqvit ſummos Poetas, Oratores & Philoſophos, qvos ſi recenſere vellem.

lem, à norma methodi noſtræ aberrarem. De iis tamen omnibus audacter aſſerere lubet, vix dari aliqvem ſive Poetam, ſive Philoſophum, ſive etiam Oratorem, cùm inter Græcos, tùm inter Latinos, qvi non, cum ſeriò loqvitur, agnoſcat DEI unitatem & omnipotentiam, & qvoties joco miſſo ipſam rei veritatem confeſſurus eſt, fictos Deorum exercitus aut rideat, aut adunco naſo ſuſpendat, aut non curet. Hoc tot Philoſophorum de mundi principio primo diſputationes docent, qvarum nulla Deorum meminit, qvi ex mortali ſemine prognati ſunt. Evincunt idem planæ & apodicticæ Ariſtotelis rationes, qvibus IIX. Phyſ. Acroaſ. §. XLIIX. & XLIX. unum eſſe Deum & primum omnium motorem obtinet. Idem deniqve perſvadent tot teſtimonia de Monarchia unius DEI in ipſo gentiliſmo prolata, & à Iuſtino Martyre, Arnobio, Lactantio, Auguſtino, & aliis collecta. Rectè igitur concludit Prudentius in ἀποθεώσει, & nos cum illo:

Conſule barbati deliramenta Platonis:
Conſule &, bircoſus Cynicus qvos ſomniat, & qvos
Texit Ariſtoteles torta vertigine nervos.
Hos omnes qvamvis anceps labyrinthus & error
Circumflexus agat, qvamvis promittere & ipſi
Gallinam ſoleant aut gallum, Clinicus ut ſe
Dignetur præſtare Deus morientibus æqvum;
Qvum ventum tamen ad normam rationis & artis,
Turbidulus ſenſus & litigioſa frugoſis
Argumenta modis CONCLUDUNT NUMEN IN UNUM.

LXXXIV. Et ſic tandem à Moſaica eccleſia ad eam, qvæ eſt N. T. digrediemur.

Puto id commodè fieri, ſi coronidis loco Synchroniſmos præcipuarum epocharum ad intelligendos terminos Chronologicos ſubjunxero, & praxin diverſas æras ſupputandi monſtravero.

TABULA SYNCHRONISMORUM PRÆCIPUORUM.

Annus Chriſti Dionyſianus 16 o. concurrit cum	Cyclo	Solis	15				
		Lunæ	16				
		Indictionis	13				
	Anno	Æræ Græc.	7138	qvi incipit anno	ante conditũ mundum	1559	5508 ante natum Chriſtum
		Period. Jul.	6343			764	4715
		MUNDI	5579			1000	3948
		Period. Jud.	5390			1089	3759
		Diluvii	3923.			1656	2292
		Exitus Ægypt.	3126.		poſt conditum mundum	2453	1495
		Excid. Troj.	2812.			2767	1181
		Templi Sal.	2648			2933	1015
		Olympiad.	2602			3174	774
		V. C.	2380			3198	750
		Babylon. capt.	2229			3349	599
		Nativ. Chriſti	1628			3947	1
		Æræ Dionyſ.	1630			3949.	P.C.n.z.

Ad hanc tabulam intelligendam notandum eſt, qvod Æra Græcorum, qvam à condito mundo ducunt, annis 1559. major ſit, qvàm debebat eſſe. Ideoqve primo anno mundi concipere oportet annum 1559. cum Græci à mundo condito ad Chriſtum 5508. annos numerent.

Periodus Juliana à Scaligero inventa, eſt numerus 7980. annorum, oriturqve ex trium Cyclorum Solis, Lunæ & Indictionum, ſive 28. 19. 15. continua multiplicatione. Qvo intervallo feriæ & novilunia in ordinem redeunt.

Cyclus autem Solaris eſt 28. annorum ad ſerias per literam dominicalem inveniendas.

Cyclus Lunaris eſt 19 annorum, qvibus novilunia ad idem ſerè tempus redeunt, dictus alioqvin numerus aureus.

Indictio eſt ſpacium 15. annorum, qvo exacto ab Imperatoribus tributa à provinciis exigebantur.

Periodus Judaica à R. Hillele circa A.C. 344. inventa eſt, ad methodum

dum Lunæ, Neomenias & feſta Judaica indaganda: quâ hodie perperam Judæi pro epocha mundi utuntur, cùm minor ſit 189. annis.

PROBLEMATA CHRONOLOGICA.

1. Dato anno mundi da annum periodi Juliacæ. Annis mundi addo 764. Sic ad 5579. addo 764. & emerget periodus Jul. anni currentis 6343.

2. Inveni cyclum Lunarem. Addo unitatem anno currenti: Productum (1631) divido per 19. Qvotiens (85) indicat, qvot cycli Lunares à nativitate Chriſti exacti ſint: Reſiduum (16) eſt aureus numerus ſeu Cyclus Lunaris. Vel & periodum Julianam (6343) divido per 19. & reſiduum erit Cyclus Lunaris.

3. Inveni Cyclum ſolarem. Addo 9. ad Annum currentem (1639) Productum (1630) divido per 28. Qvotus (58) docet, qvot cycli ſolares a nato Chriſto exacti ſint. Reſiduum (15) eſt cyclus ſolaris. Vel & divido annos periodi Julianæ per 28. Et reſiduum erit cyclus ſolaris.

4. Inveni Indictionem Romanam. Addo 3. anno currenti; productum (1633) divido per 15. Reſiduum (13) eſt Indictio Romana. Vel & divido periodum Julianam per 15. & reſiduum erit qvæſitum.

5. Inveni annum periodi Judaicæ. Abjicio ab annis periodi Julianæ 953. Vel anno Chr. addo 3760.

6. Ex annis mundi inveni periodum Conſtantinopolitanam ſeu æram Græcorum. Adjicio ad annos mundi 1559.

7. Dato anno mundi da annum Olympiadis. Anno mundi (5579) addo 5. Ex producto ſubtraho 3174. Qvod ſupereſt, divido per 4. Qvotus (602) dat Olympiadem elapſam: Reſiduum (2) eſt annus iſtius Olympiadis.

8. Data Olympiade inveni annum Iphiti, conditoris Olympiadum, ut ſcias, qvot anni ab inſtitutione Olympiadum effluxerint. Datam Olympiadem (602) per 4. multiplico, & producetur annus Iphiteus (2408) reſpondens anno 4. datæ Olympiadis.

9. Ex anno Iphiteo Olympiadum, collige annum mundi. Anno Iphiteo (2408) addo 3173. Et prodibit annus mundi, qvi reſpondebit qvarto anno Olympiadis, & cum anno Iphiteo connexus eſt.

10. Dato anno Christi, periodum Julianam inveni. Addo ad annum Chriſti 4713.

11. Data periodo Juliana, annum Chriſti inveni. Subtraho 473. à periodo Juliana.

12. Inveni qvamdiu Julianum Calendarium duraverit. Addo annis Chriſti 45.

13. Dato anno Chriſti inveni annum mundi. Addo annis Chriſti 3949.

14. Dato anno mundi poſt natum Chriſtum, inveni annum Chriſti. Subtraho ab ann. M. 3949.

15. Dato anno mundi ante natum Chriſtum, inveni qvotus ſit annus ante Chriſtum. Subtraho 3948.

LIBER SECUNDUS,
SECTIO PRIMA
DE ECCLESIA CHRISTI Sub Impp. Ethnicis.
QVÆSTIO I.
Qvæ methodus in eccleſiaſtica N. T. hiſtoria mihi expectanda eſt?

Ut pleriqve hiſtoriam eccleſiaſticam in centurias diſpeſcunt: qvarum ſingulis ſingulos ſive tomos ſive libros inſumunt: ita captui juventutis inſervituri, ad noſtrum de hiſtoriis mundi ſyntagma reſpiciemus. Prima hujus libri ſectione eccleſiam, cœtusqve malignantium ſub imperatoribus nondum ad fidem converſis, ad Conſtantinum usqve Magnum, conſiderabimus: altera, qvid ſub imperatoribus Græcis ad Caroli M. tempora in eccleſia contigerit, enucleabimus: ultima, religionis fata ſub Germanicis Impp. usqve ad beatam doctrinæ evangelii per Lutherum repurgationem, contemplabimur: & hiſtoria ſuperioris & noſtri ſeculi, qvicqvid eſt hoc operis concludemus. Tu precibus noſtrum, adeoqve tuum juvato conatum.

II. *Ut igitur ab ipſo Chriſto, eccleſiæ capite, exordiamur: num, qvæſo, Jeſus Nazarenus eſt promiſſus ille Meſſias?*

Omnino. Nam natus eſt I. ſceptro à Juda nondum ablato, ſed brevi

brevi auferendo *Gen. XLIX, 10.* II. templo ſecundo nondum everſo *Hag. II, 8 Mal. III, 1.* III. è familia Davidis *II. Sam. VII, 16. Jer. XXXIII, 15.* IV. intra ſpatium ſeptuaginta hebdomadum Danielis *Dan. IX, 4.* V. in Bethlehem *Mich. V, 2.* VI. ex virgine *Eſa. VII, 14.* VII. Deus & homo *Jer. XXVI. 51.* IIX. Obmuteſcere juſſit oracula, & idola de terra diſperſit *Zach. XIII, 2. Mich. V, 12.* IX. abrogavit ceremonias Leviticas *Dan. IX, 26. Jer. VI. 16.* X. præcurſorem habuit egregium *Eſ. XL, 3. Mal. III, 1.* XI. ejusdem cum Moſe autoritatis, ſalutiferam & novam attulit doctrinam *Deut. XIIX, 16. Eſ. II. 3. LXXXI. 1. Jer. XI. 31.* XII. pauper & humilis aſinæ inſedit. *Zach. IX, 9.* XIII. multa paſſus & tandem mortuus *Eſa. LIII. Pſalm. XXII.* XIV. aceto & felle, cum doloribus diſtineretur, potatus, *Pſal. LXIX. 22.* XV. veſtimentis in prædam per ſortem dividendis ſpoliatus *Pſ. XXII, 19* XVI. ſepultus, ſed nullam paſſus corruptionem *Eſ. LIII, 9. Pſ. XVI. 10.* XVII à mortuis reſuſcitatus, victoriam in omnibus afflictionibus obtinuit *Eſa. LIII 10. Hoſ. VI, 2.* XIIX. Aſcendit ad cœlos *Pſalm. LXIIX, 19. Mich. II. 13.* & occupavit dexteram patris *Pſal. CX, 1.* XIX. Spiritum S. dimiſit. *Eſ. XLIV, 2. Joel. II, 28.* XX. baptiſmum inſtituit *Ezech. XXVI, 25. Zach. XIII, 5.* XXI. gentes ad eccleſiam novo regno adornato convocavit *Pſalm. LXXII, 5. Zach. II. 11. Jer. XXI. 17.* XXII. Judæis offendiculo fuit *Eſa IIX. 14* XXIII. miraculis doctrinam confirmavit *Eſa. XXV, 3.* XXIV. cœlum, terram, ſolem & lunam prodigiis mutavit *Joel. II, 28. Hag. II, 8.* XXV. exercitum evangelizantem & ſermones Dei annunciantem in orbem emiſit *Pſalm. LXIX, 21. Nah. II, 1. Eſ. III, 7.*

Euſeb. & Dan. Huet. in Demonſtr. Evang.

III. Qvo qvæſo anno mundi natus eſt Chriſtus?

In varias hic itum eſt ſententias, adeò, ut Johannes Wolfius *in lect. mem. cent. 1. quadraginta amplius* opiniones numeret. Nos tuto hactenus Calviſii ſententiam ex principiis Scaligeri adſertam ſecuti, ab eo nec hac in quæſtione divortium faciemus. Annum nativitatis Chriſti iſte ſtatuit à condito mundo fuiſſe MMMCMXLVII. A qvo epocha noſtra vulgata, incipiens ab A. M. MMMCMXLIX. qva numeramus à Chriſto nato cIↄIↄcLVII. cum tamen numerandi eſſent cIↄIↄcLIX. integro diſtat biennio. Qvæ cauſa hujus diſtantiæ, diximus *in ſyntag. hiſt. polit. lib. 1. ſect. 1. q. 7. 8.* Hoc tempore res Romanas pacificus imperator, Octavius Auguſtus, curabat: qvi vires omnium in toto imperio, adeoqve & Judæorum, qvos ad tributum Romanis pendendum jamdudum adegerat Pompejus M. indagaturus ἀπογραφῇ ſeu deſcriptionem, tanqvam bre-

Calviſ. An. 3943. Torniell. A. 4051 Petav. l. 12. de Doctr. Temp. & lib. 5. Ration. cap. 1. p. 265. Chriſtm. in Chronol. p. 351.

via-

viariũ orbis terrarũ fieri curavit, ut vel hac ratione ſummus orbis imperator regi regum inſerviret. Nam non Nazarethæ, qvam incolebat Maria, ex Spiritu S. uterum gerens, ſed Bethlehemi naſci oportuit Meſſiam. Commovenda igitur erat πᾶσα οἰκουμένη, *Luc. II. 1.* ut, qvi Nazarethæ ad annunciationem angelicam conceptus erat, Bethlehemi ad vaticinium *Michæ V, 2.* naſceretur. Qvo qvidem tempore Cyrenius, ſeu Qvirinus, nondum Syriæ præſes fuit: ſed poſt novennium demum, relegato Archelao, Judæam in provinciam redegit, & omnium Judæorum bona in cenſum retulit. Qvam ob cauſam in verbis *Luc. II. 2.* Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: Hebraiſmum nunnulli ſuſpicati, ea ſic interpretantur: Hæc deſcriptio (qvam ſimpliciter primam dici non poſſe autumant, qvum jam ante LX. annos Judæi Pompejo, & deinde Caſſio & Gabinio, cenſum ſolvere conſveverint) prior facta fuit, qvam Cyrenius fieret præſes Syriæ: ſub qvo cenſus deinde non toti orbi, ſed Judæis tantum, & qvidem hac priore longe intolerabilior indictus eſt: cujus etiam Lucas meminit *Act. V, 37.* Sed ſi Cyrenium hoc tempore, qvo in cenſum orbis univerſus redactus eſt, C. Cæſari, in Syriam cum extraordinario imperio miſſo, eſſe additum ſtatuimus, ſimpliciori interpretatione Evangeliſtam intelligere poterimus: & primam deſcriptionem dictam eſſe judicabimus reſpectu ſecundæ, ſub eodem Cyrenio jam præſide habitæ.

IV. Qvem menſem aut diem Chriſtus ſua nativitate dignatus eſt?

Chriſtm. in Chronol. lib. 2. p. 551. Frider. Schaff. Exercit. de Nativ. Chriſti.

Id nec primitiva eccleſia certo novit. Nam Clemens Alexandrinus, qvi vixit circa annum à nato Chriſto CXCV. jam ſuo tempore tres ſententias adverſas recenſet: qvarum prima menſi Majo, altera & tertia menſi Aprili, natalem Chriſti alligant. Qvibus Middelburgenſis conſentire videtur, arbitratus, mundũ & in æqvinoctio verno eſſe creatum, &, Chriſto circa idem tempus IIX. Cal. Apr. nato, reparatum. Tempore Chryſoſtomi in omnibus occiduis eccleſiis eorum conſvetudo recepta eſt, qvi feſtum Chriſti natalitium XXV. die Decembris celebrabant. An vero hoc ipſo tempore natus ſit Chriſtus, adhuc inter doctos diſceptatur. Qvi negant, ceu ſunt Henr. Wolphius, Matth. Beroaldus, Scaliger, Calviſius, & alii, illis tempore Decembris brumali nec cenſus poſſe agi, nec paſtores nocturno tempore in agris commorari videntur.

Arri-

Arridet quampluriṁis ea ſententia, qua Chriſtus ſtatuitur natus in autumno. Quia enim umbram paſchatos ſua paſſione tempore paſchatos; & umbram pentecoſtes in feſto pentecoſtes miſſione Spiritus S. abrogavit; tabernacula etiam circa tempora feſti tabernaculorum erigere. & juxta illud *Joh. I, 14.* ἐν ἡμῖν σκηνῶν voluit; & Zacharias, ex ſupputatione Scaligeri chronologica, cum acciperet nuncium de naſcituro filio Johanne, ephemeriam ſuam juxta leges, à Davide *I. Paral. XXIII. & XXIV.* ſancitas, circa finem Julii, anni Mundi MMMCMXLVI. obiit: hinc concludunt, Chriſtum circa initium Januarii conceptum; & Septembri exeunte natum eſſe: idque eo magis, quia primitiva eccleſia Alexandrina nativitatem Johannis Baptiſtæ XXIII. Aprilis celebravit. Quum enim ille Chriſto ſex menſibus major natu ſit, ſub finem Septembris natum eſſe Chriſtum conjici poteſt.

V. Miror, & iterum demiror, patres in primitiva eccleſia nativitatem Chriſti alieno alligaſſe tempori, ſi vera eſt eorum ſententia, qui Chriſtum in autumno natum eſſe credunt.

Id non adeo mirum eſt, ſi evangeliſtas de hac re nihil annotaſſe conſideras. Unusquisque enim commodum ſibi nativitatis Chriſti tempus confingere potuit. Et quidem plerique natale Servatoris feſtum menſe Decembri celebrabant: non, quod tunc natum eſſe Chriſtum crederent: ſed ut Saturnalia, eo tempore impie celebrari ſolita, hoc feſto abrogarent atque ſepelirent. Aut, ſi crediderunt, Chriſtum ultimo anni menſe eſſe natum, in hanc opinionem inducti ſunt ab iis, qui Zachariam fuiſſe ſummum ſacerdotem, & in feſto expiationis, die X. menſis VII. ſanctum ſanctorum ſubiiſſe, & promiſſionem de filio naſcituro accepiſſe, falſo arbitrantur. Hinc enim colligebant, Baptiſtam, ineunte Octobri conceptum, circa finem Junii fuiſſe natum: & Chriſtum, poſt ſemeſtre ſpatium menſe Martio conceptum, in Decembri ex virgine Maria editum prodiiſſe. Sed tutius mihi videtur, cum eccleſia ſimpliciter tempora concepti & nati Chriſti accipere, quam has ſubtilitates ſectari: præſertim quum rationes, quas ex tempore brumali, quaſi ad cenſum agendum, & ad pecora in agris noctu paſcenda, minus aptum ſit, & quas ex liturgiis & ephemeriis ſacerdotum nectunt, non tantum roboris habeant, ut aſſenſum circumſpecti animi queant elicere.

VI. Tutius & mihi videtur. Tu, hiſce Chronologorum curæ commendatis, ſi placet, quum multa miracula nato Chriſto contigerint, illa uno faſciculo collige.

Eorum aliqua ſunt certa; aliqua non item; nonnulla prorſus falſa. *Certum eſt*, angelum Gabrielem Zachariæ ſeniori ex uxore effœta filium promiſiſſe, & increduli linguam usque ad Johannis Baptiſtæ nativitatem ligaſſe. *Certum*, eundem Mariæ, deſponſatæ virgini, de filio altisſimi concipiendo & naſcituro nuncium attuliſſe, atque Joſephum, ſponſæ utero intumeſcente, ab angelo mandatum de ea in domum recipienda accepiſſe. *Certum*, Johannem nondum natum, ad Domini in utero virginis deliteſcentis præſentiam, vi Spiritus Sancti ſubſiliiſſe. *Certum eſt*, virginem peperiſſe, angelos audientibus paſtoribus concinuiſſe, prophetiæ etiam donum, à Malachiæ usque temporibus eccleſiæ publice negatum, in Simeone, Hanna, Joſepho & Maria refloruiſſe. Quin & *certum eſt*, multa, quæ mireris, circa hæc tempora contigiſſe: arcum ſolis orbem ambiiſſe: ſolem intra tres circulos, quorum unum corona ſpicarum ignita circumdedit, effulſiſſe: Romæ tabulas debitorum ærarii eſſe exuſtas: Janum clauſum: pacem univerſo orbi conceſſam: rumorem in toto oriente increbuiſſe de rege ex Judæa venturo, qui univerſo dominaretur orbi, ceu teſtantur *Sueton. in Veſp. Cic. in Philipp. II. & lib. II. de divin. Tac. lib. V. hiſtor. Dio lib. XLV. Joſ. lib. VII. cap. XII.* Certum quoque eſt, oracula aut prorſus conticuiſſe aut priſco more per verſus non reſpondiſſe. Hinc Cicero *lib. II. de divin.* Jam, inquit, oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed jamdiu, jam ut nihil poſſit eſſe contemtius. Certum eſt, ſtellam novam præluxiſſe Magis, eosque ex orientali ſive Perſia, ſive Chaldæa, Bethlehemum deduxiſſe. Sicut autem hæc omnia à nemine negantur, ita non quidem proterve negamus, ſed tamen, *tanquam prorſus certa, credere non audemus, quod*, ſecundum Suidam & Cedrenum, Auguſto oraculum de ſilentio à puero Hebræo ſibi impoſito reſponderit: *quod* Auguſtus, oraculo audito, aram primogeniti Dei erexerit: *quod*, ſecundum Euſebium, Oroſium & Eutropium, olei ſcaturigo è terra erumpens, largiſſimo rivo totum diem manarit: *quod*, ſecundum alios, vinea Engaddi, quæ balſamum ferebat, flores, fructum & liquorem ſimul protulerit: *quod*, ſecundum Adrichomium & Saligniacum, roſæ Hierichuntinæ nocte natali-

Baron. Anno Chriſti I. n. 9. 10. & 11.

talitia paulatim hient, atque inde ſe recludant, licet aridæ & ſiccæ ſint, in teſtimonium virginei partus: *quod*, iisdem teſtibus, veri balſami hortus, ex terra promiſſa in Ægyptum translatus, non niſi ex fonte Jeſu, ceu vocant, in quo puer Jeſus, cum fugeret Herodem, lavari conſveverat, irrigari queat: *quod*, ſecundum Viterbienſem, idolum illud corruerit, quod artifex tam diu conſtiturum dixerat, donec virgo pareret: *quod* nox denique media, ſecundum Damaſcenum, in claritatem diei effulſerit. *Prorſus vero falſum eſt*, templum pacis, quod demum Veſpaſiani temporibus extructum eſt, Romæ corruiſſe: obſtetricis manum, qua virginem Mariam tetigerat, ſideratam aruiſſe, & non niſi infantulo admotam convaluiſſe: Mariam, in loco templi ſacroſancto educatam, de angeli manu cibum accepiſſe: & ſi quæ alia in apocryphis ſcriptis, ut in protevangelio Jacobi, inveniuntur, minus fide digna.

VII. Redige quæſo hiſtoriam vitæ Chriſti in compendium.

Cum Chriſtus biennio, ut Scaliger putat, ante æram noſtram conſvetam natus, circumciſus, in templo oblatus, à Simeone & Hanna agnitus, à magis, ex ſchola Danielis prodeuntibus, adoratus, fuga tandem adverſus injurias Herodis ſervatus eſſet, & defuncto tyranno ex Ægypto bimulus rediiſſet: Nazarethæ educatus eſt, & XII. ætatis anno ipſos in templo doctores docens, egregium divinitatis ſuæ teſtimonium edidit. Quæ vero egerit toto pueritiæ & adoleſcentiæ tempore, ea nec evangeliſtæ explicant, nec, ſi in pſeudoevangeliis leguntur, fide digna ſunt. Subditum fuiſſe parentibus, & profeciſſe ſapientia, ætate & gratia, dicit Lucas: ut & Chriſtum otio non diffluxiſſe indicet, & curioſitati noſtræ præveniat. Tandem cum ætatis annum XXX. complevisſet, præcurſor ejus, Johannes Baptiſta, viam ei baptiſmo inſtituto ſtravit, munus docendi hominesq; ad agnum Dei deducendi menſe Septembri, in feſto clangoris tubarum, aggreſſus. Nec Dominus Johannis diutius delituit: ſed, ut Euſebius arbitratur, anno ſequenti, VII. Januarii; ut alii, alio menſe; ut recentiores nonnulli, decendio poſt primam Johannis concionem in feſto expiationis prodiit: eo videlicet die, quo hircus, peccatis populi onuſtus, in deſertum deducebatur. Ad eundem enim modum, cum Chriſtus à Johanne eſſet baptiſatus, & voce patris cœleſti, viſibilique & columbina Spiritus S. ſpecie in officio redemtoris confirmatus, deductus eſt à Spiritu S. in deſertum, ut poſt quadrageſimale jeju-

Polyc. Lyſerus in Harm. Evang. de vita Chriſti. Joh. Avenarii vita Chriſti tribus libris deſcripta.

jejunium, conflictus acerrimos cum Satana ſuſtineret, ſuas & hoſtis vires experturus. Interim Johannes legatis Judæorum ſui officii rationes expoſuit, & Chriſtum, tentatione ſuperata reverſum, tanquam victimam mundi digito oſtendit, ſuosq; diſcipulos ad Dominum, ſe deſerto, tranſiiſſe, patienter tulit. Chriſtus autem, Canæ in Galilæa, penuriæ pauperculi ſponſi, vino ex aquis facto, ſubvenit, tanto quidem miraculo, ut Epiphanius *hær. LI.* ſcribat, eo die nonnullos fontes ſapore vini annuatim ſolitos fuiſſe fluere. Confer *Plin. l. II. c. CIII. & l. IV. c. XII.* Paulo poſt Chriſtus

PASCHA PRIMUM celebravit, templumq; nundinationibus profanatum purgavit *Joh. II.* Nicodemum viam ad cœlum docuit *Joh. III.* per Samariam profectus, converſis ad ſe Sicharenis, in Galilæam venit: abſens aulici Capernaitici filium ſanavit *Joh. IV.* ex patria Nazarethæ ſynagoga exturbatus, conceſſit Capernaum; ibique jure civitatis acquiſito, vicina loca ambiit, & ex Galilæa, Decapoli, Hieroſolymis & aliis locis, prima novæ eccleſiæ fundamenta, doctrina cœleſti & miraculis inauditis poſuit *Luc. IV. Matth. IV. Marc. I.* Hinc ſocrum Petri & multos dæmoniacos ſanitati reſtituit, *Marc. I. Luc. IV.* veritusque, ne ſeditionis inſimularetur, in locis deſertis aliquamdiu delituit, piſciumque captura apoſtolis confirmatis leproſum & paralyticum integris viribus reſtituit, & Matthæum à telonio evocavit. *Luc. V.* Hinc, itinere per ſata jam ad veſcendum matura facto, celebravit

PASCHA SECUNDUM. *Luc. VI, 1. Marc. II, 23. Joh. V, 1.* in ſynagoga aridam & ſideratam hominis manum ſabbato ſanavit: inſidias Phariſæorum & Herodianorum declinaturus, ad mare ſeceſſit: è navi & in monte docuit: XII. Apoſtolos in miniſterium ſelegit: dæmonia ejecit, *Marc. III. Luc. VI.* ſervum centurionis Capernaitici paralyticum à morbo; viduæ Nainiticæ filium à morte liberavit *Luc. VII.* clinici diuturnum morbum diſcuſſit *Joh. V.* de quadruplici ſemine è navicula docuit: tempeſtatem in lacu Geneſareth verbo ſedavit: duos dæmoniacos Gergeſenorum, porcos magis, quam Chriſtum curantium, immundorum ſpirituum poteſtati ſubtraxit *Marc. II. & V. Matth. IIX.* hæmorrhouſa, quam Veronicam vocat Evangelium Nicodemi, ſanata, Jairi filiam ſuſcitavit: duobus cœcis viſum, & dæmoniaco ſermonis & rationis uſum reſtituit *Marc. V. Luc. IIX. Matth. IX.* Rediit deinde in ingratam patriam: ablegavit cum mandatis diſcipulos *Marc. VI. Matth. X. Luc. IV.* legatis captivi Johannis reſpondit; in Phariſæi ædibus Mariæ Magdalenæ

lenæ ungvento maduit *Luc. VII. Matth. XI.* Inde, decollato ab Herode Johanne, trans mare Tyberiadis in deſertum abiit: turbam quinq; millium quinque panibus, piſcibusque duobus cibavit: cum Petro in mari ambulavit: de pane cœleſti in ſynagoga Capernaitica diſſeruit *Marc. VI. Joh. VI. Matth. XIV.* Hinc celebratum eſt

PASCHA TERTIUM. Nam Hieroſolymis reverſi erant Scribæ & Phariſæi, qui cũ eo de traditionibus patrum diſputarunt *Marc. VII. Mat. XV.* Chriſtus vero in fines Tyri & Sidonis receſſit: filiam Cananeæ, mutumq; ſurdaſtrum ſanitati reſtituit: panibus ſeptem alia quatuor millia cibavit: Phariſæos, ſignum cœleſte petentes reſponſo non dignatus, cœco Bethſaidæ viſum reddidit *Marc. IIX. Matth. XV.* Progreſſus in agrum Cæſareæ Philippi, confeſſionem Petri elicuit *Marc. IIX. Luc. IX. Mat. XVI.* & in monte Thaboris gloriæ ſuæ documento dato, dæmoniacum, quem diſcipuli non poterant, vinculis Satanæ exſolvit *Matth. XVII. Luc. IX.* Hinc *Luc. IX, 51.* illo itinere, quo diſcipuli igne cœleſti, more Eliæ, in Samaritanos animadvertere voluerunt, poſt iteratam diſcipulorũ in Judæam ablegationem *Luc. X, 1.* tempore veris & inſtante meſſe profectus eſt ad

PASCHA QUARTUM, reverſusq; in Galilæam, ſolvit didrachma *Luc. X 1.* apoſtolos, de primatu contendentes, exemplo pueri caſtigavit: ſcandalum non eſſe dandum docuit *Marc. IX. Luc. IX. Matth. XVII.* reverſus in Judæam *Marc. X. Matth. XIX.* diſcipulos emiſſos ad ſe recepit: patri cœleſti gratiis actis, & parabola de Samaritano recenſita, apud Martham divertit: orationis modum & vim docuit *Luc. X. & XI.* de divortio diſputavit: pueris benedixit: juveni diviti paupertatem ſpontaneam fruſtra imperavit: apoſtolis pauperibus vitam æternam promiſit *Marc. X. Matth. XIX.* Hinc, populo plurimis informato parabolis, fœminam duodevicenario morbo infirmatam & hydropicum ſanavit: receptis publicanis *Luc. XIII. XIV. XV.* aſcendit ad ſcenopegiam *Joh. XII.* in itinere decem leproſos mundavit *Luc. XVII.* Hieroſolyma poſtea ingreſſus, acerrime cum Judæis diſputavit *Joh. V.* in adulteram, ad ſe in templo deductam, ſententiam ferre detrectavit *Joh. IIX.* ei, qui à nativitate cœcus fuerat, in Sabbato viſum reſtituit, & multis modis à Phariſæis impetitus, usque ad encænia Hieroſolymis permanſit *Joh. II.* Inde ad declinandas inſidias trans Jordanem abiit: Bethaniæ Lazarum reſuſcitavit *Joh. XI.* & in locis ab urbe remotioribus permanſit, donec inſtaret

PASCHA QUINTUM: quo ipſe, victima pro mundo in ara crucis factus, occubuit. Et quidem ad illud, non ex occidentali Galilæa aut

Samaria, ſed ex orientali Hierichunte aſcendit *Marc. X, 46. Matth. XX. Luc. XIIX.*

IIX. Quid audio? Siccine tu Chriſtum, baptiſmo ſuſcepto, quinque ante mortem paſchata celebraſſe, & ita poſt annos ætatis XXXV. exactos crucifixum eſſe dicis?

In controverſia de numero Paſchatum Andr. Oſiandri ſententiam ſecutus nuper Caſp. Herm. Sandhagen in Introd. in Harm. Evangeliſt. ſed quam multis perſuadere nec ipſe potuit.

Inter plurimas ſententias una eligenda erat. Clemens Alexandrinus Chriſtum affirmat unum tantum annum docuiſſe; Epiphanius biennium cum quadrante; alii triennium; alii quadriennium; nonnulli etiã ſexennium. Præterea de menſe & die paſſionis, diverſiſſimæ quoque feruntur opiniones, diesq; Martii XX. XXI. XXIII. XXIV. XXV. & XXX. ut & II. Aprilis in disquiſitionem tracti, non neminem invenerunt, à quo Chriſtum in cruce pendentem habuiſſe dicti ſunt. Sed à Joſephi Scaligeri & Calviſii ductu nec nunc ſecedimus. Ideoq; cum Chriſtus in extremo itinere, quo petebat Hieroſolyma, duos cœcos, quorum unum Bartimæum Marcus nominat, viſui reſtituiſſet *Marc. X. Matth. XX.* & Zachæi hoſpitalitatem expertus *Luc. XIIX.* dieque ſolis à Maria ungvento perfuſus *Joh. XII. Matth. XXVI.* aſello inſidens, urbem eſſet ingreſſus: populi lætis acclamationibus exceptus, templum à nundinationibus illicitis liberavit *Marc. XI. Matth. XXI. Job XIX.* Die verò Lunæ, qui incidit in XXX. Martii, ficui, in qua fructum non invenit, maledixit *Marc. XI, 20.* Die Martis, ſeu XXXI. Martii, adverſus Phariſæos miracula à ſe edita defendit, & parabolis egregiis auditores erudiit *Marc. XII. Matth. XXI. & XXII.* Die Mercurii, ſeu Calendis Aprilis, captioſa de cenſu Cæſari dando, de reſurrectione mortuorum, deque præcipuo legis mandato dilemmata diſſolvit, & de fine cum regni Judaici, tum totius œcumenes diſſeruit *Marc. XII. & XIII. Matth. XXIV.* Die Jovis, ſeu poſtridie Cal. April. paſcha Judæorum primum illuxit, quo agnus paſchalis mactari & aſſatus in ædibus privatis *juxta Exod. XII.* comedi conſvevit. Et hoc eodem die, de tollendo Chriſto conſultatione à ſacerdotibus habita, operaque Iſchariotæ XXX argenteis conducta, Chriſtus, feria ſexta jam ineunte, hora ad noſtri horologii numerum ſexta pomeridiana, agnum paſchalem comedit: hora VII. cœnam dominicam inſtituit: hora IIX. apoſtolos cum de primatu altercarentur, ad animi æquitatem pedum lotione & egregia concione, paternoq; interloquio induxit *Joh. XIII. XIV. XV. XVI. XVII,* hora IX. ad hortum properavit: in quo hora X. ſangvineo

neo perfuſus ſudore, preces fudit ardentiſſimas. Hora XI. & paulo poſt, ad Caipham deductus, examini ſubjectus, & ſannis militum per ſequentes noctis horas expoſitus eſt. Die Veneris, qui erat tertius Aprilis, celebrabatur paſcha Judæorum alterum, quo circa veſperam oves & boves in templo offerri, *&* *juxta Deut. XVI, 1. & 7.* elixi comedi conſveverant. Hoc igitur die ſe, tanquam veram victimam, patri in ara crucis obtulit, & hora VI. matutina eſt à pontificibus damnatus: hora VII. ad Pilatum deductus: hora IIX. innocens inventus: hora IX. ad Herodem abductus: hora X. plumbatis cæſus, & ad mortem à Pilato condemnatus: hora XI. ad locum ſupplicii tractus: hora XII. inter duos latrones in crucem actus. Hinc eclipſis præter omnem naturæ ſeriem extitit: &, Chriſto poſt horam III. mortuo, velum templi ſciſſum, terra mota, petræ ruptæ. Hora tandem quinta veſpertina elapſa, cum, juxta calculum aſtronomorum, luna ultra mediam corporis ſui partem obſcurata ſupra horizontem aſcendiſſet, Salvatorem è cruce remotum Joſephus ex Arimathide honorifice ſepeliit. Die Saturni, ſeu IV. Aprilis, Sabbatum illuxerat magnum. Primo hoc azymorum die, Chriſtus in ſepulcro, cuſtodibus additis, quievit *Matth. XXVII.* Die Solis, V. Aprilis, victor mortis, mortuus Chriſtus evaſit. Summo mane agnatæ ejus egreſſæ, lapidem monumenti eſſe cœlitus remotum, & cuſtodes diffugiſſe deprehenderunt, & ab ipſis angelis didicerunt, quem quærerent, reſurrexiſſe. Interea quinque vicibus eodem hoc die Dominus apparet, Mariæ Magdalenæ *Marci XVI. Joh. XX.* turbæ mulierum *Matth. XXIV.* Petro *Luc. XXIV, 34. 1. Cor. XV, 5.* diſcipulis Emauntа proficiſcentibus *Marc. XXI. Joh. XX.* univerſæ diſcipulorum congregationi *Joh. XX Marc. XVI. Luc. XIV.* Cumq; & nonnullis aliis apparitionibus reſurrectionem ſuam XL. dierum ſpatio comprobaſſet: in cœlos XIV. Maji aſſumtus, ad dexteram Patris conſedit. XXIV. Maji, in feſto Pentecoſtes, Spiritum S. demiſit: apoſtolos ad gentes in univerſo orbe lucrandas, donis ſtupendis armavit: & adhuc in medio inimicorum regnat, gregique ſuo ſupremus epiſcopus, æquali cum æterno Patre & Spiritu S. poteſtate, præſidet.

IX. Quum ea, quæ conſvetum rerum ordinem ſuperant, rumor longe lateque ſparſus comitari ſoleat: num etiam Chriſti miracula innotuerunt gentibus, antequam ea ab apoſtolis audirent?

Vel unicus teſtis hic ſufficeret Matthæus, qui *cap. IX, 24.* aſſerit, famam

mam ejus in omnem Syriam exiiſſe. Præerat tunc temporis, *ut ait Euſebius l. 1. c. ult. & Nicephorus lib. 2. cap. 7.* Edeſſæ, civitati Syriæ, Abgarus: qui miſſis literis evocavit Dominum, cum ut inſultus Judæorum fugeret, tum, ut ſe à morbo quodam liberaret. Servator vero, fide ejus commendata, reſcripſit, ſibi in Judæa omnes officii partes eſſe ſubeundas: poſt ſui aſſumtionem tamen aliquem ex diſcipulis ſe miſſurum, qui & corpori & vitæ ejus medelam afferret, & viam ſalutis monſtraret. *Confer Auguſt. ep. 263.* Quod vero *præter Nicephorum* narrat *Evagrius lib. 4. c. 24.* Chriſtum imaginem ſuam, pallio aut texto linteo prius loto impreſſam, Abgaro miſiſſe, id aliqui fabulis ſimillimum habent: quanquam Nicephorus id ex tabulariis & archivis civitatis Edeſſæ teſtatum fecit. Cæterum Joſephi teſtimonium de Chriſto vide *lib. 1. c. 4.* epiſtolam Pontii Pilati ad Tiberium de innocentis Chriſti morte & reſurrectione, *in Anaceph. Egeſippi:* quid Tiberius cum ſenatu de Chriſto, in numerum Deorum recipiendo, egerit, *apud Euſeb. lib 2. c. 2.* ex Tertulliano: literas Lentuli ad eundem Tiberium de miraculis & ſpecie Chriſti formoſa, *apud Eutropium in annal. Senat. Rom.* Quibus conſentit *Nicephorus* Chriſti figuram *lib. 1. c. 40.* graphice depingens. Confer, *quæ Plutarchus lib. de defectu Orac. & ex illo Euſebius ſcribit,* Tiberii temporibus, cum quidam in Italiam nocte à Paxis navigaret, voce magna nunciatum eſſe, PANA magnum eſſe mortuum: cumque illud navigantes ſimiliter juxta portum è navi proclamaſſent, magnum ſubito innumerabilium gemitum eſſe auditum. Hic aliqui Pana interpretantur Chriſtum univerſorum Dominum, cujus mortem, tanquam ſuam cladem, intellexerunt diaboli: qui, ipſo adhuc vivente, ſæpius fuerant lamentati, ſe ab ipſo torqueri.

De Joſephi teſtimonio de Chriſto legi meretur Diſſert. peculiar. Job. Andr. Boſii.

X. *Quia ducem deſcripſiſti, ejus etiam miniſtros placet internoſſe.*

Ii ſunt, quicunque læto remiſſionis peccatorum nuncio ad DEI amorem & veram animarum ſalutem miſeros mortales in omni terrarum orbe deducunt. Quorum autem miniſterio primum uſus eſt Chriſtus, eorum fuerunt alii apoſtoli; alii evangeliſtæ; alii prophetæ; nonnulli paſtores, reliqui doctores. Apoſtoli, tanquam XII. patriarchæ gentium, facem præluxerunt reliquis omnibus, & ſcite à Chryſoſtomo dicuntur habere ὑπατίαν πνευματικὴν, i. e. conſulatum ſpiritualem, & τῶν πνευματικῶν ἀρχῶν κεφαλὴν καὶ ῥίζας καὶ ὑπόθεσιν, ſpiritualium poteſtatum caput, radicem, & originem ſeu fundamentum. Quumque magna eſſet meſſis,

meſſis, & pauci operarii, quemadmodum Moſi LXX. ſeniores; ita apoſtolis totidem diſcipuli ſunt additi, Marcus, Lucas, Timotheus, Philippus, & reliqui, qui fuerunt tanquam apoſtoli ſecundi ordinis, alioquin evangeliſtæ dicti. Excitavit deinde DEUS poſt Chriſtum aſſumtum prophetas, Agabum & alios *Actor. I. XIII. & XX.* qui non tantum neceſſario variarum lingvarum ad ſcripturas interpretandas & gentes docendas dono, ſed & divina ſapientia, & rerum futurarum cognitione, erant conſpicui. Et hæc apoſtolorum, evangeliſtarum & prophetarum munia primis eccleſiæ novæ temporibus erant neceſſaria: quorum loco Dominus, in hierarchia illa eccleſiæ perpetuo duratura paſtores & doctores, usque ad finem mundi in vinea Domini operaturos, conſtituit. Illi alioquin dicuntur epiſcopi & presbyteri; hi ſacrarum literarum interpretes. Et apoſtoli quidem evangeliſtarum munia ſimul obibant; evangeliſtæ prophetarum; prophetæ paſtorum; paſtores doctorum; ſed non vice verſa doctores erant paſtores, nec paſtores prophetæ, nec prophetæ evangeliſtæ, nec evangeliſtæ apoſtoli. Hiſce omnibus diaconi adjuncti, curam pauperum & bonorum, in commune collatorum, pie agebant: quorum ſeptem ab apoſtolis ſunt conſtituti *Actor. I. v. 5.* inter quos fuit *Prochorus*, ſub cujus nomine extat vita Johannis apoſtoli. Qui in eccleſia præ aliis ſive ætate, ſive gravitate eminebant, dicebantur *presbyteri* ſeu *ſeniores*: quorum *alii* ſacras in explicandis myſteriis & ſacramentis diſpenſandis liturgias obibant, quales erant epiſcopi; *alii* rerum ſacrarum & bonorum eccleſiaſticorum curam ratione officii gerebant, dicti gubernatores, præſides, anteceſſores, diaconi *1. Cor XII, 28. 1, Tim. V, 17. Rom. XII, 8. Actor. VI, 2. XV, 22.*

XI. *Quid ſi catalogum omnium eorum contexeres, quorum opera Chriſtus in novæ eccleſiæ fundatione uſus eſt?*

Non permittunt hæ pagellæ uberiorem omnium eorum hiſtoriam, qui Chriſto quavis ætate, ſtatu & ſexu certatim operas locaverunt. Interim adverte animum I. ad præcurſorem Chriſti Johannem. II. ad pientiſſimas quasdam mulierculas. III. ad ipſos apoſtolos. IV. ad Paulum. V. ad diſcipulos Chriſti aliosque viros egregios, quorum S. Scriptura injicit mentionem.

XII. *Merito præmittimus præcurſorem Baptiſtam.*

Matth. 3. v. 13. ſeq. Marc. 1. v. 9. 14. Luc. 3. v. 21. Joh. 1. v. 32. 33. Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 12. Hieron. Epiſt. 27. Niceph. lib. 1. cap. 20.

Tantus fuit, ut illo majorem Chriſtus *Matth. XI.* neget. Deus non ſolum ejus ex effœto matris Eliſabetæ utero nativitatem, angeli miniſterio uſus, Zachariæ patri, in templo ſacris operato, denunciavit: ſed & affore illum, tanquam alterum Eliam, per prophetas longe antea *Eſ. XL. Mal. III.* prædixerat. Ipſe Johannes, nondum natus, Dominum ſuum ſubſultans ſalutavit, & deinde (ut mittamus obſcuras & ineptas fabulas, de ejus in montem adverſus Herodis injurias receptione & angelica nutritione) non tanquam miſanthropos in loco ab omnibus remoto, ſed in montanis oppidis ſobrie educatus ab omni luxuriæ & laſciviæ genere, tanquam DEO dicatus, abſtinuit: tandemque in feſto clangoris tubarum prodiens, de DEO, Meſſia, lege, evangelio noſtraque juſtificatione & aliis fidei articulis, auditores erudivit, eosq; in remiſſionem peccatorum baptiſatos ad ſuſcipiendum Meſſiam præparavit. Fuit in arguendis delictis & veritate defendenda infractus: nec tantum doctrinam ſanam à Phariſæis turpiter obſcuratam repurgavit, ſed & religionis ritus, Moſi quondam imperatos, antiquaturus, umbris legalibus ſublatis, novam religionis formam, tempori Meſſiæ congruentem, adornavit: multis ad agnitionem veritatis converſis, ipſum ſuum Dominum ſalutaribus baptiſmi aquis abluit: ſolenni venerandæ Trinitatis patefactione confirmatus, cum ſæpenumero cum Phariſæis & Sadducæis fuiſſet colluctatus, eosq; tanquam genimina viperarum acriter corripuiſſet: ab Herode, quem ob inceſtum increpuerat, in carcerem eſt conjectus. Sed nec ſic diſcipulorum curam depoſuit, quos tandem Chriſto perfectius erudiendos tradidit. Paulo poſt vir incomparabilis, præda ſaltatricis factus, capite reſecto, martyrium conſummavit, & qui Domino ſuo ſervierat fideliter, inque ſuo decremento ejus utilitatem & incrementum quæſierat, fœdo mortis genere occubuit, ut gloria in cœlis majore coruſcet. Quæ vero de reliquiis capitis, manuum & cinerum Baptiſtæ, neſcio ubi inventis, & quo translatis, feruntur, digna non ſunt, quæ ab orthodoxo fidei aſſecla vel credantur, vel ſcribantur. Nos neq; hæc, neq; reliqua, quæ de ſanctorum reliquiis in vulgus ſparguntur, noſtra hiſtoria dignabimur: nude enarraturi, quæ vera eſſe deprehendimus.

XII. *Quænam ſunt illæ mulieres, quarum hiſtoriam ſecundo loco promiſiſti?*

Sunt, præter Annam prophetidem, & Eliſabetam Baptiſtæ matrem, quæ *Luc. 1. & 2.* deſcribuntur, *I. Maria mater Domini*, filia Joachimi & Annæ.

Annæ. *II. Maria Magdalena*, quæ à ſeptem dæmoniis liberata, Chriſto de facultatibus largiter miniſtravit, patienti aſtitit, ſepultumque unctura, reſurrexiſſe eum, prima didicit. A Gerhardo & Baronio putabatur eſſe ipſa Lazari & Marthæ ſoror. *III. Maria, mater Jacobi & Joſes ſeu Joſephi Cleophæ* filia vel uxor, quæ *Joh. XIX,25.* Mariæ virginis ſoror dicitur, itidem crucis, ſepulturæ & triumphi Chriſti inſpectatrix. *IV. Maria & Martha, Lazari ſorores*, Chriſti amantiſſimæ: quorum illa dominum pia attentione, pedumque unctione; hæc grata hoſpitalitate ad beneficia provocavit. *V. Salome, mater filiorum Zebedei*, comes Magdalenæ & Mariæ Jacobi in ſepultura Chriſti curanda. Quo pertinent *Johanna & Suſanna Luc. XIII,3.* & quarumcunque in actis & epiſtolis apoſtolorum mentio fit. Ipſam autem *MATREM Domini* quod attinet, eam per oſculum à ſterili matre conceptam, & inter varia miracula ſine peccato natam, cum infans eſſet ſex menſium, jam pedibus obambulaſſe, & in templo cibis manu angeli miniſtratis nutritam, voto virginitatis obſtrictam, Joſephi non conjugio, ſed curæ, per ſignum columbæ è baculo evolantis, commendatam, protevangelium Jacobi, & ex eo Nicephorus & alii teſtantur. Sed nos, utut Nicephoro largiri poſſemus, Mariam non quidem in Sancto ſanctorum, ſed tamen à fœminis templi miniſterio ſacratis, more Samuelis, educari potuiſſe, pleraq; hæc, & quæ alia ſunt fabulis incruſtata, vanitati remittimus: certi, Mariam *ἀειπαρθένον* à lege nativitatis communis non fuiſſe exceptam, & verum conjugem in defenſionem Joſephum, plus minus LXXX. annos ſecundum Epiphanium natum, qui VI. ex priore conjuge ſuſtulerat liberos, nactam, nunciante archangelo, Salvatorem mundi, verum illũ *θεάνθρωπον*, virtute Spiritus S. abſque virili ſemine concepiſſe, peperiſſe, non ſine ingenti cura & periculo educaſſe, & ex Simeonis vaticinio, tanto dolore, quantum vix gladius animam tranſiens efficere queat, filii paſſiones, crucem ac mortem inſpexiſſe. Quod vero Nicephorus narrat eam undeſexageſimum annum agentem, (alii faciunt eam morientem ſeniorem, alii juniorem) in domo Johannis evangeliſtæ, ad montem Sion defunctam, ab omnibus apoſtolis miraculoſe convenientibus, terræ mandatam, & mox in cœlos aſſumtam eſſe: aut, quod Perionius ex vetuſto Codice de Mariæ virginis tranſitu ſeu aſſumtione, inſpectantibus apoſtolis, una cum anima & corpore in cœlos translatam dicit: id eodem loco habemus, quo pleraque otioſorum monachorum figmenta. Iſidorus ſane libro primo de Sanctis teſtatur, de obitu ejus nusquam quicquam legi, cum tamen

Eſa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 18. 25. Luc. 1 v. 27. 35. 43. & cap. 2. v. 1.

Confer Hoger. de concept. Mariæ & Scherzer. in Diſſ. Theol.

Baron. A. 48. à n. 4. usq; ad 18.

men reperiatur ejus ſepulcrum: quod etiam aſſerit Epiphanius adverſus Antidicomarianos.

XIV. *Apoſtolorum ſeriem nunc deſidero.*

Sed dolendum eſt, hiſtorias eccleſiaſticas in vitis apoſtolorum raro concordare: tot etiam protevangelia, aliasq; Abdiæ, & neſcio cujus non, falſas relationes eccleſiæ obtruſas eſſe. Interim cum certa ſint, quæ in Actis apoſtolorum recenſentur, ea breviter enarrabimus, additurі, quæ alii ſcriptores, accuratiſſimo ſemper judicio legendi, jungunt.

Irenæus l. 2. c. 1. 3. Euſeb. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 25.

I. PETRUS, filius Johannis ſeu Jonæ, frater Andreæ, patria Bethſaidenſis, vitæ genere piſcator, civis, *ut patet ex Matth. VII. & IIX.* Capernaiticus, ſocrum habuit. & conjugem circumduxit, & filiam Petronillã genuit: cumq; eſſet à retibus piſcatoriis ad officium apoſtolicũ vocatus, quid Chriſtus doceret, ageret, pateretur, quemq; in modũ in monte Thabor ſuam divinitatem oſtentaret, inq; illo certamine, quo ſangvineas guttas in horto deſudavit, inque paſſione & morte, ſui erga miſeros mortales amoris teſtimonium luculentiſſimum ederet, oculatus teſtis vidit. Ante tamen, quam Chriſtus mortem obiret, pia de eo confeſſione edita, Cephæ nomen accepit: ſatis animoſus, ut qui Malcho auriculam in captura Domini amputavit: tam inconſtans tamen, ut Dominum in atrio Caiphæ ter abjuraret. Illo ex mortuis redivivo, illuſtribus apparitionibus confirmatus, Spiritus S. dono, in prima poſt aſcenſionem Chriſti pentecoſte, tria millia Chriſto *Act. II.* acquiſivit: claudum verbo ſanavit *Act. III* cauſam coram ſacerdotibus animoſe dixit *Act. IV.* mendacem Ananiam cum uxore fraudis conſcia, anathemati ſimul & morti ſubjecit: multa alia miracula vel umbra ſua præſtitit: ex carcere divinitus eductus, fuſtigationem hilari animo ſuſtinuit *Act. V.* Inde impiis Simonis Magi conatibus Samariæ animoſe reſtitit, & in vicinis locis evangelium diſſeminavit *Actor. IIX.* Lyddæ paralyticum Æneam octennio amplius decumbentem ſanitati; & defunctam Tabitham vitæ reſtituit *Actor. IX.* Viſibilem Spiritus S. effuſionem Cornelio Cæſarienſi centurioni impetravit: gentes ad Chriſtum quoque pertinere & didicit & docuit *Actor. X. & XI.* iterumque è carcere, in quod ab Agrippa Herode conjectus fuerat, per angelum eductus, liber evaſit *Act. XII.* In concilio Hieroſolymitano cauſam adverſus ceremonias Moſaicas dixit *Act. XV.* Antiochiæ, cum libertatem Chriſtianam minus conſtanter tueretur, Pauli animadverſionem incurrit, tanquam libertate, quam recte profitebatur, minus recte uſus *Galat. II.* Emendatus autem ad Pauli objurgationem, Antioche-

tiochenæ eccleſiæ, ſi credendum eſt Euſebio in Chronicis, tanquam epiſcopus aliquamdiu præfuit. Deinde diſperſis Judæis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia verbum ſalutare explicuit *1. Petr. II.* Babylone etiam, ſive Ægyptia, quæ nunc Alcair dicitur, ſive quod veroſimilius, Syriaca, munere docendi aliquamdiu defunctus eſt: niſi velimus cum Euſebio ex Papia dicere, Babylonem, unde ſcripſit primam ſuam epiſtolam, eſſe ipſam Romam, quæ etiam Johanni in Apocalypſi Babylon eſt. Corinthi quoque videtur deſudaſſe *1. Cor. I, 12.* Nicephorus teſtatur, eum Alexandrinam quoque eccleſiam plantaviſſe. Tandem cum duabus epiſtolis, de quarum poſteriore tamen in prima eccleſia dubitatum fuit, vineæ Domini ſui proſpexiſſet, ſecundum Euſebium & alios, Romam adiit, ut Simonis magi impoſturis denuo ſe opponeret. Hic enim Deum magnum ſe venditans, variis præſtigiis à Chriſto homines abduxerat. Sed Petrus illum confudit, & ob id à Nerone, Simonis & omnium magorum fautore, ad necem quæſitus eſt. Cumque precibus fratrum cedens, fugâ arreptâ, Chriſtum ſibi obviare, & denuo ad crucem ſubeundam properare videret, reverſus in urbem, cruci capite deorſum verſo ſuffixus eſt. Ex quibus omnibus facile eſt colligere, falſiſſimum eſſe, quod Pontificii de annis XXV. fabulantur, quibus Petrum dicunt pontificatui Romano præfuiſſe. Nam nec, cum concilium Hieroſolymitanum celebrabatur, nec, cum Paulus vel Corintho Romam literas ablegabat, vel Romæ per biennium captivus tenebatur, Romæ fuit. Quin potius Aſiæ regna obibat, & legatum Domini ſe eſſe non ignorans, officio apoſtolico non uno loco, ſed plurimis & longè diſſitis functus eſt. Paulus, non gentium, ſed circumciſionis apoſtolatum ei concreditum fuiſſe teſtatur *Gal. II, 8.* Quod ipſum videtur obſtare epiſcopatui Petri apud Romanos. Pudeat igitur Pontificios, hierarchiam ſuam in Romana Petri cathedra fundare: quum ſane, quicquid agat Baronius, quando Romam Petrus venerit, & quamdiu ibi hæſerit, incertiſſimum ſit, plurimiſque ex autoribus probari poſſit, Petrum aut tunc tandem Romam veniſſe, cum martyrio ſuo, adverſus Simonem magum, Dominum ſuum conteſtari vellet, aut toto eo tempore, quo fingitur Romæ ſedem fixiſſe, Hieroſolymis, in Aſia, in aliis locis fuiſſe. Sed fundamenta ſolidiſſima contra primatum Petri congeſta, *cum al bi, tum imprimis in Centuria Magdeburgenſium prima, lib. 1. cap. 7. vide.* Petrum non Romæ, ſed ἐν τῇ διασπορᾷ martyrium ſubiiſſe, cenſet Scaliger in notis ad N. T. Alii autem ex teſtimoniis Euſebii, Dionyſii Corinthii, Tertulliani, Lactantii, Prudentii, nolunt

Irenæus lib. 1. c. 20. Epiph. hær. 21. Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 13. 14. 15. Sulpit. Sever. l. 2. Hiſt. Sacr. cap. 41.

Ulr. Velenus de Epiſc. Petri & utrum Romæ fuerit. Luc. Oſiand. Cent. 1. l. 2. c. 41. cot.

ſunt à ſententia Patrum diſcedere. Clemens Alexandrinus teſtis eſt, uxorem Petri, cum duceretur ad mortem, inſpectantem maritum monuiſſe his verbis: Heus tu, memento Domini.

Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 1. Niceph lib. 2. c. 19.

II. ANDREAS, frater Petri, major & prior illo vocatus *Joh. I.* Chriſto in cœlos ablato, per Cappadociam, Galatiam, & Bithyniam, in Scytharum usque ſolitudines, & ad Pontum Euxinum, ſecundum hiſtorias eccleſiaſticas, ſeceſſit, & Sogdianis atque Sacis evangelium prædicavit. *Nazianzenus in orat. ad Arian. & Hieron in ep. ad Marc.* teſtantur, eum in Epiro & Achaja docuiſſe. Sic igitur ex Aſia in Græciam rediiſſet. Quod ipſum confirmare videntur illæ narrationes, quæ eum Patris, in urbe Achajæ, in crucem actum teſtantur. Sabellicus tamen *Enn. 7. lib. 4.* apud Scythas eum crucifixum eſſe credit. Hieronymus *ad Dext.* teſtatur, illud factum ab Ægea, præfecto Edeſſenorum.

Actor. 12. & 21. Oſiand. Cent. 1. l. 3. c. 12. & 13.

III. JACOBUS, ob vocationem priorem Major dictus, Zebedei & Salomes filius, Johannis frater, Domini conſobrinus, ex piſcatore factus apoſtolus, & filius Bnehargem ſeu tonitrui appellatus, in conſortio Petri & Johannis, dilectiſſimorum Chriſti diſcipulorum, Dominum archiſynagogi filiam reſuſcitare, in monte Thabor transfigurari, & in horto ſangvineo ſudore perfundi vidit *Marc. V & XIV.* Spiritus tandem ſancti donis cum reliquis instructus, Hieroſolymis, & in vicinis oppidis, majorem vitæ partem exegit, & tandem ab Herode Agrippa in gratiam Judæorum, capite truncatus eſt. Qui verò Jacobum ad ſupplicium traxit, cum tam conſtanter nomen Chriſti eum profiteri cerneret, & ipſe, *ſecundum Euſebium ex Clemente in ſeptimo Hypotypoſeon libro*, martyrio ejus ſe adjunxit, & ſecuri percuſſus eſt. An autem Hiſpaniam adierit, à Toletano & Compoſtellano epiſcopis circa æram Chriſti IↃCCCXVI. in ipſo concilio Lateranenſi diſputatum eſt: quorum ille id negavit; hic affirmavit. Ipſe Baronius, quem multa, quæ in Legendis, ceu vocant, & in ſcriptoribus incertiſſimis invenit, pro vero venditare non piguit, in martyrologio iter Hiſpanicum Jacobi confirmavit; in annalibus negavit. Nos, quid error inveteratus poſſit, vel hinc edocti, mirabimur ingenium Pontificiorum, & quæ de Jacobi reliquiis in Hiſpanias translatis feruntur, eo loco habemus, quo pleraque fallacium reliquiarum mendacia, totumque nugivendulorum cœtum.

Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 1. Irenæus lib. 3. c. 3.

IV. JOHANNES, frater Jacobi, diſcipulus Chriſti amantiſſimus, oculatus transfigurationis, luctæ, crucis, mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis Domini teſtis, primum locum à Chriſto in ultima cœna nactus,

Ma-

Mariæ virginis ad ultimam Domini voluntatem curator, Petri in ſanando claudo & Samaritanis erudiendis paraſtates *Act. IIX.* Aſiam accepit docendam. *Euſeb. lib. 3. cap. 1.* & ſeptem ibi eccleſias fundavit, aut jam fundatas confirmavit, illisque Apocalypſin ſuam inſcripſit. Tranſiit ad Phrygas, Parthos, Indos. Utrum autem Epheſi tanquam epiſcopus ſederit, dubium eſt. Nam apoſtolus erat, ad plures populos ablegatus. Paulus ſane Epheſios ad fidem convertit, iisq; Timotheum dedit paſtorem. Si igitur Johannes Epheſi commoratus eſt aliquamdiu, id poſt Timothei obitum factum eſſe oportet, cum peragrata Aſia jam grandævus eſſet *Epiph. hær. LI.* Hinc Epheſinam eccleſiam Irenæus *lib. 3. cap. 3.* dicit eſſe à Paulo fundatam; à Johanne curatam. Utrum præterea ſanctiſſima Dei genitrix Epheſi, quamdiu in vivis fuit, ædes Johannis incoluerit, utut illud Epheſinum Concilium aſſerit, incertum eſt, præſertim quum alii eam Hieroſolymis diem obiiſſe teſtentur. Nicephorus autor eſt, defuncto Johannis patre, celebri inter Galilææ incolas viro, & ἰδιοναυκλήρῳ ſeu propriæ navis rectore, Zebedæo, Johannem partem ſuam, quæ ex hereditate ipſi ceſſerat, Caiphæ pontifici vendidiſſe, & in notitiā ejus hac ratione veniſſe, atque, ex ære inde contracto aliam domum Hieroſolymis ad ſanctam Sion coëmiſſe: in qua non tantum cœnam myſticam Chriſtus celebraverit, incluſisque illic poſt ſui crucifixionem apoſtolis apparuerit, & Spiritum S. illis dederit, ſed & Maria poſt beatum filii ſupplicium annos undecim compleverit, & annis ætatis LIX. confectis emigraverit. Euſeb. lib. 5. c. 22. & 25. Magdeb. Cent. 1. lib. 2. c. 10. p. 569. Hoc, Euſebio & Tertulliano teſtibus, certum eſt, Domitiano in Chriſtos ſæviente, Johannem Romam à proconſule Aſiæ miſſum, in ferventis olei dolio illæſum ſubſtitiſſe, inque Patmum abiiſſe exulem, & ibi vidiſſe & ſcripſiſſe ſuam apocalypſin. Quid Prochori, unius ex ſeptem Diaconis *Act. IV.* relationi dandum ſit, judicet, qui poteſt. Reuchlinus certe eam in libro de verbo mirifico in veris habet. Narratur in ea, Johannem in urbe Phthora, hoſpitis Myronis filium, Pythonico ſpiritu inquietum, cum vultum apoſtoli fugiiſſet, per literas vinculis cacodæmonis exſolviſſe; Baſilio tribuno liberos impetraſſe; ex filio præfecti Chryſi immundum dæmonium ejeciſſe; Apollinis fanum evertiſſe; poſt alia miracula Cynopem Magum, tanquam Deum hactenus habitum, non ſine inſigni vitæ periculo ſuperaſſe; dæmonem lupi ſpecie ad devorandas victimas egredi ſolitum compeſcuiſſe; tandem Inſulanis fere omnibus converſis, & apocalypſi ſcripta, Epheſum rediiſſe. *Ibi, Irenæo teſte lib. 3. c. 3.* è balneo egreſſus, Cerinthum hæreſiarcham vidit ædium rui-

na

na obrui: &, *quod apud Euſebium lib. 3. cap. 22.* legere eſt, juvenem, quem epiſcopo commendaverat, quique degener factus, latrocinia agebat, ad bonam frugem egregio exemplo revocavit, & hanc ſuarum concionum ſummam nunquam non diſcipulis, quos non niſi filiolos humaniſſimus apoſtolus nominabat, inculcavit, ut ſe invicem diligerent. Et nunc demum evangelium ſuum edidit, ut, quod tribus cæteris evangeliſtis deerat, ſuppleret. Tres præterea epiſtolas ſcripſit. Quod autem nonnulli, interque eos Iſidorus & Nicephorus, ſcribunt, Johannem epheſi in extrema ſenectute ſe terra operiri curaviſſe, ejusque cadaver poſtea in ſepulcro inventum haut fuiſſe, vix ſapit hiſtoricam veritatem. Multo magis abludit à veritate, Johannem non eſſe defunctum, ſed vivere adhuc, rediturum cum Henocho & Elia ad confundendum Antichriſtum: id quod G. Trapezuntius peculiari opuſculo *ex Joh. XXI, 22.* conatus eſt aſſerere. Id certum eſt, teſtimonio Hieronymi de vitis illuſtribus, omnium apoſtolorum diutiſſime eum vixiſſe, & annum LIIX. poſt Chriſti reſurrectionem attigiſſe. Multi credunt, juvenem ſindone amictum tempore capturæ Chriſti, fuiſſe hunc apoſtolum. Reliquit eccleſiæ, ut diximus, evangelium, tres epiſtolas, Apocalypſin.

Euſeb. lib. 3. c. 31. lib. 5. cap. 24. Oſiand. Cent. 1. lib. 2. cap. 30.

V. PHILIPPUS, ſympatriota Petri & Andreæ, cujus meminit Johannes *cap. I. VI. XII. XIV.* putatur in Aſia ſuperiore, Phrygia, & aliqua parte Scythiæ, evangelium docuiſſe, aliquo etiam temporis ſpatio cum Bartholomæo in ipſa India labores conjunxiſſe. Nicephorus *lib. 2. cap. 39.* Iſidorus *de vit. & obitu ſanct. cap. 35.* & Euſebius *in Chronicis*, eum anno XII. Claudii Hierapoli cruci affixum & lapidibus obrutum; Nauclerus Hieroſolyma reverſum, ſub Tito mortuum narrant. Uxoratum fuiſſe & filias elocaſſe, præter Clementem Alexandrinum *lib. 3. ſtrom.* Euſebius *lib. 3. cap. 30.* teſtatur. Aliqui id negantes, non Philippo apoſtolo, ſed diacono, filias fuiſſe teſtantur *Act. XXI.* quum tamen utrumque ex uxore genuiſſe filias, ex Euſebio conſtet.

Sozom. lib. 5. c. 105. Niceph. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 39. Magd. Cent. 1. lib. 2. cap. 10. Oſiand. cap. cit.

VI. BARTHOLOMEUM Petrus de Natalibus, ſolo nomine deceptus, nepotem Syrorum regis nullo fundamento aſſerit. Aliqui eum cenſent fuiſſe Nathanaëlem, de quo *Joh. I, 46.* Hic apoſtolus in majori Armenia, Lycaonibus populis & Indis concionatus eſt, & evangelium Matthæi Hebraicè ſcriptum eccleſiæ reliquit *Sozom. lib. 2. cap. 24. Chryſoſtom. hom. de XII. apoſt.* In Syria eum etiam docuiſſe, tandemque Hierapoli in crucem actum, miraculoſe primum evaſiſſe; poſtea iterum ſuſpenſum, piam animam efflaviſſe, teſtis eſt *Nicephorus. Autor ſupplementi &*

& *Sabellicus* eum à ſacrificulis idolorum interfectum narrant, pelle prius detracta.

VII. THOMAS, alio nomine Didymus, *ab Euſebio lib. 1. cap. ult.* ſtatim poſt aſcenſionem Chriſti dicitur Abgaro, regi Edeſſenorum in Meſopotamia per Thaddæum, unum ex LXX. diſcipulis, expoſita prius cœleſti veritate, ſanitatem reſtituiſſe. Deinde Parthos adiit, & ad Brachmanes, Bactres, & Taprobanos usq; penetravit. Magos etiam, qui Chriſti cunas inviſerant, convertiſſe, & ſocios in prædicatione evangelii ſecum deinde duxiſſe, à nonnullis ſcribitur. Et adhuc hodie apud Narſingenſes veſtigia Thomæ, tandem ab Indis lancea confoſſi, eſſe dicuntur. *Indicarum rerum ſcriptores* crucem lapideam dicunt inveniri in inſula S. Thomæ in urbe Malipure, quæ ſangvine hujus apoſtoli conſperſa, octavo ante natalitia Chriſti die, nigrum primo, deinde cœruleum oſtendat colorem. Iidem ferunt, certam hominum familiam pede altero culpam ſuorum majorum, qui Thomam peremerunt, adhuc luere. Euſeb. lib. 3. c. 1. Dorotheus in Synopſi. Abdias in vit. Apoſt. Ruffin. l. 2. c. 5. Magdeb. Cent. 1. l. 2. c. 10.

IIX. MATTHÆUS, alioquin Levi vocatus, Alphæi filius, è telonio ad apoſtolatum vocatus, dicitur ab Origene & Socrate in Æthiopiam conceſſiſſe. Nicephorus eum apud Anthropophagos docuiſſe, & clavis in terram defixum eſſe, variisque miraculis ante & poſt obitum inclaruiſſe teſtatur. Alii ex calendario Romano à rege Æthiopiæ truncatum narrant. Ex quibus quid credas, vix ſcire poteris. Hebraice autem primum omnium ſuum evangelium, & quidem octavo poſt aſcenſionem Chriſti anno, apud Capernaitas ſcripſiſſe, quod deinde incertus autor Græce verterit, docent ὁμοθυμαδὸν Euſebius, Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, Epiphanius, Theophylactus. Exemplar Hebraicum à Sebaſtiano Münſtero editum & verſum eſt. Sed illud non eſt authenticum. Diſputant alii contra, quia teſtimonia Scripturæ ex LXX. interpretibus allegavit Matthæus, (id quod tamen Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum ex duobus illis dictis negat: *Ex Ægypto vocavi filium meum:* Et: *Quoniam Nazarenus vocabitur:*) vel hac ratione eum videri Græce ſcripſiſſe; idque eo magis, quia eccleſia non Hebraicum, ſed Græcum textum in canone habet: & Deus, abjectis impiis Hebræis, Hebræa etiam lingva in N. T. neglecta nobiſcum Græce loqui: apoſtolus etiam ſuam ad ipſos Hebræos epiſtolam Græce ſcribere voluit. Euſeb. lib. 3. c. 24. Irenæus lib. 3. adv. Hæreſ. c. 1. Hieron. in Catal. Illuſtr. viror. Oſiand. l. cit. cap. 31.

IX. JACOBUS MINOR, Alphæi & Mariæ Cleophæ filius, cujus epiſtolam adhuc legere eſt, ob vitæ ſanctitatem & preces continuas, Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 25. Clem. Alex. lib. 6. Hypotypoſ.

Hieronym. enarr. in cap. 1. ad Galat. Magdeb. Cent. 1. lib. 2. c. 12. Oſiand. Cent. 1. l. 2. c. 33.

quibus, ex aſſiduitate procumbendi, genua ſenſum contactus amiſerant, *Juſtus*; & ob cognationem cum Chriſto, *frater Domini* appellatus: ab omnibus pene ſcriptoribus eccleſiaſticis, tanquam epiſcopus, Hieroſolymis ſubſtitiſſe dicitur. Nec enim eccleſia Chriſtianorum Judæos omnino negligere volebat: & ſynagoga cum honore, *ut Auguſtinus dicere conſuevit*, ſepeliri debuit. Sed quum huic quoque apoſtolo in mandatis fuerit, ne certo ſe aſtringeret loco, ſed paſſim locorum in univerſo orbe gentes doceret, in patrio eum ſolo conſediſſe, multis non ſit veriſimile. Cæterum *Euſebius lib. II. cap. I. & XXIII. ex Clemente Alexandrino & Egeſippo teſtatur*, Judæos Jacobum ex pinna templi, ut doctrinam Chriſti abnegaret, nec ſequendam eſſe publice diceret, ſtatuiſſe: cumque, cum veritatem nihilominus eſſet profeſſus, lapidibus impetiiſſe, & tandem ſeptimo Neronis anno, inſtrumento fullonis peremiſſe. *Confer Joſeph. lib. 20.* Circumferebatur quondam Jacobi protevangelium, ſed ſemper incertæ fidei. Liturgia ſeu Miſſa, quam attribuunt huic apoſtolo, longe recentior eſt. Nec ſine cauſa *Bellarminus in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis dicit*, non facilè dijudicari poſſe, quæ pars ejus liturgiæ ſanctum Jacobum habeat autorem.

Euſeb. l. 1. cap. ult. lib. 2. cap. 1. & 23 Niceph. lib. 2. cap. 40. Magd. Cent. 1. l. 2. c. 10. Oſiand. l. c. c. 34.

X. JUDAS, dictus Lebbæus, & Syriacè Thaddæus, quaſi cordatus, frater Jacobi, *ſecundum Nicephorum*, vicinas Judææ regiones accepit informandas, Galilæam, Samariam, Idumæam, Arabiam, Syriam, Meſopotamiam. Euſebius teſtatur, Thaddæum, qui ab apoſtolis reliquis Edeſſam in Syriam miſſus, Abgarum regem ſanitati, quam antea a Domino petierat, reſtituit, unum ex LXXII. diſcipulis fuiſſe. Dubitant tamen aliqui, annon ipſe apoſtolus Judas, Jacobi frater, Thaddæus cognominatus, Abgarum Chriſto ſit lucratus. Quo vero mortis genere occubuerit, quove loco, incertiſſimum eſt. *Calendarium Romanum* putat, eum in Perſia cum Simone Cananæo martyrium conſummaſſe. *Euſebius lib. 3. cap. 20. ex Egeſippo refert*, ejus nepotes, tanquam ex ſtirpe Davidis oriundos, ad Domitianum, ut cum aliis necem ſubirent, fuiſſe deductos: ſed cum eum de regno Chriſti, omnia mundana reſpuente, erudiiſſent, tyrannum à perſecutione Chriſtianorum avocaſſe animum. Extat epiſtola hujus apoſtoli, quæ in ſacro codice legi poteſt.

Matth. 10. Marc. 3 Luc. 6. Actor. 1. Euſeb. lib. 3. cap. 11. & lib. 4. c. 22.

XI. SIMON CANANEUS ſeu Zelotes, cognomento Judas, ex ſtirpe Davidis ſecundum Egeſippum. Dicitur quidem ab Euſebio ſucceſſiſſe Jacobo in epiſcopatu Hieroſolymitano: veriſimile tamen eſt, *quod Nicephorus ait*, eum Africanas etiam eccleſias, & deinde regiones ad occi-

occidentalem oceanum ſitas, inſulasque Britannicas, ad Chriſtum convertiſſe. Flagris tandem vir ætate gravis, annorum CXX. cæſus, ſub Trajano martyrii coronam reportavit.

XII. MATTHIAS, ſorte ad apoſtolatum ex LXX. diſcipulis in locum Judæ Iſchariotæ electus, dicitur in Æthiopiam ad evangelium docendum profectus. Quæ autem fata ſubierit, ſatius eſt pie neſcire, quam fabulis cumulatis indagare.

Euſeb. lib. 1. c. 1. Epiphan. Hæreſ. 20. Abd. in vit. Apoſt.

Ipſe JUDAS ISCHARIOTES quis fuerit, non eſt ex poëtico juris proceſſu Aireri quærendum, ſed ex ſola Scriptura hauriendum: quæ, quid de illo cognoſci queat, ſatis luculenter ediſſerit. Ideoq; nec Græcorum curamus fabulas, quæ ajunt, Judam ſuſpendio ſupervixiſſe: dejectum, antequam ſuffocaretur, & ſanie atque vermibus conſumtum, adeoq; capite & toto corpore inflatum, ut nec oculi amplius, nec pedes grandi tumore ob ducti officium facerent: à curru tandem tranſeunte in prædio ſuo oppreſſum, inteſtina effudiſſe, & agrum tanto fœtore infeciſſe, ut nullos poſthac colonos admitteret.

Act. 1. Oſiand. loc. cit. cap. 21.

XV. Ad Paulum, ſelectum illud Dei organon, pergamus.

Hic apoſtolus ſtructura ſermonis omnium potentiſſimus, & ſenſibus inſtructiſſimus, ut commendatur ab Euſebio, ex tribu Benjamin *Rom XI. Phil. III.* Tarſi in Cilicia oriundus, & à præceptore Gamaliele in doctrina Phariſaica Hieroſolymis ſtrenue informatus *Actor. XXII. & Philipp. III.* civis Romanus *Actor. XXI.* in circumciſione Saul dictus: ſed forte ob parvitatem corporis dein Paulus cognominatus: arte textor ſcenofactorius *Actor. XIIX.* juſſu magiſtrorum ſuorum, eccleſiam Chriſti acriter oppugnavit, & Stephanum inter alios, falſis teſtibus damnatum, lapidibus obrui curavit. Sed Deus, qui eum ex utero matris in miniſterium ſegregaverat, cœlitus furorem caſtigavit, ut poſthac gentium ad Chriſtum convertendarum curam ageret. Sic ex lupo mitis ovicula, anno ſeptimo poſt Chriſti adſcenſionem factus, ſtatim in ſynagoga cœpit docere evangelium *Act. IX.* Arabiam peragravit *Galat. I, 17.* Damaſcum inde profectus, inſidias Aretæ regis, in ſporta per muros elapſus, declinavit, & multis locis luce verbi divini illuminatis, tertio poſt ſui converſionem anno Hieroſolyma rediit. Cum Petro ibi & Jacobo aliquamdiu converſatus, SECUNDA deinde peregrinatione per Cæſaream & Tarſum, ſuam patriam, pervenit in Syriam & Ciliciam, & integrum annum cum Barnaba docuit Antiochenos: apud quos primos

Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 25 & in Chron. n. 1084. Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſtor. Sacr. c. 41. Euſeb lib 3. demonſtr. cap. 7. Hieron. de ſcriptor Eccleſ. c. 5 Oſiand. Cent. 1. p. 40. 104. 118. 119. 123. ſeqq.

mosChriſtianis nomen acceſſit. Agabus ibi famem ingentem prædixerat. Eleemoſynas igitur, à fratribus collatas, ad Judæos cum Barnaba deportavit *Act. XI.* & TERTIA peregrinatione ſuſcepta, aſſumto JohanneMarco, Antiochiam rediit, manuumque impoſitione à prophetis quibusdam ad ſpargendum inter gentes evangelium ſegregatus, Seleuciam abiit. Inde Cyprum tranſiit, & Barjehu ſeu Elima mago excœcato, Sergium Procoſ. convertit. Poſt Pamphylia peragrata, Antiochia Piſidiæ ejectus, Iconio pulſus, in Lycaonia, ubi claudum ex utero matris ſanaverat, lapidibus obrutus eſt. Nihil tamen territus, rediit: eccleſias confirmavit: ſeniores iis præfecit: ad ſynodum Hieroſolymitanam, quam apoſtoli indixerant, ſe contulit. Ibi quæſtione, quam de operum legalium neceſſitate ſibi pſeudoprophetæ moverant, diſcuſſa; ad QUARTAM ſe accinxit peregrinationem, & Antiochiæ Petrum, quod in gratiam Judæorum judaizaret, & gentes offenderet, increpavit *Gal. II.* & à Barnaba disjunctus, adſcito in ſocietatem Syla, Aſiam petiit. Sed prohibitus à Spiritu illic locorum docere, vocatusq; nocturna viſione in Macedoniam: Philippis ſpiritum Pythonicum ejecit, flagellatusque & in carcerem conjectus, divinitus liber evaſit. Evangelio deinde Theſſalonicæ & Berrhœæ inter multas turbas à Judæis excitatas prædicato, Athenis cum philoſophis diſputavit. Hic Dionyſium Areopagitam convertit: Corinthi ſeſqviannũ ſubſtitit: per Epheſum, Cæſaream, & Antiochiam, Hieroſolyma rediit. QVINTA peregrinatione, recta Epheſum reverſus, donis Spiritus S. XII. fratribus impetratis, biennium in hac urbe conſumſit, cum ut idolomaniam Epheſiorum inveteratam deſtrueret, tum ut doctrinam ſuam ex emporio illuſtri in plures provincias longe lateque diſſeminaret *Actor. XIX. & XX.* Quam ob cauſam ipſe ſcribit *1. Cor. XVI, 9.* ſibi eſſe Epheſi magnum & efficax oſtium ad prædicandum evangelium apertum: ſed non ſine variis difficultatibus. Nam & cum beſtiis ibi depugnavit *1. Cor. XV, 32.* & tandem ob Dianam, cujus numen aſpernabatur, ejectus, per Macedoniam, Græciam, Troada (ubi Eutychum juvenem de tertia contignatione delapſum, in vitam revocavit) perque multa Aſiæ loca Hieroſolyma repetiit. Sed à Judæis ſpretæ legis Moſaicæ accuſatus, vix beneficio Cl. Lyſiæ evaſit: & captivus in SEXTA peregrinatione Cæſaream primo ad Felicem præſidem; deinde poſt biennalem captivitatem Romam miſſus eſt. In hoc itinere naufragium ad Melitam inſulam paſſus, Romæ alio biennio, non ſine inſigni evangelii incremento, hæſit in cuſtodia, donec à Nerone abeundi poteſtas ei fieret. Inviſit igitur ultimo

timo hoc itinere eccleſias Syriæ, Aſiæ, Græciæ. Inde reverſus, in Italia, Gallia, Hiſpania, quin & in Illyrico *Rom. XV. 19.* & in aliis occidentis partibus ſemen evangelii ſparſit, reverſusque Romam, anno imperii Neronis X. capite mulctatus occubuit: tribus militibus, ſi credimus Martyrologio Romano, ſub ipſo martyrio converſis. Contigit divini apoſtoli martyrium paucis ante annis, quam ſancta civitas exſcinderetur, ne vir pius videret ſuæ gentis, pro qua anathema fieri voluerat, lamentabiles miſerias & triſtem interitum. Traditiones interim mittimus de duplici miraculo ad locum martyrii ejus facto, quo ex venis apoſtoli non ſangvis ſed lac profluxiſſe, & è trino ſaltu capitis tres fonticuli dulcis aquæ prorupiſſe, nulla prorſus autoritate majorum, dicuntur. Eccleſia adhuc divinis hujus apoſtoli epiſtolis plantatur & erigitur: quarum qvidem XIV. numerantur, ſi, quæ ad Hebræos conſignata eſt, quod plerique non ſine cauſa putant, etiam Pauli eſt.

XVI. Hiſtoriam diſcipulorum Chriſti, aliorumque virorum egregiorum, quorum mentionem Scriptura injicit, jam expecto.

Omnes prima eccleſiæ ætate in Chriſtum credentes, vocatos eſſe fratres, ſanctos, fideles, & diſcipulos Chriſti, certum eſt. Ab ipſo tamen Chriſto LXXII. ex aliis ſegregati ſunt *Luc. X.* ut eſſent quaſi ſeniores eccleſiæ colligendæ, & Sanhedrin Chriſtianum conſtituerent. Hi, ut diſtingverentur ab aliis eccleſiæ doctoribus, dicti ſunt deinde diſcipuli antiqui *Act. XXI.* quorum catalogum etſi Dorotheus & alii nectere conati ſunt, nihil tamen certi dixiſſe videntur. Nam in eo omnem pene operam inſumunt, ut, quorum nomina in epiſtolis Paulinis reperiuntur, eos omnes inter diſcipulos adnumerent. Quam autem ſplendidum fuerit collegium in primitiva eccleſia apoſtolorum, diſcipulorum, & virorum aliorum ſanctorum: facile conjicitur, ſi ex multis paucos ſaltem numeremus. Conſpicuus ibi fuit *verus ille Iſraëlita Nathanael*, in quo dolus non erat *Joh. I.* quem tamen, ſecundum Auguſtinum in Johannem, inter apoſtolos Dominus non elegit, quod doctor legis eſſet: doctor deinde Biturigum in Gallia. Excelluit *Nicodemus*, magiſter ille in Iſrael, qui Chriſtum pernox audiit *Joh. III.* & in conſeſſu pontificum libere de eo ſententiam tulit *Joh. VII.* inque cruce tandem mortuum honorifice ſepeliit *Joh XIX.* Extat in monumentis Patrum orthodoxographis ejus evangeliũ de paſſione & reſurrectione Chriſti; ſed exiguæ apud cautos autoritatis. Emi-

nuit *Joſephus de Arimathia*, qui plus ex cruce & morte Chriſti, quam ex omnibus ejus miraculis confirmatus, hortum ſuum benedicto corpori crucifixi Domini conſecrabat tandem doctor factus Anglorum. *Simon Cyrenæus* quoque officio ſuo, quod Chriſto defatigato in bajulanda cruce præſtitit, celebris, laudem pietatis præ multis obtinuit. Præterea in oculis omnium conſtituti fuerunt ſeptem diaconi: qui ſic menſæ in illa bonorum communione miniſtrarunt, ut ſimul evangelium docerent & ſigna ederent *Act. VI.* Inter hos eminuit protomartyr in eccleſia Chriſti, *Stephanus*, cujus precibus Pauli furor eſt expugnatus: & deinde *Philippus Evangeliſta*, felix quatuor filiarum lumine prophetico coruſcantium, pater: à quo Samaritani & Cæſarienſes *Act. IIX, 1 XXI, 5.* præconium evangelii acceperunt: Simon magus eſt baptiſatus *Act. IIX, 19.* Æthiops converſus. Ob hæc omnia merito eſt vocatus evangeliſta *Act. XXI, 8.* His adde ὑπηρέτας, συνέργους & comites apoſtolorum in itineribus & laboribus, interque eos *Marcum & Lucam Antiochenum* præcipuos: quorum hic Paulo; ille (tandem patriarcha Alexandriæ in Ægypto factus, & anno IIX. Neronis martyrio coronatus) Paulo & Petro in evangelio docendo, ſcribendo, operam navavit fidelem. Adde quoque *Barnabam Cyprium*, virum indefeſſum, & in obeundis legationibus, vique veritatis docendæ tam ſolertem, ut inter ipſos apoſtolos numerari meruerit *Act. XIV.* Quid præterea dicam de illis Pauli deliciis, *Timotheo & Tito*, hoc epiſcopo Cretenſium & Dalmatarum; illo Epheſiorum, tandem ob Dianæ ſacra lapidibus obruto; utroq; apoſtoli fideli cooperario? Quid de *Trophimo, Oneſimo, Tychico, Epaphrodito, Philemone* diſcipulis & fratribus Pauli? Quid de Anania, qui catechiſta Pauli, cui primus voluntatem Domini *Act. 9.* annunciavit & in Syria deinde evangelium docuit? Pertinent huc *Candacis eunuchus Actor. VII.* doctor poſtea Æthiopiæ: *Lazarus reſuſcitatus* Maſſiliæ: *Lucas Cyrenenſis Act. VIII, 1.* in Vindelicia & Rhætiis: *Crescens Phil. IV, 3.* Moguntiæ: *Dionyſius Act. XVII, 34.* Pariſiis: unicus viduæ filius, à Chriſto reſuſcitatus, quem putant *Maternum* fuiſſe, Coloniæ: *Jaſon Act. XVI, 5.* quem Paulus Tarſi reliquit: *Creſcens II. Tim. IV, 10.* Galatarum doctor: *Soſthenes 1. Cor. I, 1.* qui una cum Paulo primam ad Corinthios epiſtolam ſcripſit: *Ariſtarchus, Gajus, Epaphra, & alii ſynergi Pauli Act XIX. 28 Philem. v. 23. Antipas, Pergami epiſcopus martyr Apoc. II.* quos omnes ſpiritus animavit ad heroicam in fide conſtantiam, in propagando evangelio ſolertiam, in tolerandis adverſitatibus fortitudinem, in vita denique integritatem. *Si LXXII. diſcipulos Chriſti*, ex Dorotheo aut aliis

Horum quidem Diſcipulorum: ſed non ubique locorum, quibus prædicarint, nomina, locis citatis leguntur.

aliis recenſere vellem, incertus catalogus pro hiſtoria mihi venditandus eſſet. De *Hermete*, Pauli diſcipulo *Rom XVI.* cujus liber, quem ab angelo apparente in habitu paſtoris Paſtorem inſcripſit, apud veteres valde celebris fuit, hic etiam locus dicendi eſſet. Sed tres illi libri paſtorales, quos hodie in Bibliotheca Patrum & alibi legimus, ſuſpectæ & nullius fidei ſunt.

XVII. Cum tantorum virorum & heroum opera uſus, regnum ſuum propagaverit Chriſtus, non mirum eſt, ſi incrementa illud ſumpſerit.

In univerſo mundo omni creaturæ evangelium prædicandum erat. Strenuis igitur, & ad quemvis impetum ſuſtinendum aptis doctoribus res agi debuit: à quibus etiam eo res eccleſiæ deductæ ſunt, ut jam ſuo tempore apoſtolus gloriari poſſet *Rom.X.Gal.I.* in omnes terras, & in fines orbis terrarum exiiſſe ſonum verbi, & evangelium prædicatum eſſe apud univerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt. Ex Palæſtina enim, poſt diſperſos ex Judæa diſcipulos *Act. IIX, 1.* vicina primum loca luce grata ſunt colluſtrata. Inde pedetentim lætum nuncium ſalutis in remotiores gentes eſt deportatum. In SAMARIA, SYRIA & vicinis locis Idumææ, præter apoſtolos, ſubinde illuc locorum commeantes, operam evangelio propagando locaverunt *Philippus* evangeliſta *Act. IIX, 6.* *Ananias*, qui ipſum gentium doctorem docuit *Act. IX, 10.* & *Thaddæus*: in CILICIA apud Tarſenſes *Jaſon*: in ARABIA *Judas Lebbæus* apoſtolus. ÆGYPTUM & vicina Barbariæ loca erudierunt *Simon Cananæus apoſtolus*, & *Marcus evangeliſta*. ÆTHIOPIAM *Matthæus* & *Matthias apoſtoli*, & *Eunuchus Candaces*. In ASIA ſeptem epiſcopos conſtituit *Johannes*. In illa ipſa Paulus *Pamphiliam*, *Piſidiam*, & plura alia loca convertit. *Galatiam*, *Cappadociam*, *Bithyniam*, *Pontum*, *Phrygiam* & vicina regna Petrus, Paulus & Philippus fide imbuerunt. Penetrarunt in *Aſiam ſuperiorem*, *inque Armeniam*, *Parthiam*, & *Indiam*, Philippus, Thomas, Bartholomeus, Simon Zelotes. Philippus diaconus *Actor. VII.* factus eſt epiſcopus *Trallenſium* in Aſia; Prochorus, alter diaconus *Nicomediæ* in Bithynia: Timon, tertius, *Boſtri apud Arabes*; Nicolaus, quartus, *Sipriæ. Byzantinis* præfuit Stachys; *Smyrnenſibus* Apelles & Polycarpus; *Niceæ* Caliſtus; *Patrarum eccleſiæ* Narciſſus, & poſt eum Herodion; *Hierapoli* Papias. Et AMERICAM, quæ olim per colonos cœpta eſt habitari, illis ipſis fretis, ingreſſos eſſe apoſtolos certa fides eſt. In SCYTHIA *Sogdiani* & *Sacæ* Andream acceperunt doctorem.

Conſule Alſtedii Chronol. 34. à p. 333. ad 338. Hornejum lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 7. §. 2. & ſeqq.

ctiorem. In GRÆCIA *Athenas*, *Corinthum*, *Theſſalonicenſes*, *Philippenſes* erudiit Paulus, & *Philippenſibus* dedit epiſcopum Epaphroditum; *Corinthiis*; *Theſſalonicenſibus* Silvanum Silam; *Galatis* Creſcentem; *Cretenſibus & Dalmatis* Titum; *Epheſiis &* Timotheum: cui ſucceſſit Oneſimus; *Pannonibus* Andronicum; *Macedonibus* Urbanum; *aliis* alios. Idem varias INSULAS, interque illas *Cyprum*, *Rhodum & Melitam* fama evangelii implevit. In BRITANNIA fuiſſe apoſtolos teſtatur Euſebius lib. III. de demonſtr. evang. cap. VII. interque conditores Britannicarum inſularum nominantur Paulus, Simon Zelotes, Joſephus de Arimathia & Ariſtobulus. Lucius certe, rex Anglorum, & Donaldus, rex Scotiæ, jam ſeculo ſecundo fidem Chriſti amplexi ſunt. In ITALIA præter Petrum, Paulum, Barnabam & Marcum, ſemen ſalutis ſparſerunt, ut teſtantur ſcriptores, qui ſingula loca ſibi deſcribenda ſumſerunt, *Patras*, *Epaphroditus & Sabinianus*, tres ex LXXII. diſcipulis: ille Hadriæ; iſte Terracini, hic Senis. Ravennæ docuit *Apollinaris* martyr, ejusque ſucceſſor *Eleucadius*, antea Platonicus Philoſophus; Mediolani & in Lombardia *Barnabas*; Patavii *Proſdocimus*; Luccæ *Paulinus*; Papiæ *Syrus*; Peruſii *Herculanus*; Spoleti *Britius*; Volaterræ *Romulus*; Mutini *Cletus*; Cæſenate *Primus*; Florentiæ *Frontinus*; Piſis *Perinus*. In GALLIIS concionatus eſt apud Bituriges & Treviros *Nathanael*; in Maſſilia *Lazarus à mortuis reſuſcitatus*; Toloſæ *Saturninus Petri diſcipulus*; Pariſiis *Dionyſius Areopagita*; *Eleutherius & Ruſticus*; Auguſtoduni in Burgundia *Amator*; Metis *Clemens*; Arelate *Trophimus*; Leodii *Photinus martyr, prædeceſſor Irenæi*; Viennæ *Creſcens*; Remis & Sveſſione *Sixtus*; Lemovici *Martialis*; apud Helvetios *Felix & Regulus*. Nec HISPANIAM excidiſſe apoſtolis ex *Rom. XV.* conſtat: crediturque *Eugenius* primus epiſcopus Toletanus. In GERMANIA *Maternus*, quem habent pro unico viduæ filio à morte exſuſcitato, prima eccleſiæ fundamenta poſuit Coloniæ; *Creſcens* Pauli diſcipulus Phil IV. 3. Moguntiæ; *Eucharius* Treviris; Beatus *Conſtantiæ*; *Lucius Cyreneus*, cujus mentio fit *Actor. XIII, 1.* in Vindelicia & Rhætiis; *Marcus* ſecundum Aventinum in Norico; *Valerius* Argentinæ; *Agiatus* prope Lunæburgum. Hinc recte Tertullianus jam ſuo tempore, ſeculo ſecundo, dicere poterat in libro adverſus Julianum: Chriſto jam ſuo tempore credidiſſe Parthos, Medos, Elamitas, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, Pontum, Aſiam; Pamphiliam, Ægyptum & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenen: Romanos item incolas, Getulos, Mauros, Hiſpanos, Gallos. Quibus addit, *ut ipſius verbis utar*, Britannorum inacceſſa Romanis loca, ſed

Chri-

Chriſto ſubdita, & Sarmatarum, Dacarum, & Germanorum, & Scytharum, & ABDITARUM MULTARUM GENTIUM & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus. Quæ autem loca & quas provincias poſt apoſtolorum demum tempora converſas legimus, eas aut accedentes apoſtolos non recepiſſe, aut fidem ſemel ſuſceptam poſtea neglexiſſe, certum eſt. Illos, qui varios populos, multis ab apoſtolorum tempore elapſis ſeculis, Chriſto lucrati ſunt, inſtauratores potius Chriſtianæ religionis, quam autores dixeris. Aut ſi autores dici poſſunt, converterunt illos, qui quidem nondum nomen Chriſto dederant, ſed tamen à Chriſtianis ſubinde fruſtra moniti, de regno Chriſti inaudiverant.

XIIX. Quosnam doctores accepit Eccleſia, Apoſtolis & reliquis diſcipulis defunctis?

Apoſtolos paſſim locorum epiſcopos conſtituiſſe, ex ſuperioribus conſtat. Hi ſe continua ſerie exceperunt, licet ſæpe perſecutionibus interturbati.

IN HIEROSOLYMITANA eccleſia ab Euſebio numerantur ad perſecutionem usq; Domitiani XXXIX: quorum primus fuit *Jacobus major*: alter *Simeon* Cleophæ filius, martyr; tertius *Juſtus*. Hinc *Zachæus*: *Tobias*: *Benjamin*: *Johannes*: *Matthias*: *Benjamin*: *Philippus*: *Seneca*: *Juſtus*: *Levi*: *Ephrem*: *Joſes*: *Judas*, ultimus ex progenie Judæorum. Hinc XIIX. *Marcus*, primus ex gentibus epiſcopus, poſt fatale illud Judæorum excidium, ad quod immanitate eorum imperator Adrianus mira Dei providentia eſt protractus. Nam, *quod dicit Sulpitius Severus lib. 2. hiſtor. ſacr.* Adrianus exiſtimans, ſe Chriſtianam fidem loci injuria peremturum, in templo ac loco Dominicæ paſſionis dæmonum ſimulacra conſtituerat. Et quia Chriſtiani ex Judæis potiſſimum æſtimabantur (namq; tum Hieroſolymis non niſi ex circumciſione habebat eccleſia ſacerdotem, & Chriſtus ſub legis obſervatione colebatur) militum cohortem in præſidiis urbis quondam ſanctæ collocavit, qua omnes Judæi aditu urbis arcerentur. Hac ratione legis ſervitus à libertate fidei atq; eccleſiæ ſublata eſt, Marco ex gentibus apud Hieroſolymitanos Epiſcopo conſtituto. Poſt Marcum erant *Caſſianus*: *Publius*: *Maximus*: *Antonius*: *Gajanus*: *Symmachus*: *Cajus*: *Julianus*: *Capito*: *Maximus*: *Antoninus*: *Valens*: *Polichianus*: *Narciſſus*, duodecimus à Marco, & ita in ordine XXX. qui quum falſo à malevolis de vita impudica accuſaretur, in ſolitudinem ſeceſſit:

Euſeb. lib. 6. Hiſtor. Eccl. cap. 7. 8 9. Sulpit. Sever. Hiſt. Sacr. lib. 2. Horn. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 10.

ceſſit: unde tandem accuſatoribus ejus divinitus punitis, revocatus, denuo epiſcopus ordine XXXIV. poſt *Ælium, Germanium & Gordium* factꝰ eſt, vir variis donis & imprimis miraculorum excellens. Succeſſor illius *Alexander*, viſione nocturna Hieroſolymitanis ad epiſcopatum commendatus, celebris ob confeſſionem & certamina in binis ſub Severo & Decio perſecutionibus, tandem honeſta canicie grandævus, martyrio eſt coronatus, *Euſeb. lib. 6. cap. 7. 8. 9.* Hunc ſecuti ſunt *Mazabanes, Hymenæus, Lebdas* ſeu Zambias, *Hermon Macarius*, qui interfuit concilio Nicæno.

Euſeb. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 36. Irenæus lib. 5.

In ANTIOCHENA eccleſia primo præfuit PETRUS (*ſi Euſebio credimus*) deinde *Evodius Martyr*; tertio *IGNATIUS*, θεοφόρος etiam dictus; quem Nicephorus unū putat fuiſſe ex pueris, quos Dominus amplexibus ſuis dignatus eſt. Varias epiſtolas de rebus graviſſimis edidit: quarum aliquæ ſuperiori ſeculo lucem viderunt: quanquam ſunt corruptæ; nonnullæ etiam ſuppoſititiæ. In illis teſtatur, ſe Dominum poſt reſurrectionē in carne vidiſſe. Tandē ſub Trajano, cujꝰ idololatriam & immanem piorum perſecutionem, coram redarguerat, frumentū hoc Chriſti non Antiochiæ, ne tumultus oriretur, ſed in ipſo orbis terrarum theatro, Romæ, beſtiarum dentibus molitum eſt, ut mundus Dei panis inveniretur. Succeſſere illi *Hero* martyr: *Cornelius*: *Hero II.* THEOPHILUS, multorum liberorum confector: ex quibus contra Chriſtianæ religionis calumniatores Autolyco nomine elementorum doctrinæ Chriſtianæ inſcripti, ut & commentaria in quatuor evangelia, ad noſtram usq; ætatem pervenerunt: nec tamen niſi cum judicio legendi, cum periculoſi modi loquendi in iis deprehendantur. Poſt Theophilum Antiochiæ præfuere *Maximinus*: *Serapion*, ſcriptor eloquentia inſignis, cujus opera recenſet Euſebius: *Aſclepiades*: *Zebinus*. Duodecimus BABYLAS, vir ille, ut Chryſoſtomus ait, magnus & admirabilis, qui quod Decium imperatorem ob fædifragiū à templo animoſe repuliſſet, martyrium conſummavit. Ad oſſa ejus perlata in Daphnea, ſuburbium Antiochiæ, oracula obmutuerunt, nec Juliano Apoſtatæ reſpondere prius potuerunt, quā illa auferrentur, *ceu teſtatur Chryſoſtomus, & tripartita hiſtoria.* Poſt Babylam præfuere Antiochenis *Fabius*: *Demetrianus*: *Paulus Samoſatenus*, qui ob hæreſin circa annum CCLXX. eſt in concilio Antiocheno depoſitus; *Domnus*: *Timæus*: *Cyrillus*: *Tyrannus*: *Vitalis*: *Philogonius*: *Paulinus ſeu Eulalius*: *Paulus*: *Euſtathius*, qui interfuit ſynodo Nicænæ.

Euſeb lib. 4. Hiſt. cap. 22. Cent. Magd. Cent. 2. pag. 169. 170. 171.

Chryſoſt. Orat. in Juvent. & Max. contra Gent. Baron. A. C. 253. 351. 362.

In ALEXANDRINA eccleſia Ægypti præfuere ordine *Marcus*,

cus, martyr: *Anianus*: *Abilius*: *Cerdo*: *Primus*: *Eumenes*: *Marcus*: *Celadion*: *Agrippinus*; *Julianus*: *Demetrius*, qui à decimo Commodi anno totos XLIII. annos ſumma fide & zelo evangelium docuit & propagavit, & famoſam academiam Alexandrinam aut Chriſto aperuit, aut rectius conſtituit, cui *Pantænus*, *Clemens* & *Origenes*, illuſtriſſimi viri continua ſerie præfuerunt PANTÆUS, primo Stoicus philoſophiam, deinde catechiſtes veritatem cœleſtem docuit, tandem ab incolis Indiæ, Brachmanibusque, à philoſophia celeberrimis, evocatus, religionem in disſitis illis locis feliciter curavit, & evangelium Matthæi Hebræum opera Bartholomæi ab iis receptum, Alexandriam ſecum aſportavit. Cujus auditor & ſucceſſor CLEMENS ALEXANDRINUS, patria Athenienſis, alias dictus Titus Flavius Clemens, circa annum CC. ſub Severo & Caracalla, non ſaltem populum ſibi commiſſum ore mellifluo docuit, ſed & liberis editis, è quibus adhuc extant libri octo Stromatum, tres Pædagogi, oratio exhortatoria ad gentes, profundisſimæ omnes eruditionis, ſuſceptisque in alias eccleſias peregrinationibus, utilisſimam Chriſto navavit operam, in doctrina tamen de cœna non ſatis orthodoxus, & ob id poſtea à Chryſoſtomo & aliis reprehenſus. DE ORIGENE, qui in ſchola præceptori Clementi ſurrogatus eſt, poſtea dicetur. Cæterum poſt Demetrium, ſub Gordiano, epiſcopatum Alexandrinum duodecimus ſuſcepit *Heraclas*, Origenis primum diſcipulus & ſucceſſor in ſchola; poſt epiſcopus & beatus Papa, ut eum nominat decimus tertius DIONYSIUS ALEXANDRINUS, ejus & in ſchola, & deinde in eccleſia ſucceſſor, multis epiſtolis apud Euſebium clarus: qui ſub Decio ad martyrium quæſitus, fuga ſe ſalvavit, & deinde ſub Valeriano expulſus, multos in Cephro Libyæ convertit: tandemque à militibus ad aſperiora loca abducendus, ex compoſito à ruricolis captus & ſervatus eſt: reverſusque Alexandriam, ſenex diem obiit. Fuit circa hæc tempora Dionyſii Alexandriæ celebris *Ammonius Alexandrinus*, cujus canones ſeu Harmonia evangelica adhuc extat. Ejus auditor per annos XI fuit *Plotinus Ægyptius*, quanquam paganiſmi tenax, & Platonicæ Philoſophiæ apud Romanos doctor: cui ſe poſtea ſociavit *Porphyrius Tyrius*, ex Chriſtiano paganus. Poſt Dionyſium Alexandrinam eccleſiam rexere *Maximus*: *Theon*: *Petrus martyr*: *Achilles*: *Alexander*, tempore Arii, quocum illi graviter fuit confligendum. Et hic interfuit concilio Nicæno, illiq; ſucceſſit *Athanaſius*.

Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 10.

Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 6. & 12. Magd. Cent. 2. cap. 4. & 10. Oſiand. ead. Cent. Lib. 4. cap. 9.

Euſeb. eod. lib. cap. 33. 34. 37. &c. Hieron. de vit. illuſt. Gerh. in Patrol. p. 177.

XIX. Satis multa de epiſcopis Hieroſolymitanis Antiochenis, & Alexandrinis. Explica jam etiam Romanos.

Id deinde fecero, ſi primum doctores alios in prima eccleſiæ ætate conſpicuos deſcripſero. Inter eos *DIONYSIUS Areopagita* primo loco recenſendus eſt, quem Paulus *Act. XVII.* convertit. Eum nonnulli putant, factum epiſcopum Corinthiorum, multa ſcripſiſſe. Sed hiſtoriæ accuratius evolutæ oſtendunt, Dionyſium Corinthium, multorum librorum autorem, alium fuiſſe à Dionyſio Areopagita converſo, & epiſcopo Athenis conſtituto. *Euſeb. lib. 3. cap. 4. lib. 4. cap. 23.* Epiſtolæ autem & libri, qui de hierarchia cœleſti ac eccleſiaſtica, deque divinis nominibus & myſtica theologia circumferuntur, à Valla, Vive, Eraſmo, Scaligero, Riveto, ſuppoſititii cenſentur omnes, ab aliquo forte, qui quinto ſeculo vixit, conſcripti. Vulgatam illam de tenebris, ex obſcurato ſole tempore patientis Chriſti exortis, epiſtolam deridet etiam Valla. Nec tamen teſtimonium Suidæ & aliorum prorſus poſthabemus: qui dicunt, Dionyſium in Ægypto cum Apollophane philoſopho, iſtius eclipſeos tempore commorantem, pronunciaſſe: *ignotum & carne veſtitum DEUM pati*, ſeu, ut alii efferunt, *aut DEUM, aut naturam pati: aut fore, ut mundi machina diſſolvatur:* Apollophanem vero reſpondiſſe, *has eſſe rerum divinarum vices.* Fabulæ autem, quæ ferunt, Areopagitam hunc, eccleſia Pariſienſi conſtituta, decollatum ſuum caput ſuis manibus, per duo milliaria, ad locum usque illum deportaſſe, ubi poſtea nobilisſimum monaſterium in ipſius honorem erectum eſt, aniles magis ſunt, quam apoſtolicæ. Sunt, qui Dionyſium Pariſiis martyrio coronatum cenſent alium ab Areopagita.

Niceph. lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 20. Baron. in Martyrol. 9. Oct. Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. pag. 65. Gerh. in Patrol. Sec. 1. pag. 13. 14. ſeqq.

Poſt Dionyſium occurrit POLYCARPUS, Smyrnenſis epiſcopus, Aſiæ totius inſpector, Johannis diſcipulus, Ignatii amicus. Hic Romam ſe A. C. CLXVI. contulit, cum ut controverſiam de paſchate inter Aſianos & Romanos exortam conſopiret, tum ut eos, qui hæreſi Valentini & Marcionis infecti erant, ad eccleſiam Dei converteret, tum deniq; ut inviſeret Anicetum epiſcopum. Romæ cum occurrebat illi Marcion, & dicebat: *Cognoſce nos*; reſpondit: *Cognoſco te primogenitum Satanæ.* Inde reverſus anno ſequenti, Proconſulis promiſſa & minas contemnens, rogo impoſitus, cum cremari non poſſet, flamma cœlitus diviſa, & odorem incenſi thuris præbente, transfixus gladio periit. Chronicon Ale-

Euſeb. l. 4. Hiſt. Eccl. cap. 15. lib. 5. cap. 18. Irenæus libr. 3. adv. Hæreſ. cap. 3. Niceph. lib. 3. cap. 19.

Alexandrinum cum Euſebio teſtatur, eum, cum ſtadium Smyrnenſe ingrederetur, à voce cœlitus delapſa, multis audientibus, compellatum eſſe: ἴσχυε πολύκαρπε καὶ ἀνδρίζου: *Firma animum, Polycarpe, & fortiter age:* cumque Proconſul imperaret, ut Chriſto malediceret, reſpondiſſe: *Sextum ſupra LX. annum Chriſto ſervio, nec unquam ab eo ullam injuriam accepi. Quomodo ergo regi meo & ſoſpitatori maledicam?* Extat ejus epiſtola ad Philippenſes, digna, quæ legatur: ſed non ſine cauſa ſuſpecta. Hiſtoriam martyrii ejus luculenter deſcripſit *Euſebius lib.4.c.15.*

Polycarpi ſodalis fuit PAPIAS, Epiſcopus in Aſia Hierapolitanus: qui peritus quidem fuit ſacræ ſcripturæ interpres, & quinque libris, jam amiſſis, explicationes ſermonum domini ſcripſit: ſed, cum traditiones magis ſequeretur, quam quod ſcriptum reliquerant apoſtoli, nec apoſtolicas diſputationes & hypodeigmata recte intelligeret, errore Chiliaſtarum de Chriſto, mille annis in terra regnaturo, implicatus eſt. Hinc QVADRATUS & ARISTIDES extitere: quorum ille Epiſcopus, prophetico dono apud Athenienſes enituit; hic, eorundem Philoſophus, ad miraculum eloquens, ſcholæ præfuit; uterque apologias pro Chriſtianis, ille Trajano, hic Adriano exhibuit. Nec fuit irritus tantorum virorum conatus. Adrianus enim indies factus erga Chriſtianos mitior, tandem, *ceu ſcribit Lampridius,* niſi fuiſſet prohibitus, ipſi Chriſto templum extruxiſſet.

Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 33. Oſiand. Cent. 2. Lib. 1. cap. 3.

Euſeb. lib 4. cap. 3. Oſiand. loc. cit. cap. 2.

JUSTINUS Syrus, filius priſci Bachii, natus Neapoli, i. e. in Sichem Samariæ, poſtea Flavia Cæſarea dicta, Philoſophus & martyr, cum nec in Stoa, nec apud Peripateticos, nec in ſchola Platonica aut Pythagoreorum, in cognitione Dei proficeret, à venerando quodam ſene informatus, martyrumque ſpectaculis roboratus, & S. Scripturarum, tanquam tutæ & ſubtilis philoſophiæ, amore correptus, A.C. CXXIX. verus factus eſt philoſophus, & Romæ fidem Chriſti docens, acriter contra nugas gentilium depugnavit, ipſumq; imperatorem Antoninum Pium, ſenatumque Romanum elegantiſſima dicendi libertate innocentiam Chriſtianorum docuit. Proſtat præter orationem ejus paræneticam ad gentes & colloquium cum Tryphone Judæo, Epheſi habito, liber de Monarchia, & duæ ejus apologiæ, dignæ, quas legas. illis enim effecit, ut edictum fieret de illis ſaltem Chriſtianis tollendis, qui maleficii convincerentur. Tandem à Creſcente, philoſopho Cynico, quem confuderat, ἀθεότητος (ſic vocabant Chriſtianiſmum) accuſatus, coronam martyrii ſub M. Antonio Vero reportavit, virgis cæſus & ſecuri percuſſus.

Euſeb. lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 12. lib. 4. cap. 11. Epiphan. hæreſi 26. Euſeb. quoque in Chron. A. C. 144. Gerh. in Patrol. p. 76.

Gg 3 IRE-

Euſ. lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 5. 23. 26. Bellarm. de Scriptor. Eccl. ſec. 2. p. 75. Oſiand. lib. 4. c. 4. Gerh. Patrol. p. 97.

IRENÆUS, diſcipulus Polycarpi & Papiæ, *Photini martyris* nonagenarii in eccleſia Gallicana Lugdunenſi ſucceſſor: cui Euſebius inter omnes coætaneos palmam defert, & quem Tertullianus vocat omnium doctrinarum curioſiſſimum: cum adhuc eſſet presbyter, ad Aſianas eccleſias à Montani & aliorum pſeudoprophetarum erroribus abſtrahendas & quaſi ad auxiliares adverſus hæreticos copias impetrandas ablegatus eſt. Deinde epiſcopus factus, non ſaltem Valentinianos, qui in ipſam usq; Galliam penetrantes, ſuis deliriis mulieres Rhodanenſes faſcinabant, repreſſit: ſed &, Romanis vigilibus altum ſtertentibus, crebras epiſtolas Romam miſit: & hæreticis undique illuc confluentibus, viriliter ſe oppoſuit. Quin &, cum Victor, epiſcopus Romanus, orientis eccleſias, ob diverſam paſchatos celebrationem, fulmine excommunicationis feriret: convocata in Galliis Synodo, encyclicas literas, ſubjectis plurium chirographis, ad Victorem expediit: ut impotentis epiſcopi impetum frangeret. Libri ejus omnes periere præter quinque; qui contra Valentini & aliorum hæreſes magno acumine ſcripti, & ex Græco in Latinum ſermonem aſperius ab anonymo verſi ſunt. Memorabile eſt, quod Irenæus libro V. contra hereſes, nomen Antichriſti quærit in λατεῖνος, quod literarum in eo quantitas correſpondeat numero IↃCLXVI. & Latini imperium Orbis jam tunc haberent. Notatur in eo, quod docuit, animas piorum non videre Deum ante reſurrectionem: item Chriſtum in terris ante extremum diem mille annis in regno politico cum ſuis verſaturum.

Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 22. lib. 4. cap. 8. 21. Gerh. in Patrol. p. 92.

Nec HEGESIPPUM prætereundum judicavi, qui quo loco Chriſto inſervierit, incertiſſimum eſt. E Judaiſmo tamen ad Chriſtum fuiſſe converſum, & verſus Romam itinere ſuſcepto, cum Aniceto & Eleuthero aliquandiu de doctrina Chriſtiana contuliſſe, Euſebius teſtatur. Quinque ejus commentarios de actibus eccleſiaſticis, à paſſione Chriſti ad ſua usque tempora, invidit nobis injuria temporis: præter ea fragmenta, quæ in Euſebio leguntur. Libri vero de excidio Hieroſolymitano, qui hodie in manibus noſtris ſunt, recentiores ſunt, quam qui huic Hegeſippo tribui debeant

Bellarm. ſec. 1. p. 67. Baron. A. 74. n. 15.

Præfuerunt præterea circa hæc tempora multis in locis multi: quorum ſeriem deducere nec pagellæ permittunt, nec neceſſitas flagitat. Ex multis præcipui fuerunt, *Martialis*, epiſcopus in Gallia Lemovicenſium, cujus duæ epiſtolæ, utut ſuſpectæ fidei, extant: *Apollinaris*, epiſcopus Hierapolitanus, & *Athenagoras*, philoſophus Athenienſis, qui apologeti-

cos

cos libros Antonino imperatori pro Chriſtianis exhibuerunt. Athenagoras etiam egregio libro reſurrectionem mortuorum ſtabilivit, qui adhuc extat: *Melito Sardenſis*, qui & ipſe pro fide noſtra coram Antonino docta apologia decertavit, &, *teſte Euſebio lib. 4. cap. 25.* profectus in orientem: eum ipſum numerum librorum V. T. qui à nobis hodienum receptus eſt, retulit. libroſque edidit egregios, quorum titulos legentes, tantum theſaurum periiſſe, ingemiſcimus: *duo Apollonii*, unus ſcriptor eccleſiaſticus contra Montanum; alter ſenator Romanus, ob rationem de religione Chriſtiana ſub Commodo in ſenatu redditam, ſecuri ſubjectus: *Rhodon*, *Bardeſanes Syrus*, & *Miltiades*, in hæreticis confutandis indefeſſi: *Meletius*, Tertulliano propheta; aliis mel Atticum ob facundiam vocatus: *Minutius Felix*, Tertulliano ſynchronus, ſub Severo florens, dialogo eleganti inter Judæum & Chriſtianum edito, qui quondam pro IIX. libro Arnobii venditus eſt, inclaruit. Hoc ipſo tempore innotuere *Zeno martyr*, epiſcopus Veronenſis, cujus varii ſermones Veronæ nuper editi ſunt: *Victorinus*, epiſcopus Pictavienſis, cujus commentarius in Apocalypſin in bibliotheca Patrum legitur: *Methodius Martyr*, epiſcopus Tyri, è cujus multis libris fragmenta tantum ſuperſunt. Alius fuit *Methodius*, epiſcopus Patarenſis, cujus libellus revelationum de Saracenis & Turcis circumfertur, ſed fidei dubiæ: *Dorotheus Tyrius*, cujus ſynopſis de vitis apoſtolorum nota: tandem *S. Gregorius*, antea Theodorus, epiſcopus Neocæſarienſis, auditor Origenis, quem à magnitudine miraculorum, & colloquio cum Deo, *Euſebius libro 7. cap. 25. teſtatur* appellatum fuiſſe *Thaumaturgum*. Quantus vir fuerit, indicat *Baſilius Magnus libro de Spiritu S. cap. 29. Ceterum*, inquit, *Gregorium magnum & illius voces quo loco ponam? An non cum apoſtolis & prophetis virum, qui eodem ſpiritu, quo illi, verſatus ſit? Equidem illud dixerim. Profecto injuria afficeremus veritatem, ſi non animam illam annumeremus iis, qui Deo juncti ſunt. Ceterum prædictiones de futuris ejusmodi ſunt, ut nihilo ſit inferior ceteris prophetis. Sed omnino perlongum fuerit, viri percenſere miracula, qui propter donorum excellentiam, quæ in ipſo operabatur Spiritus in omni virtute, ſignis ac prodigiis, ab ipſis etiam veritatis hoſtibus alter Moſes appellatus fuit.* Cum Neo-Cæſareæ epiſcopus conſtitueretur, XVII. tantum homines invenit Chriſto deditos: cum diem obiret, XVII. tantum gentiles reliquit: Reliquos omnes ad fidem converterat. Cum juvenis adhuc Alexandriæ gravem quæſtionem cum viris doctis tractaret, *Nyſſenus refert*, meretriculam quandam, ab æmulis immiſſam, mercedem turpitudinis importune poſtulaſſe:

Euſeb. lib. 4. c. 25. Bellar. p. 73. Baron. A. C. 48. §. 12.

Hieron. de Script. Eccl. Bellarm. Oſiand. & Gerh. l. c.

ſtulaſſe: cum nihil turbatum jusſiſſe pecuniam illi numerare, ne interrumperetur colloquium: fœminam autem ſubito correptam maligno ſpiritu, non prius eſſe liberatam, quam Gregorius ad Deum preces pro illa funderet. Clari quoque fuere *Julius Africanus*, Chronologus & hiſtoricus egregius, familiariter Origeni notus: *Ammonius Alexandrinus*, commentario de Moſes & Jeſu conſonantia & concordantia celebris, cujus jam mentionem fecimus: *Hippolytus martyr*, Epiſcopus Portuenſis, plurimis illuſtris commentariis, ex cujus cyclo paſchali XVI. annorum Euſebius cyclum XIX. annorum invenit: *Lucianus*, presbyter Antiochenus, martyr, tempore Diocletiani, qui Hebræum codicem in linguam Græcam tranſtulit, cujus jam mentio facta. Inter ſcriptores eccleſiaſticos Hieronymus etiam refert, quanquam Judæum, ſacris noſtris non initiatum, *Philonem*, ſcriptorem doctisſimum, qui floruit ſub Cajo Caligula, & ſcripturas V. T. expoſuit. Cui merito accenſendus eſt *Joſephus*, antiquitatum Judaicarum ſcriptor, quem non ſine cauſa ob verum de Chriſto teſtimonium magnifacimus.

XX. Origenis hiſtoriam, ut promiſiſti, nunc tandem adde. Cuique Tertulliani & Cypriani mentionem nondum in Patrum catalogo feceris, qui tamen & ipſi in prima ætate eccleſiæ ſub imperatoribus ethnicis vixerunt, eorum quoque vitam velim mihi deſcribi.

Peculiariter eos conſiderabimus, cum quia eorum hiſtoria aliquantulum prolixior eſt, tum quia præ reliquis Eccleſiæ doctoribus hoc peculiare habuerunt, ut quidem inſignem fidei operam navaverint, ſed & inſignibus eam erroribus infecerint. Tertullianus enim lapſus eſt in hæreſin; Origenes in malum ſenſum; Cyprianus in abuſum baptiſmi.

Euſeb. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. Hieron. in Catal. Scriptor. Illuſtr. pag. 74. Vincent. Lerinenſ. in Commonit. c. 23. Epiphan. in Hæreſi Origen. Horbius de Origene & Origenianis.

ORIGENES, patria Ægyptius, ſtemmate, indole & doctrina omnium nobilisſimus, cognomine Adamantius, cum patrem Leonidem, virum pium & eruditum, ad martyrium, ad quod eum exhortatus fuerat, ſequi non poſſet, ut volebat, prohibitus à matre: quæ, ne egredi, ſeque ad mortem ultro offerre poſſet, dormientis veſtem ſurreptam abſconderat: ſubſtantia omni paterna in ærarium imperatoris delata, à divite fœmina liberaliter receptus, anno ætatis XVIII. Grammatices profesſione ingenium Alexandriæ omnibus commendavit. Poſtea à Demetrio

metrio epiſcopo munus Catechiſtæ ei impoſitum eſt: cui quidem tanta cum laude præfuit, ut pene ſolus ſapere videretur. Hebræa ſimul & Græca docuit lingua, & theologiam artibus philoſophicis egregie exornavit: in ſe tamen & corpus ſuum nimis ſævus. Ad inhibendam enim luxuriam *ſi credimus Euſebio l. 6.c.8.* membris genitalibus vim intulit. Hinc, cum Arabum rex mitti ſibi ab epiſcopo doctorem peteret, profectus ad eum Origenes, multum laboris in effera gente ad Chriſtum deducendum inſumſit. Ex hoc itinere etſi Alexandriam ſe recepit, ſæpius tamen inde jam in Palæſtinam, jam Antiochiam, jam in Achaiam diſceſſit, ut hæreticis, illic locorum virus ſuum ſpargentibus, ſeſe opponeret. Tandem virtutibus invidiam epiſcopi ſui Demetrii adeo provocaverat, ut excommunicationis ſententia in eum, tanquam minus orthodoxe in libris evulgatis ſentientem, proferretur. Relicta igitur ſchola Alexandrina, Cæſareæ ludum theologicum in ſocietate egregiorum virorum aperuit, & inter diſcipulos habuit Gregorium Thaumaturgum, Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ epiſcopum, & ejus fratrem Arthenodorum, Ponti epiſcopum. *Epiphanius, Suidas, & Nicephorus, neſcio qua fide, afferunt*, eum in perſecutinne Deciana poſt varia tormenta ad aram ductum, cum corpus ſuum turpiſſimo Æthiopi contaminandum nollet dare, Diis thus adoleviſſe, & ob eam impietatem excommunicatum, inque pravas opiniones prolapſum, in Judæam ſeceſſiſſe, ibique verba ad plebem facturum, nil dixiſſe aliud, quam iſtud Davidicum: *Peccatori dixit Deus: ut quid tu annumeras juſtificationes meas, & uſurpas teſtamentum meum in ore tuo? Euſebius lib. 6. cap. 39.* martyrium ejus honeſto dignatur elogio. Libros illius quod attinet, quorum quidem tot ſumma & ſubtili eruditione conſcripſit, quot vix alii legerunt: quorumque reliquias tomis duobus digeſtas habemus: ſciendum eſt, eum demum anno ætatis LX. notariis feciſſe copiam omnium illorum excipiendi, quæ hactenus publice docuerat & diſputaverat. Et quidem à divite quodam & ingenioſo viro, Ambroſio, quem ab hæreſi Marcionis converterat, ad commentarios in S. Scripturam ſcribendos impulſus, VII. fatigavit notarios, & puellas non pauciores ad ſcribendum exercitatas: qui invicem ſibi per horas ſucceſſerunt. Congeſſit *tetrapla*, mox *hexapla*, tandem *octapla*, h. e. opus novum Biblicum, in quo legendi erant I. *textus Hebraicus Hebraice*, II. *idem Græco Charactere deſcriptus*, III. verſio LXX. interpretum ſub Ptolemæo Philadelpho rege. IV. *translatio Aquilæ Pontici*, ſub Adriano ad Judaiſmum, nomine Chriſti

ejurato transgreſſi. V. *Symmachi Samaritani* ſub Severo: qui & ipſe ſive ad Judæos ſecundum Epiphanium, ſive ad Ebionitas ſecundum Euſebium defecit. VI. *Theodotionis Epheſii*, ſub Commodo, ex hæreſi Tatiani, Marcionitarum & Ebionis, Judæi facti. VII. *Hierichuntina*, in dolio quodam reperta; & IIX. *Nicopolitana*, & ipſa in dolio Nicopoli inventa. *Tetrapla* dicebantur, in quibus legebantur LXX.; Aquilæ; Symmachi & Theodotionis translationes, in IV. columnis digeſtæ: *Hexapla*, in quibus præterea erat textus Hebraicus Hebraicis literis, & idem literis Græcis. Quantos errores vir tantus in ſuis libris incruſtaverit, quaque ratione textum perpetuis allegoriis contorſerit, indicant alii. Vulgatum eſt proverbium, teſte Caſſiodoro, quo dicitur: *Origenem ea parte qua probatur, neminem poſt apoſtolos ſibi habuiſſe parem; qua reprehenditur, omnibus deformius aberraſſe.* Id certum eſt, eum præcepta philoſophiæ, quibus penitus ex principiis Platonicis & Ariſtotelicis erat imbutus, myſteriis immiſcuiſſe divinis, & hac de cauſa variis Arianorū, Photinianorum, Pelagianorum & aliorum commentis occaſionem præbuiſſe. Unde etiam à nonnullis dicitur *omnium ſubſequentium hæreticorum prodromus.* Plerique interim ex orthodoxis, qui eum damnarunt, non tam damnarunt libros ejus genuinos (de corruptis per Ruffinum aliter cenſendum) nec tam librorum lectionem, quam errores in iiſdem. Hiſtoriæ teſtantur, A. C. CCCXCII. & iterum anno IↃXXXIIX. inſigne ſchiſma exarſiſſe de Origenis ſcriptis; quæ Johannes Hieroſolymitanus adverſus Epiphanium & Hieronymum, & poſtea Theodorus Cæſarienſis adverſus Palæſtinos defendenda ſuſcepit. Nec controverſia prius finem accepit, quam in concilio œcumenico Conſtantinopolitano II. damnaretur Origenes, quod ſcripſerat, animas hominum ante corpora præextitiſſe, & contemplatione divina exſatiatas, pœnæ gratia in corpora demiſſas eſſe: ipſam Domini animam, præexiſtentem ante incarnationem, Verbo fuiſſe unitam, & corpori in utero virginis, quia prius extiterat, ſuperveniſſe: Deum Verbum omnibus cœleſtibus ordinibus aſſimilatum eſſe: virtutem Dei terminos habere: ſupplicia etiam impiorum finē habitura: Chriſtum pro dæmonibus in ſeculo futuro eſſe crucifigendum: cœleſtia corpora eſſe animata: corpora noſtra orbiculari ſpecie reſurrectura.

Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 2. Lactant. lib. 5. cap. 1.

TERTULLIANUS Afer, Carthaginenſis, patre natus Proconſulari, philoſophus & orator ſubtilis, ad fidem Chriſti, cum Romam veniſſet, converſus: vero impulſus ardore & Chriſtianæ religionis zelo, vali-

validis ſacræ ſcripturæ armis contra Judæos, tyrannos, omnesqve adeo gentiles, Chriſtianos etiam ipſos, qui vitam fide indignam agerent, contra falſos denique fratres & hæreticos, acriter depugnavit. Digni ſunt libri ejus, qui legantur, tanquam viri eruditi & ardentis. Sic enim ab Hieronymo vocatur: qui presbyterum eum Romæ ad mediam usque ætatem fuiſſe, & inde invidia & contumeliis Romani cleri pulſum teſtatur, ſeu, quod in videretur ejus virtuti & ingenio, ſeu, quod Montano favere videretur, & latebras atque fugam tempore perſecutionis non eſſe licitã doceret. Sane, cum Roma abiiſſet, & quidem ſub Severo, plane defecit ad Montanum. Chiliaſtarum etiam errore fuit implicatus: nec de lapſu angelorum, quos concupiſcentia mulierum tactos credidit, nec etiam de libro arbitrio ſatis recte docuit: ſecundas nuptias damnavit: legitimũ etiam mariti & uxoris congreſſum contumeliam vocavit communem atqve confuſionem: Mariam poſt editum Dominum iterum nupſiſſe credidit: & quæ alia ſunt. In erroribus Montani pium virum non perſtitiſſe, ex Auguſtino probat Renatus Laurentius in vita Tertulliani, operibus ejus præfixa. Tanti eum habuit Cyprianus, ut nullum diem abire pateretur, quin in Tertulliano aliquid legerit, & notario, penſum in illo ſuum lecturus, dixerit: *Da magiſtrum.*

Niceph. lib. 2. Hiſt Eccl. cap. 8. Vincent. Lerinenſ. in Common. cap. 24. Auguſt. de Hæreſ. cap. 86. Hieron. in Catal. Script. illuſt. eq.

CYPRIANUS, itidem Carthaginenſis, ex rethore gentili, occaſione lectionis prophetæ Jonæ, Chriſtianorum doctor factus: neophytus adhuc & novel9 ad epiſcopatum in patria provectus, ob inſignem autoritatem & dona admiranda, quæ in libris & vita ejus fulſerunt, totius orientis & Hiſpaniæ eccleſiis præſediſſe, à Nazianzeno ſcribitur. Opera ejus in III tomos digeſta extant, tanta facundia, ut, *teſte Lactantio*, diſcernere nequeas, faciiior in explicando, an potentior in perſuadendo quisquam fuerit. In Decii perſecutione quæſitus ad necem, peculiari Dei monitu quæſiit latebras, & in iis, frequentibus illuminationibus confortatus, ovium ſuarum ſedulam curam egit. Incidit paulo poſt in gravem de lapſorum receptione, & iteranda eorum baptiſatione, qui ab hæreticis baptiſati erant, contentionem. Recte quidem Novatum, lapſis redeuntibus gratiam denegantem, & Feliciſſimum, qui lapſos nulla pœnitentiæ diſciplina prævia, recepit, condemnavit: ſed non facile excuſandus ipſe, quod qui ab hæreticis fuerant baptiſati, rebaptiſandos eſſe doceret. Tandem in exilium pulſus, & inde poſt annum revocatus, ſub Valeriano nobile martyrium conſummavit: vir nunquam ſatis laudatus. Id inprimis obſervandum de Cypriano,

Lactant. lib. 5. Inſtit. c. 1. Aug. lib. 2. cont. Creſcon. cap. 32. lib. 2. contra Donat cap. 1. Pontius Diac. & Pamel. in vit. Cyp.

quod translationem cauſarum eccleſiaſticarum aliunde ad ſedem & eccleſiam Romanam aperte epiſtola LV. & LXIIX. condemnaverit. In libro de unitate eccleſiæ plane primatum Petri ſubvertit. Libri ejus, ingenti crimine falſi, à præfectis typographiæ Vaticanæ anno cIↄ IↄLXIII. corrupti ſunt.

XXII. *Progrediemur jam, ſi lubet, ad hiſtoriam epiſcoporum Romanorum.*

Leguntur Bilſonus de Gubern. Eccleſ. Montacut. de Orig. Eccleſ. Marc. Ant. de Dominis de Republ. Eccleſ. Salmaſius de Primatu Papæ. VVitak & Sutliv adv. Bellarm de Pont. Rom.

Lubet quidem: ſed, dum Romani neſcio quam non jactitant haud interruptam pontificum ſuorum ſeriem, non poſſum non ab initio fundamenta ridere lubrica, quibus innituntur. Dicunt, Petrum, autoritate Chriſti in omnes eccleſias per XXV. annos uſurpaſſe primatum, eumq; ab omni in fide errore immunem ſucceſſoribus in cathedra Romana ad hunc usque diem reliquiſſe. Hoc ſophiſmate ſuo, epiſcopo diadema triplex, imperium orbis, poteſtatem ſupremam & prorſus divinam, quæ perpetua pontificum ſucceſſione per manus tradita ad hæc usque tempora perduret, acquiſierunt. Æqvum ædepol eſſet, tantam cauſam, qua regna mundi, injuſtisſimo quæſita titulo, injuſtiꝰ obtinentur aut pie deſerere, aut quadam juris ſpecie agere. Sed humanæ libidini illud Euripidis omni Spiritus Sancti teſtimonio acceptius fuit:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt. Aliis rebus pietatem colas.

Quanquam, ſi regnarent ſaltem pontifices, illi hypobolymæi ſucceſſores Petri, quomodocunq; regnum adepti, & pietatem à gentili poëta præſcriptam colerent, nobisque aliquam in ſeſe integritatem commendandi occaſionem præberent, minus doleremus. Sed ecce impietatem non tolerandam! Petro poteſtatem hanc, quam Papa uſurpat, datam eſſe, utq; jus ſuum obtineret, tot annis epiſcopum Romæ ſediſſe dicunt. Illud ex ſacro codice nunquam vel probabiliter obtinuerunt. Petrus enim, nulli apoſtolorum prælatus; omnibus æqualis; Paulo etiam nonnihil inferior, nec Romanam eccleſiam condidit, nec in ea diu ſubſtitit. Et epiſcopi Romani, quamdiu ſuperſtitio & idolorum cultus detinebat imperatores, nec agellum Romæ poſſederunt. Nec eſt, ut fabulas ridiculas de Conſtantini M. donatione, deque divinitate pontificum, poſt diſceſſum imperatoris in orientem ſtabilita, allegent. Nugas enim iſtas, utut malitioſe à nugivendulis, tanquam pretioſas merces expoſitas, cauti emtores facile aſpernantur, & ipſi tandem imperatores

nimis

nimis ſero agnoverunt & deteſtati ſunt. Sed nolo in hunc campum nunc digredi. Tu, quam in ipſo limine impingant, conſidera. Nec enim ipſum Petrum XXV. annis Romæ ſediſſe probare unquam poſſunt, nec, qui illi, quo ordine ſucceſſerint, noverunt. Quidam Linum & Cletum non epiſcopos, ſed ſocios & coadjutores Petri & Clementis fuiſſe dicunt. Alii Cletum & Anacletum pro uno eodemq; habent. Alii poſt Petrum ponunt Linum, & deinde Cletum. Nonnulli Clementi Cletum ſubjiciunt. Irenæus *lib.3.cap.3.* poſt Linum ponit, Anacletum, & huic ſubjungit deinde Clementem. Idem facit Ignatius Martyr in *prima epiſtola. Incerta hic ſunt omnia.* Cum interim adulatores paparum ex Scripturis leges tyrannidis eccleſiaſticæ exſtruere non poſſent: epiſcopis antiquioribus epiſtolas aliquas decretales & prætorias, nullo fere dogmate conditas, ſed fermento pontificio fœtidas, ſuppoſuerunt, & ex iis decreta ſua, uno fere argumento & tenore, de non accuſandis à plebe ſacerdotibus, deque ritibus pontificalibus, pulcro ſcilicet commento, adornarunt. De qua fraude vide egregie diſſerentes *Magdeburgenſes Cent.2.&3.* Sed his miſſis, ad quæ non potuit non animus pius commoveri, quod rogaſti, habe: Romanorum videlicet epiſcoporum, in hac prima eccleſiæ ætate *ſecundum Platinam* enumeratorum, ſeriem: de quorum rebus geſtis, ut recte cenſent *Magdeburgenſes Cent. 2. c. 10.* perpauca literis prodita leguntur: ideo fortaſſis, quia non fuerunt admodum magnæ autoritatis, ac Deus per alios potius alibi res ſalutares effici, quam per ipſos voluit.

A.C. *Anni ſedis*

I. Petrus apoſtolus.

[Ponimus Petrum primum, Linum ſecundum, Cletum tertium, & ſic, qui ſequi ſcribuntur: non quia putamus, ita omnes ſibi ſucceſſiſſe epiſcopos Romanos, aut non eſſe accuratiorem chronologiam, ſed quia ſeries aliqua nectenda erat.]

68. *II, Linus Tuſcus, martyr.* 11. Euſeb. Chron. fol 74. lib.3. H.ſt. Eccleſ. cap.4 Platina de vit. Pontif. p. 9.

[Hunc ſanxiſſe ferunt, ne qua mulier niſi capite linteis operto templum ingrederetur. Meminit ejus apoſtolus Paulus *II. Tim. IV.* 21 Irenæo teſte *lib. 3 cap.3.* conſcripſiſſe dicitur Acta paſſionis apoſtolorum Petri & Pauli. Sed qui liber hoc nomine jam extat, eſt ſuppoſititius.]

79. *Cletus. Romanus, martyr.* 12. Euſeb. lib. 3. Hiſt Eccleſ. cap. 12 Roleſinc. in Faſcic. A. 84.

[Romæ XXV. presbyteros ordinaſſe dicitur. Ab Auguſtino autem *epiſtola 165.* & ab aliis, inter pontifices Romanos non numeratur.]

91. IV. Clemens Romanus, martyr, Fauſti, Cæſarem genere attingentis, filius.

Euſeb. lib.3. Hiſt. Eccleſ. c. 34 Tom.I. Concil.p.133.139. 145.Baron. in Annal.A C.31. n.18 19. Blondell. in Pſeudo Iſidor. Proleg cap.13. 13.17.19 Oſiand. Cent. I. Lib.4. cap. 4.

[Pauli fuit diſcipulus *Phil.IV.3.* Notarios VII. ut ferunt, per totidem urbis Romanæ regiones, qui martyrum palmas, patrumque dicta & apophthegmata in acta referrent, inſtituit: & poſtea, à Trajano in deſertam civitatem ad mare Euxinum relegatus, cum fontem Chriſtianis, ad marmora damnatis, & aqvæ penuria laborantibus, miraculoſe erumpentem oſtendiſſet, fidemque Chriſti longe lateqve diſſeminaſſet, in mare projectus periit. Credit Baronius, quæ in Ephremi actis martyrum de mari ad tria milliaria recedente, & ædicula marmorea finguntur, in qua corpus Clementis inventum ſit illæſum. Obtruſi ſunt eccleſiæ IIX. libri conſtitutionum apoſtolicarum, à Clemente collectarum & quinq; epiſtolæ. Quin & canones apoſtolorum, de quorum numero nondum conſenſerunt Pontificii, & ritus ſuperſtitioſi Miſſam ſeu ſacrificium, ceu vocant, offerendi ſancto viro, temerario auſu, adſcribuntur. Tu, ſi canones apoſtolorum, ex vetuſtis & catholicis codicibus deſcriptos, deſideras, impende quæſo tantum temporis huic negotio, & quære illos *in Cent. Magd.1. lib. 2. cap. 11.* Illi ſane libri, quicunque nomine Clementis extant, ipſo Bellarmino teſte, ſunt ſuſpectæ fidei: quales etiam ſunt liturgiæ ſeu libri de ritu Miſſæ celebrandæ, nomine Jacobi, Petri, Marci & Æthiopum confictі, & multi alii apoſtolorum acta apocrypha. Id certum eſt *ex Irenæo lib. 3. cap. 3. Euſebio lib. 3. cap. 16. & 37. & aliis*, egregiam illum ad Corinthios epiſtolam ex perſona eccleſiæ Romanæ iiſdem pene conſcripſiſſe verbis, quæ in epiſtola ad Hebræos extant. Qvæ cum latuiſſet plurimis ſeculis, nuper Oxonii à Patricio Junio edita eſt, illuc ex Ægypto & Græcia allata.]

101. *V. Anacletus, Athenienſis, martyr ſub Trajano.* 10

Tom.I.Concil. Binnii. pag.42. ſeqq. Pol. Vergil.4.Invent.8.

[Huic tres decretales epiſtolæ affinguntur: ipſeque primus à Platina ſcribitur in barbam & comam leges ſanciviſſe.]

111. *VI. Evariſtus, ex patre Judæo Juda, Bethlehemitico, in Græcia natus.9.*

Platina p. 14. Baron. A. 121 pag.73. Magd. cent. 2. cap. 10. Blondell. in Pſeud.Iſid.pag. 151.

[Et hunc martyrem vocant non veteriores, ſed Platina & Damaſus. Atqui cum occaſiones martyriorum, quæ pleriſque primis epiſcopis Romanis tribuuntur, præter perſecutiones, aliæ nullæ legantur, nec qva conſtantia, quibus moribus, inter cruciatus fuerint, addatur: ideoque in dubium fere hæc, quæ de martyriis eorum prodita ſunt, vocantur, *inquiunt Magdeburgenſes.* Affinguntur ei duæ epiſtolæ prætoriæ, quæ vetant, epiſcopos etiam malos à plebe accuſare: ipſeque dicitur titulos ſeu

ædes

ædes ſacras presbyteris, quos Cardinales vocant, diviſiſſe, & VII. Diaconos ordinaviſſe, qui tanquam eccleſiæ ſacri miniſtri, epiſcopo evangelium legenti adſiſterent.]

126. *VII. Alexander Romanus, martyr.* 10

[Et huic trium Decretalium epiſtolarum autoritas affingitur. Dicunt, eum bonam ſenatus partem & Hermetem, urbis præfectum, cum mille & ducentis civibus, convertiſſe, & miraculis claruiſſe. Aquam luſtralem cum ſale confeciſſe, & aquam vino in S. Synaxi admiſcuiſſe, uſumque azymorum in eadem inſtituiſſe, *Platina, neſcio qua fide, teſtatur.*]

Roleſink. in Faſcic. fol. 41. Platina p. 15. Polyd lib. 5. cap. 10.

130. *IIX. Sixtus vel Xiſtus I. Romanus, martyr.* 10

[Vetuit, ſacra vaſa à quoquam, quam à ſacrorum miniſtris tangi: & conſtituit τρισάγιον in Miſſa. Cumque in Galliis ob frequentes cædes pauci fidem profiterentur, *Peregrinum* miſit: qui, confirmatis in fide Gallis, Romam rediens, ultimo ſupplicio affectus obiit. Et hic pontifex duarum decretalium epiſtolarum & nonnullorum decretorum autor habetur.]

Plat. p. 16. Roleſ. fol. 41. Polyd Lib. 5. cap. 11. & lib. 6. c. 12.

140. IX. *Tleſephorus Græcus.*

[Decretalis ei epiſtola affingitur, qua VII. ante paſcha ſeptimanis à carne abſtinere, & ita quadrageſimale jejunium celebrare jubet: clericorum dignitatem plus debito effert: Miſſarum ceremonias immenſum, & inprimis cantione angelica auget.]

Euſeb. lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 5. Binn. Tom. 1. Concil. part. 1. pag. 63.

152. *X. Hyginus, Athenienſis, martyr, ex philoſopho epiſcopus factus.* 4.

[Ne hic nihil conatus eſſe videretur, fingitur clerum compoſuiſſe, & gradus in hierarchia eccleſiaſtica diſtribuiſſe: unum patrimum aut matrimum baptiſandis præfeciſſe: nonnulla decreta condidiſſe.]

Baron. Tom. 2. p. 135. Oſiand. Cent. 2 lib. 2. cap. 5. ex Magd. cent. 2. cap. 10. col. 212.

156. XI. *Pius Aquilejenſis, martyr.* 9

[Huic *Auguſtinus epiſtola 165. & alii*, Anicetum præponunt. Adſcribuntur ei duæ, imo, *ſecundum Binium*, quatuor epiſtolæ, & plurima decreta, qui epiſcopum ab omni accuſatione, quæ ab auditoribus fieri poſſit, exemiſſe; ſomno Hermetis ab angelo admoniti edoctus, paſcha non cum orientalibus die XIV. celebraſſe, & aliam diſciplinam eccleſiaſticam pontificiam concernentia ordinaſſe fingitur.]

Euſ. in Chron. fol. 77. Tom 1. Concil. p. 69. Platina p. 18. Carriere p. 11.

165. XII. *Anicetus, Syrus, martyr.*

[Cum hic & anteceſſores, Valentino & Cerdoni, Romæ hæreſis ſemina ſpargentibus, parum reſiſterent, & in paſchatis celebrandi negotio adverſus orientales, quos Quartadecimanos & Teſſareskædekatitas nominarunt, debacharentur: Polycarpus, Romam veniens, paſtorale munus

Euſeb. l. 5 Hiſt. Eccl. c. 24. Oſiand Cent. 2 lib. 3. c. 1. Plat. p. 19. Baron. A. 167.

munus fideliter exercuit: pium eſſe ratus, ne propter ceremoniarum diſſonantiam rumpatur fidei conſonantia. Ut tamen & hic aliquid feciſſe credatur, epiſtolam decretalem ei etiam ſuppoſuerunt. Raſuram ſphæricam ſeu tonſuram eccleſiaſticorum dicitur inſtituiſſe.]

Euſeb. lib. 4. c. 19. 22. Tom. I. Conc. p. 89.

173. *XIII. Soter, Campanus, martyr.* 4

[Ut & hic à ſocordia vindicaretur, duas epiſtolas & aliquot decreta, è larga poſterorum manu ſortitus eſt.]

177. *XIV. Eleutherus, Nicopolitanus, Græcus.* 15

Plat. ex Damaſo p. 20. Euſeb. lib. 5. cap. 3. 4. Tom. 1. Concil. p. 191. Balæus Rom. Pont. 12. p. 25.

[Martyr & hic quidem à nonnullis vocatur: ſed qui ſciunt, & illos dictos martyres fuiſſe, qui non quidem mortem, ſed tamen aliquod cruciamentum corporis cauſa Chriſti ſubierunt, ab iis morte naturali occubuiſſe cenſetur. Ab hoc Lucius, rex Britannorum, ad Chriſtum converſus, epiſcopos impetravit. Roma iterum incendio flagravit, quo templum pacis abſumtum eſt, inque eo vaſa Hieroſolymitana, hactenus aſſervata: quorum tamen aliqua ad Vandalos tranſiiſſe, dicit *Procopius*. Una epiſtola decretali hic dignus judicatus adverſus Tatianum, nullum uſualis victus rejiciendum eſſe genus decrevit.]

192. *XV. Victor, Afer, martyr.* 9

Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 23. Baron. A. 203. & in Martyrol. 18. Jul. Tom. I. Conc. p. 192.

[Hic, quem alioquin duabus decretalibus epiſtolis dignati ſunt, qvalis fœtus in ſinu Romanæ eccleſiæ foveretur, auſu pluſquam tyrannico oſtendit. Nam hactenus, tanquam in re adiaphora, celebraverant Aſiani paſcha XIV. luna, in quamcunque hebdomadis diem incideret; Europæi die Dominico proxime ſequente, cum quia mundus primo ſeptimanæ die eſſet conditus, tum quia Chriſtus eodem reſurrexiſſet. Sed Victor in re indifferente, *Irenæo impios illos conatus fruſtra increpante*, brutum excommunicationis fulmen contra eccleſias Aſianas expediebat. Hinc Wicelius non ſine cauſa, *teſte Balæo*, dixit *In prædictis pontificibus abundabat ſpiritus; ſed in poſterioribus, maleſvada caro.*]

Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 35. Tertull. adv. Prax. cap. 1. Binius Tom. 1. Concil. p. 81. 82.

209 *XVI. Zephyrinus ſeu Severinus, Romanus, Abundii F.* 19

[Duabus epiſtolis, grandem faſtum ſpirantibus, & decreto de vitreis, non ligneis vaſis in conſecratione divini ſanguinis, *ceu loquitur Platina*, adhibendo, donatus eſt: ferturque conſtituiſſe, ut omnes puberes ſacra ſynaxi in paſchate uterentur.]

Baron. A. 221. Platina p. 24. Baron. A. 26. Polyd. Vergil. lib. 6. c. 3. p. 486.

219. *XVII. Calixtus, Romanus, martyr.* 5

Dicunt, eum ſub Alexandro imperatore jejunia quatuor temporum inſtituiſſe, & poſt diuturnam famem & quotidiana verbera, in puteum fuiſſe præcipitatum.

224.

224. *XIIX. Urbanus, Pontiani F. Romanus, martyr ſub Alexandro.* 11

[Adſcribitur ei una epiſtola decretalis, & inſtitutio jejunii IV. temporum: ipſeque fertur vaſa in miniſterio ſacra jam non amplius vitrea, ſed aurea & argentea adhibuiſſe, eccleſiæque conceſſiſſe, ut prædia poſſideret. Id omnes de eo teſtantur, quod vitæ ſanctitate & doctrina ſingulari multos undiquaque ad evangelium traxerit.]

Baron. A. 177. ſeq Binn. Tom. 1. Concil. p. 87. Caranza fol. 21. Carriera in Chronol. Pap. p. 13. Plantina ex Damaſo p. 15.

235. *XIX. Pontanus, Romanus, primum exilio in Sardiniam inſulam; deinde martyrio coronatus* 1

[Decretales ei duæ affinguntur: quarum prima honor, quo ſacerdotes proſequendi ſunt; altera, fraterna dilectio imperatur. *Autor faſciculi temporum, Bergomenſis, Nauclerus, teſtantur,* ſucceſſiſſe Pontiano CYRIACUM, eumque poſt annuum epiſcopatum cum exercitu virginum, ad martyrium Coloniam profectum, ob id in numero pontificum non recenſeri, quia invito clero epiſcopatum reliquiſſet, & oblectamentis puellarum invitatus abiiſſet.]

Plat. p. 25. Tom. I. Concil. p. 90. ſeq. Baron. A. 237. Magdeb. Cent 3. lib. 3. c. 10. Oſiand. l. 2. c. 3. p. 26. ſeq.

236. *XX. Anterus Græcus, Romuli F.* 12

[Huic Damaſus annos XII; Platina XI; Volateranus III. Nauclerus unum; Baronius octavam anni partem adſcribunt. Etſi forte, paucis tantum ſeptimanis præfuit, ne tamen mendax epiſtoliographiæ pontificalis conſvetudo in eo defeciſſe videatur, una ei decretalis de mutatione ſedis epiſcopalis tribuitur. Quod martyria piorum à notariis, quos inſtituerat Clemens, diligenter exquiſita, in eccleſiæ apothecas relata recondidit, ipſe martyrium conſummaſſe dicitur.]

Platina p. 27. Baron. A. 237. p. 394. & in Martyrol. 3. Jan. Binn. Tom. 1. Concil. p. 92. 93. 94.

236. *XXI. Fabianus, Romanus, Fabii F.* 15

[Hujus nomen tribus epiſtolis & aliquot decretis præfixum legitur. Cum deligendus eſſet, à columba in caput ejus delapſa, oſtenſum eum, *ſcribit Euſebius.* Idem teſtatur, eum convertiſſe Philippum imperatorem, & ob gravia deinde peccata eccleſia arcuiſſe, donec reſipuiſſet, tandemque à Decio ſublatum. Sed, utut reliqua conceduntur: Philippum fuiſſe Chriſtianum, vix per Scaligerum, ejusque rationes, credere auſimus: præſertim qvum Euſebius relationem ſuam ex ſuppoſititiis Origenis ad Philippum literis hauſerit. Septem notariis ſeptem diaconos addidit, per ſeptem urbis regiones, ad martyrologia rectius conſcribenda.

Euſeb. lib. 6. Hiſt Eccl. c. 29. Rolev. in Faſcic. fol. 45 Baron. A 112. n. 9. & 253. p. 416. in Martyr. p. 20. Jac. Binnius Tom. 1. Concil. p. 102.

Vacavit epiſcopatus ultra annum, propter perſecutionem graviſſimam ſub Decio.

Cyprian. 4 Ep. 4. Euſeb. 6. Hiſt. Eccl. c. 43. p. 103 Baron. A. 255. pag. 500. & in Martyrol. 14. Sept. Binnius Tom. I. Concil. pag. 109.

252. *XXII. Cornelius, Romanus, martyr, Caſtini F.* 2 | *Novatianus presbyter, primus papa ſchiſmaticus, in primo ſchiſmate.*

[*Feliciſſimus* quidam in Africa contra Cyprianum moverat quæſtionem de non recipiendis lapſis. Cum hæc cauſa jam eſſet ab Africanis epiſcopis deciſa, *Novatus* ex Africa Romæ aderat, ut cauſa ibi denuo decideretur. Contigit id eo tempore, quo ſedes vacavit Romæ. *Cyprianus interim epiſtola 3.* ægre tulit, qvod paucis deſperatis & perditis minor videatur autoritas epiſcoporum in Africa, quam Romani. Hac re occaſio data eſt PRIMO SCHISMATI de ſede pontificali. Nam per Novatum id obtinebatur, ut, cum aliqui *Cornelium*, lapſos acta pœnitentia recipientem, eligerent, *Novatianus* presbyter illi opponeretur. Multum hinc turbarum: epiſcopis in conſortium utrobique tractis, & multis ob hæreſin Novati conciliis celebratis. Succeſſores tamen Novatiani in epiſcopatu perſtiterunt, usque ad Cœleſtini Papæ pontificatum: nec voluere cedere orthodoxis, ſub ſuo epiſcopo convenientibus *ut patet ex Socrat. lib. 7. cap. 11.* Leguntur octo epiſtolæ Cypriani ad Cornelium, & nonnullæ Cornelii reſponſoriæ. Duæ etiam decretales epiſtolæ eidem adſcribuntur: ſed ejusdem pene tenoris & valoris, quo ſuperiorum.]

Platina p. 30. Baron. A. 257. p. 515. Martyrol. 4. Mart. Binnius Not. ad Damaſ. p. 128.

254. *XXIII. Lucius, Romanus, Porphyrii F. exul primum, redux deinde, martyr.* 1

[Et hic epiſtolis & decretis pontificalibus ſuperbiiſſe, & ut omni in loco duo presbyteri cum tribus diaconis epiſcopum comitarentur, ordinaſſe fingitur. Tanta ſcilicet fuit turbulentiſſimi iſtius temporis tranquillitas, ut pompam duceret ſecurus epiſcopus, jamjam ad ſupplicium rapiendus.]

Sabell. 7. Enn. 7. col. 364. Binnius Tom. I. Concil. p. 132. ſeqq. Euſeb. 7. Hiſt. Eccl. cap. 3. p. 107. Polyd. Virgil. 6. de Invent. cap. 12. Baron. A. 260. p. 542. & in Martyr. 2. Aug.

255. *XXIV. Stephanus, Julii F. Romanus, martyr ſub Valeriano.* 3

[Nec hic ſine decretalibus & decretis in ſcenam producitur. Tempore ejus controverſia de lapſis, quos Novatianus negabat recipiendos, adhuc fervebat. *Firmianus* omnes indiſcretim, nulla prævia pœnitentia, recipiebat. *Orthodoxi*, media via incedentes, lapſis ſi pœnitentiam agerent, veniam conceſſerunt quidem, ſed eos officiis eccleſiaſticis poſthac indignos cenſuerunt. Hujus quæſtionis occaſione cœpit inter Stephanum & Cyprianum *gravis controverſia de baptiſmo hæreticorum* agitari. Nam, cum Novatiani omnes rebaptiſarent, qui ad ſe tranſibant: nonnulli catholici, ne viderentur Novatianorum baptiſmū approbare, nec conditionis eſſe deterioris, duce Cypriano, illos ſimili-

ter

ter, qui ad ſe ex Novatianis veniebant, baptiſarunt. Sed Stephani vigilantia, armis etiam excommunicationis audacter adhibitis, errorem Cypriani radices agere vetuit.

258 *XXV. Sixtus vel Xyſtus II. Athenienſis, martyr.* f

[Hiſpanica peregrinatione & Laurentio diacono clarior, quam fictis Decretalibus & Decretis.]

Nigrin. 1 Inquiſ. Rom. Eccl. 24. p. 71. Baron. A. 261.

259. *XXVI. Dionyſius, Græcus,* 11

[E monacho factus pontifex, eccleſiæ Chriſtianæ ampliator inſignis: cujus tempore concilium Antiochenum contra Paulum Samoſatenum celebratum eſt.]

Euſeb. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 25. 26. Binn. Tom. I. Concil. p. 158.

270. *XXVII. Felix, Conſtantii F. Romanus, martyr ſub Aureliano.* 1

[Huic & Dionyſio ejus anteceſſori binæ epiſtolæ decretales, ne ſoli viderentur nihil de eccleſiaſticis rebus ſanxiſſe, affinguntur.]

Plat. p. 32. Baron. A 273. Binnius Tom. I. Concil. p. 163. ſeqq.

273. *XXIIX. Eutychianus, Marini F. Tuſcus.* 10

[In hoc epiſtolis & decretis ridiculis famigerando Gratianus & collectores conciliorum prorſus liberales fuerunt. Dicitur CCCXLII martyres ſua manu ſepeliiſſe, & conſtituiſſe, ne quis martyr ſine colobio purpurato aut dalmatica, tunica ſive manicis, ſepeliretur. Leges ſcilicet tyrannis poterat præſcribere, quomodo vellet damnatorum corpora curata.]

Nigrin. Inquiſ. 27. p. 77 Binnius Tom. 1 Concil. p. 158. Oſiand. Cent. 3. lib. 4. c. 5. p. 103.

283. *XXIX. Cajus ſeu Gajus, Maximi F. Dalmata.* 13.

[Martyr eſt factus ſub Diocletiano patruo, occaſione Suſannæ neptis ſuæ, quæ nuptias Maximiani Cæſaris averſabatur. In epiſtola decretali creditur conſtituiſſe, ut epiſcopus per omnes gradus officiorum in eccleſia aſcenderet, & eſſet primo oſtiarius, deinde lector, exorciſta, acoluthus, ſubdiaconus, presbyter, & exinde epiſcopi muneri præficeretur.]

Plat. p. 33. Baron. A. 296. p. 693. & in Martyrol. 22 April. Polyd. 4. de Invent. cap. 7.

296. *XXX. Marcellinus, Projecti F. Romanus, apoſtata primum, deinde martyr.* 8

[Hunc omnes fere eccleſiaſtici ſcriptores ipſeque liber pontificalis Damaſi teſtantur, Diocletiano perſuadente, thus diis metu mortis adoleviſſe, & id coram eccleſia primum negaſſe; deinde in concilio Sinueſſano, cujus acta hodieq; extant, cum LXXII teſtes oculati tanquam libra occidua, id ſancte aſſeruiſſent, confeſſum, ſe ſponte martyrio obtuliſſe, *juxta illud Mantuani:*

Ad ſcelus id mox erubuit, ſenſuq; recepto,
Incepit damnare Deos, extollere Chriſtum.

Baron A C. 302 304 & in Martyr. 26. April. Caranza Summ. Concil. fol. 31. Binn. Tom. 1. Concil. part. 1. p. 178.

Nec mors horribilis viſa eſt : ſed ſponte cucurrit
In medios hoſtes. ——

Baronius autem, ne macula ſanctæ ſcilicet ſedi Pontificiæ inuratur, ex Auguſtino & aliis leviuſculis conjecturis id negat: ita tamen, ut negando videatur hiſtoriæ conſentire. Adſcribitur nomen hujus papæ duabus epiſtolis decretalibus.]

Baron. A.C. 296. p. 693. A. 304. p. 790. A. 309. n. 4. p. 35. Magdeb. Cent. 4. c. 10. Oſiand. cent. cit. lib. 1. cap. 13. pag. 28.

304. *XXXI. Marcellus, Benedicti F. Romanus.* 5

[In catabulo ſeu ſtabulo jumentorum, in quod ad alendos equos imperatorios magna cum contumelia damnatus fuerat, pædore & labore ſuffocatus eſt: & quanquam ejus tempore extreme eſſet eccleſia afflicta, & tyrannide quam maxime preſſa: fingitur tamen duobus decretis, & epiſtolis totidem, ſuperbiiſſe: quarum altera adverſus epiſcopos per Antiochenam provinciam primatum Romanæ eccleſiæ aſſerere; altera ipſum Maxentium alloqui auſus ſit, & prætorio jure ei edixerit, ne quis epiſcopus alibi, quam in legitima ſynodo cauſam dicere cogatur. Quin & in libro Pontificali Damaſi dicitur XXV. titulos ſeu Cardinalatus ordinaſſe, ſeu tot ædes ſacras ſacraviſſe, cum VII. hactenus fuiſſent. Qvod etſi propter numerum fidelium indies auctum præfracte non negatur: non tamen eſt, ut inde Baronius Cardinalatui ſuo dignitatem aliquam fuco quæſito affricet.]

Platina pag. 36. Baron. A.C. 311. Binnius Not. ad Tom. I Conc. p. 203 208. Baron in Martyr. 26. Sept.

309. *XXXII. Euſebius, Græcus, martyr.* 2

[Hunc Hiſtoria tripartita & Euſebius non norunt. Gratianus & collectores Conciliorum tribus epiſtolis & quatuor decretis dignum eum æſtimant: ſed inſulſe & ſuperſtitioſe conſcriptis: inſulſe quidem, quia hiſtoriæ illis epiſtolis horrendum confunduntur; ſuperſtitioſe autem, quia quædam verbo divino contraria audacter imperantur. Dicitur feſtum inventionis S. crucis inſtituiſſe: ſed dicitur.]

Plat. p. 37. Bar. A. 313. p. 112. & in Martyrol. 10. Dec. Magdeb. Cent. 4. cap. 8. col. 585. Oſiand Cent. ead cap. 17. Binn. Tom. 1. Concil. pag. 212, 213.

311. *XXXIII. Miltiades ſeu Melchiades, Afer.* 3

[Hunc Platina martyrem fuiſſe factum ſub Maximino affirmat; Sabellicus negat. Manichæi magno numero ejus tempore Romam ſuo veneno infecerant. Sed qva ratione illis reſtiterit hic pontifex, non dicitur. Coccyſmus interim, de clericalibus rebus, ad ravim usque jam in aliis decretalibus factus, ei quoque affingitur. Baronius ex libro Pontificali Damaſi & aliis canonibus demonſtrare conatur, fermentum ſeu eulogias i. e. communem fermentatum panem benedictum ab eo inſtitutum eſſe, ab epiſcopo extra adminiſtrationem cœnæ presbytero diſtribuendum, & ab hoc omnibus fidelibus, tanqvam unionis & caritatis ſymbolum, porrigendum.]

314

314. *XXXIV. Silveſter; de quo in ſequentibus, ſect. 2. qu. 4.*

XXII. Quantum intelligo, plerique Romanorum hac ætate epiſcopi pii fuerunt Chriſti confeſſores, & martyrio digni habiti? ſed hiſtoriæ eorum nimis confuſæ ſunt.

Si quid intricatum, confuſum, mendaciis etiam conſpurcatum eſt, fictas de primis Romanæ eccleſiæ epiſcopis relationes eſſe, tam ſum certus, quam certiſſimus. Fingendum enim aliquid erat, ut ſedes Papæ tyrannica vel hoc ſtramineo fulcro ſtabiliretur. Quæ quidem Baronio magnas debet gratias, qui hiſtorias omnes eo violenter contorſit, ut probaret, papas ab ipſo usque Petro reliquis eccleſiis omnibus præſediſſe: leges iis præſcripſiſſe: omnia ex arbitrio ordinaſſe. Sed viri tanti ingenium miramur; conatum vehementer improbamus. Non enim alium in annalibus ſcribendis ſcopum ſpectavit, quam quem Terentius in comœdiis, teſte Prologo Andriæ:

Poëta, cum primum animum ad ſcribendum impulit,
Id ſibi negotii credidit ſolum dari,
Populo (Pontifici) *placerent, quas feciſſet fabulas.*

Quis non intelligit, omnes epiſcopos à Cleto usque ad Stephanum, niſi forte excipias Clementem, cum unico Polycarpo, vel Juſtino, vel Irenæo, non eſſe comparandos? Quid enim tanta ſede, quam fingunt, dignum totis trecentis annis geſſerunt? quid ſcripſerunt? quid docuerunt? quos hæreticos? quas gentes confutarunt? Veneramur eos, tanquam pios martyres: reliquis orientalibus, vel Africanis, vel aliorum populorum epiſcopis fuiſſe ſuperiores pernegamus. Quicquid decretorum illis affingitur, eo famam illorum obſcurari, non illuſtrari dicimus. Solus & unus Chriſtus nobis eſt, primitivæ etiam eccleſiæ fuit, œcumenicus epiſcopus. Hujus ſervi ſunt omnes miniſtri eccleſiarum, ipſi etiam apoſtoli: inter quos, cum prærogativam etiam nonnulli affectarent, nullum principatum, mundanis imperiis competentem, conſtituit. Demonſtrent igitur aliquem epiſcoporum Romanorum per tria hæc ſecula exceptum fuiſſe à lege errandi. Nec oblivioni dent exemplum Marcellini. Probent, poteſtatem illos uſurpaſſe in figendis & refigendis articulis fidei: in jure utriusque gladii; in univerſali omnium cauſarum definitione: in ordinandis totius orbis Chriſtiani epiſcopis. Inſpiciant omnes titulos, epiſcopis Romanis à patribus primitivæ eccleſiæ adſcriptos: Diſpere-

pereant, ſi vel leviuſculum judicium de Romanenſi papatu & primatu inveniant. Omnes epiſcopi, *ut Hieronymus ad Evagrium perſcripſit*, erant ejusdem ſacerdotii: & communi presbyterorum conſilio eccleſiæ regebantur. In ſchiſmatis autem remedium factum eſt, ut unus cæteris præponeretur. Antea ſcilicet, ut quisque erat virtute & fide præſtantior, ita illi honos major à collegis tribui ſolebat. De autoritate aut imperio nemo vel per ſomnium cogitabat. Et quanquam Romanus epiſcopus in hac æqualitate propter loci dignitatem eminebat: nullam tamen habuit poteſtatem, quæ non eſſet illi cum reliqua omni epiſcoporum ſocietate communis. Hoc adeo verum eſt, ut Victor, qui primus abuſus eſt ſanctiſſima excommunicationis diſciplina contra orientales eccleſias in cauſa celebrandi paſchatis, aliam nullam poteſtatem in peregrinas eccleſias ſibi vendicaverit, quam excommunicationem: cujus autoritatem non ſolus Romanus, ſed omnes epiſcopi à Chriſto acceperunt.

XXIII. Qvum ſciam, epiſcopos Romanos primos fuiſſe pauperculos, & dira perſecutionum mole preſſos; facile in his omnibus tibi adſtipulor: nec puto, eos tanta ſibi arrogaſſe, quanta jam Romanus præſul, ſpoliis totius orbis hactenus ſuperbus, ſibi vendicat.

Durantius de Ritib. Eccl. Lib. 1. c. 25 §. 3 Beyerl. Concion. Select. 42. pag. 779.

Nec enim id vel à Chriſto didicerunt, vel ab apoſtolis. Ille non habuit, qvo caput reclinaret: &, ſi quid ex aliorum facultatibus tanquam eleemoſyna miniſtrabatur *Luc. IIX 3*, eo frugaliter uſus, & ſe inde diſcipulosque alebat, atque pauperibus etiam, ipſe pauper, benefaciebat, *Joh. XIII*. Hi, ſive ob ardentem mutuam dilectionem, ſive ob tyrannorum injurias, commune eccleſiæ Hieroſolymitanæ ærarium, ab initio ſub cura VII. diaconorum, conſtituerunt: in quod qui vellent, libere ſuas res ad communem uſum conferrent, ut inde pauperes ſuſtentarentur. Qvamdiu communio illa bonorum duraverit Hieroſolymis, non liqvet. Chriſtiani, interfecto Stephano, omnes, & inter eos diaconi, ſunt diſperſi *Act. IIX. 1*. Unus diaconorum Philippus *Act. XXI.* cum Paulus extremo itinere Hieroſolyma peteret, Cæſareæ ſubſtitit. In aliis eccleſiis ejusmodi rerum communionem fuiſſe non legimus. Quisq; ſuis rebus Romæ, Corinthi, Epheſi, Philippis, & alibi, præerat: nec gravabatur, pro facultate bonorum aliquid conferre in communia æraria paſſim exſtructa, quibꝰ ſti-

ſtipendia miniſtris verbi ſolvebantur, *Phil.IV. Gal. VI.* & eleemoſynæ egenis erogabantur *I.Tim.V. Act.XI. Gal. II.* Confer *Juſtinum in Apol 2.* qui commemorat, in publicis congresſibus Chriſtianos, finita communione, pro ſua quisque facultate & arbitrio pecuniam conferre ſolitos eſſe. Ea verò pecunia in communi ærario erat præfecto fratrum ſeu epiſcopo commiſſa, ut pupillis & viduis, iisque, quos morbus aliave cauſa inopes feciſſet, & qui in vinculis eſſent, item hoſpitibus ſeu peregrinis omninoque omnib9, qui aliqua indigentia premerentur, ſubveniretur. Hic mos duravit adhuc Tertulliani tempore: qui in apologetico ſtipem viritim collectam depoſita pietatis nominat, opinatus, quod propter pauperes inſtitutæ ſint ἀγάπαι ſeu frugalia convivia, ob mutui amoris vinculum retinendum in primitiva eccleſia celebrari ſolita. De aliis eccleſiæ bonis probati ſcriptores nihil prodiderunt, niſi quod eccleſia Romana tempore Urbani I. cœperit prædia posſidere, *ſi Decretalibus & Cranzio in Metropoli libro 2. cap. 1. credimus*: ita tamen, ut divideretur proventus clericis omnibus viritim, nihilque cujusquam privatum eſſet. Hinc Conſtantinus apud Euſebium edixit, ut omnia, quæ vel ſingulis Chriſtianis, vel juri ſocietatis eorum in eccleſiis competentia, ablata eſſent, reſtituerentur. *Prorſus enim*, inquit, *conſtitutum nobis eſt, ut, quas eccleſiæ antea habuerunt poſſeſſiones, in jus earum redeant.*

XXIV. Sic igitur primitiva eccleſia fundis & prædiis initio caruit, ſed pedetentim iis aucta eſt. Quæ autem templa & ſcholas illa habuit? quibus moribus priſci Chriſtiani vixere?

Si per templa intelligis baſilica & magnifica eccleſiarum tecta, quæ ſuperbis columnis ſurgunt & ſumtuoſis pinnaculis: quis paupertati Chriſtianorum tantum tribuere auſit, ut tot perſecutionibus presſi, regiis ſtructuris ſuperbirent? Celebraſſe tamen jam ſuo tempore apoſtolos in locis & ædificiis certis συνάξεις ſeu conventus eccleſiaſticos, extra dubii aleam poſitum eſt. Hæc loca, quæ nonnulli putant *I. Cor. XI.* nominari ἐκκλησίας, fuerunt humilia, & (præſertim tempore perſecutionum) latebris & ſpeluncis ſimiliora, quam magnificis templis: dictaque *ſunt Euſebio lib. 9. cap. 10.* Oratoria & προσευκτήρια & κυριακά: unde videtur vox Germanorum Kirche deſcendere: *aliis* Dominicæ, unde Thum: μοναστήρια item ſeu collegiatæ eccleſiæ, unde Münſter. Romæ quoq; appellabantur Tituli, parœciæ & diaconiæ: qui quibus præerant, dici cœperunt

Joach Hildebr. de Templ. vetr. Eccleſ. Oſiand. Cent. 2. Lib. 4. c. 11. pag. 98. ſeqq.

runt Cardinales, aliis clericis, in eodem templo docentibus, ut noſtri paſtores & præpoſiti, ordine digniores Eorum Titulorum. ſi Onuphrio & aliis credimus IV; deinde VII; mox XV; tandem XXIIX. conſtituti fuerunt. Quin &, ſi alio loco propter perſecutiones non liceret, in cœmeteriis convenerunt, locis ſepulturæ martyrum deſtinatis, *ut teſtantur Theodoretus lib. 2. cap. 14. Onuphrius in app. ad Plat. de cœmet. Euſeb. lib 7. & 9.* In ejusmodi autem cœmeteriis fabricas ac ædes aliquas conventui fidelium inſerviiſſe, *autor eſt Damaſus in libro Pontificali.* SCHOLÆ etiam non vulgares in eccleſia primitiva floruere. Nam ipſe Chriſtus theologicam ſcholam quocunque iter faciebat, ſecum duxit & quos diſcipulos Johannes, doctor ille incomparabilis, doctrina ſalutari & baptiſmo jam præparaverat, ſolidius erudiit. Apoſtoli deinde, Judaiſmo ex ſynagogis exturbato, doctrinam evangelii in illis propoſuerunt. Quin & ipſæ Philoſophorum ſcholæ Chriſto ſacrari cœperunt *Act. XIX. 8.* Sic cum, Alexandriæ ab antiquo ſcholam fuiſſe *Euſebius lib. 5.* teſtatur, videtur Marcus ibi eccleſia collecta, ſcholam philoſophicam celeberrimam Chriſtianis artibus imbuiſſe: quam deinde nobiliorem reddiderunt Pantænus, Clemens, & Origenes, ut diximus. Hinc & *Hieronymus dicit*, Juſtinum Romæ Διατριβὰς habuiſſe atque in iis Creſcentem refutaſſe. *Confer Euſebium lib. 4. cap. 16.* Et Origenem, Alexandria relicta, Cæſareæ in ſchola, ſive à ſe ſive ab aliis inſtituta, bonas literas fuiſſe profeſſum, & theologiam docuiſſe, ex vita ejus conſtat. Cæterum quod priſcos Chriſtianorum primorum mores attinet, compendio eos recenſet *Alexander Sardus libro 3. de moribus Gentium*: neophytos, qui nomen Chriſto dare conſtituerant, cum jejunaſſent ad tempus præſcriptum, adduci conſveviſſe à patre luſtrico ad pontificem ſeu epiſcopum, ut XL. diebus de iis rebus, quæ hominis Chriſtiani ſunt, docerentur: pontificem deinde die paſchatos diſcinctos, veſtibus etiam detractis, ad occidentem converſos, juſſiſſe ſufflatione Satanam ſeu malum genium emittere, & ad orientem Chriſtum profeſſos, oleoque verbis ſolemnibus conſecrato corpus inunctos, terque merſos, perennibus fontis, fluminis aut maris aquis, nomine SS. Trinitatis invocato, expiaſſe: baptismo expiatos, à patre luſtrico & miniſtris epiſcopi indutos albis, duabus Hebræorum vocibus, *Halleluja*, laudem Deo dediſſe: melque ſimul cum aliis, qui expiabantur, ac lac guſtaſſe: & illis omnibus adhibuiſſe manus epiſcopum, ut DEI ſpiritum exciperent. Si qui baptiſati jam à presbyteris aut diaconis eſſent, ad eos etiam epiſcopum per oppida prodiiſſe, ut manus illis imponeret.

Oſiand. l. c. pag. 102.

Hinc

Hinc ſacra aqva ablutos, & χειροθεσίᾳ ſacratos, in templo εὐχαριστίας ſeu ſacramentum corporis & ſangvinis Dominici ſumſiſſe: ibi epiſcopum primo altaria thure adoleviſſe & templum. Davidis carmina cum miniſtris ceciniſſe: lectum deinde aliqvid ex prophetis; & ex apoſtolis loco editiori evangelium: egreſſis poſtea templo catechumenis, qvi de Chriſto qvidem credidere, nondum tamen baptiſati fuere, & engaſtrimythis, qvos cacodæmones agitabant, remanſiſſe præter epiſcopum ad aram, qvem diaconi VII. & alii miniſtri ſacrificis veſtibus cum Preſbyterio cingebant, plebem ſanctam & innocentem: concinuiſſe hymnos in laudem Dei & Salvatoris: miniſtros panem & calicem altaribus impoſuiſſe: ubi epiſcopus dixiſſet, ut omnibus pax eſſet, cunctos junxiſſe oſcula ſancta: ipſum cum miniſtris abluiſſe manus, &, hymnis denuo decantatis, euchariſtiam conſecraſſe, demonſtraſſe, ſumſiſſe ipſum, & impertiiſſe cœteris. Et hæc qvidem in ſacramentis diſpenſandis. Cæterum EPISCOPI cura erat, legem Chriſti populum docere: ſeniores ſeu preſbyteros & diaconos inſtituere: opum ſacrarum in medium collatarum, & inter pauperes diſtribuendarum, rationes poſcere. Illos primum conſtituerunt apoſtoli; poſtea presbyteri vel populus. Fuerunt autem epiſcopi in ſingulis civitatibus, ſicuti *patriarchæ* in urbibus, ubi antea majores flamines fuerant, & *archiepiſcopi*, ubi flaminum principes. Hi aliorum epiſcoporum judicia, & graviores inter populum cauſas agebant in concilio ſeu ſynodo, qvam bis terve ſingulis annis cogebant. PRESBYTERI curam gerebant pauperum, viduarum, eorumqve, qvi, qvod Chriſtiani eſſent, in cuſtodia detinebantur, aut mala ſuſtinebant: excipiebant hoſpites: & ut alienæ pudicitiæ parceretur, matrimonio juvenibus virgines collocabant, viduas etiam juvenes. Sponſa petebatur ab iis, in qvorum poteſtate erat; ſacerdos felicitatem à DEO toro apprecatus, eam à pronubis & cognatis abductam copulavit marito. Ille cum ea biduo aut triduo preces caſto corpore fundebat: nec ceſſabat dona illis mittere pauperibus, qvi in templo alebantur. DIACONI, tanqvam epiſcoporum oculi, perluſtrabant, qvæ Chriſtiani agerent: ſi qvem errantem vidiſſent, deferebant ad epiſcopum, qvi eum hortaretur ad ſtudium bene vivendi: ſegniores invitabant, ut avidius epiſcopũ audirent docentem: pauperes & ægrotos nuntiabant FRATRIBUS: qvo nomine Chriſtiani ſe vocabant. Viſebant illi egentes: adminiſtrabant illis cibum: ſanctorum pedes lavabant: hoſpitio peregrinos excipiebant: defunctorum ſepulturis preces miſcebant: martyrum dies nata-

Salmaſ. de Epiſc. & Presbyt.

Ziegl. de Diacon. & Diaconiſſ.

les celebrabant: ſed ad omnem actionem, aditum, progreſſum, crucis ſigno muniebant: non vias obſidebant armati: non maria prædabantur: non miſcebant venena: non exponebant filios: non ſtupra inferebant: non fœminæ, nec meros, qvæſtum corpore faciebant: non aderant parricidæ; non ſacrilegi; non captores; non teſtamentarii: nec plectebant innoxios. Si qvis peccaſſet, aliorum conſortio illi interdicebatur, donec criminis pœniteret, & Deum illi presbyteri exorarent. Sed presbyteri ſi peccaſſent, poſt pœnitentiam munus ipſum amittebant. Vita functum epiſcopus, aliis convocatis, deponebat, ſi ſacerdos fuiſſet, aut miniſter, ante altaria, ſi ex populo, ante ſacrarium: DEUM venerabatur, gratias agebat, cum aliis carmina Davidis concinebat. Miniſtri legebant, qvæ ſcripta ſunt de æterna vita, Catechumeni inde templo egrediebantur: ſancti, innocentes homines, qvi obierant, defunctus ipſe, laudabantur. Epiſcopus concipiebat preces, à DEO petens, ut mortuo peccata condonaret; tandem valere juſſo cadavere, ſimulqve oleo conſecrato infuſo, cum aliis illud cadaveribus ſepeliebat. *Hæc ex Alexandro Sardo:* qvæ vel ideo ex ſcriptore Italico adduximus, ut, ſi qvis modernas eccleſiæ Romanæ pompas, & ceremonias ſuperſtitioſas, nomine antiqvitatis tueri velit, ex ſimplicitate priſcorum morum confundatur, in qva recenſenda homo Italus operoſus fuit. Qvi ipſe qvanqvam non diſtingvit ſimplices & veras ceremonias, qvæ à Chriſto & apoſtolis in eccleſiam introductæ ſunt, ab iis ceremoniis, qvas ſubinde humanæ adinventiones ſimplicitati priſcæ adjecerunt; aliqvas etiam recenſet, qvæ propiorum tantum ſunt ſeculorum magis corruptorum: nobis tamen ſufficit, parum ſuperſtitionis Romanæ inventum fuiſſe in prioribus ſeculis. *Legatur Juſtinus in apologia:* Deprehendetur, ejus tempore, ſeculo videlicet à Chriſto nato ſecundo, nihil aliud ceremoniarum obſervatum in baptiſmatis ritu fuiſſe, qvam qvod converſi ad Chriſtum juſſi ſint primum precibus & jejuniis à DEO remiſſionem petere peccatorum: deinde in freqventia populi ſacri ducti ſint ad aqvam, eaqve, preces interea fundente populo, in nomine patris & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti & Spiritus S. abluti & renati, cum reliqvis in ſacra ſynaxi corpore & ſangvine Dominico refecti ſint, ceremoniis non aliis adhibitis, qvam ut poſt lectas & explicatas ſacras literas, poſtqve preces & ſalutationem oſculi mutui, diaconi ſingulis dederint partem panis & calicis diluti, ſuper qva facta erat euchariſtia, ſeu gratiarum in nomine SS. Trinitatis actio: atqve eam etiam deferre permiſerint

rint

rint abſentibus. Nihil hic de celebratione Miſſæ pro vivis & mortuis; nihil de mutilationibus euchariſtiæ, dici aut conſtitui videas. Et primitus omnibus Chriſtianis non corpus tantum Domini, ſed & ſangvinem ejus in ſacra cœna eſſe diſtributum, vel inde patet, qvod adhuc regi Galliarum, ritu antiqvo inungendo, corpus & ſangvis ſub utraqve, ceu vocant, ſpecie porrigatur.

XXIIX. Gratisſimum eſt, hæc de bonis eccleſiaſticis, templis, ſcholis, priſcisq́ primorum Chriſtianorum moribus cognoviſſe. Sed nec minus gratum foret, concilia in hac primitiva ætate celebrata cognoſcere.

Concilia aliqvi derivant à cocalando, i. e. convocando, ut ſint qvaſi convocatio, aut convocatus cœtus, ad conſultandum de rebus propoſitis. Qvod igitur ſunt comitia politicis, qvæ de rebus civilibus celebrantur: illud eccleſiaſticis, ob res ad eccleſiam pertinentes convenientibus, ſunt concilia: qvæ alio nomine *ſynodi* etiam dicuntur. Sunt autem ſynodi vel *particulares*, alias dictæ *diœceſianæ*; vel *nationales & provinciales*, ex provincia vel regno aliqvo convocatæ; vel *œcumenicæ ſeu generales*, ad qvas, qvantum fieri potuit, omnium eccleſiarum preſbyteri & epiſcopi ad conſultandum de ſacris rebus evocati ſunt. Omnium harum ſynodorum autoritas non niſi ex ſcripturarum autoritate dependet: & tantum illis credendum eſt, qvantum ſua nobis decreta ex ſcripturis probant. Si errorem eccleſiæ propinant, pro illegitimis merito habentur. In primitiva eccleſia celebrata ſunt concilia primum *apoſtolica*; deinde *provincialia*. Inter *apoſtolica* numeratur I. illud, in qvo Matthias in locum Judæ eſt ſuffectus *Act. 1.* II. in qvo ſeptem diaconi ſunt conſtituti *Act. 6.* III. in qvo inſtituta legalia antiqvabantur *Act. 15.* IV. in qvo permiſſum eſt converſis Judæis uti cum fide & ſacramentis N. T. etiam circumciſione & aliis legalibus ad tempus, donec ſynagoga cum honore ſepeliretur *Act. 21.* Hiſce nonnulli, non ſatis certa fide, addunt *qvintum* in cauſa *ſymboli apoſtolici*, per teſſeras viritim collectas componendi, & qvidem, anteqvam apoſtoli in orbem diſpergerentur; *& ſextum Antiochenum*, in qvo novem canones apoſtolorum dicuntur compoſiti. Omniũ autem illuſtriſſima ſynodus, & tanqvã idea omniũ conciliorũ in eccleſia celebrandorum eſt de ceremon. legalibus abrogandis *Act. 15.* deſcripta. Cum enim Paulus & Barnabas Antiochiæ fidem absqve operibus juſtificare contra Judaizantes docuiſſent, & ita eccleſia in duas factiones ſcindere-

deretur: cauſa eſt ad apoſtolos & eccleſiam Hieroſolymitanam rejecta: in qva diſpicienda cum acris ſuboriretur contentio', & argumenta utriusq; ſententiæ ſatis excuſſa eſſent: apoſtoli tandem, collectis ſuffragiis, ſententiam concilii ſynodali epiſtola conſignarunt. *Conciliis provincialibus* ſeptem prioribus, eodem fere tempore, circa annum Chriſti CXCIIX. celebratis, occaſionem dedit diverſitas in paſchate celebrando: qvam Victor, Romanus epiſcopus, nimis repente & moroſe ad conformitatem in omnibus eccleſiis reducere conatus eſt: lege rogata, ne paſcha XIV. luna primi menſis, ſed potius die Dominico, poſt XIV. lunam & vernale æqvinoctium occurrente, celebretur.

CATALOGUS SYNODORUM PROVINCIALIUM PRÆCIPUARUM.

Euſeb. lib. 5. c. 23. 24. 25. &c. Magd. Cent. 2. pag 152. usq; 163. Oſiand. Cent. 2. lib. 4. c. 10. pag. 96.

I. *Romana.*
II. *Cæſarienſis in Palæſtina*, coacta à Theophilo epiſcopo.
III. *Gallicana*, cui præſedit Irenæus.
IV. *Achaica*, ſub Bacchillo Corinthiorum epiſcopo.
V. *Oſtroena.*
VI. *Pontica in Ponto*, cui præſedit Palma.

} Hæ ſynodi, paſcha ſemper die dominico celebrandum eſſe decreverunt. *Euſeb. lib. 5. cap. 23.*

Sozom. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 19.

VII. *Aſiatica*, per Polycratem, epiſcopum Epheſinum, minaci fulmine excommunicationis Romanæ provocatum, convocata: in qva decretum eſt, ex antiqvo more, qvem ipſi apoſtoli obſervaverant, nulla habita ratione diei dominici, paſcha XIV. die lunæ, ab æqvinoctio verno primæ, celebrandum eſſe.

IIX. *Arabiana prima*, Philadelphiæ, tempore Gordiani, *contra Berillum* convocata, qvi Chriſtum ante incarnationem extitiſſe negaverat, & tandem ab Origene in viam eſt reductus, *Euſeb. lib. 4. cap. 33. Socrat. lib. 6. cap. 20.*

IX. *Arabiana altera*, tempore Philippi imperatoris, *contra eos*, qvi animam cum corpore ſimul interire & in reſurrectione cum eodem iterum reſtituendam eſſe crediderunt. *Euſeb. lib. 6. cap. 27.* Hi ab Origene convicti, ad ſanam mentem revocati ſunt.

Cyprian. lib. 1. Ep. 2. Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 43.

X. Seqvuntur hinc freqvẽtes ſynodi in Africa Aſia, & Europa, ut *Carthaginenſes duæ: totidem Romanæ: Italica: & aliæ* tempore Decii *contra*

Nova-

Novatum, lapſos nullo modo recipientem, *& contra Feliciſſimum*, presbyterum factioſum & ſceleratum, pacem lapſis ſine pœnitentia concedentem: in qvibus ferè omnibus decretum eſt, ut, qvia lapſi in perſecutionibus Chriſtum negaviſſent, reciperentur qvidem acta pœnitentia, ſed officiis eccleſiaſticis indigni haberentur, nec ad communionem, niſi diu tracta pœnitentia, admitterentur.

XI. Freqventes ſynodi *Iconii* in Phrygia, *Synadis* in Aſia, & *Carthagine*, tempore Treboniani Galli; qvæ *Cypriani errorem* de rebaptiſandis hæreticis comprobarunt.

XII. *Africana*, ſub moderamine Cypriani, de infantibus ante octavum etiam diem baptiſandis, *contra Fidum epiſcopum*, qvi infantes intra ſecundum vel tertium diem natos baptiſare noluerat. *Cyprian. lib. 3. cap. 8.* Magd. Cent 3. p.205. Euſeb. lib. 6. cap. 43.

XIII. *Romana*, ſub moderamine Dionyſii, epiſcopi Romani, *in cauſa Dionyſii epiſcopi Alexandrini*, qvem, qvaſi de fide & Trinitate contra Sabellium non recte ſentientem Pentapolitani traducebant, celebrata: in qva Alexandrinus epiſcopus, ab accuſatorum calumnia accuſatus eſt. *Baron. ad ann. CCLXIII.* Magd Cent. 3. p.194.

XIV. Freqventes aliæ ſynodi, & imprimis *duæ Antiochenæ*, tempore Gallieni & Aureliani *contra Paulum Samoſatenum*, epiſcopum Antiochenum, divinitatem Chriſti pernegantem. *Euſeb. lib. 7. cap. 24. & 25.* Paulus, erroris convictus, cum ex eccleſia exire juberetur, nec vellet à ſynodo juſſus officium deponere, autoritate Aureliani imperatoris expulſus eſt. Euſeb. lib. 7. Hiſt. Eccl. c.28. & 30. Magd. Cent. 3. p.222.

XV. *Cirtenſe*, in Numidia, tempore Diocletiani, ab iis epiſcopis, qvos *Traditores* vocabant, celebrata, in cauſa criminis traditionis codicum ſacrorum, & eligendi novi epiſcopi Cirtenſis. *Baron. ad ann. CCCIII.*

XVI. *Sinueſſana*, tempore Diocletiani *contra Marcellinum*, epiſcopum Romanum, qvi in perſecutione Diis ſacrificaverat, à CCC. epiſcopis celebrata. Tom. 1 Concil. pag. 364.

XVII. *Eliberitana* in Hiſpania, A. C. CCCV. ab epiſcopis XIX. & XXVI. presbyteris Hiſpaniæ, durante perſecutione, ſub Galerio celebrata: in qva *lapſis auſtero decreto communio in ipſo etiam vitæ fine adimebatur*, & decretum, ne in numero martyrum haberentur, qvi idola fregiſſent, & ſe ſponte ad martyrium ita obtuliſſent. Magd. Cent. 4. c. 9. Oſiand. l. 2. c. 22. p. 143. ſeq.

XIIX. *Carthaginenſes duæ Donatiſtarum*, circa idem tempus coactæ: qvarum primæ LXX. alteri CCLXX. epiſcopi interfuerunt. *In illa* Tom. 1. Concil. p. 377. Oſiand. Cent. 4. lib. 1. cap. 28. pag. 187.

Cæcilianus, epiſcopus Carthaginenſis, à ſchiſmaticis depoſitus eſt, qvia & ipſe tempore perſecutionis codices ſacros tradiderat, & à traditore epiſcopo ordinatus erat, & martyribus, in carcere conſtitutis, victum adferri prohibuerat. In hac *Traditores*, etſi baptiſari denuo nollent, ad communionem recipiebantur.

XIX. *Romana*, in qva *Cæcilianus*, depoſitus à Donatiſtis in judicio eccleſiaſtico, cui tres Galliæ epiſcopi, ab imperatore Conſtantino miſſi, præſidebant, accuſatur: ab orthodoxis defenditur: tandem abſolvitur. Sed Donatiſtæ ad imperatorem à ſententia epiſcoporum provocarunt.

Tom 1. Concil. p. 375. Magd. Cent. 4. c. 9. p. 704. Oſiand. ead. Cent. l. 2. c. 26. p. 177.

XX. *Aretalenſis* in Gallia, ab imperatore Conſtantino, *in eadem Donatiſtarum & Cæciliani cauſa* indicta: in qva CC. epiſcopi convenerunt & ipſo Imperatore præſente ſententiam dixerunt. A qva cum denuo provocarent Donatiſtæ, imperator ipſe cognitionem cauſæ in ſe ſuſcepit, & tandem, poſt longam facti inqviſitionem, id, qvod ab epiſcopis definitum erat, confirmavit.

Tom. 1. Concil. p. 429.

XXI. *Ancyrana* in Galatia, non diu ante Nicænam, à XXIIX. epiſcopis celebrata: in qva de iis, qvi in perſecutionibus diis ſacrificaverant, & veſci idolothytis viſi fuerant, deqve nuptiis cum diaconorum tum aliorum, & de rebus aliis, pia decreta XXV. canonibus ſunt ſancita.

XXII. *Neocæſarienſis* in Cappadocia, ab iisdem epiſcopis paulo poſt habita: cujus XIV. canones, ſed non ita ſanos, ut Ancyranos, libri conciliorum recenſent.

Baron. A. C. 315.

XXIII. *Romana*, ſub Conſtantino Magno, anno CCCXV. *contra Judæos* à Silveſtro epiſcopo Romano habita: in qva cum Judæi confuſi eſſent, imperator poſtea, ad eorum inſolentiam & ſeditionem compeſcendam, legem tulit, ut, qvi ſuæ ſectæ deſertori, ad Chriſtianos tranſeunti, lapidibus, aut alio immani ſupplicio, moleſti eſſent, flammis delerentur; ſeditioſi autem auriculis amputatis ſignoqve corpori impreſſo notati, velut mancipia fugitiva & verberones, per omnia loca circumducerentur.

Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 93.

XXIV. *Duæ Alexandrinæ*, ab Alexandro, Alexandrino epiſcopo, *in cauſa Arii* anno CCCXV. & CCCIX. indictæ, & à centum fere epiſcopis celebratæ: qvarum *prima* Arius eſt condemnatus, à communione ejectus, & presbyteratus ordine exutus; *altera*, Oſius Cordubenſis ab imperatore cum literis, qvæ extant apud Euſebium in vita Conſtantini, *lib. 2. cap. 93.* miſſus, non ſolum Arianorum, ſed & Sabellianorum peſtifera dogmata damnavit.

XXV

XXV. *Laodicena* in Phrygia, ad collapſam eccleſiæ diſciplinam, autore Nunechio Phrygiæ metropolitano, per XXXII. epiſcopos celebrata. Memorabilis eſt canon XXXV: *Non oportet Chriſtianos, derelicta eccleſia Dei, abire, atq; angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdictæ noſcuntur. Si qvis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, ſit anathema, qvia reliqvit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium Dei, & ſe idololatriæ tradidit.* Qvibus verbis angelorum cultum damnari, ipſe *Theodoretus ad Col. II.* teſtis eſt.

Tom. 1. Concil. pag. 464. Magdeb. Cent. 4. c. 9. Oſiand. ead. cent. lib. 3. c. 38. p. 350. ſeq.

XXVI. *Romanam* aliam ſynodum, anno CCCXXIV. qvi proxime anteceſſit Nicænum concilium, à Silveſtro CCLXXXIV. epiſcopis celebratam, annotant collectores conciliorum. Sed in ea pene nihil, qvod tanta congregatione dignum eſſet, decretum, & nec verbo Arianæ hæreſeos, tanta paſſim incrementa ſumentis, mentio facta eſt.

Baron. A. 324.

XXVI. Qvantum ex iis, quæ enarraſti, conjicio, ab ipſis eccleſiæ N. T. incunabulis ſchiſmata & hæreſes unitatem fidei & vinculum pacis multoties ruperunt.

Vix eccleſia ex Græcis & Judæis coaleſcere cœperat, cum *Act. VI.* ob viduarum, qvas inter Græcos egeſtas premebat, neglectum *Hieroſolymis* diſcordiæ ſemen ſpargebatur. Qvod cum radices agere non poſſet, ſeptem diaconis, ut curam eleemoſynarum agerent, electis, invaluit *ſchiſma alterum Antiochenum* de ceremoniis legalibus, qvod non niſi in concilio *Act. XV.* componi poterat. Hinc, ſi illi *ſchiſmatici* ſunt, qvi diſſenſionibus iniqvis à fraterna caritate diſſiliunt, qvamvis ea credant, qvæ credimus: paſſim locorum vincula caritatis, ſi non rupta, tamen vellicata ſunt. *In eccleſia Corinthiaca*, de dignitate perſonarum Pauli, Apollo & Cephæ *I. Cor. III.* diſſenſerunt: & ipſe *Paulus atq; Barnabas*, conjunctiſſimi hactenus ſocii, ob itineris comitem Marcum, à ſe invicem, ſine doctrinæ tamen injuria *Act. XV.* diſſidebant, & ſuæ qvisqve viæ inſiſtebant. Omnium autem graviſſima contentio *ex quæſtione de die paſchatos celebrandi* pedetentim exarſit: &, utut ſubinde ſopiretur, multoties tamen, viribus de novo auctis, eccleſiam infeſtavit. Immundus enim ſpiritus commodam in ea invenit occaſionem myſterii iniqvitatis provehendi, ut filius perditionis paulatim capite elato tyrannidis fundamenta poneret. Ideoqve cum Philippus & Johannes in Aſia, more Judæorum, qvotocunqve die, qvi eſſet XIV. lunæ ab æqvinoctio verno primæ; reliqvi au-

tem

tem apoſtoli in Europa, libertate uſi Chriſtiana, die dominico proxime inſeqventi, paſchatis ſolemnia alligaſſent, pomum eridos callidus artifex in gremium eccleſiæ projecit. Et Chriſtiani ceremoniis plus debito inſiſtere cœperant, doctrina de libertate Chriſtiana non ſatis perſpecta. Qvæ cauſa fuit, cur tandem, tanqvam de aris & focis in hoc negotio epiſcopi litigarent: Romanis præſertim, Aniceto, Sotere, Pio, Eleuthero, & imprimis Victore incendium hoc ſtudioſe ſufflantibus, & omnem lapidem moventibus, ut Aſiaticos, libertatem ſuam in rebus adiaphoris ſummo ſtudio tuentes, ad ſuos qvoq; ritus perducerent. Etſi autem paternis Polycarpi admonitionibus Anicetus ceſſiſſe, qvodammodo, nec pertinaciter ſuæ ſententiæ inſtitiſſe videtur: qvemadmodum tamen ante illum Pius nocturnum ſomnium, de vero paſchatos die ab Hermete ſuggeſtum, jactitavit: ita poſt eum Victor non rixas aut diſſenſiones de paſchate, *ceu Magdeburgenſes loqvuntur*, ſed bellum propemodum triſte movit. Adeo enim neceſſariam eſſe uniformem paſchatos celebrationem cenſuit, ut pro hæreticis & excommunicandis habendos putaret, qvi diſſentirent. Deinde non cunctatus, ſynodos paſſim indixit, ne ſua ſolus ſententia ſtare videretur, ſed & aliorum judicia & ſententias eliceret. Tandem furibundus ad modeſtas Aſiaticorum rationes exſiliens, omnes *Qvartadecimanos* (ſic enim vocant, qvi XIV. luna Paſcha celebrabant) excommunicavit, Polycrate & nullis ferè non epiſcopis aliis, utut Victori contradicentibus. Utraqve tandem pars, transactione facta, ſuum morem retinuit, *ut Sozomenus & Euſebius teſtantur. Nicephorus & ex eo Baronius, ajunt*, Aſiam invitam Romano ceſſiſſe arbitrio, manentibus tamen reliqviis eorum, qvi morem ſuum retinuerunt usqve ad ſynodum Nicænam, in qva concordiæ & caritati libertatem ſuam poſtpoſuerunt. Ab hoc tempore Romani epiſcopi, audaciores facti, novas ſubinde ceremonias eccleſiæ obtruſerunt, & excommunicationis poteſtatem abuſui & contemtui expoſuerunt. Porro qva ratione odium cleri Romani ſub Severo *in Tertullianum*, & invidia Epiſcopi Alexandrini Demetrii ſub Antonio *in Origenem*, ſchiſmate haud excuſando, deſævierit, ut *ille* qvidem ad Montaniſtas deflecteret; *hic* verò Alexandria relicta, in Palæſtina ſcholam aperiret, jam notum eſt. Notum eſt etiam *ſchiſma Novati & Cypriani*: qvorum *ille*, lapſis gratiam denegans, hæreſi longiſſime graſſanti occaſionem dedit; *hic* hæreticos eſſe rebaptiſandos aſſerens, palinodiam tandem cecinit. Notum itidem, ob traditiones codicum ſacrorum *ſchiſma Donatiſtarum* in Africa primo erupiſſe: ut vel hinc intelligatur,

Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 23. p. 82. Magdeb. Cent. 2. c. 8. col. 154. ſeq.

D. Ulric. Mayer. & Conr. Dannhauer. de Novatianis.

rupto

rupto per ſchiſma caritatis vinculo, facile fideì per hæreſes vim fieri poſſe. Nos, anteqvam catalogum hæreticorum nectimus, nonnulla de perſecutionibus primitivæ eccleſiæ ediſſeremus.

XXVII. Age igitur, & , qvæ perſecutiones prima eccleſiæ tempora infeſtarint, enarrato.

Cauſas prius, qvare toties imperatores & reges in Chriſtianos inſurrexerint, inqvirendæ ſunt. Nam etſi certum eſt, cacodæmones, qvorum regnum per annunciationem evangelii deſtruendum erat, omnibus viribus in id incubuiſſe, ne Chriſtus mundo innoteſceret: non tamen ſpirituum infernalium miniſtros ſe eſſe credebant principes terræ : ſed potius Chriſtianos id impietate inaudita meruiſſe arbitrabantur, ut penitus exſcinderentur. Deferebantur illi, tanqvam homines ſine DEO, ſine conſcientia, ſine communi pene ſenſu. Hinc illud Athenagoræ philoſophi in apologia pro Chriſtianis: *Trium flagitiorum infamis rumor de nobis ſpargitur: impietas, qva Deos tollat: epula Thyeſtea: concubitus inceſti.* Audi, qvæ *apud Minutium Felicem* Cæcilius gentilis objicit Chriſtianis: *Audio*, inqvit, *eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum, inepta neſcio qva perſvaſione, venerari. Alii eos ferunt ipſius antiſtitis colere genitalia, & qvaſi parentis ſui adorare naturam, & hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia colere. De initiandis tirunculis fabula nota eſt. Apponitur ei, qvi ſacris imbuatur, infans farre contectus, ut decipiat incautos. Is infans à tirunculo, farris, ſuperficie, qvaſi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisq; vulneribus occiditur. Hujus (pro nefas!) ſitienter ſangvinem lambunt. Hujus certatim membra diſpertiunt. Hac fœderantur hoſtiâ. Ad epulas etiam ſolenni die coeunt. Illic, ubi inceſtæ libidinis ebrietate fervor exarſit, canis, qvi candelabro nexus eſt, jacto offula ultra ſpatium lineæ, qvâ vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur. Sic everſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis.* Hactenus verba Cæcilii: qvibus Minutius Felix reſponſurus, recte dicit, *famam, qvæ ſemper in ſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumi. Apion*, adverſus qvem *Joſephus hiſtoricus* duos libros commentatus eſt, vocat, ut Judæos, ita Chriſtianos *Aſininos* : & mentitur, eos aſini caput colere. *Alii* vocabant eos *atheos*, qvaſi ſine Deo, qvia Deos gentium non colebant: *alii ſemaſſios & ſarmentitios*, qvod ad ſtipem dimidii aſſeris revincti, ſarmentis comburerentur; *alii biothanatos*, qvaſi vivos mortuos. *Svetonius libro 6.* vocat genus hominum ſuperſtitionis novæ ac

Korthold de Perſecutionib. Eccleſ. primitiv. veterumqve Martyrum Cruciatibus.

tem apoſtoli in Europa, libertate uſi Chriſtiana, die dominico proxime
inſeqventi, paſchatis ſolemnia alligaſſent, pomum eridos callidus arti-
fex in gremium eccleſiæ projecit. Et Chriſtiani ceremoniis plus debito
inſiſtere cœperant, doctrina de libertate Chriſtiana non ſatis perſpecta.
Qvæ cauſa fuit, cur tandem, tanqvam de aris & focis, in hoc negotio epi-
ſcopi litigarent: Romanis præſertim, Aniceto, Sotere, Pio, Eleuthero, &
imprimis Victore incendium hoc ſtudioſe ſufflantibus, & omnem lapi-
dem moventibus, ut Aſiaticos, libertatem ſuam in rebus adiaphoris
ſummo ſtudio tuentes, ad ſuos qvoq; ritus perducerent. Etſi autem pa-
ternis Polycarpi admonitionibus Anicetus ceſſiſſe, qvodammodo, nec
pertinaciter ſuæ ſententiæ inſtitiſſe videtur: qvemadmodum tamen ante
illum Pius nocturnum ſomnium, de vero paſchatos die ab Hermete
ſuggeſtum, jactitavit: ita poſt eum Victor non rixas aut diſſenſiones de
paſchate, *ceu Magdeburgenſes loqvuntur*, ſed bellum propemodum triſte
movit. Adeo enim neceſſariam eſſe uniformem paſchatos celebrationem
cenſuit, ut pro hæreticis & excommunicandis habendos putaret, qvi diſ-
ſentirent. Deinde non cunctatus, ſynodos paſſim indixit, ne ſua ſolus
ſententia ſtare videretur, ſed & aliorum judicia & ſententias eliceret.
Tandem furibundus ad modeſtas Aſiaticorum rationes exſiliens, omnes
Qvartadecimanos (ſic enim vocant, qvi XIV. luna Paſcha celebrabant)
excommunicavit, Polycrate & nullis ferè non epiſcopis aliis, utut Victo-
ri contradicentibus. Utraqve tandem pars, transactione facta, ſuum
morem retinuit, *ut Sozomenus & Euſebius teſtantur. Nicephorus & ex eo Ba-
ronius, ajunt*, Aſiam invitam Romano ceſſiſſe arbitrio, manentibus ta-
men reliqviis eorum, qvi morem ſuum retinuerunt usqve ad ſynodum
Nicænam, in qva concordiæ & caritati libertatem ſuam poſtpoſuerunt.
Ab hoc tempore Romani epiſcopi, audaciores facti, novas ſubinde ce-
remonias eccleſiæ obtruſerunt, & excommunicationis poteſtatem abu-
ſui & contemtui expoſuerunt. Porro qva ratione odium cleri Romani
ſub Severo *in Tertullianum*, & invidia Epiſcopi Alexandrini Demetrii ſub
Antonio *in Origenem*, ſchiſmate haud excuſando, deſævierit, ut *ille* qvi-
dem ad Montaniſtas deflecteret; *hic* verò Alexandria relicta, in Palæſti-
na ſcholam aperiret, jam notum eſt. Notum eſt etiam *ſchiſma Novati &
Cypriani*: qvorum *ille*, lapſis gratiam denegans, hæreſi longiſſime graſſan-
ti occaſionem dedit; *hic* hæreticos eſſe rebaptiſandos aſſerens, palino-
diam tandem cecinit. Notum itidem, ob traditiones codicum ſacrorum
ſchiſma Donatiſtarum in Africa primo erupiſſe; ut vel hinc intelligatur,

Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 23. p. 82. Magdeb. Cent. 2. c. 8. col. 154. ſeq.

D. Ulric. Mayer. & Conr. Dannhauer. de Novatianis.

rupto

rupto per ſchiſma caritatis vinculo, facile fidei per hæreſes vim fieri poſſe. Nos, anteqvam catalogum hæreticorum nectimus, nonnulla de perſecutionibus primitivæ eccleſiæ ediſſeremus.

XXVII. Age igitur, &, qvæ perſecutiones prima eccleſiæ tempora infeſtarint, enarrato.

Korthold de Perſecutionib. Eccleſ. primit. veterumqve Martyrum Cruciatibus.

Cauſas prius, qvare toties imperatores & reges in Chriſtianos inſurrexerint, inqvirendæ ſunt. Nam etſi certum eſt, cacodæmones, qvorum regnum per annunciationem evangelii deſtruendum erat, omnibus viribus in id incubuiſſe, ne Chriſtus mundo innoteſceret: non tamen ſpirituum infernalium miniſtros ſe eſſe credebant principes terræ: ſed potius Chriſtianos id impietate inaudita meruiſſe arbitrabantur, ut penitus exſcinderentur. Deferebantur illi, tanqvam homines ſine DEO, ſine conſcientia, ſine communi pene ſenſu. Hinc illud Athenagoræ philoſophi in apologia pro Chriſtianis: *Trium flagitiorum infamis rumor de nobis ſpargitur: impietas, qvæ Deos tollat: epulæ Thyeſteæ: concubitus inceſti.* Audi, qvæ *apud Minutium Felicem* Cæcilius gentilis objicit Chriſtianis: *Audio*, inqvit, *eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum, inepta neſcio qva perſvaſione, venerari. Alii eos ferunt ipſius antiſtitis colere genitalia, & qvaſi parentis ſui adorare naturam, & hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia colere. De initiandis tirunculis fabula nota eſt. Apponitur ei, qvi ſacris imbuatur, infans farre contectus, ut decipiat incautos. Is infans à tirunculo, farris, ſuperficie, qvaſi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisq; vulneribus occiditur. Hujus (pro nefas!) ſitienter ſangvinem lambunt. Hujus certatim membra diſpertiunt. Hac fœderantur hoſtiâ. Ad epulas etiam ſolenni die coeunt. Illic, ubi inceſtæ libidinis ebrietate fervor exarſit, canis, qvi candelabro nexus eſt, jacto offula ultra ſpatium lineæ, qvâ vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur. Sic everſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis.* Hactenus verba Cæcilii: qvibus Minutius Felix reſponſurus, recte dicit, *famam, qvæ ſemper in ſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumi. Apion*, adverſus qvem *Joſephus hiſtoricus* duos libros commentatus eſt, vocat, ut Judæos, ita Chriſtianos *Aſininos*: & mentitur, eos aſini caput colere. *Alii* vocabant eos *atheos*, qvaſi ſine Deo, qvia Deos gentium non colebant: *alii ſemaſſios & ſarmentitios*, qvod ad ſtipem dimidii aſſeris revincti, ſarmentis comburerentur: *alii biothanatos*, qvaſi vivos mortuos. *Svetonius libro 6.* vocat genus hominum ſuperſtitionis novæ ac

maleficæ. Qvanqvam autem hiſce diffamationibus nihil futilius, & Chriſtiani, ob non recte percepta eorum in ſacramento cœnæ myſteria, in ſuſpicionem impietatis impie vocabantur: tantum tamen calumnia valuit, ut non poſſe generi humano conſuli crederent imperatores & reges, niſi Chriſtiani tollerentur. Sæpius illi, cum adhuc eccleſia Chriſti anguſtis Judææ terminis coërcebatur, immanes tyrannorum inſultus ſuſtinuerant. *Prima vis* fiebat in oppido Bethlehemi, cum infantes innoxii, juſſu Herodis, truculenta percuſſorum manu propter Chriſtum natum ſternebantur. *Alteram* Herodes Antipas intulit, qva Johannes Baptiſta periit. *Tertia tyrannide* ſub Pilato Dominus pro ſalute generis humani crucifixus eſt. *Qvarta* Saulus ſæviit: Stephanus protomartyr lapidatus, una cum ſyndiacono Nicanore & bis mille aliis promiſcuæ conditionis & ſexus occubuit: pulſa in exilium eccleſia Hieroſolymitana diffugit. *Qvinta* ſub Agrippa Jacobus cum aliqvot Chriſti diſcipulis capite truncatus, & Petrus in carcerem tractus eſt. *Sexta* ſub Claudio imperatore Judæi ſe ita ferociter fratribus Chriſtianis Romæ oppoſuerunt, ut imperator utrosqve Roma expelleret, cumq; iis Aqvilam & Priſcillam *Actor. XIIX. Oroſ. lib. 7. cap. 6. Dion. lib. 60. Sueton. in vita Claudii.* Refer huc omnes afflictiones apoſtolorum & diſcipulorum, paſſim locorum variis tormentis aut prorſus ſublatorum, aut mirum in modum afflictorum. Sed nondum imperator aliqvis, publicis per provincias edictis, Chriſtianos excruciari mandaverat. *Claudius* qvidem, ut diximus, Judæos ſimul & Chriſtianos, interqve eos Aqvilam & Priſcillam, Roma expulit: & ante eum *C. Caligula*, cum Apion, orator Alexandrinorum, cauſam Græcorum adverſus Judæos, tanqvam majeſtatis Cæſaris contemtores, ageret, vehementem iram in Chriſtianos, qvi Judæis accenſebantur, & eodem cum illis nomine tunc temporis veniebant, concepit: nec Philonem, qvi Judaicæ legationi præerat, gentis ſuæ innocentiam demonſtraturum, audire dignatus eſt. *Sejanus* qvoqve jam tempore Tiberii, apud qvem magnæ erat autoritatis, ſtudioſe in hoc incubuit, ut totam Judæorum gentem perderet, *ut eſt apud Euſebium lib. 4. cap. 5.* Sed minæ & indignatio Sejani & Caligulæ in nervum non erumpebant: Claudii furor in gentis Judaicæ & Chriſtianæ ex urbe Roma proſcriptione ſubſiſtebat. *Tiberius Cæſar* interim, accepta Pilati epiſtola de reſurrectione & miraculis Chriſti, *prout illa apud Sixtum Senenſem legi poteſt*, eo affectu cœpit incumbere in illum, ut referret ad ſenatum de Chriſto, inter Deos recipiendo,

endo, *ut teſtantur Tertullianus in Apolog. cap. 5. Euſeb. lib. 2. cap. 11. & Oroſius lib. 7. cap. 4.* Sed obſtabat lex, ne qvis DEUS, niſi à ſenatu probatus, ab imperatore conſecraretur. Factum tandem eſt, ut, cum Chriſtiani omnem Romanorum Deorum cultum improbarent, & talia religionis fundamenta inculcarent, qvæ rationis dictamini & Philoſophorum decretis adverſantur, totus orbis & orcus in eorum perniciem inſurgeret.

PRIMUS Cæſarum NERO ſupplicia adverſus Chriſtianos anno LXII. decrevit. Illo dedicatore damnationis ſuæ, *dicente Tertulliano,* gloriati ſunt, qvia non niſi grande bonum à Nerone damnari potuit. Antiqvæ urbis ſtructuram deteſtatus, cum novam eam fieri vellet, & ſimul libidine teneretur, Trojani incendii formam ſibi ob oculos ſiſtendi: & ita Roma ſex integris diebus igne ſubjecto eum in modum depaſta eſſet, ut ex XIV. regionibus vix IV. ſupereſſent: ad invidiam eluendam, in Chriſtianos, tanqvam incendiarios, culpam conjecit, eosqve exqviſitiſſimis ſubjecit tormentis, &c, *ut ait Tacitus,* pereuntibus addidit ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi (in tunica, *ut ait Seneca,* alimentis ignium illita & intexta) atqve, ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis, urerentur. Decretum Neronis hoc fuiſſe traditur: *Quiqvis Chriſtianum ſe eſſe confitetur, is, tanqvam generis humani convictus hoſtis, ſine ulteriore ſui defenſione, capite plectitor.* Duravit hæc Neroniana ſævitia annis qvatuor, tandemq; tyranno ſublato, deferbuit, cum paulo ante *Petrus, Paulus, Jacobus minor, Philippus, Marcus & Barnabas, diverſis in locis* martyrio eſſent coronati. Qvæ autem in Actis Theclæ Pauli, & ex illis à Vincentio, Petro de Natalibus aliisqve Legendarum, ceu vocant, ſcriptoribus, de *Thecla* narrantur, & à Baronio contra Hieronymum defenduntur, qvaſi data ſponſo fide renunciata, Paulum ſecuta, à tribus ſuppliciorum generibus libera evaſerit, vix fidem merentur. Nam, utut pientiſſimæ Theclæ mentio à multis patribus injecta eſt: à nullo tamen, qvæ ſciolorum otia excogitarunt, aſſerta legas. Tertullianus certe *in libro de baptiſmo cap. 17. teſtatur,* autorem hujus fabulæ, presbyterum in Aſia, ob falſa prodita loco excidiſſe.

Euſeb. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 25. & lib. 3. Demonſtr. Evangel. cap. 7. in Chron n. 2084. Sulpit. Sever. lib. 2. cap. 41. Oroſ. lib. 7. c. 7. Gregor. Turonenſ. lib. 1. c. 25 Hornej. lib. 1 Hiſt. cap. 13.

SECUNDUS, qvi ſangvine Chriſtianorum A. C. LXXXI. maduit, fuit DOMITIANUS, heres Neronis ſævitiæ, *ceu inqvit Euſebius.* Hujus frater *Titus,* & pater *Veſpaſianus,* nihil in Chriſtianos aſperius fuerant moliti, & Chriſtianis in bello Judaico, qvo Hieroſolyma ſunt exciſa, liberum rece-

Irenæus l. 5. c. 3. Clem. Alex. 4. Strom. Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 13. Chron. A. 2110. & 12,

Tertull. lib. de Præſcript. cap. 36. Hieronym. in c. 10. Matth. Johannes ille in Apoc. c. 1. v. 9.

receptum Pellæ, in regione trans Jordanem Peræa, qvo divinis monitis excitati confugiebant, conceſſerant. In regium tamen Davidis genus, jam plurimos Chriſtianos complectens, impetum fecerant. Domitianus autem *Johannem apoſtolum*, fruſtra oleo fervente toſtum, in Patmum relegavit: *Timotheum, Dionyſium Areopagitam, Cletum*, & plures alios ſuſtulit: nec ipſi *Coſ. Flavio*, nec ejus familiæ ἀθεότητος reæ, ceu loqvitur Dio, id eſt, ob contemtum religionis Deorum pepercit. Tandem mitigatus eſt tyrannus, cum, qvos perſeqvebatur, regnum terrenum non affectare deprehendiſſet.

Euſeb. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 29. & 33. Chron. 24. Niceph. lib. 3. c. 16. Plin. l. 10. Epiſt. 97.

TERTIUS Chriſtiani nominis hoſtis publicus ab anno poſt natum Chriſtum centeſimo per XIV. annos extitit TRAJANUS. *Cocceјus Nerva*, ſucceſſor Domitiani, abſolverat omnes impietatis in Deos, ceu loqvebantur, reos, & exules, ipſumqve Johannem ex Patmo revocarat. Sed Trajanus virtutes, qvibus pollebat, in propaganda vel potius defendenda idololatria, & doctrina Chriſti abroganda, impie exercens: cum à ſacrificulis & aulicis, numerum piorum magis ſuſpectum, qvam ipſam religionem habentibus, inflammaretur: blaſphemiæ & ſeditionis crimen Chriſtianis intentabat, & damnatorum bonis inter amicos diviſis ſuſtulit, ut plures alios taceam, *Simeonem apoſtolum*, Cleophæ filium, *Clementem* Romanum epiſcopum, *Ignatium Oneſimum*, Johannis in Epheſina eccleſia ſucceſſorem, *& qvinq; virgines Antiochenas*: qvarum cineres æri commixti, & in publici lavacri vaſa conflati, omnes lavandi cauſa ingreſſos vertigine confundebant, donec tandem, aliis ſubſtitutis vaſis, in qvinq; virginales ſtatuas transformarentur, *ceu teſtatur Nicephorus lib. 3. c. 23.* Decretum etiam ſanxit, ne legem Judæi legerent, ut eſt in illorum traditionibus: qvam afflictionem cenſuerunt longe maximam Nunc Trajani veſtigia legunt, qvi lectionem ſcripturæ manibus laicorum excutiunt. Tandem *Plinius* ſecundus junior, vir moderatus, conſtantia piorum, nullo facinore obſtrictorum, motus, relaxationem perſecutionis qvalemcunqve literis impetravit: qvæ adhuc extant *lib. 10. ep. 97.* Reſcripſit enim Trajanus, *conqvirendos non eſſe Chriſtianos; ſi deferantur & arguantur, puniendos eſſe.* Sic igitur non qvidem edictis præcepta porro eſt Chriſtianorum deletio, ſed tamen permiſſa. Qvod unum an tanti ſit, ut *Gregorius M.* res Trajani geſtas legens, potuerit eum precibus ex inferno redimere, & vitam ei cœleſtem impetrare, ceu nonnulli memoriæ produnt, judicet, qvi poteſt Juxta Baronium ex Græcorum menologio in hac perſecutione *XI. millia militum*, cum ſacra diis facere

re nollent, primum in Armeniam relegati; tandem crucifixi ſunt: qvod tamen aliqvi factum dicunt ſub Adriano.

QVARTUM tyrannum pii A.C. CXXV. invenerunt ADRIANUM, in curia qvidem laudabilem, ſed eccleſiæ nimis terribilem. Hic ſuſurronum & delatorum ſuggeſtionibus motus, *Evariſtum & Alexandrum*, epiſcopos Romanos & *Hermetem*, urbis præfectum, cum numeroſa CIƆCCL. hominum familia, in furno ardenti cremari, *Zenonem patricium*, & præterea CCIƆƆCCIII. *cives Romanos* jugulari, ut & *Euſtachium*, ducem victorioſum, diis adolere detrectantem, cum uxore & liberis leoni objici curavit: cumqve fera à ſanctis Dei confeſſoribus ſeſe contineret, in æneum taurum ignitum conjecti conflagrarunt. Hæc procella Publium epiſcopum Athenienſem, *Getulium* cum uxore & VII. liberis, *Sapphiram, Sabinam, & Sophiam* cum *Fide, Spe & Charitate*, tribus filiabus, alioſqve egregios viros abſumſit. Tandem halcyoniis eccleſiæ conceſſis deferbuit, cum *Qvadratus*, antiſtes Athenienſis, & *Ariſtides* philoſophus, apologiis & alloqviis eruditis, animum imperatoris à ſævitia avocarent, & *Serenius Granianus*, vir nobilis, proconſul Aſiæ, literis demonſtraret, iniqviſſimum eſſe, clamoribus vulgi innocentium ſangvinem concedi, & ſine ullo crimine, nominis tantum & ſectæ reos fieri *Euſeb. lib. 4. cap. 9.* Defuncto Adriano, etſi paſſim martyrum ſangvine eccleſia irrigabatur, cum tamen non jugularentur Chriſtiani edicto publico, ſed ſaltem premerentur à filiis hujus ſeculi impune adverſus eccleſiam tumultuantibus, inter perſecutores tamen *Antoninus Pius*, qvi Adriano ſucceſſit, non refertur. Initio qvidem multos ſuſtulit, & inter eos *Ptolemæum* & *Lucium*, Alexandrinos. & *Felicitatem* Romanam cum IIX. filiis. Sed cum, lecta Juſtini apologia, qvam pro Chriſtianorum innocentia conſignaverat, ad conſtantiam illorum, ultro ſeſe ad mortem offerentium adſtupeſceret, & ut teſtis eſt Tertullianus, ſæpius illud ingeminaret: *O infelices, ſi mori cupitis, annon habetis laqveos & præcipitia?* conqvievit hæc procella, ſed paulo poſt vehementior ſurrectura. Epiſtola ejus ad communitatem Aſiæ de non affigendis Chriſtianis legatur *apud Euſebium.*

Euſeb. lib. 4 Hiſt. Eccleſ. c. 3. Hieronym. l. 2. Epiſt. 1. Oroſ. lib. 7. c. 13. Niceph. lib. 3. cap. 11. Tertull. in Apoll. cap. 6.

QVINTUS, qvi ſe Chriſto oppoſuit, M. AUREL. ANTONINUS philoſophus, non ſaltem vagas Chriſtianorum cædes permiſit, ſed & publico edicto omnes diis ſacrificare juſſit. Hinc ſævitum eſt Romæ, in Aſia, ubi non? Intra Gallias etiam, *ut inqvit Sulpitius Severus*, tum primum martyria viſa ſunt, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta. Perierunt *Polycarpus, Juſtinus, Photinus Lugdunenſis, Germanicus, Epagathus,* Chri-

Euſeb. lib. 4. Hiſt Eccleſ. c. 15. & 16. lib. 5. cap. 5. Chron. 2190. Oroſ. l. 7. c. 15. Tertul. in Apolog. c. 5. Claudian. de Honor. Conſulat. 6. circa med.

Chriſtianorum advocatus, *Apollonius philoſophus*, ampliſſima eccleſiæ lumina, & reliqvi, qvorum fit mentio in epiſtolis martyrum Gallicanorum & Smyrnenſium, qvæ *apud Euſebium & in Cent. 2. Magd. cap. 3.* legi poſſunt, &, qvia magnam oſtentant martyrum pietatem, debent. Animum imperatoris nec apologiæ *Apollinaris* epiſcopi Hieropolitani & *Melitonis* Sardenſis, nec interceſſio legati Chriſtianorum, *Athenagoræ* Atheníenſis, mitigavit. Tandem cum legio, Chriſto ſacrata, pluviam exercitui adverſus Marcomannos, præ ſiti pene exanimato, precibus à Deo impetraſſet, pacem conceſſit eccleſiæ, & non ſaltem, ne inqvirerentur Chriſtiani, præcepit, ſed & accuſari ob religionem vetuit, & accuſatoribus non minus ſupplicium, qvam accuſatis, minatus eſt, honoresqve adipiſci eos permiſit, qvi Judaicam ſuperſtitionem (ſic Chriſtianos circumſcribebant) ſeqvebantur. Hinc *apud Euſebium lib. 5. cap. 9.* legimus, delatori Apollonii martyris, fractis cruribus, pœnam irrogatam eſſe. Hoc edicto, tempore etiam *Commodi*, truculentiſſimi alioqvin tyranni, per univerſum imperium hoſtes Chriſtiani nominis coërcebantur. Cacodæmon verò, cum Commodi tyrannidem in eccleſiam non poſſet armare, (obſtabat enim non tam pellex Chriſtianis favens, qvam ipſe ſupremus paſtor eccleſiæ,) controverſiam de paſchate doctoribus propinavit, & noxios Montano, aliisqve hæreſiarchis, errores inſpiravit: tandemqve Severum imperatorem, alioqvin laudatiſſimum, eo adegit, ut anno imperii X. Chriſti vero CCII. Chriſtianos, tanqvam majeſtatis reos, ut qvi per majeſtatem imperatoris jurare nollent, validiſſimo impetu perſeqveretur, & ob id vulgo Antichriſtus diceretur, qvem extremus dies propè eſſet excepturus.

Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 1. Sulpit. Sev. lib. 2. Hiſtor. Sacr. cap 46. Oroſ. lib 7. cap 17. Niceph. lib. 5. cap. 2. Gregor. Turonenſ. l. 1. cap. 29.

SEXTUS igitur, qvi tyrannide immani eccleſiam Chriſti preſſit, fuit SEVERUS: ſub qvo paſſim, & imprimis in Africa, illuſtria piorum martyria ſunt edita: fruſtra Cypriano & Tertulliano contra præfectorum inſolentiam & atrocitatem ſcripto contendentibus; JCtis autem, Ulpiano, Paulo, Pomponio, Celſo, Modeſtino, in fidem Chriſtianam ſevera decreta procurantibus. Sublatus eſt *Irenæus*, *Leonides*, Origenis pater, *Perpetua* & *Potamiæna*, cujus precibus ex lupo ovicula eſt factus carnifex Baſilides. Severo paulo poſt fatis concedente, eccleſiæ res ferebantur tranqvillius ſub *Caracalla*, *Macrino*, *Heliogabalo*, & imprimis *Alexandro*, Chriſtianam pietatem non multum averſato, propter matrem Mammæam, qvæ Chriſtiana fuiſſe creditur. Ipſe Alexander, *ceu Lampridius ſcribit*, inter Deos, qvos in larario matutinis horis adorabat,

Chri-

Chriſtum & Abrahamum coluit, & illud Chriſti perpetuo in ore habuit, *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

SEPTIMUS eccleſiæ hoſtis MAXIMINUS, imperii invaſor, adverſus religionem, & imprimis eccleſiarum rectores, caput magno niſu extulit: ſed breve ſæviendi ſpacium nactus, furori habenas laxare neqviit. Martyrium ſub eo conſummarunt *Pontianus* & *Anterus*, Romani epiſcopi. Eo peremto, denuo reſpiravit eccleſia *ſub Gordiano & Philippis*, ſive ſimulate, ſive vere Chriſtianis. Hanc perſecutionem inter decem illas, qvas vulgo numeramus, non recenſet Sulpitius Severus, ut decimam conſtituat, qvam Antichriſtus ſit exerciturus.

Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 27. in Chron. n. 2253. Niceph. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 26.

OCTAVUS hinc invaluit carnifex DECIUS, in repub. non qvidem vituperandus, ſed ob odium piorum implacabile ſumma notatus infamia. Cum enim magus qvidam Alexandriæ tumultum contra Chriſtianos excitaſſet, ſevero edicto adverſus Chriſtum in omnes imperii provincias promulgato, infinitum martyrum numerum ſuſtulit, interqve eos, epiſcopos *Alexandrum*, *Babylam & Fabianum*: hunc Romanum; iſtum Antiochenum, illum Hieroſolymitanum. De *Babyla* memorabile eſt, qvod imperatori in eccleſiam, ut Chriſtianis inferret injuriam, contumelioſe venienti reſtiterit, accitusqve in aulam, &, cum ſacrificare Diis nollet, poſt varia tormenta, ad cædem raptus, illud concinuerit: *Convertere anima mea ad qvietem tuam. Dominus enim reſpexit te.* Hieronymus *in vita Pauli Eremitæ teſtis eſt*, perſeverantem qvendam in fide martyrem, inter eqvuleos laminasq; victorem melle perunctum, & ſub ardentiſſimo ſole religatis poſt tergum manib9, muſcarum aculeis expoſitum fuiſſe: alium juvenem in lecto blandis ſerico nexibus irretito, cum meretrix ſpecioſa cœpiſſet delicatis ſtringere colla complexibus, &, qvod dictu qvoqve ſcelus eſt, manibus attrectare virilia, ut, corpore in libidinem concitato, ſe victrix impudica ſuperjaceret, præciſam morſu lingvã in oſculantis ſe faciem expuiſſe, & ſic libidinis ſenſum ſuccedente doloris magnitudine ſuperaſſe. Qvæ certamina qvi martyres Alexandriæ ſubierint, narrat *Euſebius lib. 6.* ex Dionyſio. Indigne Decius tulit, fanis Deorum plerisqve in locis deſtructis, Chriſtianorum oratoria freqventari. Ideoqve tanta prorupit ſævitia, ut multi in eremis & ſolitudinibus latibula qværerent: interqve eos Paulus Ægyptius, qvem principem vocant anachoretarum & primum eremitam; multi, tormenta non ſuſtinentes, idolis ſacrificarent. Qvibus vita carior, qvam fides, in hac perſecutione fuit, & qvi Chriſtum abnegare non veriti ſunt, graviter eos puni-

Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 38. 40. 42. Hieronym. in Vita Pauli Eremitæ. Epiphan. Hæreſ. 59. Niceph. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 26. Gregor. Nyſſen. de laudib. Gregor. Thaumat. Cypr. Serm. de lapſ. ep. 8.

punitos legimus, & qvidem nonnullos à dæmone colliſos, alios repente mutos factos, aliqvos in furorem actos. De VII *dormientibus* qvod tam ſpecioſe narratur, ſimpliciſſime credimus, illos ſub Decio intra ſpeluncam conſummaſſe martyrium, & corporibus eorum ſub Theodoſio juniore inventis, dictos eſſe conſveto Scripturæ uſu dormientes. Memorabile & hoc eſt, qvod *lib. 6.* narrat Euſebius, *Cheremonem*, Nili epiſcopum, admodum ſenem, cum ad montana Arabiæ una cum uxore fugiſſet, nec ipſum, nec ejus & uxoris corpora inventa eſſe, etſi ſæpenumero à fratribus qværerentur: unde aliqvi opinati ſunt, à Domino aſſumtos eſſe. Excepit Decium imperatorem *Gallus* cum filio *Voluſiano*, qvanqvam Chriſtianis infenſus, tamen minus nocens, pœnasqve, *ceu loqvuntur Magdeburgenſes*, magis ſenſit, qvam movit. Sub eo enim peſtilentia atrox Romanas provincias vaſtare & colonis ſpoliare cœpit.

Euſeb. in Chron. n. 2273. Hier. de Scriptor. Eccleſ. Niceph. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 27. Gregor. Turonenſ. lib. 1 cap. 30.

NONÆ perſecutionis autor ſeqvitur VALERIANUS, ab initio familiariter noſtros complexus, deinde à magis Ægyptiis in humanis victimis offerendis, & viſceribus nuper natis ſcrutandis dementatus, & in tyrannicum adverſus eccleſiam furorem actus. In hac perſecutione periere *Sixtus* epiſcopus Romanus, ejusqve diaconus *Laurentius*, in craticula toſtus, mori mavolens, qvam tradere eccleſiæ theſauros, pro qvibus eduxit pauperum turbam in conſpectum exactorum. Periere item *Cyprianus*, *Theogenes*, *Fructuoſus* & alii. Apud Carthaginem *CCC. martyres* in fornacem calcariam ſeſe, ne Jovi cogerentur thus adolere, dejicientes, cum cineres eorum permixti eſſent calci, dicti ſunt *Maſſa candida*. Valeriano à Sapore rege Perſarum capto, *Galienus*, ejus filius, cædes Chriſtianorum edictis publicis inhibuit. *Claudius* etiam & *Qvintilius* Impp. pietati innoxiarum animarum ignovere. *Aurelianus*, etſi ultimis imperii temporibus decreverat perſeqvi Chriſtianos, ultione tamen divina correptus, prius periit, qvam conatum exeqveretur. Qvi eum ſecuti ſunt in imperio, *Tacitus*, *Florianus*, *Probus*, *Carus*, nullam vim religioni intulerunt, ut ita per XL. annos eccleſia hoſtiles imperatorum inſultus non ſentiret.

Euſeb. l. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. & ſeqq. Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſt. Sacr. c. 47. Auguſt. Expoſ. in Pſalm. 90. part. 1 Martyrol. Rom. 24. Jan.

DECIMA tandem perſecutio, qvam Euſebius *libro 8. & 9.* deſcribit, circa A. C. CCC. tempore DIOCLETIANI & MAXIMIANI HERCULII, tantam ſibi in animos hominum vendicavit poteſtatem, ut nulli qvicqvam vel vendere, vel emere liceret, niſi parvis qvibusdam ſtatuis paſſim collocatis thura prius incenderet. Erant conſtituti circa inſulas, vicos & aqvas, compulſores: qvi (ut videas, hodierna inqviſitorum

con-

conſilia non niſi à ſpiritu Diocletiani ſuggeri) neq; molendi, neq; aqvas hauriendi poteſtatem cuiqvam facerent, niſi idolis ſacrificaſſet. *Ipſe* Diocletianus, XIX. anno imperii, oraculo edoctus, *ut Cedrenus teſtatur lib. 8. cap. 11.* Chriſtianis omnibus ſublatis, Romanum imperium proſperis rebus affluxurum; ſuperbia etiam & avaritia atq; invidia epiſcoporum inter ſe diſſidentium, & ſe invicem hæreſeos inſimulantium, commotus; clamoribus tandem populi in theatro adverſus idolorum ſpretores incitatus: de Chriſtianis, tanqvam infamia notatis, in univerſo orbe eliminandis, de templis eorum deſtruendis, libris ſacris exurendis, ſacerdotibus in vincula conjiciendis, magiſtratibus exauctorandis, edicta propoſuit. Oleum huic igni ſuffudere *Hieroclas & Porphyrius*, philoſophi: qvi virulenta ſcripta adverſus Chriſtum ejusqve aſſeclas divulgarunt: qvæ tamen *Arnobius, Lactantius* & alii maſcule enervarunt. Qvemadmodum autem *Maximianus* in occidente *in totam Romanam Thebæorum legionem*, qvæ in Galliis Chriſti vexillo nomen dederat, bis antea decumatam; deinde ad cædem promiſcuam una cum tribuno *Mauritio* damnatam, impio ferro deſævit: ita *Diocletianus* in oriente ſe Chriſti hoſtem profeſſus eſt. Nec fuit regnum, civitas, vicus prædium, caſa, aut angulus, in qvibus de Chriſtianis non fuerit diligens inqviſitio & ſæva animadverſio In bello etiam Perſico anno CCCI. *Galerius Andream tribunum* cum militibus Chriſto addictis, ſuperinducto in anguſtiis montis Tauri exercitu, interemit. Initio qvidem res agebatur mitius, arte magis & inſidiis, qvā aſperitate: qviqve è Chriſtianis in militiam adſcripti erant, non ſtatim occidebantur, ſed exauctorati mittebantur: & ſervi, propoſita libertate, ad apoſtaſiam callido invitabantur conſilio: ſed ſic tandem hæc invaluit truculentia, ut ad enumeranda omnium ſupplicia nullus ſermo ſufficiat. Unius menſis ſpatio, *ut eſt in pontificali Damaſi*, XVII. amplius millia martyrum laureolam meruerunt, & unum Ægypti regnum vidit CXLIV. millia cædi, Iↄcc. millia in exilium pelli. Urbs qvædam Phrygiæ, cujus univerſi cives fidem jamdudum amplexati fuerant, ab armatis cincta & ſuccenſa, cum omnibus incolis, maribus, fœminis, ſenibus, pueris, conflagravit. *Euſeb. lib. 8.* Templum Nicomediæ, in qvo vicies mille Chriſtianorum convenerant, in natalitiis Chriſti ſuccenſum eſt, nec qvisqvam inde vivus evaſit, ſed omnes holocauſtum Deo oblati ſunt. *Niceph. lib. 6. cap. 6.* Et licet multi à fide deſciſcerent, plerisq; tamen animus non defuit illa omnia patiendi, qvæ tyrañis excogitabat. Multo enim avidius, *inqvit Sulpitius Severus lib. 2. ſacræ hiſtoriæ*, martyria glorioſis mor-

tibus qværebantur, qvam nunc epiſcopatus pravis ambitionibus, appetuntur. Primo perſecutionis hujus tempore, *ſecundum Euſebium*, accurrit vir nobilis, zelo Dei motus, & edicto, qvod affixum erat, diſcerpto, ad martyrium ſe obtulit. Hinc per totum decennium, in Chriſtianos deſævitum eſt. Ipſæ etiam beſtiæ immaniſſimæ in Chriſtianos mitiores inventæ ſunt, qvam carnifices, objectamqve prædam intactam dimiſerunt, *Euſeb. lib. 8. Geneſius Mimus* in theatro, cum myſteriis Chriſtianorum illuderet, repente virtute Dei immutatus, ſerio agere cœpit, qvod antea, jocis actitabat, usqve adeo, ut vere factus Chriſtianus, poſt multa tormenta martyrii corollam conſeqveretur. Diocletianus & Maximianus, ſuo, qvod in conſcientias affectabant, imperio creſcere magis qvam minui Chriſtianorum cœtum experti, ſatietate ſangvinis fundendi ſubito capti, Chriſtianos (ô crudelem clementiam!) dexteris oculis effoſſis & ſiniſtris poplitibus confractis, ad fodinas damnarunt, tandemqve mœrore correpti, qvod ſpe ſua exciderant, purpura depoſita imperio ſe abdicarunt. Interim de deleto Chriſtianorum nomine in inſcriptionibus columnarum gloriabantur. Memorabile eſt, qvod traditur in martyrologiis, *Suſannam*, Caji, papæ Romani, ex fratre Gabinio neptem, Diocletiani imperatoris conſangvineam, nempe proneptem ejus ex fratre Maximio, Gabinii filiam, cum eſſet à Diocletiano deſponſata Galerio Cæſari, poſt primam uxorem, Diocletiani filiam Valeriam, defunctam viduo, nulla ratione induci potuiſſe, ut in nuptias pagani conſentiret: & martyrii coronam meruiſſe, cum deprehenderetur Chriſto nomen dediſſe: ipſam etiam uxorem Diocletiani, *Serenam*, Chriſtiana religione olim imbutam, Suſannæ corpus noctu aromatibus conditum terræ mandaviſſe.

XXIIX. Euge! Siccine afflicti in tolerandis tormentis lætabantur; perſecutores animo triſti diſcedebant? Sed num perſecutio deſiit, Diocletiano & Maximiano vitam privatam ingresſis?

Cæſares, jam antea electi, *Galerius & Conſtantius Chlorus*. Auguſti nunc temporis & imperatores facti, diverſam incunt ſententiam. *Conſtantius* Galliam, Italiam & Africam nactus, tutum Chriſtianis præbuit refugium, nec ullum contra pietatem bellum geſſit, alioſqve, qvi in confitenda religione conſtantes deprehendebantur, imperſe honoravit, apoſtatis repudiatis: qvos æſtimavit amore indignos, cum in Deum

Deum perfidi fuiſſent, *Galerius* vero, adſcitis in oriente duobus Cæſaribus collegis, *Maximino & Aurelio*, non deſiit flamma, ferro, ſuffocationibus in eccleſiam ſævire: donec, morbo correptus deſperato, Chriſtianis juberet templa reſtituere, illosqve, ut vota pro ſeſe facerent, ex carceribus & metallis liberos dimittere. Cui edicto, qvo qvaſi lux qvædam nova, nocte caliginoſa illuxit, Maximinus ægre obtemperavit: vocali qvodam idolo, qvod præſtigiatori fictam loqvelam debebat, plebem in odium Chriſtiani nominis animavit: acta Pilati & Servatoris blaſphemiæ plena, per ſacrificulos confingi, & juventuti inculcari curavit: mulierculas deniqve infames, qvæ Chriſtianas ſe profeſſæ, calumniis horrendis cœtus piorum onerarent, fovit: edictoqve novo id effecit, ut XXXVII amplius millia ſangvine ſuo agrum eccleſiæ rigarent. Præter hunc *Maxentius*, filius Maximiani Herculii, truculentiſſimus omnium & libidinoſiſſimus, qvi imperium, ipſo patre invito & reluctante, invaſerat, ſangvine Chriſtiano delectari videbatur. Eo autem per *Conſtantinum M.* & affinem ejus *Licinium* repreſſo, pax Chriſtianis data eſt, in qvam etiam ipſe Maximinus conſenſit, tantũ non factus Chriſtianus, cum à Licinio victus, pſeudoprophetis ſuis occiſis, legem pro Chriſtianorum ſecuritate conſtitueret. Erat autem eccleſia ſemel adhuc caſtiganda. Ideoqve Licinius, ſubito nova tyrannide efferatus, non ſaltem ipſi Conſtantino, hactenus ſibi amico, inſidias ſtruxit: ſed & Chriſtianos primum ex aula & militia ejecit; deinde, perſecutionis igne ex aula in omnes provincias erumpente, miris modis divexavit. Primus furor ex ſententia ſucceſſerat. Videbatur habenas ſibi contra pios porro laxaturus. Sed à Conſtantino M. aliqvoties victus tandem A. C. CCCXXIII. infelicem animam cum ſangvine evomuit.

Euſeb. lib. 9. hiſt. Eccleſ. 8. 9. & de Vita Conſtant. per tot. Oroſ. lib. 7. c. 26 Sozom. lib. 1. cap. 3. Socr. lib. 1. c. 1. Zoſim. lib. 2. Nazar. in Panegyr.

XXIX. Sic igitur, laus Deo, per divum illum eccleſiæ nutritium, Conſtantinum M. pax piis acceptiſſima eſt conceſſa. Num vero truculenti illi eccleſiæ hoſtes impune in eccleſiam graſſati ſunt?

Etſi ſcimus, reſervari eos ſuis, in inferno pœnis, qvam tamen diſplicuerint Deo, infelix ex hac vita plerorumqve, imo omnium, demonſtrat exitus. Exitium *Herodianæ familiæ*, cujus juſſu perierunt infantes Bethlehemici, Johannes Baptiſta & Jacobus apoſtolus; clades etiam *Phariſæorum & Judæorum*, in ipſum Chriſtum, ejusqve membra ſævientium, docuit hiſtoria ſuperior. Exercitum *Herodis*, propter Johannem

Baptiſtam necatum, juſta numinis ultione deletum eſſe, *refert Joſephus lib. 8. cap. 7. & Zonaras Tom. 1. Annal. Herodiaden*, qvæ in ſaltationis mercedem dicti Baptiſtæ caput impetraverat, vel vivam terra eſſe abſorptam, vel capite in fracta glacie paluſtri, in qva luſit, abſciſſo periiſſe, *narrant Cedrenus & Nicephorus*. *Pilatus* ob ſcelera Romam evocatus & ad deſperationem adactꝰ, ſuo ſe transverberavit gladio. Idem fecit *Nero*, ſpectris occiſorum, cum ſe percuteret, deſperabundus, ſpadone manum trepidantem adjuvante. *Domitianus*, à miniſtris conſcia uxore Domitia, multis vulneribus in cubiculo peremtus, non ut imperator, ſed per veſpillones in morem gladiatoris elatus eſt. *Trajanus* paralyſi & ſtupore ſenſuum, non aliter, ac ſi venenum hauſiſſet, correptus, aqva intercute eſt ſuffocatus. *Adrianum* nimius ſangvinis fluxus, phthiſis, hydrops, tantis cruciatibus oppreſſum extinxit, ut, cum fruſtra univerſam medicorum turbam convocaſſet, veneno & ferro mortem accelerare ſæpe numero conaretur. *Antoninus*, qvod memor beneficii, ſibi à legione Chriſtiana in bello Marcomannico cœlitus impetrati, edictò vim perſecutionis inhibuiſſet, etſi apoplexiâ per triduum mutus decumberet, placidiorem tamen ſortitus eſt exitum. *Severus* à ſuo ipſius filio Caracalla, coram univerſo exercitu, cum copiæ hoſtium in acie ſtarent, diſtricto gladio petitus, &, cum filio petulanti nihil moleſtiæ inferre auderet, mœrore magis, qvam morbo conſumtus eſt, & moriturus exclamavit anxius: *Cuncta fui, & nihil mihi expedit.* *Maximinus* à militibus cum filio diſcerptus, inter varias calamitates periit. *Decius* in bello fraude ſuorum una cum liberis interiit, voragine, in qvam inſilierat, abſorptus. *Valerianus* in Perſarum poteſtatem vivus devenit, &, cum diu tergo ſuo ſcabellum hoſti, eqvum conſcenſuro, præbuiſſet, aut ſenex in ſumma paupertate obiit, aut, *ut Euſebius teſtatur*, pelle ſibi vivo detracta enecatus eſt. *Diocletianus & Maximianus*, nihil adverſus Chriſtum proficientes, depoſito imperio, aut morbis horrendis, *ut Nicephorus, Euſebius & Ruffinus ſcribunt*, aut cæde cruenta interierunt. Zoſimus autor eſt, Maximianum ſibi ipſi ad Maſſiliam manus intuliſſe. *Galerium* ulcus in verendis, fœcundum vermibus, & fœtore peſtifero abominandum, necavit. *Maximinus* aut in fugam à Licinio verſus ſeipſum interemit, aut, *ut Euſebius ſcribit*, plaga divina percuſſus occubuit. *Maxentius* à Conſtantino M. victus, ponte rupto in flumine ſuffocatus eſt. *Licinius* tandem Conſtantino pœnam tyrannidis laqveo luit, ut alibi diximus. Refer huc, qvod

Ter-

Tertullianus ad Scapulam refert, *Vigellium Saturninum* ob clades Chriſtianis illatas lumina amiſiſſe, & *Claudium Herminianum* in Cappadocia vivum vermibus ebulliiſſe, & ſuis edixiſſe: *Ne qvisqvam ſciat, ut ne gaudeant Chriſtiani.*

XXX. *Juſta ſunt Dei judicia: & malos pœnæ premunt certisſimæ.*

Dices id magis, ſi cogites, publicas etiam calamitates excepiſſe Romanorum impp. adverſus Chriſtianum nomen odia & furores. Nam *ſub Nerone* terræ motus Hierapolin, ubi Philippus martyrium conſumſerat, cum Laodicea & Philippis evertit, Parthi in provincias Romanas expeditione facta, omnia cæde & rapinis devaſtarunt, & peſtis ultra XXX. funerum millia in rationem Libitinæ redegit. Terræ motus *ſub Trajano* Antiochiam concuſſit: & non tantum huic urbi, ſed, cum ex omnibus terræ partibus legati eo conveniſſent, toti orbi iram DEI denunciavit: ipſumqve imperatorem ruina pene oppreſſiſſet, niſi per feneſtram à qvodam ſublatus, evaſiſſet periculum. Alius terræ motus *ſub Adriano* Nicomediam & Nicæam, oppida imperatori imprimis grata, admodum deformavit. Deinde Tiberis inundans magna urbi intulit damna. Et cum idolum aliqvod, *ſub Antonino Philoſopho* Romam deportandum ſua avelleretur ſede, peſtis ſive ex arcula aurea, ſive ex anguſto foramine, ferramentis extractis reſerato, erumpens, orbem pervaſit univerſum. *Sub Commodo* Capitolium fulmine eſt tactum, &, incendio flammis omnia obvia deſolante, bibliotheca ſumtuoſiſſima cum vicinis ædibus periit. Sub *Severo* Veſuvius mons cum horrendo mugitu ignem evomens, longe lateqve cineres ſparſit. Fames tandem, ne reliqvas calamitates enarrem omnes, ſub Diocletiano tanta extitit, ut, cum ager, occupatis univerſis in ſangvine piorum fundendo, negligeretur, una tritici menſura bis mille & qvingentis atticis venderetur. Sed qvæcumqve calamitates genus humanum involvebant, Chriſtianorum ſacris adſcribebantur, tyrannis inde occaſionem majoris ſævitiæ aucupantibus.

XXXI. *Sic ſcilicet Chriſtianis imputata ſunt, qvæ eorum hoſtes meruerant?*

Noli id mirari. His enim Satanas artibus eccleſiæ inſidiari conſvevit. Qvod ut rectius intelligas, cauſas audi, ob qvas tantopere Romanis imperatoribus exoſi facti ſunt Chriſtiani. 1. Æſtimabantur illi, ex ingenio rebellium Judæorum: & , qvod illi conabantur, his imputabatur.

Kortholt de Calumniis Paganor. in veteres Chriſtianos.

batur. II. Cum ab epulis publicis, lectiſterniis, juramento per imperatorum genios & fortunas, aliisqve id genus officiis, qvæ diis & imperatoribus exhiberi ſolebant, abſtinerent, ipſum imperatorem odiſſe credebantur. III. Cum aſſidue de regno & Chriſto ad judicium venturo loqverentur, imperii perduelles, qvi defectionem molirentur, cenſebantur. IV. Ipſæ imperii leges fundamentales omnibus novam & peregrinam religionem invehentibus reſiſtebant. V. Multitudo qvoqve Chriſtianorum ſuſpecta nimis erat. VI. Accedebant eorum ſuſurrationes, qvi Chriſtianos qvidem imperio exitiales clamabant, ſed reipſa, ſpe prædæ, ex Chriſtianorum bonis qværendæ, omnia agebant. VII. Nec ſacrificuli deorum, qvorum reditus qvotidie minuebantur, qvieſcebant: ſuis idolis divinitatem artibus malis emendicabant: &, ſi ceſſarent imperatores, pecuniis numeratis edicta in Chriſtianorum exitium mercabantur. VIII. Divulgabantur etiam, & per ſervos tormentis intolerandis ſubjectos probabantur de Chriſtianis ſceleſtiſſima qvæqve, qvod promiſcuo concubitu uterentur, infantium carne & ſangvine veſcerentur; antiſtitis genitalia adorarent: aſini caput tanqvam Deum colerent. Hinc (ecce mendacia!) pictura auribus aſininis, altero pede ungulata, librum geſtans, & togata, Romæ proſtabat, cum hac inſcriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES. *Confer Tertull. apol. cap. 6. Tacit. lib. hiſt. 5. Joſeph. cont. Apion. lib. 2. item qv. XXII. in ſuperioribus.* IX. Cum plurimi hæretici omni honeſtate ejurata, inauditis turpitudinibus ſe manciparent, ſcelera illorum, & qvæ iidem mala meruerant, Chriſtianis adſcribebantur. X. Epiſcoporum tandem, & imprimis Romanorum, inſolentia paulatim ſeſe exerens, prudentioribus inter gentiles ſuſpecta cœpit eſſe, ut vererentur, ne qvando damnum imperio crearetur. Si enim, qvod pontificii dicunt, jam Trajani tempore ſuperba illa decreta facta ſunt, ut laicorum in epiſcopum non reciperetur accuſatio, ut omnia ad præſulem Romanum devolverentur, ut, qvi dicto ejus non eſſet obſeqvens, reus haberetur criminis læſæ pontificalis majeſtatis: mirum non eſt, tantam præſulum audaciam magiſtratibus ſuſpectam fuiſſe.

XXXII. Anteqvam te hinc dimitto, non poſſum non rogator adſtare, ut, cum apud hiſtoricos eccleſiaſticos varia confeſſorum, profeſſorum, traditorum, & ejus-

& ejusmodi plura nomina inveniantur, illa mihi explices.

Martyres dicebantur, qvi tormentorum ſævitiam ſive more, ſive confeſſionis conſtantia ſuperarant; *Confeſſores*, qvi Chriſtum confeſſi, & carcere mancipati, nondum ſuſceperant in qvæſtione tormenta: *Profeſſores*, qvi non interpellati, martyrio ſe ingerebant; *Maſſa candida*, qvi igne combuſti erant; *Sarmentitii & Semaſſii*, qvi ad ſtipitem dimidii aſſeris evincti, ſarmentorum ambitu exurebantur; *Biothanati*, qvi violenta morte propter Chriſtum necati fuerant: *Clinici*, qvi non libere, ſed metu mortis in lecto baptiſati, valetudine recuperata minus laudabantur; *Traditores*, qvi theſaurum eccleſiæ & codices ſacros ex imperatoris edicto tradiderant; *Lapſi*, qvi fidem abnegarant. Horum alii erant *ſacrificati*, qvi qvomodocunqve idolis immolarant; alii *thurificati*, qvi thus obtulerant; alii *libellatici*, qvi Chriſtum publice abnegare erubeſcentes, ſive privatim id vel per ſe, vel per alios ſuo nomine fecerant, ſive, ne ejurare cogerentur, à magiſtratibus libellos ſecuritatis impetrarant, ut ne amplius inqvirerentur, ſoluta pro ejusmodi diſpenſatione pecunia. Tandem *Pagani*, qvaſi ἀστράτευτοι tempore Conſtantini dici cœperunt gentiles. Ille enim, qvi baptiſari recuſabant, à militia ad propria juſſit in pagos redire, ne militibus Chriſtianis permixti, offendiculum religioni objicerent. Aliis videntur gentiles hoc nomen inde meruiſſe, qvod, delubris idolorum lege clauſis, pagos adirent, & illic more antiqvo Deos colerent.

XXXIII. Etſi non tantum ex hiſtoria Chriſti & apoſtolorum, ſed & ex pœnis tyrannorum, ſatis miraculorum allatum eſt: methodo tamen tuæ inſiſtendum eſſe memineris, ut poſt perſecutiones & martyria piorum, ſi qva contigere hac eccleſiæ ætate ſive prodigia, ſive miracula, qvæ nondum explicuiſti, ea ediſſeras.

Sed qvi poſſum in tanta varietate omnia colligere? *Mirum* eſt, qvod, Plutarcho teſte, oracula obmutuerint. *Mirum*, qvod Dion dicit, ſangvinolenti Neronis tempore, in Albano agro, ſangvine tam copioſo pluiſſe, ut fluvii ſangvine ruberent, & mare retrocedens ab Ægypto magnā partem Lyciæ occuparet. *Mirum eſt*, qvod, exercitu M. Antonini & M. Au-

M. Aurelii Commodi, fratrum imperatorum, à Qvadis, Vandalis, Sarmatis & Germanis in anguſtias redacto, & ſiti vehementi laborante, Melitina Chriſtianorum legio, genibus in terram curvatis, ſibi imbrem, hoſtibus fulmina impetraret: fulminatrix poſtea & κεραυνοβόλος dicta. Sed hoc Dei beneficium pagani ſcriptores, nominis Chriſtiani odio, Chaldæo aut philoſopho cuidam mago Arnuphi adſcripſere, qvod refutat Tertullianus in apolog. cap. 5. *Mirum*, ex carnificibus, & iis, qvi adverſus innocentes tulerunt ſententiam, multos ad fidem converſos, in Chriſtum credidiſſe; martyres vero animoſe ad omnia tormenta conſtitiſſe, & à tortoribus fœde excarnificatos, formam ſuam & uſum membrorum integrum recepiſſe, qvod de Blandilla præter alios refert *Nicephorus lib. 4. c. 7.* nonnunqvam etiam divinitus, faucibus beſtiarum obturatis, evaſiſſe: lapſos contra & apoſtatas aut obmutuiſſe, aut ab immundo ſpiritu obſeſſos interiiſſe. *Mirum*, qvod ait *Tertullianus in libro de anima*, fœminam qvandam pie defunctam ad orationem presbyteri, manus à lateribus dimotas in habitum orantium compoſuiſſe, & deinde denuo eas retractas priori ſitui reddidiſſe. *Mirum*, ſi verum eſt, qvod ſcribit Euſebius *lib. 7.* ſuo adhuc tempore juxta ſtatuas Chriſti, & hæmorrhouſæ æneas, Cæſareæ Philippi erectas, herbam ignotæ ſpeciei ſubinde fuiſſe enatam, qvæ, cum ſuccreſcens æneam veſtimenti ſimbriam contigiſſet, decerpta, adverſus omnis generis morbos remedium præbuit præſentiſſimum. *Mirum*, qvod Geneſius, Ardaleon & Dioſcorus, mimi, cum in theatro myſteriis Chriſtianorum illuderent, repente virtute Dei ſerio cœperint agere, & fidem confeſſi, reportarint palmam martyrii. *Mirum*, in variis perſecutionibus virgines fideles, ad ſtupra & lupanaria raptas, vel non loco moveri potuiſſe, vel raptores oculis orbatos aut aliter afflictos vidiſſe, vel etiam, ut Dorotheam, hoſtes in fidei conſenſum traxiſſe. *Mirum*, qvod mater Conſtantini, Helena, cruce Domini inventa, baſilicam in monte oliveti exſtructura, tecto illud & pavimento eo loco, qvo Chriſtus adſcendit, ſternere non potuit, *teſte Sulpitio Severo lib. 2. hiſtoriæ ſacræ.* Cæterum ſi hic eos qvoqve recenſere velimus, qvi præter apoſtolos lumine prophetico hac eccleſiæ ætate irradiati, voluntatis divinæ interpretes fuere, prolixus catalogus foret nectendus. In actis apoſtolorum mentio fit prophetarum Antiochienſium *Act. XIII 1. XV. 23.* inter qvos memorantur *Agabus, Judas & Silas*; Tyriorum *Act. XXI. 4; qvatuor virginum Cæſarienſium*, Philippi evangeliſtæ filiarum *Act. XI. 8.* Philippo qvoqve apoſtolo, *teſte Euſebio ex Polycrate lib. 3.*

lib. 3. cap. XXXI. & lib. V. cap, 42. præter duos filias, quæ in virginitate conſenuerunt, fuit filia, quæ in Spiritu Sancto, ejusq; gratia converſata, Epheſi reqvievit. Et una cum Philippi filiabus, dono prophetico enituiſſe *Quadratum*, cujus jam quæſtione XIX. mentionem fecimus, præter alios, teſtis Nicephorus. Nihil dicemus *de Jeſu Anani*, qui VÆ illud ſeptennale excidio Hieroſolymitano promiſit, deqve illa voce, quæ è templo flammis committendo jusſit ſecedere, . *Polycarpo*, apoſtolico plane & prophetico viro, ut apud hiſtoricos nominatur, ſtadium ingredienti & jamjam in rogo arſuro, vox, audientibus multis, cœlitus demiſſa eſt: *Confortare Polycarpe, ac vir eſto. Euſeb. lib. 4. cap. 15.* Juſtinus ſane, *teſte Euſebio l b. 4. cap. 16. & Nicephoro lib. 4. cap. 6.* ſcriptum reliquit, ad ſua usque tempora prophetica chariſmata in eccleſia reluxiſſe. Verba ejus adhuc in dialogo cum Tryphone Judæo leguntur. Suo quoque tempore *Irenæus*, Polycarpi diſcipulus, *lib. 2. contra Gnoſticos*, plurima extitiſſe divinæ & admirandæ virtutis indicia aſſerit. *Tantum abeſt*, inqvit, *ut ex ſuſcitandorum mortuorum dono per orationem, quemadmodum ipſe Dominus & apoſtoli fecerunt, careant, ut perſæpe neceſſitate interveniente, inter fratres eccleſia ejus omni orante, & jejunio accedente uberiori, ſpiritus in corpus defuncti reverſus, homoq; precibus ſanctorum donatus ſit.* Et rurſum in filii Dei nomine viri germaniq; ejus diſcipuli accepta ab eo gratia, aliis hominibus benigne facere, ſicuti ab eo quisq; donum eſt conſecutus, perſeverant. Nam quidam dæmones profligant: aliqui futura prænuncianr, viſionesq; & reſponſa habent prophetica; nonnulli ægrotis ſubveniunt, & manuum impoſitione eos reſtituunt. *Confer & epiſtolas Smyrnenſium & Gallorum, apud Euſebium lib. 4. & Nicephorum lib. 4 cap. 15.* Fuere enim circa hæc tempora plures adhuc gentes ad obſequium Chriſti protrahendæ. Id cum fieri non poſſet, niſi ab apoſtolicis viris, contra cacodæmones divina gratia armatis, multi inventi ſunt, quos ſuis alloquiis Deus dignatus eſt. Inter hos fuit *Pantænus*, quem Demetrio epiſcopus Alexandrinus in Indiam usqve ad fidem Chriſti docendam ablegavit, & *Melito*, à Tertulliano propheta cognominatus, *ut patet ex Hieronymi epiſtola ad Magnum oratorem Romanum, & ex ejusdem catalogo, quem de ſcriptoribus eccleſiaſticis compoſuit.* Iis etiam *ex Vincentii Speculo lib. 10. cap. 119.* accenſendi ſunt *Euſebius, Vincentius, Peregrinus, Potentianus, ut & Phocas*, epiſcopus Ponti, qui *eodem Vincentio teſte*, ad martyrium eductus, Trajano imperatori mortem intra triduum, vadimonio quaſi ex Dei edicto conſtituto, denunciavit. *Origenes lib. 4. Patriarch. cap. 2. Euſeb.*

lib.3.cap.3. Hieronymus de ſcriptorib. Eccleſ. Athanaſius de incarnatione verbi, mentionem faciunt *Hermæ*, ab apoſtolo Paulo in religione inſtituti. Eum dicunt librum, Paſtorem vocatum, compoſuiſſe, de iis, qvæ ſibi divinitus in viſionibus cœleſtibus revelata eſſent. Hunc librum Hieronymus & Athanaſius vocarunt utilem. Euſebius ei qvidem dicit à nonnullis contradictum, ſed ab aliis ſumme eſſe neceſſarium judicatum, & in eccleſiis vulgatum, quo etiam nonnulli antiqvisſimorum ſcriptorum uſi ſint. Utrum autem ille ſit, qui hodienum latine in bibliotheca Patrum legitur, merito dubitatur. *Gregorius*, epiſcopus Ponti Næocæſarienſis, hic præprimis memorandus eſſet: qvem ob donum miraculorum edendorum thaumaturgum & mirificum vocavere. Hic ſtagnum precibus exſiccavit: rupem, ut cedens locum condendo templo daret, verbo movit: Lyci fluminis undas perniciosas, defixo in illis ſcipione, qvi poſtea in ingentem excrevit arborem, compeſcuit: ægrotos curavit: dæmones per epiſtolas fugavit, & ad libitum revocavit: gentiles ad ſe cum verbis, tum maxime operibus attraxit: ut hæc omnia apud Euſebium lib. 7. cap. 25. interprete Ruffino, Socratem lib. 4. cap. 27. & Nicephorum lib. 6. cap. 17. legi poſſunt. Regulam fidei de SS. Trinitate cœlitus accepit, qvæ à Nyſſeno, & in V. ſynodo Oecumenica recitatur, & orientali ſimul atque occidentali eccleſiæ probata, atqve ab ipſo, inter alia opera, commentario expoſita eſt. Egregium ei dat Baſilius M. libro de Spiritu S. cap. 29. teſtimonium, quod allegavimus quæſt XIX. hujus ſectionis. Eodem tempore *Phædimus*, epiſcopus Amaſenus, vir fuit, cui divinitus vis futurorum præſcia inerat. *Cyprianus*, ille Patrum gravisſimus, multis etiam cœleſtibus viſionibus eſt donatus, qvarum aliquas ipſe enarrat *lib 4. epiſt. 4.* Meminit etiam presbyteri *ſermone 4. de Moral.* qvi in agone mortis conſtitutus, a juvene radiantis vultus hæc verba audierit: *Pati timetis: exire non vultis: qvid faciam vobis?* Sic, *teſte Euſebio, lib. 6 cap. 4. Potamiana* virgo, poſt partam martyrii corollam, Baſilidem, & alios plures, inſomnis apparens, ad fidem allexit. *Idem Euſebius lib. 6. cap. 29. teſtatur*, prout jam in catalogo Romanorum epiſcoporum dictum eſt, *Fabianum* per columbam ſubito è ſublimi delapſam, capitique ejus ad imitationem S. Spiritus, qui in ſpecie columbæ ſupra Servatorem deſcendit, inſidentem, ut epiſcopatu dignum, fuiſſe deſignatum. Qvo ipſo tempore *Methodius* martyr, epiſcopus Patarenſium, aut, ut alii malunt, epiſcopus Cyri, multis angelorum colloqviis, cum de aliis rebus, tum imprimis de Saracenis, monachis,

Antichriſto, eccleſiam vaſtaturis, informatus fuit, *prout legere eſt in ejus revelationibus, quæ extant, ſi non alterius Methodii ſunt in Bibliotheca & Orthodoxographia Patrum, & lectionibus Wolfii memorabilibus.* Qvin &, cum non ceſſerat tyrannorum impietas in confeſſores fidei deſævire, ſæpenumero illos cœleſtibus apparitionibus confortari oportuit. Id qvod contigiſſe legimus *Laurentio, Macræ, Mauro, Pontiano, Agneti, Vincentio, Clementi, Ephremi, Severo, Dorotheæ, Cyrillo, Marcellino:* de quibus conſulantur Vitæ ſanctorum. Sed &, ut à pravis opinionibus & humanarum inventionum admiratione liberarentur animi piorum, ſæpenumero, quid hac in re agendum ſit, cœlitus ſuos monuit divina providentia. Sic, *Euſebio lib.5.cap.3. & Nicephoro lib.4.cap.18. & commentario de martyriorum Gallicanorum teſtibus*, cum *Alcibiades martyr* ſqvalidam plane & duram ageret vitam, ſolo pane & aqva victitans, cæteris omnibus cibis faſtiditis: Attalus, divina edoctus revelatione, admonuit, illum non recte facere, qui creaturis Dei non uteretur, & multis exemplum ſcandali atqve offendiculi fieret. Perſuaſus Alcibiades, cuncta intrepide uſurpavit, ac DEO gratias egit. *Non enim,* inqvit Euſebius, *gratia Dei deſtituti erant, ſed conſultorem habebant S. Sanctum.* Idem, qvod merito mireris, ex volumine aliqvo, contra Antemonis & Samoſateni hæreſin ſcripto, *lib.3.cap. 28. refert, Natalium* confeſſorem ob turpe lucrum & certum ſalarium conditum, ſe illis hæreticis, qui deitatem Chriſti negant, epiſcopum addixiſſe: tanti delicti per viſiones commonefactum à Domino, qui paſſionum ſuarum martyrem extra eccleſiam perire noluit, quoniam negligentius viſionibus attendebat, ineſcatus videlicet primatus apud eos honore & turpi qvæſtu, tandem ab angelis tota eſſe flagellatum nocte, ut mane induto ſacco, & cinere inſperſo, à Zephyrino, epiſcopo Romano, oſtenſis plagarum vibicibus, multis precibus & lacrymis, in communionem reciperetur. Moniti etiam ſunt qvandoque pii, apud quos facultas erat omnia probandi, &, quæ bona ſunt, tenendi, ut hæreticorum libros non tam abjicerent, quam legerent & arguerent. Sic cum Dionyſius Alexandrinus à presbytero prohiberetur, hæreticorum commentarios & traditiones legere, viſio quædam divinitus ipſi oblata eſt, qua juſſus eſt legere omnia, quæ in manus venirent, quia omnia valeat expendere & probare, *ut ipſe de ſe epiſtola 3. ſcripſit, teſte Euſebio lib.7. cap.7.*

XXXIV. Cum Satanas non vi ſolum aperta per tyrannos in corpora hominum ſæviat, ſed blanda etiam veritatis ſpecie animabus inſidietur: hæreticos, primitivæ eccleſiæ inſidiatos, nunc videamus.

Qvia veritas impugnata magis eluceſcit, & hæreſes pios & ejectos probant, excitant, cautiores reddunt, & ad ſcripturas diligentius ſcrutandas impellunt: non ſine cauſa Apoſtolus *I. Cor. XI.* pronunciavit, *oportere hæreſes eſſe.* Harum venena ut Deus ob dictas cauſſas in eccleſia tolerat, ita cacodæmon ſpargit; mundi neqvitia excipit; ingeniorum petulantia fovet; & per inſcitiam, vel ſuperbiam, vel philoſophiam male applicatam promovet: epiſcopis interim, dum inimicus zizania ſeminat. & per ἐθελοθρησκείας, παραδόσεις, falſa miracula, ἐνθουσιασμοὺς & ψευδογραφήματα irrigat, altum ſtertentibus. Sed his ad theologos miſſis, hæreticos trium primorum ſeculorum, qui, claſſico quaſi adverſus veritatem cantato, doctrinam de Trinitate, Chriſto & reſurrectione, vel prorſus everterunt, vel corruperunt & obſcurarunt, ita conſideremus, ut primo loco intueamur *Pſeudo-Chriſtos* ſeu Chriſtos perſonatos, qui ſacroſanctum Chriſti nomen ementitis, pro ipſo ſe Chriſto venditarum: deinde *Gnoſticorum turbam* luſtremus, qui inſignem de DEO ſcientiam ſibi vindicantes, horrendum in modum tam in fide errarunt, quam per libidinem injuria carnem affecerunt. Hinc *Alogos*, qui Deitatem Chriſti negaverunt; poſtea *Polytheitas*, & *Antitrinitarios*; inde *Juſtitiarios*, qui de merito ſuæ virtutis gloriabantur; tandem *Paradotas & Pſeudo-Apoſtolos* conſiderandos nobis proponemus, qvi traditionibus & pſeudographematibus uſi, apoſtolis & eorum libris ſe oppoſuerunt, atqve illis erroribus ſeſe manciparunt, qui non ex fontibus ſcripturæ ſacræ limpidiſſimis, ſed putidis rationis lacunis hauriebantur. Etſi autem plerique hæreſiarchæ non uno modo à fide aberrarunt, ſed multi & Trinitatem, & Chriſti deitatem, & apoſtolorum autoritatem inficiati, ſua de juſtificatione & aliis articulis ſomnia protulerunt: hac tamen potius, quam nulla methodo, utendum fuiſſe judicavi.

XXXV. Placet methodus. Enumera igitur primo loco Pſeudochriſtos.

Poſſem

Poſſem hic allegare THEUDAM, qui ſe prophetam mentitus, Jordanem ſe verbo ſciſſurum jactitavit, *Act. V. 39. Joſeph. lib. 20. cap. 2.* Poſſem DOSITHEUM, Samaritanum, quem Origenes *lib. 1. contra Celſum* dicit pro Meſſia ſe poſt natum Chriſtum venditaſſe. Poſſem JONATHAM, quem *Joſephus lib. 7. de bello Judaico cap. 31.* vocat hominem nequiſſimum, quiqve multos in Cyrenaicam ſolitudinem perduxit, ſigna & miracula varia pollicitus, vivus tandem à Romanis combuſtus. Poſſem BENCOCHABUM, qvi multis arcibus in Judæa occupatis, per XXX. annos Meſſiæ nomen præ ſe tulit, & tandem à ſuis trucidatus, Bencozba ſeu filius mendacii dictus eſt. *P. Galatinus lib. 4. cap. 21. conatur ex libris Talmudicis evincere,* duos fuiſſe Bencozbas: nec tamen hoc illis perſvadet, qui, quæcunqve in Talmude narrantur, confuſe & ad leges hiſtoricæ veritatis parum ſcripta eſſe, non ignorant. Sed res Judaicas nunc non tractamus: *Videantur illa in ecclеſia Moſaica qvæſt. LX.* In eccleſia Chriſti primus Pſeudochriſtus caput impium extulit

SIMON MAGUS, Samaritanus, ex vico Gittonis ſecundum Juſtinum: primogenitus Satanæ, pater omnium hæreticorum Irenæo; gurges turpitudinum Vincentio Lirinenſi. Hic, qvum nec philoſophiæ gentilium, nec Judæorum Cabbalæ eſſet ignarus, [*Samaritanus enim ſuperſtitionem gentilem miſcuerat cum traditionibus in Judaica religione Cabbaliſticis*] tantam ſibi magicis artibus autoritatem conciliaverat, ut omnes illi, in urbe Samaritana, à minimo usqve ad maximum, tanquam magnæ Dei virtuti auſcultarent, *Act. IIX. 10.* Cum audiiſſet Samariæ ex Philippo apoſtolo myſteria fidei Chriſtianæ: credidit & ipſe, & baptiſatus adhæſit Philippo: ſed eam inprimis ob cauſam, ut virtutem ſibi miraculorū edendorū acqvireret. Hanc cum paulo poſt per impoſitionē manuum à Petro & Johanne, conferri videret, oblata illis pecunia, voluit & ſibi poteſtatem fieri, ut, quibuscunq; manus imponeret, Spiritum ſanctum acciperent, audiit illud ex Petro: *Pecunia tua tecum in perditionem. Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia posſideri, non eſt tibi pars, neq; ſors in ſermone iſto. Cor tuum non eſt rectum coram Deo: age pœnitentiam ab hac tua nequitia: Roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc tui cordis cogitatio: In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Credidit, inquit Lucas: ſed erat in felle amaritudinis, inqvit Petrus. Miſcuit igitur poſthac amaritudinem fellis gentilitii & Judaici cum dulcedine mellis apoſtolici. Noverat, Platonem concedere qvidem unum Deum, τὸ αὐτὸν καὶ ἀγαθὸν, ſed in eo ſimul ponere varios numeros divinos, inque illis nume-

Euſeb. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 13. 14. 15. Egeſipp. Hiſt. l. 3. c. 2. Iren. l. 1. c. 20. Tertul. in Apolog. c. 13. Sulpit. Sev. l. 2. Hiſt. Sacr. c. 41.

ris triplicem divinitatis trinitatem extruere: unam νοητὴν, in qva ſit præcipue τὸ ἀγαθὸν καὶ συμμετρία; alteram νοητὴν καὶ νοερὰν in qua ſit τὸ σοφὸν καὶ ἀλήθεια; tertiam νοερὰν, in qua ſit τὸ καλὸν & pulcritudo: ex his porro trinitatibus & divinis numeris deducere τὸν ἡγεμονικῶν καὶ ἀφομοιωματικῶν θεῶν διακόσμιον, i.e. longã Deorum principalium & per ſimilitudines repræſentatorũ ſeriẽ, quorum ſit unus continuꝰ progreſſꝰ, ſuperne manans è mentalibus occultis unitatibus, & in ultimam divinæ cauſæ partitionẽ deſinens, *ut ex theologia Platonis ſex libris à Proclo comprehenſa videre licet.* Nec ignota erat Simoni *Cabbala Judæorũ*, quæ tamen inter Phariſæos nõ jam erat verna illa & genuina patriarcharũ Cabbala, qva per varia verborũ involucra, Dei opera in juſtificandis hominibus, & Meſsiæ beneficia, modusq; ſalutis noſtræ inſinuatꝰ fuerat: ſed ſtramẽ pro auro proponebat, & exteriore variorũ in Deitate numerorum, à ſapientibus qvondam inculcatorũ, cortice contenta, ad latentis nuclei dulcedinem non admittebatur. Cum ergo Simon myſteria fidei tandem ab apoſtolis percepiſſet, conciliare conatus Platonicas & Cabbaliſticas traditiones cum Chriſtianis principiis, *ut eſt apud Theodoretum & Epiphanium*, infinitam qvandam potentiam, univerſorum radicem, docuit eſſe ignem, ex qva tres conjugationes ſeu paria, qvas etiam vocavit radices, ſint productæ: quarum primam appellavit νοῦν ſeu mentem ingenitam, tanquam mentis inventionem; alteram vocem, ἔννοιαν, Ennœam, ſeu mentis comprehenſionem; tertiam λόγον ſeu ratiocinationem & ἐνθύμησιν ſeu cogitationem; ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῆ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ i.e. *ut inquit Apoſtolus Col. II, 18.* gradum inferens in ea, quæ non vidit, & fruſtra ſenſu carnis ſuæ inflatus. Fictitia hac ſapientia turgidus, fabulatus eſt, *Ennœan* à patre ingenito, non ſine aliqva ejus indignatione digreſſam, angelos condidiſſe; ab *angelis* conditum mundum: eosdem invidia tactos noluiſſe alterius videri progeniem, & Ennœan, cujus patrem prorſus ignorarint, ne ſurſum recurreret, diu per vim & contumeliam detinuiſſe: eam interim, tanquam ovem perditam, à corpore uno muliebri ad aliud transmigraſſe: fuiſſe quondam in Helena Tojana; nunc tandem in Syria proſtitiſſe in fornice, nomine *Selenes*: patrem ejus, omnibus incognitum, ut liberaret hanc ſuam oviculam & malignos coerceret, in angelis prævaricatoribus apparuiſſe, ut angelum; in hominibus, ut hominem: in Samaria qvidem, ut patrem; in Judæa, ut filium; in aliis gentibus, ut Spiritum Sanctum: in Judæa inprimis, cum non eſſet homo, nec pati poſſet, viſum fuiſſe tanquam ho-

hominem & tanqvam paſſum: ſic liberatam qvidem eſſe Ennœan & angelos pœnis ſubjectos: ſed, quia nondum homines reſipiſcerent, primam mentem ingenitam denuo apparuiſſe: ſe Simonē illam eſſe; Syriam meretriculam, Selenam, quam ſecum circumducebat, eſſe Ennœan è fornice liberatam: qvæ & ipſa iterum apparuerit, ut ſecum doceat mortales, non amplius eſſe audiendos Moſen & prophetas, per quos locuti ſint prævaricatores angeli: vivendum eſſe, ut cuivis libet: ſine ſtudio virtutis ſalvari, qui ſua gratia credunt: injuſtam eſſe ſervitutem, ſi ad operum ſervitutem obligentur liberi homines: opera bona non naturaliter eſſe bona, ſed angelorum, qvi homines in ſervitutem legis abduxiſſent, poſitione, & arbitrio & humana opinione, *ut hæc omnia leguntur apud Irenæum, Epiphanium, Tertullianum.* Euſebius dicit *lib.2.cap.13.* Simonis magi diſcipulos, celebrem Chriſtianorum philoſophiam ſimulantes, ſimulacrorum ſuperſtitionem nihilominꝰ, à qua liberati videbantur, denuo uſurpaſſe, procidentes ante picturas & imagines Simonis & Helenæ: infandaqve illis fuiſſe ſecreta, quibus ille, qui primo audiat, conſternatus fuerit: plena nempe ſtuporis, ecſtaſeos & inſaniæ, ita ut non modo ſcripturæ tradi nequeant, ſed ne labiis quidem, propter turpitudinem, à pudicis viris proferri queant. Ita autem hæc primogenita diaboli fœtura effaſcinavit homines, ut paſſim ei & Helenæ, in forma Jovis & Minervæ, erigerentur ſtatuæ. In ipſa Roma, *teſte Juſtino & Irenæo lib.1.cap.20.* artibus magicis ſtatuam meruit, cum hac inſcriptione: SIMONI DEO SANCTO: quam tamen ſtatuam non Simoni mago, ſed Semoni Sanco ſeu Sancto, alias Deo Fidio dicto, erectam eſſe, conjiciunt, qui perſpicacius rem æſtimant. Qvicqvid ſit, in eam urbem commigravit pater omnium hæreſium, publicosqve honores meritus eſt, ex qua meretrix illa Babylonica univerſum orbem eſſet dementatura. Tandem Simonem, cum promitteret Icarium volatum, precibus Petri in terram eſſe proſtratum, *teſtantur Arnobius, Theodoretus, Iſidorus, Sulpitius Severus, & multi alii.* Ex hac jamariſſima radice propullulaverunt, qui paganiſmo Chriſtianam religionē miſcere volentes, Deo, Apoſtolis, veritati, in eccleſia contradixerunt, & fide in Chriſtum neglecta, homines à via ſalutis in præcipitium condemnationis egerunt.

ALTER perſonatus Chriſtus fuit MENANDER, conterraneus & diſcipulus Simonis magi. Hic, quicqvid præceptor de ſe mentitus fuerat, ſibi, tanqvam totius mundi ſervatori, adſcripſit, perqve ſuum in ſuo nomine adminiſtratum baptiſmum & magicas artes, immortalitatem in hac

Euſ. lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 26. Clemens Alex. lib. 3. Strom.

hic etiam vita pollicitatus eſt: mundiqve creationem, more Simonis præceptoris, angelis adſcripſit, & reſurrectionem corporum negavit. Euſebius *lib. 3. cap. 24.* nominat eum ſcutum Diaboli, Simoni mago non inferiorem.

Epiphan. Hæreſ. 21. Irenæus lib. 1. c. 21.

TERTIUS eſt SATURNINUS, Antiochenus, Epiphanio *Saturnilus* dictus, qui circa A.C. CXXX ſub Adriano cœpit ex ſchola Simonis in Syria innoteſcere: omnium turpitudinum ſectator & hoſtis matrimonii juratus. Septem angelis creationem mundi hominumque adſcripſit, & ex illis unum nominavit Deum Judæorum. Hunc adverſus patrem angelorum dixit rebellaſſe: in ejus deſtructionem Chriſtum, non verum, ſed ſpecietenus hominem veniſſe: ſe eſſe Servatorem verum, ad deſtruendum Judæorum Deum, aliosque angelos evertendos, qvi divinæ poteſtati ſe ſubtraxiſſent, *ut legere eſt apud Epiphanium in hær. 21. Irenæum lib. 1. c. 22. & alios.*

Euſ. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 26. l. 5. c. 15 & ſeq. Tertull. de præſcr. c. 22. Epiphan. Hær. 48. Hieron. Epiſt. 3 ad Marcell. Philaſtr. de Hæreſ. cap. 50. Theodoret. de Hæret. fab. l. 3. Aug de Hæreſ. lib. 26.

QVARTUS eſt MONTANUS, qui, ut nominis famam quæreret, maligno ſpiritui in ſemetipſo locum dedit, & mentis obſeſſione quaſi lymphatus, ſe Paracletum nominavit, docuitque apoſtolos non paracletum, ſed Spiritum ſaltem ſanctum (*hac enim impia diſtinctione impoſtor uſus eſt*) accepiſſe: illis ſe eſſe longe perfectiorem; quin ipſi Chriſto præſtare, qvo longe plura & meliora doceret. Circumduxit meretriculas, *Priſcillam & Maximillam*, itidem à Satana obſeſſas; perque eas ſua compingens dogmata, mulieribus ſacerdotia conçeſſit: ſanguinem anniculi infantis, ex minutis punctionum vulneribus extractum, pani euchariſtico miſcuit: mortuos baptiſavit: ſe tandem cum meretriculis ſuis, poſtquam multos faſcinarat, diaboli inſtinctu, ſuſpendio necavit. Sunt autem Montaniſtæ etiam *Cataphryges* & *Pepuziani* à loco dicti, in quo errores profeſſi ſunt. Item à tertio Montani ſcorto, Quintilla, *Qvintilliani*; à doctrina, quæ credebant Montanum eſſe Spiritum, *Spirituales*; à ceremonia, qua digitum naribus immittebant oraturi, *Taſcodrongitæ*; à Proclo quodam *Procliani*; *Artotyritæ* tandem, qvia nonnulli eorum in euchariſtia caſeum adhibebant. Ad hos Montaniſtas tranſiit tandem ipſe *Tertullianus*. *Florinus & Blaſtus* fuere Montani diſcipuli. Sed hæreſin ejus Miltiades Hieropolitanus, Apollonius & Serapion confutaverunt. Docuit enim, quæ toleranda non erant: nuptias ſecundas ſtuprum eſſe: divortia eſſe licita: non licitam fugam in perſecutione: lapſis, & inter eos mœchis, etiam pœnitentibus, non eſſe veniam dandam; plura jejunia, quam hactenus uſitata, eſſe inſtituenda.

QVIN-

QVINTUS eſt MANES, impuriſsimus omnium hæreticus qvi non
tantum ad Montani imitationem auſus eſt ſemet ipſum nominare Spiri-
tum ſanctum, quem Chriſtus promiſiſſet iis, qvi non ex parte eſſent co-
gnituri, ſicut apoſtoli, ſed & ipſum Chriſtum ſe vocavit. Fuit natione
Perſa, conditione ſervus, antea dictus *Cubricus* q. vas inane. Sed ardelio,
probroſo nomine non contentus, ſe *Manen*, tanqvam diſceptatorem, vel
tanquam σκεῦος & vas Dei, quod Chaldæi *Mana* vocant, vel, ut alii in-
terpretantur, Manna vivum curavit appellandum: & ducta heri ſui Te-
rebinthi, magi ſcelerati, vidua, hereditatem amplam adiens, ex libris
ejus magicis venenum hauſit: & electis, ſibi ad exemplum Chriſti XIII.
apoſtolis & LXXII. epiſcopis, remotisſimas regiones infecit. Tandem,
cum filium regis Perſarum ægrotum pharmacis enecaſſet, excoriatus,
carnem ſuam canibus reliquit dilaniandam. Finxit duos æternos Deos,
illum bonum & lucis; hunc malum & tenebrarum: ex utroq; pugnante
prodiiſſe mundum: utrumque fruſtratim ſecundum partes in creaturis
eſſe diffuſum: bonum Deum gratis, ſine intuitu ullius operis, favere ali-
quibus, nempe πνευματικοῖς, ſpiritualibus & Gnoſticis i. e. cognoſcen-
tibus, qui ex materia ab omni pravitate purgata conditi, ſola cognitione
Æonum ſine ullis operibus ſalvi fierent, impure agere poſſent, quod-
cunque libido ſuggerit: *alios* nullo modo ſalvos velle, nempe σαρκικοὺς
ſeu carnales, quibus nihil commercii ſit cum DEO lucis, quia abſolute
ſint tenebris mancipati: *alios* per operationem & fidem ſalvare, nempe
ψυχικοὺς ſeu animales, quorum natura aliquid de luce, & aliquid de te-
nebris habeat, & qvi propterea indigeant fide & operibus bonis: nullam
eſſe reſurrectionem corporum, quia nulla materiæ particula poſſit ſalute
potiri: animas autem ex corporibus in corpora migrare: Chriſtum, nec
Deum, nec hominem, imaginaria ſpecie paſſum & mortuum, fuiſſe ſer-
pentem protoplaſtorum deceptorem, & animas, non corpora, redemiſ-
ſe; Solem & lunam eſſe adorandos: conjugia non placere Deo in pnev-
maticis, qui ſe vocabant *Cathariſtas* q. mundatores, *Macarios*, q. beatos,
Zaddikin q. juſtos; placere ſcortationes & libidines, non propagandæ
ſobolis cauſa peractas: peccatum eſſe ſubſtantiam per ſe viventem &
ſubſiſtentem: eleemoſynas impendi mali Dei patrocinio: baptiſmum ni-
hil prodeſſe: euchariſtiam cum ſemine humano ſumendam, & qvidem
ſub una ſpecie, qvum vinum non ſit bibendum: malum dæmona legem
tuliſſe: carnium eſum & magiſtratum Deo diſplicere. Manetis ſectatores
dicebantur ab autore *Manichæi*; à præceptoris diſcipulo *Acovanitæ*; à pu-

Euſ. l. 7 Hiſt. Ec-
cleſ. cap. 30. in
Chron. n. 2295.
Epiph. hær. 66.
Socr. lib. 1. Hiſt.
Eccl. c. 17 Nice-
phor. lib. 9. Hiſt.
Eccl. c. 31. Au-
guſt. hæreſ. 46.
& contra Fauſt.

gna, quam ſe depugnare adverſus gentem tenebrarum dixere, *Agoniſtæ*; à carnium deteſtatione, *Abſtinentes*; à piſcium eſu ἰχθυοφάγοι. Huc referri etiam poterit *Apollonius Tyanæus*, magus ſub nomine philoſophi celebris quem gentiles, *ut eſt apud Euſebium lib. 1 contra Hieroclem*, Chriſto auſi ſunt comparare, deqve cujus actis *Philoſtratus*, diſcipulus ejus, octo libros conſcripſit, qui adhuc ſuperſunt. Multa hic egit, qvæ homines in admirationem ejus rapuerunt. Viſus eſt ſimul duobus locis: abegit diabolos, angues, ſpectra, peſtem: per aerem vectus, remotisſimas obiit terras: e carcere clauſo, ſolutis ultro vinculis, abiit: ex oculis adſpectantium evanuit: mortuos viſus eſt excitare: variis linguis loqvebatur: multa futura prædixit: eo ipſo die & hora, qua Domitianus Romæ interfectus eſt, Epheſi in ſaxum excelſius conſcendit, & populo convocato: *Euge*, inquiebat, *Stephane*, (ſic vocabatur, qvi Domitianum percusſit,) *Euge, percute homicidam*: & paulo poſt: *Percusſiſti, vulneraſti, occidiſti*, ut eſt *apud Dionem lib. 67*. Hujus Apollonii, tanquam cujusdam Semidei, facta omnibus gentilibus in ore erant: & propterea in odium Chriſtianorum Philoſtratus, qvod dixi, illa octo libris deſcripſit. Sed magum hunc, quem Chriſto auſi ſunt opponere, recte *Euſebius* vocat perſonatum philoſophum, Pythagoræ diſciplinam fronte effingentem, ſed aſinū leonis pellem ſuperindutum, civitatum ſpectabilem circulatorem, curioſum ſophiſtam, magnum veneficum. Severus imperator eum una cum Chriſto & Abrahamo in larario eodem coluit.

XXXVI. *Contremiſco ſane ad tot Satanæ præſtigias! Sed quinam ſunt illi, quos Gnoſticos nominaſti, quiq; inſignem de Deo ſcientiam ſibi vendicantes, horrendum in modum & in fide errarunt, & per libidinem carnem injuria affecerunt?*

Euſ. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 7 Epiph. hær. 17 Niceph. l. 4. c. 1. Iren. l. 1 adv. Hær. c. 24. Auguſt. de Hæreſ. cap. 6.

His occaſionem dederunt non ſaltem, ut patet ex dictis, Simon magus, Menander, Saturninus & Montanus, qvi turpiter vivere in rebus licitis ponebant, ſed & NICOLAUS, ſive Antiochenus proſelytus, unus è VII. *Diaconis Act. VI. 5*, ut cenſent Irenæus, Epiphanius & Auguſtinus, *ſive qvis alius*, ut putant Ignatius, Clemens Alexandrinus & Euſebius. Secundum Auguſtinum & Clementem, ſuſpicione zelotypiæ ſe purgaturus, omnibus indiſcretim uxorem, alioqvin amatisſimam proſtituit, & communem fœminarum uſum introduxit. Epiphanius dicit, nec diſſentit Euſebius,

bius, eum contra Pauli præceptum *1. Cor. VII. 1.* perpetuam à conjuge abſtinentiam, ſtulta quadam continentium & virginum imitatione, voviſſe: ſed uſtulationi carnis non reſiſtentem, ad uxorem rediiſſe. Hinc longius progreſſus, libidini habenas laxavit: eſum idolothytorum conceſſit: ipſum mundum ex fœdo tenebrarum cum lumine coitu per incognitos angelos conditum credidit: ex tenebris ſcilicet & ſpiritu genitam eſſe *Metram*; ex Metra & eodem ſpiritu quatuor ſecula; ex hiſce alia quatuordecim. Tandem productum eſſe quoddam turpe ſeculum, ex quo & Metri nati ſint Dii, & angeli & dæmones, & ſeptem ſpiritus. Superne in octavo cœlo eſſe qvandam virtutem. *Barbelonam*, à patre productam: hanc matrem eſſe *Jaldabaotbi ſeu Sabaotbi*: *Prunicum* etiam qvendam præſidere genituræ & menſibus: huic ſuccenturiari *Caulaucaucb*, & alia numinum terriculamenta. Hujus aſſeclæ dicti *Nicolaitæ* pulcherrimo ſibi nomine aptato, ſe GNOSTICOS, ſive propter excellentiam ſapientiæ, ſive quod ſola cognitione, nulla operum ratione habita, ſe ſalvari crederent, appellaverunt. Sed cum horum alii alia ſubinde ſuperadderent hæreſeon nova monſtra, novis ſunt appellati nominibus, *Phibionitæ*, *Stratiotici*, *Zachæi*, *Levitici*, *Barbelitæ*, *Coddiani*, qvin & *Borboritæ*, quaſi cœnoſi, propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercebant. Nam per Gnoſticos conatus eſt diabolus religionem Chriſtianam infamare, ut ſcelera eorum in univerſo Chriſtianæ religionis cœtu perpetrari crederentur. Damaſcenus eos vocat ἠθικοπρόσκοπτες, quaſi morum & honeſtatis irriſores. Cæterum Gnoſticorum nomine venerunt *Saturninus*, *Baſilides*, *Carpocras* & *Valentinus*. De Saturnino jam diximus.

BASILIDES, Saturnini coætaneus, in Ægypto celebris, illud, quod ſummum & increatum eſt, vocat *Abraxas* vel *Abraſax*. Ἀβραξας autem vel Ἀβρασαξ ſub eodem CCCLXV. numero literarum Græcarum eſt, quo Perſica lingua *Mithram* i. e. ſolem præſidem CCCLXV. dierum in anno enunciat: ut vel hinc videas, ſuperſtitiones gentiles quibꝰ ſolis intelligentia habebatur pro ſummo Deo, à primis hæreticis fidei eſſe mixtas. Somniavit Baſilides, productam eſſe ex Abraxas mentem primogeniam; è mente λόγον; ex λόγῳ phroneſin ſeu prudentiam; è phroneſi ſophiam & dynamin ſeu ſapientiam & potentiam; ex his duabus principatus, poteſtates & angelos: unde nati ſint CCCLXV. angeli, quorum quisq; finxerit peculiare cœlum, ut ita tot cœli, qvot dies ſunt, à ſe defluant ope angelorum: angelos tandem trecenteſimi ſexageſimi

Euſ. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 7. Aug. de Hær. c. 4. & Lamb. Danæ ibid. p. 11. Epiphan. hæreſ. 24. pag. 56.

qvinti cœli, qvod nobis videtur, creatores, cum terræ dominium diviſiſſent, & ille, cui adminiſtratio Judæorum contigerat, in alias quoque gentes regni limites propagare conarentur, ob & id diſſidium inter angelos, mundi noſtri dominos, ſuboriretur: ſummum & ingenitum Deum miſiſſe mentem ſuam primogeniam, puta Chriſtum, qui credentes in ſe ſervaret: hunc Chriſtum non fuiſſe paſſum in morte, ſed ſubſtituiſſe Simonem Cyrenæum: animam prius peccaſſe, quam in hoc corpus detruſa pœnas luat: non reſurectura corpora: homines natura ſalvos fieri per liberi arbitrii vires fidem eſſe naturalem: martyria non eſſe obeunda.

Euſ. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 7. Epiph. hær. 17. Niceph. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 2. Irenæus l. 1. de Hær. c. 24. Tertull. de præſcr. c. 48. Clem. Alex. l. 3. Strom.

CARPOCRAS, Ægyptius, fæx omnium hæreticorum, & fax totius continentiæ, *ceu dicit Euſebius ex Irenæo*, aperte magiam exercuit, & dæmones πάρεδρους jactavit: ficta gentium myſteria commendavit: Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis imagines, juxta effigiem Jeſu collocatas, adoravit: ſolius animæ, non corporis, tanquam carceris animæ, eſſe ſalutem dixit: peccando & turpiter vivendo docuit cœlum conſcendi debere. Nam (ecce feneſtram Manichæo apertam, & dogma, quo Satan nihil fœdius invenit) duos Deos effinxit: qvorum alter malus peccatis eſſet conciliandus & ſuperandus; alter bonus gratis absqve intuitu bonorum vel malorum operum ſalvaret.


Euſ. lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 11. in Chron. n. 2160. Epiphan. hær. 41. Tertull. lib. pecul adv. Valent. & de præſcript. cap. 7. atque 30. Auguſt. de Hæreſ. cap. 11. Theod. l. 1. de Hær. fab. Oroſ. l. 7. c. 14. Niceph. l. 4. Hiſt Eccl. c. 3. Iſidor. l. 8. Orig. c. 5.

VALENTINUS tandem, tempore Antonini Pii, inter Gnoſticos omnium ſubtiliſſimus videri voluit, & cum turpiter voluptatibus diffluens cæteris eſſet ſimilis, *Æonum* exercitu armatus, in palæſtram prodiit. Quos enim alii cœlos & angelos vocabant: hos appellat Æonas. Primum eorum ponit *Bythum* ſeu *Profundum innominabilem & ingenitum, Æona telion ſeu perfectum, proonta ſeu præexiſtentem, Archen, proarchen, propatora.* Copulat illi *Ennœam ſeu Sigen i. e. Silentium ſeu Charin i. e. gratiam*, tanquam matrem omnium reliquorum Æonum. Ex Bythi & Siges conjugio nugatus eſt prodiiſſe gemellos, Νοῦν *ſeu Monogenea* i. e. *Unigenitum*, & *Aletheian ſeu Veritatem.* Hos primos qvatuor Æonas eſſe *Pythagoricum Tetractyn ſeu Qvaternionem & radicem omnium.* Porro ex Νοῦς & Aletheias conjugatione natos eſſe *Logon & Zoen* i. e. *verbum & vitam*: ex illis *Anthropon & Eccleſiam*: octo hos Æonas priores eſſe *ogdoada ſeu octernionem Æonum Primam*: poſtea aliis niſibus ex Logo & Zoe eſſe *decem alios Æonas* in *Decade &* qvintuplici conjugio genitos: ex Anthropo autem & Eccleſia in duodecade proſiluiſſe XII in conjugio ſextuplici: & ſic ex octoade, decade & duodecade conſtitui *XXX. Æonas*

Æonas ſeu tricenariam divinitatem in Pleromate ſed plenitudine invißibili & ſpirituali, cuſtodito per *Horum* i.e. *Terminum*, à ſolo Bytho productum. Finxit porro Valentinus, *Sophiam*, ultimam ex XXX. Æonibus, cum vellet ſcrutari divinitatem Bythi, extra conjugium mariti Teleti, ex vi paſſionum per abortum peperiſſe *Achamot ſeu Enthymeſin ſeu Sophiam II. inferiorem*: hanc Achamotam extra Pleroma in *Cenoma* i. e. *in vacuum & in tenebras* ab *Horo* eſſe ejectam: Sophiam autem matrem paſſionibus ejus ab Horo, qvem etiam vocavere *Stauron & Lytroten* i.e. *Crucem & Liberatorem*, crucifixis expiatam, Pleromati eſſe reſtitutam. Ne autem & reliqui in Pleromati Æones, ui Sophia, deficerent, Νῦν ſeu Unigenitum produxiſſe ex ſe *Chriſtum ſuperiorem & Spiritum Sanctum*, qui Æonas docerent, Bython ſeu Patrem ſummum eſſe incomprehenſibilem, & ad gratias illi agendas eos impellerent: Æonas igitur, ad laudandum patrem ſummum, quod qviſque pulcerrimum habuit, (tanqvam Pandora nova eſſet formanda) contuliſſe & ſic produxiſſe *Chriſtum II. ſeu λόγον II. alias dictum Jeſum & Soterem ſeu Salvatorem*, ut & ejus ſatellites *Angelos*: Achamotam interim, in vacuo diu volutatam, gratia Chriſti ſuperioris, per Horon ſeu crucem extenſi, accepiſſe formam: ſed cum vellet reſpicere ad ſuum autorem, non potuiſſe, prohibitam ab Horo ſeu Termino: miſſum igitur à Chriſto I. Chriſto II. ſeu Soterem: eum cum angelis acceſsiſſe ad miſellam in Vacuum: hanc ejus beneficio, ante ſui ad ſuperiora converſionem, *ex ignorantia & metu* produxiſſe *ſubſtantiam materialem ſeu hylicam*; poſt converſionem edidiſſe *ſubſtantiam pſychicam ſeu animalem*; ex læta tandem contemplatione Soteris & Angelorum, genuiſſe *ſubſtantiam pneumaticam ſeu ſpiritualem*: ex ſubſtantia pſychica ſeu animali prodiiſſe *Demiurgum ſeu Pantocratora*, qui alias vocetur Baſileus, Pantocrator, Metropator (q. pater ſimul & mater) quique ex ſe genuerit *Chriſtum III.* dictum & ipſum *Jeſum, Sotera, λόγον, νῦν*: hunc Jeſum cum Demiurgo patre ex materia ſpirituali condidiſſe *ſeptem cœlos*, puta planetarum, eorumque intelligentias ſeu angelos. & præterea *Coſmocratora* i.e. diabolum ſeu dæmonium iniqvitatis in ſublunaribus; ex animali, *hominem & animantia*; ex materiali, *quatuor elementa & corpora ex illis conſtantia*: locum Coſmocratoris & hominum eſſe *mundum ſublunarem*; Demiurgi *ſeptuplex cælum*; Achamotæ *vacuum ſeu tabulatum ſuper cælos*; XXX. Æonum *Pleroma ſuper vacuum*: in conſummatione ſeculi Achamotam transferendam eſſe de vacuo in Pleroma, ſociandam ibi ſponſo Soteri: Demiurgum conceſſurum in vacuum matris locum:

animas ſpiritualium in palatio pleromatis, in ſponſas angelorum aſſumendas eſſe; pſychicorum animas cum Demiurgo lætaturas in vacuo; choicorum ſeu terrenorum totas interituras. Apponam ſchema, unde impietas profana Valentini magis pateat: profana, inquam. Nam ſi conferatur genealogia Æonum Valentiniana, cum genealogia Deorum gentilium, quam in *Syntagm. hiſt. polit. lib. 1 ſect. 1. q. 16. 17. adduximus ex Boccatio & Appollodoro*, utrobique vanitatis facies apparebit.

SCHEMA TRIGINTA ÆONUM VALENTINI
ad peſtilentisſimas Gnoſticorum hæreſes rectius dijudicandas.



Cæterum triplex hominum genus fecit Valentinus & poſt eum Manichæi: 1. πνευματικῶν, qui per excellentiam naturæ ſine ullis operibus fierent ſalvi. 2. ψυχικῶν, quorum natura imperfectior indigeret bonis operibus. 3. σαρκικῶν, qui nullo modo ad ſalutem pervenire posſint. *Ex his* ortos eſſe ſe credebant Cainiani, *ex iſtis* Abeliani, *ex illis* Sethiani. CAINIANI à Caino dicti, qvem cum Juda, Core, Dathan, & Sodomitis commendarunt, erant ipſi Antitactæ, Deo repugnantes; qui, qvæcunq; Deus jusſit, omiſerunt; qvæ prohibuit, commiſerunt. ABELIANI *ſeu Abelonitæ*, quos Auguſtinus *cap. LXXXVII. de hæreſ.* ſuo adhuc tempore in campo Hipponenſi deprehendit, in conjugio ſine conſvetudine conjugali vixerunt, & adoptione ſibi ſucceſſores ſelegerunt. SETHIANI Sethum, omnium electorum & perfectorum patrem, tanquam ipſum Chriſtum, qvi poſtmodum ex virgine Maria natus ſit, in occiſi Abelis locum fuiſſe creatum, atq; inter ſemen Cainiticum, ante & poſt diluvium ſparſum omnes electos & bonos procreaſſe docuerunt. Prodierunt quoq; ex Valentinianis *Secundiani*, qvi peregrinis vocabulis Valentini doctrinam reddiderunt intricatiorem: *Ptolemiani*, qui & ipſi numerum Æonum Valentinianorum mutarunt & auxerunt: *Marcitæ*, à Marco, miro præſtigiatore, *ut eſt apud Irenæum lib. 1. cap. 9.* originem trahentes, qvi ſe Petro & Paulo præſtantiores jactitantes, perfecti voluerunt appellari, primi doctrinæ de transſubſtantiatione in cœna autores: *Colarbaſii*, qui vitam omnium hominum in ſeptem ſideribus conſiſtere aſſeruerunt: *Bardeſaniſtæ*, qui fato non bonas ſaltē, ſed & malas actiones hominū ſimpliciter adſcripſerunt, orti à *Bardeſane*, egregio prius in ſeculo eccleſiæ doctore, ſed poſtea *ſecundum Auguſtinum hær. XXXV.* in Valentini hæreſin, quam antea ejurarat, relapſo: *Heracleonitæ*, qui duo principia contraria ſtatuerunt, &, quod etiam fecerunt *Marcoſii*, morientes unctionibus redemerunt: *Ophitæ ſeu Ophiomorphi*, qui præcipuum Æonum vocavere *Jaldaboth* & ſerpentem, protoplaſtorum deceptorem, Chriſtum, tandem ex virgine natum, arbitrati, ſerpentes coluere, nec euchariſtiam prius ſanctificatam eſſe putavere, quam panis & ſanguis à ſerpente, quem in ciſta aluerunt, lambendo prægustatus fuiſſet: *Adamiani ſeu Adamitæ*, qui nudi ſine ſexus diſcrimine precabantur, & nuptiis damnatis promiſcue coibant: *Origeniani* (non ab Origene Adamantio, ſed alio obſcuriore dicti) qui in profesſione monaſticæ vitæ turpisſima perpetrarunt, & ſcelus illud Onani, quod *Gen. XXXIIX. 8.* deſcribitur, in delitiis habuerunt. Referendus huc eſt *Hermogenes*, unde *Hermogiani*, contra quem

Ter-

Tertullianus eruditum librum ſcripſit. Cum Stoicis enim ſeculo II aſſeruit, materiam mundi eſſe æternam, ex cujus viſceribus mala orbem inundarint; Item *Florinus* ab Irenæo confutatus, qui eodem ſeculo Deum creaſſe mala opinabatur. Hi ſunt, qui Maneti paulo poſt erupturo fundamenta ſubſtraverunt. Cæterum de *Gnoſticis* in genere *Epiphanius refert*, quod communes uxores habuerint: ſacram ſynaxin promiſcuo concubitu polluerint, dicentes, ſe ſic dilectionem facere: ſemen maſculinum pro corpore Chriſti comederint: ſanguinem menſtruum pro ejus ſanguine biberint: liberorum generationi impedimenta in ſumma libidine injecerint: ſi quæ tamen fœmina concepiſſet, detractum fœtum in mortario contuderint, & admixtis aromatibus conſumſerint, dicentes, hoc perfectum eſſe paſcha. Monſtroſum eorum baptiſmum deſcribere vereor. Fecit id *Irenæus lib. 1. cap. 18.* qui totus eſt in Valentinianorum confutatione: apud quos neminem dixit eſſe perfectum, niſi qui maxima mendacia fructificaverat. Et quidem Gnoſtici his fabulis videbantur philoſophis paganis adulari, ut, quia plurium Deorum nomina Chriſtianis eſſent odioſa, eorum vice potentias qvasdam divinas aut *αἰῶνας* & angelos ſubſtituerunt, adeoque omnem Heſiodi theologiam ad eos transferrent. Nos vero intelligimus, qvænam ſint illæ *βέβιλοι κενοφωνίαι καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, i.e. profani de rebus inanibus clamores & oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ, à quibus cavendum monet apoſtolus ad Timotheum. Ad Gnoſticos non incommode referuntur *Angelici*, qui circa A.C. CCX exorti, angelos coluerunt, Æonibus forſan Valentinianis dementati, ſed jam *Col. II. 18.* ab ipſo apoſtolo damnati.

XXXVII. Satis impiè Gnoſticorum audacia eccleſiam perturbavit. Sed quid Alogi, quos dixiſti Chriſti Deitatem negaſſe?

Etſi Alogi, ſeu Alogii, ſeu Alogiani, illi omnes ſunt qui Chriſtum eſſe λόγον τοῦ θεοῦ negarunt; circa annum tamen Chriſti CLXVII. iſtud nomen cœpit uſurpari de *Theodoto, Artemone, Aſclepiadato & Beryllo*, qui Chriſtum habuere pro nudo homine: ut & de *Melchiſedecianis*, qui Chriſtum Deum negantes, eum inferiorem habuerunt Melchiſedeco, quem magnam aliquam Dei virtutem fuiſſe crediderunt. Hi omnes, ex libris gentilium errorem haurientes, fundamenta Photinianiſmi & Arianiſmi infeliciter poſuerunt. Beryllus ex illis ab Origene ad ſanam mentem eſt

revocatus,

revocatus. *Ebion*, *Cerinthus* & *Paulus Samoſatenus* imprimis inter Atheos ſunt celebres. EBION, unde Ebionitæ, quaſi pauperes, teſte Euſebio, natione Samaritanus, natus à ſuo oppugnatore Johanne Evangeliſta, docuit Jeſum aut ex commiſtione Joſephi & Mariæ, aut ex Spiritu S. ita ex Maria genitum, ut purus putus eſſet homo: in quem, cum baptiſaretur, Chriſtus tandem deſcenderit, & ab eo, cum crucifigeretur, receſſerit. Juſſit omnes leges Moſaicas, & imprimis circumciſionem obſervari: & quicquid fuit in ſingulis Samaritanorum & Judæorum feſtis Chriſtiana vita indignum, ſuis imperavit, ut omne impietatis prodigium ſuperare videretur. Hæc hæreſis, cum in Syria, Arabia, Aſia, & ipſa Roma diu latebras inveniſſet, nomen tandem *Sampſæitorum & Elceſaitarum*, *à Sampſeo* & *Elxæo* alias *Elxai* dicto, aſſumſit: quorum *ille* quis fuerit, vix notum eſt: *hic* ex Judæis oriundus, circa A. C. CV. Chriſtum in cenſum creaturarum ex Ebionis præceptoris traditionibus vocavit: cujus virtus milliarium XCVI. in longitudinem & XXIV. in latitudinem protenſa apparuerit primo in Adamo; inde in Jeſu. Chriſti hujus ſororem in ſexu fœmineo eſſe Spiritum S. blaſphemo ore aſſeruit, & univerſam penè Scripturam, retento ſolo Matthæi evangelio, rejecit: nec eſſe peccatum dixit, ſimulacra, perſecutionis tempore inſtante, adorare, dummodo corde ne adorentur, *ut habet Epiphanius*. Cultum enim omnem externum in religione eſſe ἀδιάφορον cenſuit: ex iis forte propaginem ducens, qui jam tempore apoſtolorum ἐν εἰδωλείοις ſeu templis idolorum accumbebant *1. Cor. IIX, 10.* Alter inter Alogianos fuit CERINTHUS, Judæus, quem Epiphanius putat illum fuiſſe, qui Hieroſolymis Judæos contra Petrum primo; deinde etiam contra Paulum excitavit. Huic Johannes in balneis aſſidere noluit: veritus, ne, ædibus collapſis, cum hoſte veritatis una opprimeretur. Cum Simone Mago & Gnoſticis, Judæorum DEUM non unum illum verum Deum credidit ſed angelum nominavit: Jeſum autem cum Ebione hominem tantum eſſe cenſuit, Joſephi & Mariæ filium, in quem immortalis Chriſtus ſpecie columbæ tempore baptiſmi deſcenderit, & iterum, ut mori poſſet, tempore paſſionis receſſerit. Sic Neſtorii deliriis occaſio data eſt. Quin &, teſte Euſebio & aliis Chiliaſtarum error primum ab hoc hæreſiarcha eſt diſſeminatus: cujus aſſeclæ dicti ſunt jam *Cerinthiani*, jam *Merinthiani*. Interim Ebionis & Cerinthi de divinitate Chriſti errorem aſſumſit circa A. C. CCLXX PAULUS SAMOSATENUS, epiſcopus Antiochenus, qui, teſte Theodoreto, Zenobiæ, reginæ potentiſſimæ, cum Judæis ſentienti, gratificaturus,

Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 24. Ignat. Epiſt. ad Philadelph. Irenæus lib. 1. adv. Hæreſ. c. 26 Epiphan. l. 1. adv. Hæreſ. c. 19. & 39 Tertul. de præſcr. c. 48. Philaſt. cap. 38.

Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 25. Epiph. lib. 1. hær. 28. Iren. l. 1. adv. hæreſ. c. 25. & l. 3. c. 3. Niceph. lib. 3. cap. 4.

Dionyſ. Alex. Epiſt. adv. Paul. Samoſ. Euſ. l. 7. Hiſt. Eccl. cap.

26.& ſeq. in Chron.n.2183. Epiphan.hæreſ. 65.Auguſt. cap. 44.Chryſoſt.in Epiſt ad Hebr. cap.5 Niceph. lib.6.Hiſt.Eccl. cap. 28. & ſeqq.

rus, & aulæ ſerviturus, idem de Chriſto cum Zenobia, regionis principe, & Judæis profiteri cœpit: Chriſtum eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, gratia divina inſigniter ornatum, Deo in ipſo non aliter, atque in aliis prophetis inhabitante. Tam impium errorem cum mittere nollet homo faſtuoſus, & in SS. Trinitate neganda omnes ingenii vires intenderet, de ſede epiſcopali, imperatoris Aureliani autoritate, dejectus eſt. Dicti ſunt ab eo *Pauliani* ſeu *Paulianiſtæ & Samoſateniani.* Errorem ejus ex Orco revocavere Photinus, Machomet, Socinus. Refer huc etiam *Docitas ſeu Phantaſiaſtas*, qui paulo poſt apoſtolorum tempora putarunt, Chriſtum carnem habuiſſe κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν.

XXXIIX. Qvosnam Polytheitas vocas & Antitrinitarios?

Irenæus lib 1. de Hæreſ cap.4. Euſeb.lib. 3. Hiſt Eccl.c. 21. Auguſt.de Hæreſ. cap.21.

CERDON ex Simoniorum ſchola eodem tempore, qvo Valentinus, circa A.C. CLXXX. prodiit, &, cum putidos Simonis errores rideri jam ſentiret, novis eos coloribus interpolavit, docens, duos contrarios eſſe Deos: alterum ſuperiorem, bonum & miſericordem, patrem Chriſti, ante evangelium ignotum, qui vel inimicos juberet diligere; alterum coſmocratora, ſævum & rigidum, qui mundum condiderit, legem tulerit inimicos non diligere, ſed dentem pro dente, oculum pro oculo eruere juſſerit. Hac ratione Cerdon, univerſa lege Moſaica, librisque V. T. repudiatis, ſolum evangelium recepit, & Chriſti præterea humanitatem, una cum corporum reſurrectione negavit. Hunc Cerdonis errorem infeliciter hauſit MARCION *Ponticus*, os illud diaboli, lupus ille, & ille ſerpens eccleſiæ. monachus primum, deinde ob ſtuprum virgini illatum à patre & ab eccleſia rejectus. Impia enim dogmata, lege & prophetis rejectis, de duobus Diis, contrariis, de phantaſtico Chriſti corpore, de vita ſolitaria & monachali, damnatisque nuptiis, de baptiſmo iterando & μετεμψυχώσεως diſſeminavit, corporumq; noſtrorum reſurrectionem penitus negavit. Hic eſt, cui, cum forte Polycarpo, Smyrnenſi epiſcopo, teſte Hieronymo in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, obviam venienti dixiſſet: *Cognoſcis nos?* reſponſum illud datum: *Cognoſco te primogenitum Satanæ.* Tertullianus libros quinque adverſus eum conſcripſit, & Hieronymus eum paſſim dementiæ arguit. Rhodon etiam, teſte Euſebio, eum confutavit. Reliquit Marcion variis in locis varios diſcipulos: quorum aliqvi, ut *Syncrus*, tertium Deum malum juſto & clementi addiderunt; alii, ut *Hermogenes*, de quo jam diximus, materiam mundi

Irenæus Lib. 3. adv.hæreſ. c. 3. & 4. Tertull. contra Marcion lib. 4. & carm. lib.3. Epiphan. hæreſ.42.Euſeb lib.4 Hiſt. Eccl. cap. 11.Niceph. lib.4.Hiſt.Eccl. cap.3. Hieron. ep. ad Cteſiph. & Philaſtr. de Hæreſ.

Deo

Deo coæternam aſtruxerunt; aliqui, ut *Apelles*, adulter ille & impurus ſcortator, unum finxerunt Deum bonum & æternum, à qvo alius ignitus Deus, mundi creator, ſit creatus; nonnulli, ut *Severus*, fœminas & vinum tanquam diaboli creaturas averſati ſunt. Has de πολυθεΐα nugas deteſtati PRAXEAS in Attica, NOETUS & SABELLIUS, in alium non minus gravem ANTITRINITARIORUM inciderunt errorē, Trinitatem non perſonis, ſed ſolis nominibus diſtinguentes, eundem Deum in cœlis patrem, in terris crucifixum filium, in viribus creaturarum Spiritum ſanctum appellarunt. Quam ob cauſam dicti ſunt PATRIPASSIANI, quia Deum, in una perſona ſubſiſtentem, ut Patrem, legem tuliſſe; ut Filium, in cruce obiiſſe; ut Spiritum ſanctum, ad apoſtolos veniſſe, dicebant. Alii eos UNIONITAS & MONARCHICOS nominarunt, quia Deum, tanquam monarcham mundi unum, introducebant, tribus perſonis haud diſtinctum.

XXXIX. Perge ad Juſtitiarios, qui de meritis ſuæ virtutis gloriabantur.

Mirum eſt, omnibus pene hæreticis Primitivæ eccleſiæ commune eſſe, fidei in Chriſtum parum; operibus pleraque adſcribere. Sic multi, jam apoſtolorum tempore, ex lege Moſis cum ſcripta, tum oretenus per traditiones patrum accepta, ſalutem eſſe petendam crediderunt, ipſisque legis ceremoniis, qvas omnes obſervatas cupiebant, vim conferendæ vitæ æternæ tribuerunt. NAZARÆI, ex ſecta Nazaræorum & Jeſſæorum apud Judæos orti, rejecto apoſtolo Paulo, quoscunque Moſaicos ritus, præter ſacrificia, ad omnes etiam Chriſtianos pertinere aſſeruerunt: & præterea enthuſiaſmos, cœleſtesque revelationes jactitarunt, & fictis quibusdam miraculis ſibi autoritatem conciliarunt. Certum interim eſt *ex Act. XXIV. 5.* primitus ipſos apoſtolos & Chriſtianos Nazaræos à Chriſto Nazareno vocatos eſſe, qui diu ſinceram fidei profeſſionem ſub obſervatione Leviticarum ceremoniarum retinuere. Hinc *notat Sulpitius*, in Palæſtina Chriſtianos pene omnes, quos, ut dixi, etiam Nazaræos vulgo vocarunt, ad Adriani usque tempora, Chriſtum Deum ſub legis obſervatione crediſſe. Inter omnes autem *Juſtitiarios* conſpicui fuere ENCRATITÆ, à voluntaria & ſuperſtitioſa abſtinentia ita dicti: inter quos circa annum Chriſti CXXX. APOSTOLICI ſe vocabant *Apotacticos*, quaſi vitæ auſteritate ab aliis ſecretos. Ab his prima monachatus, & imprimis fratrum mendicantium fundamenta jacta ſunt. Tria enim

Auguſt. de hæreſ. cap. 9. Et Epiphan. de Hæreſ. cap. 18.

Euſeb lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 27. & in Chron. n. 2189. Epiph. Hæreſ. 61. Auguſt. de Hæreſ. cap. 40. Clem.

Alexand.lib.3. Strom Niceph. lib.4.Hiſt. Eccl. cap. 4. Irenæus lib 1.adv.hæreſ cap 31. Tertul. de præſcript. cap.52.

enim vovebant: paupertatem ſeu ἀκτημοσύνην: continentiam: obedientiam. Conjugia damnabant: lapſis gratiam negabant: libros apocryphos pro evangelicis ſubſtituebant. His ſuffragati HIERACHITÆ, ab Hierace Ægyptio dicti, non niſi monachos & feminas, quæ conjugia ejurarant, in communionem receperunt: reſurrectionem carnis negarunt: infantes à regno cœlorum ob defectum operum excluſerunt: Melchiſedechum pro Spiritu Sancto habuerunt. Quia igitur hac ratione ſanctis conjugii legibꝰ proſtratis omnis ſpes ſalutis in cœlibatu ponebatur, eo dementiæ proruperunt VALESII, alias Eunuchi dicti, ut ſibimetipſis virilia adimerent, hac una via ſe Deo placere arbitrati. Tandem TATIUS, vel potiꝰ TATIANUS, anno CLXXV. inſignis primum eccleſiæ paſtor, Juſtini martyris diſcipulus, qui infinita pene volumina ediderat & veritatem evangelii variis ſcriptis ſtrenue propugnarat, Juſtino tandem defuncto, quaſi cœcus ductore deſtitutus, ab eccleſia defecit, & Tatianis inter Encratitas præcipuis originem dedit. Damnavit nuptias, vinum, carnium eſum: pro vino, quod ex Satanæ & ſerpentis commixtione productum fabulabatur, in ſacra cœna aquam adhibuit: (unde ejus ſectatores etiam *Aquarii* & *Hydroparaſtatæ* dicti ſunt:) Adamum ſalvum fuiſſe factum negavit; Æonas Valentinianos in ſcenam denuo produxit. Extat adhuc ejus oratio contra Græcos, & Harmonia evangelica: quam putant ab eo conſcriptam, cum adhuc lateri Juſtini adhæreret. Ad hanc hæreticorum claſſem jure etiam referimus CATHAROS, ſic à ſeipſis quaſi puros dictos, qui ſe reliquis ſanctiores æſtimabant, NOVATIANOS alio nomine dictos. Nam *Novatus*, homo varius & factioſus, cum occaſione perſecutionis Decianæ *Feliciſſimus* quidam doceret, lapſos judicio Dei relinquendos, & nullo habito diſcrimine recipiendos eſſe, negavit abnegatores Chriſti & lapſos conſequi poſſe ſalutem, niſi denuo lavacro baptiſmi abluerentur. Lapſos igitur admonuit, uti cum Deo agerent, cui ſoli remisſio peccatorum eſſet relinquenda: in eccleſia poteſtatem reconciliandi non eſſe. Utque errori patrocinium quæreret, aliquem ſuæ ſectæ aſſeclam, uti jam ſupra demonſtratum eſt, curavit in ſchiſmate epiſcopum Romæ eligi. Et quanquam ipſe ſub Valeriano periit; dogma tamen ejus diu eccleſiam fatigavit, & imprimis à *Meletianis* acriter propugnatum eſt. Hi nullum cum illis, qui ad tormentorum vim ſuſtinendam impares, tyrannorum edictis obſecuti, Diis ante abjuratis thus adoleverant, commercium habebant, & nec reverſis ad Chriſtum, & lapſum ſuum ſeriò confeſſis, gratiam ullam promittebant: ceremoni-

Irenæus lib.I. adv. Hæreſ cap. 30. Tertull. de præſc. cap. 52. Clem. Alexand lib.3. Strom. & lib.2. Pædag. c.2. Orig. lib.1. contra Celſ. Hieron in Catal. cap. 29. Euſeb. lib.4. Hiſt Eccleſ. cap. 27. Epiph. Hæreſ. 46 Auguſt. de Hæreſ. cap. 48. Theodor. lib.1. cap. 20. Euſeb. l.6 Hiſt. Eccl. c.42. & lib. 7. cap.7 Epiph. Hær. 59. Cyprian. Epiſt 46. 47. 55 Auguſt. de Hæreſ. c.38. Socrat. lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. Niceph lib.6. Hiſt. Eccleſ. c.3.

monias præterea legis poſtliminio in Ecclefiam reducebant: pulſis ſubinde tintinnabulis Deum placare conabantur: nuptias ſecundas cum Montaniſtis damnabant.

XL. Quinam tandem ſunt Paradotæ & Pſeudo-apoſtoli, qui aut traditionibus & pſeudographematibus uſi, aut ratione abuſi, apoſtolis & eorum libris ſe oppoſuerunt?

In horum numero ipſe Paulus in epiſtolis ad Timotheum recenſet *Hymenæum & Philetum*, qui dicebant, reſurrectionem jam eſſe factam. imo qvotidie fieri, quoties carnali generatione liberi prodeunt, ut patet ex Theodoreto. Orthodoxi illis vocabantur *Peluſiotæ*, quaſi lutei(πηλὸς enim lutum eſt)quia crederent, cum membris corporis nos reſurrecturos. Omnem religionis uſum tollebant, ſpeqve vitæ alterius ſublata, qvum piis in hoc ſeculo non melius, ſed utplurimum pejus res ſuccedant, qvam impiis, nihil ſatis firmum reliquerunt, quod animum in religione retineret. Meminit idem apoſtolus *Phygell*, *Alexandri & Hermogenis*, quos vocat blaſphemos; in fide naufragium paſſos; Satanæ traditos; à ſe, adeoque à veritate averſos. Illis addit Johannes *epiſt III. verſ. 9. Diotrephen*, eumque vocat Φιλοπρωτεύοντα, tanquam antichriſti præcurſorem. Omnibus his *Simon magus, Menander & Saturninus* ſuccenturiati prophetas non locutos credebant æterni Dei impulſu: ſed vel angelis vel ipſis malignis ſpiritibus vaticinia eorum tribuebant. *Ebion* acta apoſtolorum alia edidit, quam quæ nos legimus. & Pauli epiſtolas, tanquam apoſtatæ, omnesque evangeliſtarum libros, præter Matthæum, rejecit. *Elxai*, univerſa fere ſcriptura repudiata, ſua ſcripta tanquam è cœlo lapſa, commendavit. *Cerinthus* jactavit, per angelos ſibi, quæ proferret, revelata. *Gnoſtici* ex traditionibus, quaſi ab apoſtolis ad ſe propagatis, ſuos errores palliabant. *Baſilides* novos prophetas commendabat, Barrabam & Barcoph. *Carpocrates* Platonis philoſophiam evangelicæ veritati magno faſtu anteferebat. *Marcion* ſolum Lucam admittebat, ſed nec ipſum, niſi mancum. *Cerdo* legem, tanquam à malo & crudeli Deo latam, rejiciebat. *Nazaræi* Pauli ſcripta improbabant. *Severus* Philumelam puellam dicebat inſpiratam divinitus, ad cujus dicta & vaticinia ſe totum componebat. *Montanus* prophetas arreptitios fuiſſe nec, quæ locuti fuiſſent, intellexiſſe, ſomniabat. Summa: Diabolus, non ignarus, nulla re magis regnum ſuum ſtabiliri, quam ſi libri prophe-

tici & apoſtolici è manibus mortalium excutiantur, omnem movit lapidem, ut, fontibus illis vivis relictis, hæretici ciſternas ſibi foderent, in quibus non eſt aqua. Sic igitur repudiata ſacra ſcriptura, excogitata ſunt, quod diximus, nova acta apoſtolorum, nova evangelia, novæ hiſtoriæ, novi libri dogmatici; & plerique hæreticorum aut raptus enthuſiaſticos & revelationes, aut traditiones apoſtolicas, viva voce factas, more noſtrorum pontificiorum, jactitarunt. Ad hanc claſſem referimus ARABICOS & θνητοψυχίτας, qui animas cum corporibus interire docuerunt: RHETORIUM qui omnes hæreticos recte ambulare, & vera dicere aſſeruit; *alios*, quos Auguſtinus *hæreſi LXXIX.* dicit, damnatos homines, poſtquam Chriſtus ad inferos deſcendit, ſalvos factos, credidiſſe: CHILIASTAS denique ſeu *Millenarios*, quibus viam primus Cerinthus, ut diximus ſtravit. Docuit enim ex fabulis Iudæorum, vitam æternam fore in terra, & Hieroſolymis mille annis in variarum voluptatum fruitione homines pios victuros. Deinde Papias, Hierapolitanus epiſcopus, vir inſignis, ſed teſte Euſebio, exigui judicii, incertis dementatus traditionibus, de regno Chriſti in his terris mille annos, citra ullam miſeriæ humanæ admixtionem duraturo, fabulatus eſt: quæ poſtea *Nepos* quidam circa A.C. CCLXIV, magno conatu, libris etiam editis, defendit. Præter hos Auguſtinus nominat quoſdam ÆTERNALES, qui dixerant, mundum poſt reſurrectionem mortuorum in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, eſſe manſurum, neque eſſe ita mutandum, ut ſit cœlum novum & terra nova. Adde OPHEOS qui crediderunt innumerabiles mundos: & PROCLIANITAS, qui Chriſtum negabant in carnem veniſſe dicti aut *Chriſtolytæ*, qvod Chriſtum diſſolverent, eumque cum SELEUCIANIS & HERMIANIS in cœlum cum carne aſcendiſſe negarent, aut *Aphthardocitæ*, quod Chriſtum verum hominem fuiſſe, aut vere paſſionem ſuſtinuiſſe negarent.

Auguſt. de Hæreſ. cap. 83.

de his Gerhardus, Marcelius, Gerh. Mayer & alii.

Hæ hæreſes omnes originem debent *Simoni mago*, qui Cabbaliſtarum & philoſophorum aſſertionibus abuſus, & à Cacodæmonibus, quibuscum familiariter verſabatur, deceptus, id erat eccleſiæ N. T. qvod Cain antediluvianis, & Cham Noachidis. Qvia enim in libris Cabbaliſtarum Judaicis de decem deitatis Sephiroth ſeu numerationibus à ſe invicem defluentibus illa legerat, quæ in Juda noſtro *lib. 1. dial. 4. c. 17. & dial. 6. cap. 10.* deſcripſimus: theogoniam ſeu genealogiam deorum, à gentilibus ſcriptoribus aſſertam, quantivis æſtimabat. Illa fabulati ſunt, *Demogorgonem* ex utero *Chaus* tumultuante *Litigium* extraxiſſe, inque

ſudo-

ſudorem ſblutum ignita ſuſpiria, materiam ſolis & ſtellarum, exhalaviſſe, & deinde *Æthera* condidiſſe, qui ex *Hemera* progenuerit *Cælum & Jovem*, ſicuti ex Jove prodierint *Minerva*, *Mercurius & reliqui Dii Soteres.* Aliis tantum nominibus eosdem Deorum à ſe invicem proceſſus, quos ſibi imaginabatur, deſcripſit Simon magus. Tota igitur *Gnoſticorum* ſchola ſe illi debet cum omnibus illis, quæ de longo Æonum exercitu nugatur. Debent illi *Polytheitæ* varias variorum Deorum ſuorum probolas, emisſiones & emanationes. *Antitrinitarii* ſe illi debent, quia, cum Simonem magum intelligerent docuiſſe, quod jam ut pater, jam ut filius, jam ut Spiritus ſanctus apparuerit, putabant perſonas deitatis nomine tantum differre. Debent etiam illi ſuam hæreſin *Juſtitiarii*, quia illum docuiſſe meminerant, pſychicam & animalem materiam non poſſe aliter liberari, quam per virtutum meritum. *Pneumatici* interim *Gnoſticorum*, quia à Simone mago didicerant, Moſen & prophetas non eſſe audiendos ab illis, qui excellentioris ſint naturæ, quam qvibus norma vivendi præſcribi qveat, vixere, ut libebat. *Ariani*, quia Simon dixerat, Chriſtum, cum non eſſet homo, ut hominem apparuiſſe: finxerunt, carnem & λόγον eſſe unius ſubſtantiæ, non ejusdem cum patre eſſentiæ. *Paradotæ*, qui ſcripturarum autoritatem poſtponebant, traditionibus aut ratiociniis ſuis, id ipſum agebant, quod egiſſe Simonem conſtat. Sed in *Symbolo Nicæno* anno CCCXXV. omnis Simoniaca & magica impietas confecta eſt. Tota enim Gnoſticorum machina corruit, cum Chriſtiani adſtringuntur ad *credendum unum Deum*, non diſtinctum à Demiurgo: *patrem omnipotentem*, adeoqve materiam Hermogenis ſibi coæternam non ſupponentem: *creatorem viſibilium omnium & inviſibilium*, ut ita rejiciantur omnes Æones & angeli, quibus hæretici creationem mundi adſcripſere. Cumque confiteri jubemur *unum Dominum JESUM Chriſtum, Filium Dei unigenitum & ex Patre ante omnes Æonas ſeu ante omnia ſecula natum, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Patri conſubſtantialem, per quem omnia facta ſunt, incarnatum tandem de Spiritu ſancto ex Maria virgine natum, redivivum, in cælos ad dextram Dei evectum*, rejecta eſt de tribus Chriſtis fabula Valentini: & Domini noſtri Jeſu Chriſti æternitas & conſubſtantialitas cum patre æterno contra Arium, ut & vera, non putativa incarnatio, mors, reſurrectio & aſcenſio contra Docitas eſt aſſerta. Præterea, cum ſic credere jubemur in unum Deum, ut illum aſſeramus *Patrem, Filium & Spiritum ſanctum*, damnati ſunt Pneumatomachi, & quicunque credebant, Spiritum ſanctum tandem poſt XXX. Æonas pro-

productum. Cumq; Macedoniani pergerent Spiritum ſanctum dicere creaturam,& Donatiſtæ atque Montenſes ſe ſolos putarent eſſe Simonis magi *πνευματικὰς*, ſine macula & peccato, & rebaptiſarent omnes, qvi aliorum baptiſmo eſſent initiati; reliquiæ etiam Gnoſticorum negarent carni & corporis ſalutem, quaſi ſola anima eſſet ſalvanda, per multas metempſychoſes in vitam alterius ſeculi introitura: ideoque *patres Conſtantinopolitani* in ſecundo concilio œcumenico addiderunt, ſe credere *ſpiritum ſanctum eſſe Dominum & vivificantem, cum patre & filio ſimul adorandum*: credere item *unam ſanctam catholicam apoſtolicam eccleſiam*, quæ nihil extra apoſtolorum ſcripta credat: *unum item baptiſma in remiſſionem peccatorum & corporum reſurrectionem.*

XLI. Quid ſi hæreticos trium primorum ſeculorum ſic oculis ſubjiceres, ut, quo tempore quiq; vixerint, intelligerem?

Simoniani ſub Caligula innotuerunt A. C.	39
Hymenæus, Philetus, Phygellus, Alexander, Hermogenes, Elymas magus ſub Claudio	44
Nazaræi & Nicolaitæ ſub Nerone	56
Ebionæi ſtatim poſt excidium Hieroſ. ſub Veſpaſiano	73
Menandriani ſub Tito	80
Diotrephes Joh. ep. III v. 9.	86
Cerinthiani ſub Domitiano	90
Baſilidiani, Carpocratiani, Saturniniani, ſub Adriano	126
Valentiniani, Secundiani, Ophei, Ptolemiani, Heraclionitæ, Cerdoniani, Marcitæ, Colarbaſii, ſub Antonino Pio	140
Gnoſtici, Ophitæ, Origeniani, Cainitæ, Adamitæ, Sethiani, Marcionitæ, Noëtiani, Tatiani, Encratitæ, Bardeſaniſtæ, Aquarii ſeu Hydroparaſtatæ, Cataphryges ſive Montaniſtæ, Pepuziani, Artotyritæ, Apoſtolici, Aqvei, ſub Antonino Philoſopho	170
Apellitæ, Rhetoriani, Floriani, Severiani, Quartadecimani, Artemo, Alogii, Hermogeniani ſeu Seleuciani, Theodotiani, Melchiſedechiani, Tertullianiſtæ, Angelici, ſub Severo	200
Helceſaitæ & Berylliani ſub Gordiano	240
Valeſii & Arabici ſub Philippo	245
Novatiani ſub Decio	241

Ca-

Cathari, *Sabelliani ſeu Patripaſſiani*, *Origeniſtæ ſeu Adamantii ſeu Allegoriſtæ*
Æternales, *Chiliaſtæ*, *Liberatores*, ſub Valeriano 255
Nepotiani, *Samoſateniani ſeu Pauliani*, *Hieracbitæ* ſub Galieno 260
Manichæi, *Seleuciani*, *Proclianitæ*, ſub Aureliano 270
Monarchici ſeu Unionitæ, ſub Tacito 276
Melitiani ſub Conſtantino M. 307

XLII. Auſus Satanæ per hæreticos magni fuerunt: quos ſacrificuli gentilium, & qui inter Judæos immani in Chriſtum odio ardebant, procul dubio egregie promoverunt.

Fremuit deſtruendus, & regno ſuo mox ruituro varia quæſiit ſuſtentacula. Spreta tamen ſunt ſacrificia, ſpreta idola, ſpretæ vanitates: & quanqvam ſanguis Chriſtianorum, horrenda tyrannide profuſus, exemplum fuit ſævitiæ infernalis: & hæretici, verſutiæ ſatanicæ fœtus putidisſimus, vineam Domini noviter plantatam variis hoſtium injuriis ſceleſte expoſuerunt: effloruit tamen veritas, & vires preſſa ſumſit. Ipſe Nero omnes religiones, præter Deam Syriam, contemſit: quam tamen ipſam etiam urina, in ſua quoque numina impius, contaminavit, *ut Suetonius ait.* Ejus ſucceſſores in nullo pene pretio habuerunt idola. Roma tamen, tanquam hæreſium non ſolum, ſed & idololatriæ proprium quaſi domicilium, toto hoc tempore adverſus nomen Chriſtianum tanto odio flagravit, ut nec ipſi ſenatori Appollonio fidem profeſſo parceret. Nec enim imperatores tantum in innocentes ſævierunt, ſed & ſenatus in collegas. Dum vero ſic omne obſequium filio Dei detrahebant, non ſunt veriti præter alios mortales, in numerum Deorum aſſumtos, *Antinoum*, Adriani catamitum & amaſium, contra antiquos Romanorum mores in Deos referre, & *Antonino Pio*, ejusque uxori *Fauſtinæ*, templis conditis; nova ſacra inſtituere, fraudibusq; magorum omnia ſacra proſtituere. Ideoque juſto Dei judicio: cum Chriſtiani non poſſent fictorum numinum cultum antiquare, Romanorum id præſtitit imperator. Heliogabalus enim, teſte Lampridio, Deum ſuum *Elagabalum*, qui Phœnicibus ſol fuit, in orbem advexit, inque templum, quod ei conſtruxerat, omnem omnium templorum ſacram ſuppellectilem tranſtulit, omnesque Deos ſui Dei miniſtros eſſe arbitratus, non Romanos tantum, ſed & omnes per orbem religiones, religione paulo poſt extinguenda abrogavit. Animam ſic agebat ſuperſtitio pagana, & fruſtra renitente Satana ruebat; lu-

cæ evangelii interea viam ad verum Deum commonſtrante. Et quanquam multi philoſophorum, ut eſt apud Baronium in Annalibus ad annum LXXV, orbem terrarum obibant, ut adverſus invaleſcentem Chriſti fidem, inveteratam ſuperſtitionem perſuaderent mortalibus: omnis tamen eorum conatus fuit irritus. Diſcedebant illi in varias ſectas, & diverſis inter ſe opinionibus digladiabantur: ſed in Chriſto oppugnando plerumque erant concordes. Alii ex illis dicti ſunt ſectari philoſophiam *Barbaricam*, alii *Græcam*, eamque aut *Italicam*, aut *Ionicam*. In BARBARICA philoſophia apud Perſas erant *Magi*; apud Babylonicos *Chaldæi*; apud Indos *Brachmanes* & *Gymnoſophiſtæ*; apud Gallos *Druydæ* & *Semnothei*. In ITALICA, quæ originem debebat *Pythagoræ Samio*, *Pherecydis* Syri & *Heraclyti* diſcipulo ſapientiam in magna Græcia apud Calabros docenti, conſpicui fuerant *Xenophanes* ſectæ Eleaticæ conditor: *Parmenides*: *Meliſſus*: *Zeno Eleaticus*: *Epicharmus*: *Eudoxus*: *Empedocles*; *Leucippus*: & non tantopere voluptatibus deditus, ut creditur, *Epicurus*. JONICA, autore *Thalete Mileſio*, cica tempora Davidis, initio in Græcia Aſiatica floruit: in qua ordine ſibi ſucceſſere *Anaximander*: *Anaximenes*: *Anaxagoras*, qui primus Athenis docuit: *Archelaus Socrates*. E ſchola SOCRATIS prodiere *Antiſthenes*, *Ariſtippus*, *Plato*. ANTISTHENES conditor fuit *Cynicæ ſcholæ*, in qua floruere *Diogenes Cynicus*: *Crates Thebanus*: *Zeno Cittiæus*, cui originem debent *Stoici*: interque eos præcipui, *Cleanthes* & *Chryſippus*. ARISTIPPUS condidit ſectam *Cyrenaicam* ſeu *Hegeſiacam*; in qua cum Epicuræis voluptas habebatur pro ſummo bono, & cum *Scepticis*, *Pyrrhoniciis* & *Ephecticis* in omnibus rebus aſſenſus ſuſpendebatur. PLATO condidit veterem *Academiam*, in qua nec omnia dicebantur neceſſaria, nec contingentia. Illi ſucceſſere *Speuſippus* ex ſorore nepos & *Ariſtoteles*. SPEUSIPPO ſucceſſores fuere *Xenocrates*: *Polemon*: *Crates*: *Arceſilaus*, *mediæ Academiæ autor*, in qua de omnibus rebus in utramque partem diſputabatur, & *Lacydes*, *novæ Academiæ conditor*, in qua *Carneades* ille præcipue floruit, qui de omnibus rebus dubitavit & ἀκαταληψίαν atque ἐποχὴν cum Cyrenaicis docuit. ARISTOTELES, qui Socratem audierat per triennium; Platonem per XXI annos, liberius de omnibus rebus differendo, nulli ſe majorum addixit, naturæ magis ſectator, quam theologiæ: unde etiam naturalis philoſophus dictus eſt, ſicut Plato divinus. Succeſſit ei *in ſchola peripatetica Theophraſtus*, diligens plantarum indagator; Theophraſto *Strato Lampſacenus*, cognomine Phyſicus; Stratoni *Lycon*, qui fabulis philoſophiam miſcu-

Kortholt. de Orig. & Progr. Philoſ. Barbaror. Schæffer. de Secta Italica. Hornei. in Proœm. Phil. Metal. Schaller de Philoſ. Pythag.

miſcuit. Inde *Ariſto*: *Critolaus*: *Diodorus*: & ab Ariſtotele undecimus *Andronicus Rhodius*, qui primus tempore Auguſti, Ariſtotelis & Theophraſti libros promulgavit & commentariis illuſtravit. Poſt eum floruere *Eudoxus*: *Athenodorus*: *Clenarcus*. Circa annum CC. *Alexander Aphrodiſienſis* ex Caria, totus ex Ariſtotelis verbis, tanquam nulla parte negandis, pendebat: quem ordine ſecuti ſunt *Porphyrius*, *Olympiodorus*, *Boëthius*: *Themiſtius*: *Hermias*: *Simplicius*. Circa annum Chriſti IↃcLIIX. cœperunt excellere *Arabes*, ad qvos philoſophia à Græcis migravit. Inter eos præcipue *Averroës*, Cordubæ in Hiſpania floruit: qui ſingula Ariſtotelis verba credidit divina oracula, & amplisſimis illuſtravit commentariis. Tandem ſeculo XII. *peripatetica philoſophandi ratio in eccleſiam eſt invecta*, & autoritas Ariſtotelis cum apoſtolorum autoritate confuſa, *ut dicemus lib. 3 ſect. 1. quæſt. 2.* Nec minus, præſertim ſeculis prioribus, excelluit *philoſophia Platonica*, in qua multi inventi ſunt, qvi ſe myſteriis fidei Chriſtianæ acriter oppoſuere, *ut Apollonius Tyanæus: Demetrius Cynicus: Muſonius: Epictetus: Plotinus: Jamblichus: Libanius ſophiſta*. Doctrina tamen crucis prævaluit in ſchola piſcatorum. Et memorabile eſt, quod *Plotinus*, Ammonii Chriſtiani philoſophi diſcipulus, à Gallieno imperatore, cui fuit acceptisſimus, impetrare voluit, ut Campania urbs philoſophorum conderetur, nomine *Platonopoleos*: quam qvi habitarent, Platonis legibus uterentur. Sed hic conatus eſt impeditus: nec dogmata Platonica in toto orbe potuerunt unum oppidum invenire, in qvo traderentur, cum jam totus pene orbis Chriſti dogma recepiſſet inqve eo nobilisſimi quoqve philoſophorum. Memorabile imprimis & hoc eſt, quod in tam diverſis philoſophorum ſectis de Deo ejusqve providentia in diverſas itum ſit ſententias. *Athei*, interq; eos *Protagoras*, *Diagoras Chius*, *Theodorus Cyrenæus*, Deum prorſus negarunt: quanquam factum, ut multi, qui ἀθεότητος damnabantur innocentiores fuerint illis, à quibus damnabantur: qvia, dum cum Socrate negabant, divinitatem iis rebus ineſſe, qvas alii pro Deo colunt, accuſabantur impietatis, cujus magis rei erant accuſatores. *Epicuræi* Deum fatebantur, ſed eum citra providentiam dixerunt in perpetua quiete locatum. *Peripatetici* non prorſus otioſum rati DEUM, primum illi primi cœli raptum tribuebant, ſupremoque cœlorum orbi ſic alligatum putabant, ut à cura aliarum rerum ſemotus, nihil norit, niſi ſe & ſua; omnia vero alia ignoret, aut, ſi novit, per eminentiam ſaltem, dum ſe intuetur, ea cognoſcat i. e. revera ignoret, & curam rerum ſublunarium, neſcio qvi-

qvibus λόγοις ὀυσίας ſeu ſpecificis & æternis formis permittat. *Stoici* mentem per totũ mundũ diffuſam vocabant Deum, πρόνοιαν, ἀνάγκην ſeu neceſſitatem, εἱμαρμένην ſeu fatum & fatalẽ atq; immutabilẽ cauſarum æternarum continuationem. Et hanc divinam mentem cenſebant ſic conſpicuis naturæ partibus coaluiſſe, ut unũ inde conſtituatur animal, & mundus poſſit vocari Deus, Deus mundus. Etſi autem omnes Stoici docebant, mentem divinam fatali ordine & inevitabili rerum & actionum neceſſitate devinciri: inter ſe tamen diſſentiebant, ſi quærebatur, *an Deus futurorum eſſet præſcius.* Alii enim cum *Chryſippo* & *Cicerone* ea, quæ à voluntatis humanæ libertate pendẽt fato, eximebant, & hæc, qvia ſint contingentia, à Deo præſciri negabant: alii *cum Diodoro* nihil omnino fieri dicebant, quod non ſit neceſſe, &, quicquid præſcit Deus futurum, ideo præſcire, quia ille decrevit, & propterea omnia etiam de futuro fieri neceſſario. Hæc ideo recenſui, ut intelligatur, easdem controverſas olim inter philoſophos agitatas eſſe, in quibus jam occupantur *ſchola Reformatorum*, dum aliqui eorum defendunt nihil Deum præſcire, quod non decreverit, adeoque etiam mala eundem decreviſſe. Longe ſanior *Plato*, qui non permiſit quenquam hoc defendere in ſua civitate, quod Deus bonus cauſa mali dicatur. Illud hic monendum, *quod ſubinde paganæ ſuperſtitioni, ex eccleſiis eliminatæ, denuo locus in illis quæſitus & multis in rebus obtentus ſit.* Dum enim epiſcopi multa gentilium inſtituta mores & feſta, etſi quodammodo ad Chriſtianam fidem emendata, putabant in ſacris ſuis retinenda, ut cum ferias gentilium Deorum in celebritates ſanctorum martyrum mutabant, flaminesque eorum ſuis veſtimentis & ritibus, ut facilius plebem ſibi devincirent, imitabantur; dum etiam plebs ultro in ſuperſtitionem propendebat, ſive ſortilegia eſſent inſtituenda, ſive vota ad fontes & arbores reddenda, ſive phylacteria dæmoniaca & characteres incogniti appendendi: ſæpe majoris profani æſtimabantur ritus, quam Chriſti fides, ut de his omnibus conqueritur *Auguſtinus ſerm. CXV. de temp.* Hinc factum eſt, ut lux veritatis & pietatis tandem multis modis à nebulis dudum ad Orcum damnatis iterum ſit obſcurata. Purgatorium Platonicorum & poetarum iterum incaluit: Intelligentiæ cœlorum & angeli denuo ſunt adorati: defuncti in vota vocati: opera providentiæ Dei inter eos diſtributa: conſilia ab illis rogata: aquis luſtralibus, flagellationibus proprii corporis, religioſorum & monachorum meritis, proceſſionibus in diebus ſupplicationum pompoſis, imaginum cultu, ſacris imaginibus & cereis luſtrationis cauſa excitatis,

verus

verus Dei cultus horrendum depravatus. Cui impietati quod tandem Deus per Lutherum voluerit modum ponere, id inter maxima Dei beneficia reputamus.

JUDÆOS quod attinet, libro ſuperiore jam diximus, quibusnam fatis tempore Chriſtianorum uſi ſint. Id hic præprimis notamus, tempore apoſtolorum alios dictos eſſe *κατ᾽ ἐξοχὴν Hebræos*, qui in Palæſtina & Hieroſolymis commorabantur: alios fuiſſe *ex reliquiis eorum Iſraelitarum*, qui à Salmanaſſare, rege Aſſyriorum, abducti ſunt, *deq; quibus diximus lib. 1. ſect. 2. q. 35.* (forte ſunt ſtirps illorum, quorum adhuc in Sinis ſynagogæ aliquot eſſe dicuntur, ubi ignoratur nomen Judæorum & lectio Bibliorum cum punctis) alios *διασπορᾶς ſeu diſperſionis Babylonicæ*, ex reliquiis eorum qui à Nebucadnezare abducti, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, malebant inter gentes commorari, qvam Hieroſolyma reverti & paraphraſi Chaldaica Onkeli utebantur. alios *διασπορᾶς ſeu diſperſiones Græcæ Joh. VII, 35.* qui inter Græcos diſperſi & peregrini, lectione LXX. interpretum uſi ab aliis tanqvam ſchiſmatici habebantur & hæretici. Cum Romani tandem, exciſis Hieroſolymis, Judæos ſuperſtites alio migrare juberent, *diſperſio eorum univerſalis per totum terrarum orbem eſt facta.* Sciendum interim eſt, qvod, antequam evertebantur Hieroſolyma à Romanis, Judæorum regiones diſtribuebantur in *Galilæam, Samariam & Judæam. Galilæa* Libano contigua, dividebatur in *ſuperiorem ſeu gentium, & in inferiorem ſeu Tiberiados*, in qva Nazareth, patria Salvatoris. Tempore Herodis dividebatur regnum illud, qvod dicebatur Judæorum, in *quatuor tetrarchias*; quarum *una* erat Judæa; *altera* Samaria; *tertia* Galilæa & Petræa, *quarta* Trachonitis & Ituræa: quarum *illa* complectebatur montana Gileadi. Hermonis & Antilibani, cujus partes Auranitis & Batanæa; *hæc* continebat Chalcyden, unde etiam dicta eſt Chalcydene. *His ſuis terris ejecti Judæi*, quomodo ſub Trajano & Adriano magnis acti furoribus, patriam amiſſam recuperare fruſtra ſint annixi; quomodo à Juliano fruſtra ad inſtaurationem exciſi templi invitati, quomodo fruſtra ab impoſtoribus, nomen Meſſiæ ſibi vendicantibus, ad libertatem multoties vocati, *diximus ſuperiore libro ſect. 1. q. 55.* Id inprimis obſervandum qvod, *docente G. Hornio in antiqua Geographia*, ſexto ſeculo ineunte *rex Jemenis* ſeu *Arabiæ felicis*, qvam *Sabæi & Hamyaritæ* ſeu *Homeritæ* incolunt, amplexus ſit Judaiſmum. Cujus ſucceſſor *Dunawas*, Procopio *Dunaas Judæus*, cum infenſe perſequeretur Chriſtianos, ægrè id tulit *Hellesthæus*, Æthiopum Abyſſinorum im-

Gentius in Hiſt. Judaic. Coccej. In Quæſt adv. Judæos. Majus in Theol. Judaic. Hulſ. in Theol. Jud. Fechtius de Eccleſ. Judaic. Benjam. Tudelenſ. in Itiner.

imperator, Chriſtiano nomini addictus. Hic ſe ex illis cenſebat oriundum regibus qui deſcendunt ex regina *Nicaule ſeu Nicanna*, qvæ cum Salomone amicitiam & connubia contraxit. Sed Arabes Abysſinis contradicunt, & reginam, quæ ad Salomonis ſapientiam cognoſcendam in Palæſtinam venit, dicunt fuiſſe reginam Arabiæ, nomine *Helkin*. Prædictus Helliſtanus, cauſam Chriſtianorum acturus, arma in Homeritas, in Arabia Judaizantes, convertit & eos evertit. Sic *Judaicum imperium*, de cujus latisſimis in Arabia limitibus Judæi multa fabulantur, cesſit Æthiopibus: qvos Procopius vocat Auxumitas, ab Auxumi, Abysſinorum metropoli. Homeritæ poſtea paulo ante Machometis tempora, à Perſis in regnum reſtituti ſunt, & deinde Alcoranum receperunt. Qvicunqve interea Judæi nomen Chriſti in imperio Romano deteſtabantur, & publice odium blasphemiis, aliisque ſceleribus in Chriſtianos declarabant, ſubinde ex diverſis regnis emigrare jusſi ſunt. *Seculo VII.* Phocas eos ejecit Antiochia; Heraclius Hieroſolymis, ubi poteſtatem habitandi recuperarant; reges Hiſpaniæ, juxta Concilii Toletani VI. decretum, ex Hiſpania. *Seculo IX.* Nauclerus refert, Judæum in Syria imaginem Chriſti lancea ſuffodiſſe, unde ſanguis profluxit uberrime: multosque Judæorum ad id miraculum fuiſſe converſos. *Seculo XI.* cum ſacrum bellum adverſus Saracenos flagrabat, magna clades Judæorum in præcipuis Germaniæ oppidis eſt facta, qvod Saracenos de expeditione hac præmonuiſſent, & principi Babylonis fuiſſent autores, ut templum Hieroſolymorum deſtrueret. *Seculo XII.* ex Gallia & Anglia ſunt ejecti: &, ſi qvi ex illis ſubſtitere, poſtea ſine omni ſpe reditus jusſi ſunt emigrare. Quo ipſo tempore novus Pſeudo-Mesſias in Perſia, *David El David*, magna manu collecta, multis portentis fallacibus editis, Judæos libertati reddere volebat. Sed captus & capite plexus eſt; Judæi auro multati. *Seculo XIII.* in Navarræ regno ſex illorum millia ſunt interfecta, qvod cum aliis, ut imperatum fuerat, inde non emigraſſent. Ejecti ſunt eodem tempore ex Francia orientali, & è Noriberga, Moguntia & aliis Germaniæ civitatibus, ob infanticidia, depravationem monetæ, blasphemias, colluſiones cum Tartaris hoc ſeculo pernicioſa expeditione in Chriſtianorum orbem ſeſe infundentibus. *Seculo XIV.* ob eadem ſcelera ab Hiſpanis partim trucidati, partim interfecti ſunt. Et hæc eorum perſecutio magis adhuc *Seculo XV.* invaluit in Portugallia, Hungaria, Polonia, Italia, & Germania. *Nec deſunt cauſæ Chriſtianis, quare cohabitationem eorum fugiant.* Norunt, ſe ab illis vocari *Gojim, Idumæos; Minnios ſeu hæreti-*

reti-

reticos; ſuum Salvatorem illis eſſe *Mamzer* ſeu ſpurium & facinoroſum; ipſos ſibi laudi ducere, ſi nobis varia fraude imponant, nec cibum nobiscum capiant: ſæpe deprehenſos eſſe Chriſtianorum infantes enecaſſe, ut eorum ſanguine abuterentur. Paſſim tamen adhuc per orbis provincias vagantur, patria extorres: tamque frequentes alicubi ſunt, ut numerum illorum inire non liceat. In ſola Conſtantinopoli & Theſſalonica ultra ſexcenties mille dicuntur inveniri. Numeroſi etiam ſunt Alepi, Tripoli, Damaſci, in Rhodo, Perſia & Arabia apud Aſiaticos, ut & Alexandriæ, Cairi, Feſſæ & Marocci in Africa. In India etiam & in Tartaria non pauci deprehenduntur.

XLIII. Dimitterem te ad ſecundam eccleſiæ Chriſti ætatem, niſi de monachis, quorum jam aliquos inter hæreticos numeraſti, anſam quærendi ipſe ſuppeditaſſes. Dic igitur, num in hac prima eccleſiæ ætate monachi fuerint?

Non diffiteor, pleroſque apoſtolorum, ut in terrarum orbe circumeundo à familia non detinerentur, vitam tranſegiſſe cœlibem. Fateor, idem plures ſanctos viros feciſſe, qui in propagando evangelio adverſus tot imperatorum edicta occupati, à nexu conjugali abſtinuerunt. Qvin & nonnullos, in ſilvas & loca deſerta digreſſos, aut vim Chriſtianis intentatam declinaſſe, aut ſcholis apertis diſcipulos erudiiſſe non nego. Sed nullos, niſi peſſimos hæreticos, conjugium & ſocialem vitam, tanqvam rem Deo minus placentem, odiſſe, aut in meritis operum monachalium ſalutem quæſiiſſe, ſonore conteſtor, & ſi quis raſorum monachorum diverſum ſentit, (ſentiunt autem omnes) facile evincam. Infelix autem error *Encratitarum, Hierachitarum*, *Manichæorum & Apoſtolorum hæreticorum*, pedetentim irrepſit in eccleſiam: quæ, cœlibatum ſuperſtitioſum, & externam nonnullorum ſanctitatem, nimium admirata, monachos, qvi hactenus in locis ſemotis, aut perſecutionibus pulſi, aut religione nusquam imperata exardeſcentes, ſubſtiterant, & ritus partim hypocriticos, partim hæreticos amplecti cœperant, in urbes recepit. Qvo tamen ipſo ſalus communis qværi videbatur. *Monaſteria* enim prima non erant latibula ignavorum fucorum, & ventri deditorum hominum, ut hactenus pleraque fuerunt, ſed in illis, tanquam ſcholis theologicis & philoſophicis, juventus erudiebatur, ut ſemper in promtu eſſent, qvi ecde-

Hoſpin. de Orig. & Progr. Monachat. Caſpar. Finkius de Monach. VVolfius in Lection. Memorabilib. Dorſch. in Parall. Monaſt. & Acad.

cleſiis præficerentur. Videri de hac re poteſt *Auguſtinus*, qui *libro primo de moribus eccleſiæ catholicæ* deſcribit primævam pietatem *I. Eremitarum ſeu anachoretarum*, quorum in tantum proceſſiſſe dicit temperantiam & continentiam, ut reſtringenda nonnullis, & quaſi ad humanos fines revocanda videretur, *II. Monachorum ſeu cœnobitarum*, ſub decanis & patribus. quorum ut minimum, diei tempore extremo, dum adhuc jejuni erant, terna millia ad ſingulos patres audiendos conveniebant. *III. Monacharum*, quæ lanificio corpus exercebant ac ſuſtentabant, veſteſque fratribus tradebant, ut ab iis viciſſim, quorum ad victum uſus eſt, acciperent. *IV. Clericorum ſeu presbyterorum & diaconorum*, qui in templo ſacris præerant. *V. Eorum, qui in civitate ſimul vivebant ſub uno presbytero*, & jejuniis incredibilibus per triduum vel amplius ſeſe exercebant. *Hieronymus* in Epiſtola XXII. ad Euſtochium *cœnobitas in Ægypto*, ex communi viventes, dicit vocatos fuiſſe *Sanſes*; qvi ſoli habitarunt per deſerta, *Anachoretas*; qui bini & terni in urbibus de eo, quod laborando acqviſivere, in communi vivebant, *Remebotbos*. Recte Cuſpinianus: *In cœnobiis optimæ artes docebantur: erudiebantur fratres in virtutibus ac diſciplinis: vitam vivebant honeſtam & ſanctam: omnis conatus erat in adipiſcenda ſimul eruditione ac tranquillitate. Sed inſtitutum humanum mox inhumana excepit oſcitantia & negligentia, & in tot inutilia terræ pondera theſauri regum & æraria regnorum erogabantur, miriſque artibus extorquebantur.* Evagrius adhuc aliter monachorum genera diſpeſcit, & aliqvos nominat *Cœnobitas*, qvi gregatim una viventes, nihilque certi poſſidentes, ita omnia habuerunt communia ut, qua veſte hic uſus eſſet heri, eadem hodie alius uteretur: alios *Eremitas ſeu Anachoritas*, qui aut ſub dio cum feris verſabantur, aut ſe ſolos parvis caſis includebant, in quibus ſeſe neque erigere, neque cubare commodum potuerunt; nonnullos *Pabulatores*, qui prorſus naturam humanam exuentes, aſpectu horridi, veri miſanthropi, tantum, quæ natura tecta eſſe voluit, obtexerunt, cætera nudi, inque ſolitudinibus vagati, radiculas & herbas in cibum quæſierunt; *Circulares* denique, ἀπαθεῖς dictos, qui (ut hoc modo inanem gloriam, ceu, dixerunt, conculcarent) geſticulationibus quibusdam inſaniam ſimulantes, cum in locis deſertis habitum virtutis acquiſiiſſe ſibi videbantur, ad ſeculum, ut Evagrii utar vocabulo, redierunt, & ad omnes vitæ delitias ἀναιϛθησίαν & indolentiam præ ſe tulerunt. *Athanaſius in epiſtola ad Dracontium ait*, ſe noviſſe monachos conjuges, & liberorum patres, ne putemus, primos monachos tam ſiniſtrè de conjugio judi-

judicaſſe. Videatur de monachis *Caſſianus, Seb. Francus, Franciſcus Modius, Lonicerus, Hoſpinianus imprimis, qui lib. 3. de origine monachatus cap. 11.* demonſtrat, pleroſque illos monachos, quos Evagrius cœnobitas vocat, quique potiſſimum in oriente ab anno CC .. ad IↃXXX inter ſodalitates commendabant cœlibatum, fuiſſe *Anthropomorphitas, Audæanos, Eutychianos, Macedonianos, Gnoſticos.* Quæ cauſa eſt, ut, cum Hieronymus ſciret, Ruffinum ſcripſiſſe de monachis librum, id ei teſtimonium daret *epiſtola ad Cteſiphontem adverſus Pelagianos cap. 2.* multos ab eo eſſe enumeratos, qui nunquam fuerunt, & quos fuiſſe ſcribit, Origeniſtas ab epiſcopis damnatos eſſe. Quod tamen dum dico, illorum in oriente monachorum pietatem, *quos à variis miraculis deſcribit Sulpitius Severus*, non improbo. Interim mores locuſtarum monachalium, quas Cranzius dicit principibus fuiſſe mures in pera, egregiè apud Henricum Cornelium Agrippam depictos vide. *Malefica*, inquit, *religionis ſpecie divorum, ut ajunt, reliquias circumferentes, aut inſidioſa ſanctitate pietatem præ ſe ferentes, cum multis confictorum miraculorum appendicibus, Divorum iras comminantes, indulgentias & diſpenſationes pollicentes, eleemoſynarum prætextu venantur divitias: atq; provincias peragrantes, ab incautis ruſticis ac credulis mulierculis ſuperſtitioſe attonitis, ovem, agnum, hœdum, vitulum, porcum, pernas, vinum, oleum, butyrum, triticum, legumina, lac, caſeos, ova, gallinas, lanam, linum, etiam pecuniam corrodentes, univerſam regionem deprædantur, ac onuſti opimis ſpoliis domum redeunt, ubi à ſuis magno cum applauſu accipiuntur.* Rectè ille:

Credibile eſt, Circen mutaſſe potentibus herbis;
In monachosq; ſues, inq; ſues monachos.

Sed hac navigatione feliciter finita, cymbam porro cum Deo ad fata eccleſiæ Chriſti ſub impp. Chriſtianis conſideranda vertemus.

SECTIO ALTERA
LIBRI SECUNDI
DE ECCLESIA CHRISTI
ſub imperatoribus orientalibus usque ad Carolum M.

QVÆSTIO I.

Qvod igitur felix fauſtumque ſit, quænam fuerit facies eccleſiæ ſub impp. orientalibus ad Carolum usqve Magnum, porro explica.

APoſtolos verbum evangelii in univerſum orbem diſſeminaſſe, & eccleſias ab iis pasſim lqcorum in Aſia, Africa & Europa fundatas eſſe, tam certum eſt, quam quod certisſimum. Inſtaurationibus tamen eccleſiæ, quas inconverſi undiquaque cingebant, ſubinde indiguerunt. Ideoque ab epiſcopis mittebantur, qvi, ſi qvæ gentes doctrinam fidei ab apoſtolis propoſitam aut non recepiſſent, aut receptam neglexiſſent, eas ad ovile Chriſti congregarent, & cœtum piorum indies augerent. Quo quidem in opere non plus valuit autoritas epiſcopi Romani, quam quorumvis aliorum. Nam etſi nonnulli populi leguntur à Romana eccleſia, ut eruditi ac pii doctores ſibi mitterentur, petiiſſe; idem tamen ab aliarum etiam eccleſiarum epiſcopis multos petiiſſe, extra dubium eſt. Nam Indi atque Arabes à *Demetrio*, epiſcopo Alexandrino, doctorem accerſierunt: quorum illis miſit *Pantænum*; his *Origenem*: utrumque clarisſimum ſcholæ Alexandrinæ antiſtitem. Cumque *ſecundum Theodoretum lib. 1. cap. 22. & Sozomenum lib. 2. cap. 24. Frümentius & Ædeſius*, *Tyrii* mercatores, Indos ulteriores ad fidem capeſſendam aptos invenirent, ut illis doctor mitteretur, nõ adiere Romanum epiſcopum, ſed Athanaſium Alexandrinum. Ipſe Conſtantinus Imp. in eccleſiæ gremium jam receptus, totum orbem ad Chriſtianam adducere religionem cupiens, *dicente Sozom. lib 2. cap. 5.* doctores pasſim per oppida cum edictis miſit, qui innumeras animas ad Chriſtum adduxerunt. *Bacurius*, rex Iberorum, ultra Armenios ad Arcton & Pontum Euxinum, pietate captivæ mulieris Chriſtianæ inductus, quæ precibus reginam à morbo difficili liberaverat, & aliis miraculis commendaverat

verat fidem Chriſtianam, ut religio noſtra in ſuis terris doceretur, non ad epiſcopum Romanum, ſed ad imperatorem Conſtantinum nuncios ablegavit, per quos ſibi animarum paſtores impetraret. *Ruffin. lib. 1. c. 10. Sozom. lib. 2. c. 6. Theodor. lib. 1. cap. 23.* Idem fecit *Adad*, Amuzitarum rex in India, ceu vocant, Æthiopiæ: qui cum regem vicinum, Romanis mercatoribus tranſitum negantem, bello ſuperaſſet, voto, qvo ſe ante prælium Chriſti fidem promiſerat recepturum, ſatisfacturus, non ad epiſcopum Romanum, ſed ad Juſtinianum imp. legatos miſit, doctoresqve impetravit, *ceu narrant Magdeburgenſes Cent. 6. cap. 2. ex Paul. Diac. lib. 16.* Sic *Fritigil*, regis Marcomannorum uxor, ſuæ ſalutis ſatagens, ab Ambroſio petiit ſibi capita fidei deſignari.

II. Si recte conjicio, cum perſecutionibus eccleſia non amplius turbabatur, magna incrementa lux veritatis ſumſit.

Illo tempore, quo Conſtantinus M. ad fidem converſus eſt, florentiſſimæ jam erant ubiqve fundatæ eccleſiæ. Nec Aſia ſaltem & Africa in regno Chriſti læta paſcebatur: ſed & in Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, in ipſa etiã Scythia, & in inſulis maris, veritas cœleſtis invenerat amatores, doctores, propagatores, martyres. Quin & noſtram Germaniam fidem jam agnoviſſe, cum ex aliis ſcriptoribus, tum ex *Tertulliano* certum eſt, qui *in lib. cont. Jud.* eccleſiarum Germaniæ, Sarmatiæ & Dacorum meminit. Idem teſtatur *Sozomenus lib. 2. cap. 6.* qui gentes ad Rhenum, Celtas & Galatas ad oceanum, & Gothos ad Iſtrum converſas eſſe dicit: presbyteros enim Chriſtianos, in expeditionibus barbarorum captos, cum vitæ pietate & variis miraculis animos eorum perculiſſent, ad abjicienda idola eos permoviſſe. Sed qvamprimum Conſtantinus non tam conceſſit, quam præcepit religionem, tanqvam ex Ægypto ſpirituali egreſſa triumphabat eccleſia. Patriis idolis confractis magno numero ad baptiſmum Chriſti ſuſcipiendum currebatur: adeo, ut eo anno, quo imperator ſuſcepit baptiſmum, duodecim etiam millia virorũ qvi baptiſati ſunt, præter mulieres & pueros, in rationem regenerationis ſint relata, *ut teſtatur Nicephorus lib. 7. cap. 24. Indi* quoque illi, qui ſuperioribus ſeculis nondum nomen Chriſto dederant, à duobus Tyriis, *Ædeſio & Frumentio*, ut jam diximus, qui à barbaris pueri capti, in aula regia in magno pretio eſſe cœperunt, fidem didicerunt. Nam cum illi Tyrum fuiſſent reverſi, patriæ deſiderio capti, Ædeſio quidem apud ſuos ſubſti-

Lanctant. lib. 7. Div. Inſtit. c. 26 Sulpit. Sever. l. 2 Hiſt. Sacr. c. 48 Euſeb. lib. 9. Hiſt. Eccl. c. 9. & in vita Conſt. l. 1. c. 22. item in Orat de laudib. Conſtantini. Oroſ. l. 7. cap. 26 Sozom. l. 1 Hiſt. Eccl. c. 3. Socr. L. 1. Hiſt. Eccl. c. 1. Zonaras Tom. 3. p. 1. Niceph. l. 7. Hiſt Eccl. cap 30. & 40.

tit: Frumentius vero, poteſtate docendi & dignitate epiſcopali ab Athanaſio accepta, in Indiam rediit: & ſic, quos doctrina non potuit, miraculis apoſtolicis, divinitus ſibi conceſſis, demulſit. Hinc videre eſt, variis occaſionibus ad gentes alliciendas uſam eſſe eccleſiam. Jam per feminas, jam per pueros, quod diximus, apertum eſt apud barbaras gentes evangelio oſtium. Sub Valente imp. *duo Macarii*, Ægyptius & Alexandrinus, inſulam Paludium, in quam relegati fuerant, exilio in honorem Chriſti uſi, à dæmonum cultu avocarunt. *Ruffin. lib. 2. cap. 4. Socr. lib. 4. cap. 24. Saracenos, Syros & Perſas*, pietate monachorum, qui locum ſolitudinis apud eos elegerant, perſuaſos, in eccleſiam introiiſſe, teſtantur iidem autores, *Sozom. lib. 6. cap. 34. & 38. & Socrat. lib. 4. cap. 34.* Victor *lib. 1. in Vandal. perſec.* narrat, *incolas Mauritaniæ* per eos, quibus igni & aqva alibi locorum interdictum fuerat, ad Chriſti cognitionem eſſe deductos. Nonnulli plagis correpti, in amorem Chriſti pertracti ſunt. Nam Gothorum dux, *Fridigernus*, cum adverſus Athalaricum à Valente imp. auxiliares copias impetraſſet, non ſaltem victoriam adverſus hoſtes, ſed & gratiam baptiſmi, quanquam ſecundum ritus Arianorum, cum ſuis obtinuit. *Socrat. lib. 4. cap. 34.* Nilo immodice effuſo, Ægyptii ad aſylum pietatis confugerunt. *Socrat. lib. 7. cap. 20.* Cum *Burgundiones* à vicinis Hunnis graviter premerentur, & præſidiis humanis deſtituti, de numine conſultarent, cui ſe potisſimum addicerent, Chriſtianorum Deum reliqvis idolis prætulerunt *Socr. lib 8. cap. 30.* Idem legimus de *Clodoreo*, Francorum rege, qvi, cum ab Alemannis in fugam verſus, uxoris ſuæ Chrotildis ſvaſu hoc ſe voto adſtringeret, ut, ſi victor evaderet, ſacra Chriſtiana ſe ſecuturum ſtipularetur, egregia potitus victoria, regno Chriſti initiatus eſt, *Sigbert. in Anaſt. circa A.C. 499.* Ipſi *Judæi* ſub Theodoſii juniore, à Moſe Cretenſi miris modis illuſi, cum in præſens vitæ diſcrimen, ex locis abruptis in præcipitium ruentes, adducti eſſent, fidem noſtram magno numero amplexati ſunt. *Niceph. lib. 44. cap. 11.* Sic cum ſecundum annales Anglicos, apud *auſtrales Saxones*, pluviam, qvæ toto triennio terram non irrigarat, *Filfridus* precibus impetraſſet, lux veritatis jam ludum illic locorum obſoleta, denuo reſplenduit, novis aucta viribus. Acceſſit & alia cauſa ampliandi regni Chriſti, ardor videlicet plurimorum theologorum, qui amore religionis vita neglecta, incitati, ad longe disſitos populos egresſi, remp. Chriſtianam præclaro facinore auxerunt. In quorum numerum refer *Ninianum & Palladium*, qui Pictos ſeu Scotos converterunt: *Severinum*, apoſtolum Noricorum; *Rupertum*,

qvi

qvi Boiis cœleſtis doctrinæ myſteria expoſuit; *Amandum Gallum*, qvi Gandavis & Flandris; *Chilenum Scotum*, qvi Atrebatenſibus.

III. Videtur igitur eccleſia Chriſti ſub Impp. orientalibus Græcis meliori fortuna uſa, quam hactenus factum.

Conſtantini M. pater *Conſtantius*, etſi adhuc paganus, jam ſecundum Sozomenum permiſerat poteſtatem Chriſtianis libere exercendi religionem: eosque magni fecit, qui ſpe lucri nollent à cultu Chriſti ad idola reverti. Ipſe *Conſtantinus M.* dubius, quemnam Deum ſibi potiſſimum in prælio adverſus Magnentium eligeret tutorem, cum columnam lucidam crucis ſpecie paulo poſt meridiem cum hac inſcriptione: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, i.e. IN HOC VINCE: cum toto exercitu vidiſſet, monitus à Chriſto in inſomniis, omni idolorum cultu ejurato, labarum ſeu vexillum militare in forma crucis, ita ut decuſſatæ literæ X. litera Græca P. interjiceretur, fieri curavit: &, Magnentio fugato, libertatem & pacem eccleſiæ ſolidam anno CCCXII. peperit, legesqve de templis idolorum claudendis aut Chriſto dicandis & amplificandis; de fide propaganda; de ingenuis per tyrannidem ſervituti ſubjectis in libertatem vindicandis; de Chriſtianis exulibus & ad metalla damnatis revocandis; de aruſpicibus à congreſſu in privatis ædibus arcendis; de extis non inſpiciendis; de præſulibus eccleſiarum à publicis oneribus liberandis; de diſſidiis epiſcoporum dirimendis; de catamitis & exoletis, ſeu pueris Sodomiticis tollendis promulgavit, & variis beneficiis, regiaque munificentia, pauperes, epiſcopos adeoque omnes Chriſtianos affecit. Interim id, quod *de donatione Conſtantini adulatores* pontificis Romani hactenus effutierunt, ipſi eorum doctores, *Marſilius Patavinus, Petrus de Vineis, Dantes, Æneas Sylvius*, poſtea Papa Pius II. *Laurentius Valla, Cuſanus, Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, Aventinus*, & alii, tam frivolum eſſe demonſtrarunt, ut ipſos etiam Papæ ſervos, quibus acetum eſt in pectore, jam pudeat, eam in ſcenam producere. Qvamquam enim in decretis pontificum, inſtrumentum hujus donationis legitur: antea tamen in antiquis decretis non habebatur: & nunc etiam inſcriptio arguit, Paleæ eſſe, commentatoris nempe alicujus, & vere, tanquam paleam, illis inſertum. Sed hæc palea multum grani attulit Romanæ curiæ. Eccleſia interim, tyrannorum ſævitiæ ſubtracta, paululum reſpirans, quanquam numeroſa doctorum ſtrenuorum cohors vineam Domini excolebat, ſta-

Aurel. Vict. de Cæſaribus in Conſt. M. Euſeb. lib. 2. de Vit. Conſt. cap. 5. 3. c. 49. & lib. 4. c. 57. Socrat. lib. 1. cap. 12.

Laur. Valla de Donat. Conſt. Robert. Cocus in Cenſura Patrum pag. 170. & ſeqq. ad 179. Gualther in Diatr. Elencht. de Donat. Conſt. Magni Herm. Conringius & alii.

tim *à factione Ariana*, aulicis armata furiis, vehementiſſime concuſſa eſt. Ipſum Conſtantinum ſoror, *Conſtantia*, à presbytero Ariano ſeducta, ab orthodoxa fide quodammodo retraxit, ut, Athanaſium inſectatus, Arii reſtitutionem promoveret. Quæ turbæ cum per Nicænum concilium ſedatæ gravius orthodoxos vexavit Conſtantini filius, *Conſtantius*. Qvietos paulisper *Julianus* apoſtata paulo poſt nova tyrannide conturbavit. Sed & illud vulnus facile coaluit: donec barbaræ gentes, partim ab Arianis, partim à ſacrificulis dementatæ, in præcipuas orbis partes, ipſamq; Romam ſe effunderent. Cum imperatores orbi afflictæ non poſſent voto ſuccurrere: novis conſiliis epiſcopi Romani uſi, novam ſibi arrogarunt autoritatem, & prima ſui primatus & excellentiæ ſuper omnes alios epiſcopos ſemina ſparſerunt. Sic eccleſia tandem Antichriſtum ſeculo V. intra viſcera recepit, eumque veluti maturum fœtum ſub Phoca edidit. Quo quidem tempore, cum ritus & ceremoniæ jam magni fieri; doctrina de virium humanarum in negotio ſalutis infirmitate, deq; lege & juſtificatione obſcurari; regius dominatus in eccleſia affectari; magnus ſanctorum numerus ad cultum proſtitui; & ſic *Antichriſtus in occidente* ſub nomine Chriſti ſeſe oſtentare cœpiſſet: alter ſimul *Antichriſtus in oriente*, abjecto Chriſti nomine, venenum ſuum primo decennio occulte ſparſit, idemque deinde, magno hominum ad ſe concurſu facto, armis toti orienti propinavit: imperatoribus Conſtantinopolitanis interea ſalutem publicam negligentibus, & in cœno voluptatum ſeſe volutantibus. Nec tamen Chriſtus prorſus defuit ſuæ eccleſiæ: ſed, cum regnum ſuum ab indignis translaturus, præcipuas Aſiæ & Africæ provincias, ipſam etiam Græciam & Thraciam, multasqve Galliæ & Hiſpaniæ partes, blasphemiis Machometis & truculentiæ Saracenorum reliqviſſet, novos ſubinde cives in ſeptentrionalibus populis ſcribi curavit, & in multis Germaniæ locis, quæ ob penuriam doctorum, gentisqve ferocitatem, ſemina evangelii ſusqve deqve hactenus habuerant, lucem clariſſimam accendit. *Reges* enim *Franciæ*, cum Saxones, Friſios, Holſatos. Dithmarſos, Ungaros & multos alios, perſuaſionibus non poſſent, armis compulſos Chriſto lucrati ſunt. Qua ipſa tamen in re non ſatis caute egiſſe, nec à myſterio iniquitatis ſibi ſatis caviſſe viſi ſunt. Romani enim pontifices, ſub prætextu evangelii, plurimas eccleſias ſuo jugo ſubjecerunt, & ſub velamento pietatis, caritatis & εὐσχημοσύνης, ſuo charactere inſignierunt,

IV. Ta-

IV. Tu vero, ut facies eccleſiæ, quamdiu ſub imperatoribus in oriente res Romanæ adminiſtrabantur, mibi rectius innoteſcat, enumera quæſo primo loco doctores, tanquam gregis paſtores, & quidem ab iis, qui ſeculo IV. floruerunt, exordire.

Seculo IV. religio Chriſtiana ſumſit incrementa in multis Judææ & Scythiæ partibus, in Iberia: apud inſulanos quosdam, à Macariis, Ægyptio & Hieroſolymitano, converſos: apud Gothos ab Ulphila baptiſatos, ſed ſimul errore Ariano infectos. Inter præcipuos hujus ſeculi doctores occurrit primo loco, circa ipſum Chriſti nati annum trecenteſimum,

ARNOBIUS, Afer, rhetor primum, deinde ſomniis nocturnis, *ceu dicit Hieronymus in chronico*, ad nomen Chriſtianæ profeſsioni dandum impulſus. Hic, cum ob odium, quo in religionem exarſiſſe ante viſus fuerat, ſuſpectus eſſet, egregiis libris numero ſeptem, tanquam teſtibus non ſimulatæ fidei, quos adhuc manibus premimus, adverſus Porphyrium & alios philoſophos gentiles depugnavit, brevesqve omnium pſalmorum enarrationes eccleſiæ reliquit: quas tamen aliqui non hujus Arnobii, ſed alterius ejusdem nominis eſſe cenſent qui conflictum cum Serapione de Deo, Chriſto & gratia, in duos libros diſtinctum, ſcripſit.

Arnob. adv. Gent. lib. 2. Hieron de Scriptor. Eccl. c. 79. & in Epiſt. ad Paulin. Ruffin. l. 2. c. 10. Theod. l. 1 Hiſt. Eccl. c. 22. Magdeb. Cent. 4. c. 10. p. 1067. Oſiand. Cent. ead. l. 2. c. 24. p. 172.

LACTANTIUS, alius Lucius Cœlius Firmianus, Italus, an Afer, & ipſe rhetor atque philoſophus, Arnobii diſcipulus, à lacteo Tullianæ eloquentiæ flumine vocatus, cum Nicomediæ, ubi Rhetoricam docebat, à Diocletiano evocatus, auditorum frequentia deſtitueretur, animum ad ſcribendum appulit, & pio, fortique auſu adverſus gentes VII. libros divinarum inſtitutionum, & alia quædam opuſcula de ira Dei, deque Dei opificio, & aliis rebus, ingenti animo edidit, ita pauper, *ceu teſtatur Euſebius in Chronico*, ut etiam neceſſariis plerumque indiguerit. Tandem ſenex in Gallia docuit, & magiſter Criſpo, Conſtantini M. filio, præfectus eſt. Hieronymus de eo hoc fert judicium, quod felicius aliena deſtruxerit, quam noſtra confirmaverit. Multi cenſent, eum nec perſonam, nec officium filii Dei unquam ſatis intellexiſſe. Fragilem enim eſſe hominem à Deo creatum ſcripſit: animas noſtras ſimul creatas in corpora demitti credidit: peccata largitione aboleri tradidit: Chiliaſtarum errorem ſtabilivit.

Lactant. lib. 5. Iuſtit. cap. 2. & 3. Euſ. in Chron. n. 2334. Hieronym. in Catal. Scriptor. Illuſtr. cap. 80. in Epiſt. ad Paul. 32. Fraſculf. 3. l. c. 15. & 21. Magdeb. loc. cit. p. 1076. Oſiand. Cent. ead. lib. 1. cap. 31. pag. 63. & ſeqq.

EUSTATHIUS à patribus concilii Nicæni (cujus acta deſcripſit, Hier. in Catal.

ſed

Theodoret. l. 1. Hiſt Eccl. cap. 7. Sozom. lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 2. & 19. Athanaſ. ad vitam ſolit. agent. Magd. Cent. 4. c. 10. p. 881. Oſiand. ead Cent Lib. 2. c. 17. pag. 135.

ſed libris jam amiſſis, ab antiquitate maximi habitis) invitus ac repugnans epiſcopus Antiochenus eſt conſtitutus, & magno ſtudio Arianorum furori reſtitit. Sed hæretici fictis de ejus ſtupris & conſenſu cum Sabellio delationibus id egere, ut damnatus in Illyricum deportaretur. Cum tamen ejus innocentia omnibus poſtea innotuiſſet, epiſcopali ſedi eſt reſtitutus. Sed paulo poſt quaſi in matrem Imperatoris fuiſſet contumelioſus, Arianorum violentia ſub Conſtantio iterum relegatus eſt. Rediit denuo, malevolis fruſtra renitentibus. Valens, Arianorum delationibus impulſus tertia vice in Thraciam eum deportari curavit, ubi etiam vir pius extremum diem obiit. Ab eo orthodoxi Antiochiæ vocati ſunt Euſtathiani, ut ab Arianis & Meletianis diſtinguerentur. *Vide quæſt. ſequentem IX.*

Theodoret. l. 2. Hiſt Eccl. c. 68. Sozom. lib. 4. c. 27. Theodoret. lib. 1. c. 10. & 29. Magd. Cent. 4. cap. 5. pag. 355. Oſiand. Cent. 4. lib. 3. cap. 53.

MELETIUS, in Euſtathii locum ab Arianis, qui ſuarum eum credebant partium, conſtitutus epiſcopus Antiochenus, cum in ſynodo Antiochena putaretur pro Arianis contra homouſios dicturus, magna cum parrheſia pro orthodoxis ſententiam dixit, & ob id à Conſtantio in exilium ejectus eſt. Sed à Gratiano dignitati reſtitutus, etſi Paulinus eum excludere conabatur, tam pie tamen & in omnium admiratione vixit, ut Theodoſius, ſomnii cujusdam occaſione, faciem ejus, quam nunquam viderat, agnoſcens, eum, ut patrem amplecteretur, idque in ſynodo Conſtantinopolitana, in qua cum omnium dolore mortalitatem explevit. *Videatur quæſtio IX ſubſequens, jam allegata.*

Socrat. l. 3. Hiſt. Eccl. cap. 6 Lib. 4. c. 2. & lib. 5. c. 5. Sozom. lib. 6. c. 7. & lib 7. c. 3. Ruffin. l. 2. c. 21. Theodoret lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 23. Magd. Cent. 4. c. 10. p. 893. Oſiand. Cent. ead lib. 3. c. 32. pag. 357.

PAULINUS, in ſchiſmate, multis diſſentientibus, epiſcopus Antiochenus electus, etſi eximia fulſit gravitate & fide, inque fide orthodoxa Arianis fortiter reſtitit: diſſidiis tamen variis, quibus eccleſia Antiochena diu fatigata eſt, occaſionem dedit. Dum enim Meletium, ab exilio reducem, tanquam ab Arianis ordinatum, averſaretur, pars plebis adhæſit Meletio; pars Paulino. Defuncto vero Meletio; quanquam ejus ſectatores, quos factioſo vocabulo appellabant Meletianos, & univerſus populus, ex conventione Paulo ante facta, Paulinum ſequi debebat: Flaviano tamen, viro de rep. Chriſtiana contra Arianos bene merito, epiſcopatus traditus eſt. Vicinarum eccleſiarum epiſcopi in diverſum abierunt: nonnullis, inter quos Romanus, Paulino; aliis Flaviano faventibus. Litem tandem Theodoſius feliciter compoſuit. Sed Paulinus brevi deinde lecto affixus, cum eſſet moriturus, novis litibus præbuit occaſionem. Nam contra canones, non accerſitis aliis epiſcopis, auſus eſt Evagrium ſucceſſorem conſtituere; qui tamen bre-

brevi admodum tempore epiſcopatu functus obiit. *Videatur quæſtio IX.*

HOSIUS, Cordubenſis in Hiſpania epiſcopus, quem Auguſtinus *patrem epiſcoporum & vere ὅσιον & orthodoxum* nominat, ſtigmatibus & notis ſub Diocletiano pro fide Chriſti acceptis clarus, & Conſtantino carus: ablegatus primum ab imperatoribus in Ægyptum, ad componenda disſidia Ariana; deinde in orientem ad ſchiſma de feſto paſchatos recrudeſcens ſedandum. Poſt ſumma cum laude interfuit cum Nicænæ, tum aliis ſynodis, & Athanaſii cauſam adverſus Arianos tam ſtrenue egit, ut recte dixerit Athanaſius: *In qua ſynodo ille non dux & antesignanus fuit? Quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ eccleſiæ illius præſidentiæ non pulcerrima monumenta retinet? Quis illum mœſtus adiit, ut non lætus abieru?* Tantus tamen vir, cum tormenta, ſenex infirmus centenario major, annuo exilio fractus, perferre non valeret, Arianæ tandẽ fidei formulæ in ſynodo Smyrnenſi conſignatæ, ſubſcripſit. Sed moriturus, *ceu dicit Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes*, publice omnes monuit, ne aut probarent unquam, aut reciperent hæreſin Arianam, cujus violentiæ ſenex ſuccubuiſſet.

Socr. lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 4. Theodoret. lib. 1. Hiſt Eccl. c. 7. Iſidor. de viris Illuſtr. Athan. Epiſt. ad Solitar. vit. agent. apol. 1. Sulpit. Sever, lib 2. Hiſt. Sacr. c. 56. Magd. Cent. 4. cap. 10. pag. 1186. Oſiand. Cent. ead. l. 1. c. 35. pag 71

ATHANASIUS, puer olim per luſum epiſcopi vices geſſerat, & ex conſilio Alexandri, epiſcopi Alexandrini, ad id, quod puerili ludo imitatus fuerat, educatus, inque omnibus eccleſiaſtici ordinis gradibus, inque ſynodo Nicæna cum omnium admiratione verſatus, ab Alexandro morituro, divina voce per revelationem admonito, ſucceſſor A. C. CCCXXXIII. nominatus eſt. Cumque epiſcopatus ejus in exulceratisſima, & Ariano furore corruptisſima ſecula incideret: vir ingenio, lingva & conſtantia magnus juris etiam peritia clarus, ut *Sulpitius Severus teſtatur*, hortando, docendo, ſcribendo, artes Arianas egregie detexit, & inſigni coruſcus animo, contra ipſos impp. Arianos, *Conſtantium & Valentem*, invictis armis uſus, maluit omnia adverſa ſuſtinere, qvam unius literæ permutationem concedere, qua pro *Homouſio Homæuſion* ſubſtituere volebant adverſarii. Tot igitur inſidiis undique petitus eſt vir animoſus, ut vel ærumnis Herculis ferendis par videri poſſet. Primus in eum impetus ideo factus eſt, quia Arium, qvi, reſipiſcentiæ libello exhibito, Conſtantinum Imp. deceperat, non admitteret, nec ſuæ dignitati reſtitueret. Euſebius etiam Nicomedienſis, qui partes Arii ſeqvebatur, eum eccleſiis per Ægyptum nova onera impoſuiſſe, & imperatoris vitæ inſidias ſtruxiſſe, calumniabatur. Sed, deprehenſa viri innocentia,

Athan. in Apol. & Epiſt. ad Orthod. Ruffin. l. 1. c. 19. Socrat. lib. 2 Hiſt Eccl. cap 7. 8. & ſeqq. Theodoret. lib. 2. c. 4. 12. & 14. Sozom. lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 5. & ſeqq, Sulpit. Sever. lib. 2. Hiſt. ſacr. cap. 51. Hieronym. de ſcript. Eccleſ c. 87. Niceph. l. 9. Hiſt. Ec. cap. 19 Greg. Nazianz. Orat. de Athanaſ. Magd. Cent 4. cap. 10. pag. 1039. & ſeq. Oſiand. Cent. ead. lib. 2. cap. 24. & ſeq.

tia, imperator eum dimiſſum impenſius amavit. Factio tamen Euſebiana, roborata per *Meletianos*, hactenus Novatianos, nunc etiam Arianos, non acquievit, ſed eum variis criminibus oneravit, quaſi Arſenium qvendam, epiſcopum Meletianæ factionis, jugulaſſet, manumq; ejus abſciſſam, quam ſecum in arca qvadam delatores attulerant, ad magicum uſum & incantationem adhibuiſſet, &, ne frumentum Alexandria deveheretur Conſtantinopolin, ſe curaturum minatus fuiſſet, ſtruprum etiam feminæ cuipiam intuliſſet, & calicem ſacrum per Macarium fregiſſet. Quanquam autem Athanaſius in ipſa ſynodo, ab Ariana factione Tyri convocata, omnia intentata crimina facile diluit, cum Arſenius, qvem fingebatur occidiſſe, in latebris inventus, in ipſum concilium protraheretur, & femina, qaum dicebatur compresſiſſe, Athanaſius quis eſſet, non internoſceret: depoſitus tamen à concilio (quanquam non conſentiente Paphnutio & Maximo Hieroſolymitano) & ab ipſo imperatore Conſtantino M., cui, *ceu Epiphanius hæreſi LXIIX. dicit*, animoſius reſponderat, & cui Arius fraudulenta & ambigua confesſione impoſuerat, inque ea verbum homouſii disſimulaverat, in Gallias Treviros deportatus eſt. Revocavit eum poſt biennium Conſtantini M. filius natu major, Conſtantinus A. C. CCCXLI. Sed ſubito in ejus perniciem univerſus conjuravit orbis, & aciem in eum ſtruxit omnis Arianorum colluvies, filio Conſtantini medio, Conſtantio Arianis favente. Capita novæ accuſationis erant, qvod ſine decreto communis concilii in eccleſiam rediiſſet: qvod turbis pasſim locorum concitandis incubuiſſet. Patebant Conſtantii aures hoſtibus Athanaſii, ideoque misſi milites, qui eum comprehenſum ſiſterent. Interim in locum ejus per tumultum ſuffectus eſt Gregorius Arianus, Athanaſius in medio pſallentium elapſus, & per exploratores per totum imperium quæſitus, in puteo caliginoſo diu delituit. Tandem Romam confugiens, ſymbolū ſcripſit, qvod Concilio offerretur, ſed non niſi poſt CCC. annos in concilio Toletano in eccleſiam publice receptum eſt. Cumque nec Romæ tutus eſſet, ad Conſtantem, fratrem Conſtantii, ſe contulit: qui, literis fratre fruſtra commonito, vel bello cogere eum voluit, ut ſuis ovibus Athanaſius, quem concilium Sardicenſe abſolverat & Gregorium damnaverat, reſtitueretur. Conſtantius igitur Athanaſium ad ſe evocavit Antiochiam: datoqve juramento promiſit, ſe nullas deinceps in eum calumnias admiſſurum: ac eum honoratum Alexandriam remiſit. Conſtante poſt quinquennium à Magnentio tyranno ſublato immemor juramen-

men-

menti, ſententiam, ſuggeſtionibus Euſebianorum ſuccumbens, ſubito mutavit: & Athanaſium non ſaltem ejici, ſed & jugulari præcepit: plurimos epiſcopos ei faventes exilio multavit: milites in templum, in qvo orthodoxi Alexandriæ ad ſacra obeunda convenerant, immiſit, qvi obvios fuſtibus cæderent, ejicerent, calcarent. Pulſus igitur denuo Athanaſius, ſubſtituto in ejus locum Ariano Georgio, decennium integrum, usque ad Juliani imperium, exulavit: qui eum ad ſuos, poſt Georgium à gentilibus interfectum, redire paſſus eſt. Sed non multo poſt apoſtata eum, ex conſilio augurum & aruſpicum, ad necem quæſiit. Seceſſit igitur, & nubeculam cito tranſituram (ſic vocavit Julianum) navi per Nilum fugiens, percuſſores ſuos ſenſit curſu celerrimo ſeſe inſeqvi. Prudenti igitur conſilio uſus, cum nauta eum ad fugam in eremum capeſſendam hortaretur, converſa navicula, ſpiculatoribus ſeſe quærentibus obviam itinere retrogrado redire, &, ſi quæreretur de Athanaſio, quod prope abſit reſpondere juſſit. Sic rediit Alexandriam, & tuto ibi delituit, donec, Juliano in expeditione Perſica trucidato, à Joviano honorifice epiſcopatui reſtitueretur. Sed nec ſic miſeriis perfunctus eſt Athanaſius. Nam etſi Valens, poſt Jovianum imperator Arianus, in eum, cui tota fere Ægyptus nunc demum adhærebat, nihil committere auſus eſt, præfecti tamen imperatoris, tumultu adverſus eum ingenti excitato, extrema ei minabantur. Ideoqve totos VI. menſes in paterno delituit monumento, donec ab ipſo Valente juberetur eccleſiæ ſine motu præeſſe. Tandem placide exſpiravit *tuba hæc ingens, orbis oculus, ſacerdotum archiſacerdos, doctor certaminum, vox magna, fidei ſuſtentaculum*, ut eum Nazianzenus nominat, qui funebri eum oratione laudavit; *pater rectæ fidei*, ut Epiphanius; *eccleſiaſticarum infirmitatum à Domino medicus conſtitutus & pater ſpiritualis*, ut Baſilius. Opera ejus IV. tomis continentur.

Succenturiati ſunt Athanaſio alii præclari viri, *Apis: Macarius ſenior*, Ægyptius, cujus L. homiliæ adhuc extant: *Serapion*, epiſcopus Thmueos, cujus librum contra Manichæos in bibliotheca Patrum legere licet: *Timotheus & Aſterius*, presbyteri in eccleſia Antiochena: qui omnes cauſam Athanaſi intrepide adverſus Euſebianos, cum vitæ etiam periculo egerunt: *Didymus Alexandrinus*, à puero quinquennali cæcus, qui vitium corporis admirando ingenii acumine egregie ſarcivit, & mentis acumine omnes acutiſſimum videntes facilè ſuperavit, multisq; ſcriptis S. ſcripturam illuſtravit, in Geometricis etiam accuratus, Ori-

genis tandem errores amplexus: *Theophilus* denique, Alexandrinus epiſcopus, doctus quidem, & ſcriptis, imprimis Paſchali libro, fanorum etiam & templorum idololatricorum everſione celebris; ſed contentioſus, & alienarum virtutum obtrectator, turbisq; & ſeditionibus gaudens, in Origenis libris damnandis nimis ſeverus. Schiſmate enim inde exorto, plurimis epiſcopis, presbyteris & viris doctis, quorum ingenium & autoritatem ferre non poterat, bellum indixit. *Socr. lib. 6. cap. 7.*

In aliis *eccleſiis Africanis* floruerunt *Nilus*, cujus opuſcula leguntur inter orthodoxographa: *Cæcilianus*, epiſcopus Carthaginenſis, Hoſii & Athanaſii familiaris, à factione Donatiſtarum vehementer oppugnatus: *Optatus*, epiſcopus Milevitanus, libris contra Parmenianum Donatiſtam celebris: *Paphnutius*, qvem, quod juſſu Maximini, oculo privatus dextero, ac ſiniſtro inciſus poplite, cauteriique nota eſſet inſignitus, Conſtantinus M. impenſe honoravit, adeo, ut faciem propter Chriſtum deformatam oſculis demulceret. Hic ille eſt Paphnutius, qui in ſynodo Nicæna obſtitit, ne illis, qui in eccleſia ſacris operantur, uxoribus interdiceretur, quique conjugium inter viros eccleſiaſticos quoque honorabile eſſe debere cenſuit, & in concilio, quod Tyrii celebrabant Ariani, Maximum, epiſcopum Hieroſolymitanum, easdem perſecutionis notas circumferentem, ſecum juſſit ſurgere, ne malignantium intereſſet cœtui. Præter hos *aliis in locis* anteſignani eccleſiæ erant *Spiridion Cyprius*, à converſione philoſophi acutisſimi, quem per ſimplicem præcipuorum fidei articulorum enarrationem in ſynodo Nicæna ab idololatria avocaverat, & dono miraculorum clarus: *Hermas* philoſophus, cujus liber, qvo gentilium philoſophorum placita irridet, in bibliotheca Patrum invenitur: *Phæbadus* Agennenſis in Gallia: *Pacianus* Barchinonenſis: *Victor* Antiochenus: *Titus* Boſtrenus: *Andreas* epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ: *Philo* Carpathius: *Idacius Clarus* Hiſpanus: *Diadochius* epiſcopus Photices: *Dorotheus* archimandrita: qvorum omnium monumenta in Bibliotheca magna Patrum extant. Circa hæc tempora *Nicolaus*, epiſcopus Myræ, tempeſtatem precibus ſedavit, &, ſi quos egeſtate premi videbat, ad eorum feneſtram noctu tacitus nummos projecit, quibus paupertatem ſolarentur. *Julius Firmicus Maternus* de errore prophanarum religionum ad Conſtantinum & Conſtantem egregium librum conſcripſit, cujus fragmenta in manibus noſtris adhuc verſantur. *Juvencus*, presbyter Hiſpanus, poeta ſacer, evangelicam hiſtoriam verſibus heroicis illuſtravit. *Aurelius Prudentius*, Hiſpanus, poeticis opuſculis & hymnis extitit cele-

Sozom. lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 25. Magd. Cent 4. c. 9. p. 677. Oſiand. Cent. ead. l. 2. c. 37. p. 219.

Hier. & Iſid. de ſcript. Eccl. Gerbard. in Patrol. Olear. in Abac. Patrol.

celeberrimus. Juvenco & Prudentio poetis merito ſociatur *Auſonius*, conſul Romanus; qui, etſi de Diis & amatoriis rebus ſatis gentiliter in carminibus luſit, Chriſtianus tamen fuiſſe videtur ex carminibus, quibꝰ divinum numen deprecatur, & ſacra paſchalia celebrat. *Jacobum Niſibenum*, in Nicæna ſynodo admodum conſpicuum, libri plurimi, ſed amiſſi, & miracula multa commendarunt. *Amphilochius*, epiſcopus Iconienſis, cum Theodoſium de more ſalutaret, filio autem nihil honoris exhiberet, impetravit, ut Arianis minus æquus eſſet imperator, qvia patrem qvidē colerent, ſed unigenito ejus filio divinitatem detraherent *Theod. lib. 5. cap. 16.* Circa hæc tempora *Ephrem ſeu Ephraim*, ſcriptor & commentator Syrus, tanti æſtimatus eſt, ut Theodoretus eum vocet θαυμάσιον, & alicubi ſcripta ejus, quorum adhuc aliqua extant, poſt lectionem ſcripturarum pulice recitarentur. *Philaſtrius*, epiſcopus Brixienſis, de hæreſibus CLVI. ſcripſit. Ejus ſucceſſor *Gaudentius* plurimos tractatus in varia ſcripturæ loca promulgavit. *Evagrius*, Ponticus monachus, vitas Patrum ſcripſit: ſed Pelagianiſmo dedit materiam, cum errores Origenis ſectaretur. *Fauſtinus presbyter* valde erudito de Trinitate libro contra Arianos ſcripto eccleſiæ notus eſt. *Chromatium Aquilejenſem* concio de octo beatitudinibus, & commentarius in V. & VI caput Matthæi commendat. *Ruffinus*, presbyter Aquilejenſis hiſtoricus & theologus inſignis, eccleſiæ adhuc hiſtoria eccleſiaſtica inſervit: Cum *Melania* Romana, clariſſima femina, varias peregrinationes obiit & cum eadem errores Origenis, maxima cum Hieronymi & aliorum orthodoxorum indignatione, defendendos ſuſcepit: quos tamen *Marcella*, pia femina ex epiſtolis Hieronymi nota, detexit. Multos libros Origenis, & præterea Baſilii, Nazianzeni, Clementis, Euſebii, & aliorum. Latinitati donavit Ruffinus: reprehenſus maxime, quod ſcripta Origenis variis in locis corruperit, cum illa interpretaretur. Librum etiam ſcripſit de monachis. *C. Marius V. Elorinus*, Afer, vir conſularis, rhetor eximius, ſtatua Romæ donatus, ad fidem ſenex converſus, libros edidit elegantes cum in proſa, tum in ligata oratione contra Arium, de Trinitate atque Maccabæis. Contra Arianos etiam pro Athanaſio ad Conſtantinum maſcule ſcripſit *Lucifer Calaritanus*, quanqvam exul. *Ulphilas*, egregius Gothorum doctor, & conſtans idolorum everſor, primo tempore fidem Nicænæ ſynodi docuit: ſed tandem fraude in caſſes Arianorum illectus, univerſam Gothorum gentem hæreſi blaſphema infecit.

Fuerunt imprimis hoc quarto ſeculo *plures Euſebii* clari: *Euſebius*

Cæſarienſis, in Cappadocia cognomine *Pamphilius*, in perſecutione Diocletiana, teſte Epiphanio, minime conſtans: inde usque ad ſynodum Nicænam ex profeſſo Arianus: poſtea reſipiſcens, ſed minus & tunc conſtans: libris XIV. de præparatione evangelica; X. de demonſtratione evangelica; X. de Hiſtoria eccleſiaſtica; IV. de vita Conſtantini; Chronico, & aliis ſcriptis clarus; cui Cæſareæ ſucceſſit Baſilius. *Euſebius Samoſatenus*, vir conſtantisſimus, in exilio, in quod à Valente expulſus erat, militari circumiens habitu, eccleſias pasſim ordinavit, & tandem à femina Ariana, quæ tegulam in caput ejus demiſit aureolam martyrii reportavit. *Euſebius Emiſenus*, ob aſtrologiam ex eccleſia per ſeditionem pulſus, tandem, quod miraculis quibusdam inclaruerat, à Conſtantio, Perſis bellum illaturo, ad expeditionis ſocietatem evocatus à ſuſpicione Arianiſmi non alienus, homiliis aliquot noſtris adhuc eccleſiis notus eſt. *Euſebius Vercellenſis*, à Conſtantio in ſynodo Mediolanenſi, ob ſocietatem cum Athanaſio initam, in exilium actus eſt: in quo, quanquam erat in vinculis, ut Athanaſius loquitur, evangelizabat tamen, & piam qvidem fidem deprædicabat, Arianam autem hæreſin anathemate intrepide damnabat. Fuerunt & *alii Euſebii*, minus clari, *Chalcidenſis*, *Cremonenſis*, *Seleucianus*, *Palæſtinus*, & inter reliquos in orthodoxos inſigni odio famigeratus *Euſebius Nicomedienſis*, unde Arianis novum adnatum nomen eſt, ut dicerentur *Euſebiani*.

V. Quantum video, ſeculum quartum fuit egregiorum virorum feracisſimum.

Sed qui ſcriptis ſe poſteritati præ reliquis exeunte hoc quarto ſeculo commendarunt, eos nondum computavi, *Hilarium* puta, *Baſilium M. Gregorium Nyſſenum*, *Nazianzenum*, *Epiphanium*, *Ambroſium*, *Hieronymum*, *Cyrillum Hieroſolymitanum*, & *alios*.

Sozom. l. 5. Hiſt. Eccl. c. 10. 13. Socrat. l. 3. Hiſt. Eccl. c. 8. Sulpit. Sever. l. 2. Hiſt. Sacr. c. 58. Ruffin. l. 1. c. 30. & 31. Hier. in Catal. ſcript. Eccl & in Apol. adv. Ruffin Magd. Cent. 4. c. 10. p. 1133. Oſiand Cent. 4. l. 3. c. 18 p. 305.

HILARIUS, Pictavienſis epiſcopus, conjugatus, & filia Apra auctus, tuba illa Latini ſermonis, *ut ait Hieronymus*, ex lectione literarum converſus ad fidem, libros XII. de Trinitate adverſus Arianos, triplicem pro ſe in exilium miſſo apologiam, commentarium in Matthæum & Pſalmos & alia opuſcula edidit. Epiſcopi vero Arelatenſis, Saturnini, peſſimi & ſcelerati hominis, inſidias vir pius non potuit declinare, ſed ejus artibus in exilium diuturnum ejectus eſt. Verum nec ſic ſinceritatem doctrinæ adverſus Arianos propugnare deſtitit, & quidem tanto cum fructu, ut Gallicanas & Italicas eccleſias tanqvam Deucalio,

calio orbis, (*ſic cum nominat Hieronymus*) ne in cataclyſmo Arianæ factionis ſævientis perirent, ad ſanitatem fidei revocaret.

BASILIUS M. in Ponto è pientisſimis parentibus natus, quamprimum ad ætatis maturitatem perveniſſet, Cæſareæ, Conſtantinopoli Athenis, & multis aliis in locis, qvæ laudabili peregrinatione adiit fundamenta pietatis ſimul & eruditionis jecit ſolidisſima. Cumque Euſebii Cæſariensis invidiam & odium incurriſſet: maluit ſolitariæ vitæ ſe ſacrare, qvã per jurgium epiſcopo reſiſtere. Sed Valente imperatore paulo poſt gravẽ perſecutionem adverſų orthodoxos decernente, nihil fuit Euſebio acceptius, quam cum Baſilio in gratiam redire, eumqne poſt ſe in epiſcopatu ſucceſſorem relinquere. Valens contra omnem movit lapidem, ut Baſilium jam minis, jam blanditiis à puritate fidei ad Arianiſmum avocaret: nec variis vertignis immiſſæ; ſellæ, qva vehebatur, ſubito diſſolutæ; calami literam ad notam exilii Baſilio ſcribendam non reddentis; filii tandem ſubito ſibi erepti prodigiis, ab impio propoſito dimoveri potuit. Sed conſtantia Baſilii omnes ejus, hoſtiumque reliquorum conatus facile ſuperavit, & adhuc ex quatuor operum tomis ſatis elucescit. Vitam ejus ambo Gregorii, Nyſſenus frater ejus germanus, & Nazianzenus, ut & Ephrem, luculenter deſcripſerunt. Quæ Amphilochii falſo nomine fertur, vita Baſilii in vitis Patrum, ipſo Baronio dicente, haud ſatis digna habetur, quæ eruditorum auribus ingeratur.

Baſil. Ep. 39 142. 143. Ruffin. l. 2. c. 9. Socrat. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 26. Theod. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 19. Sozom. lib. 6. Hiſt. Eccl. c. 17. Hier. in Catal. Script. c. 116 Niceph. l. 11 Hiſt. Eccl. c. 17. & 18 Magd. Cent. 4. c. 10. p. 939. Oſiand. Cent. ead. l. 3. c. 42. p. 374. ſeqq.

GREGORIUS NYSSENUS, frater germanus Baſilii M. *teſte Nicephoro*, & ipſe uxoratus, præclaris itidem libris fidem ſuam & animi conſtantiam adverſus Arianam factionem apud poſteritatem commendavit. In concilio œcumenico Conſtantinopolitano formam Symboli compoſuit.

Ruffin. l. 2. c. 9 Socrat. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 21. 22. Soz. l. 6. Hiſtor. Eccl. c. 17. & l. 7. c. 5. & 7. Zonar. Tom. 2. p. 30. & ſeqq. Hieron. de Script. Eccl. c. 127. 129. Niceph. l. 11. Hiſt. Eccl. c. 117 129. Gregor. Nyſſen. in Orat. funeb. Greg. Nazianz. Cent. Magdeb. loc. cit. p. 914. Oſiand. p. 381. ſeq.

GREGORIUS NAZIANZENUS, Theologus cognominatus, ortu humilis, virtutibus excellens, variis in locis veram laudem conquiſivit, ſummus Baſilii M. amicus, quocum in ſcholis, &, cum presbyterium ſugeret, per XIII. annos in monaſterio, indiviſo nexu ſociatus, theologiæ ſaniori incubuit. Pater ejus, etiam vocatus *Gregorius*, epiſcopus Nazianzenus in Cappadocia, graviter à Juliano apoſtata vexatus eſt: ſed feliciter eluctatus, anno CCCLXXII. obiit centenarius, una cum uxore ejusdem ætatis. Licebat enim tunc adhuc epiſcopis eſſe uxoratis, ut & adhuc in Græcis eccleſiis licet. Filius ejus ad varios epiſcopatus evocatus, prætulit vitam privatam, in qva tamen adverſus Arianos Pnevmatomachos & Apollinariſtas viriliter deſudavit. Tandem Conſtantinopolitanam eccle-

eccleſiam ab Arianiſmo purgavit, eamque, cum illam invaſiſſet Maximus Cynicus, regendam ſuſcepit. Sed à Cynico, quem in fide erudierat, & ab aliis malevolis, tantæ ei moleſtiæ objectæ ſunt, ut, epiſcopatu ſponte depoſito, in prædiolo vitam DEO & naturæ redderet: vir multis orationibus, commentariis, carminibus, & aliis opuſculis clarus, organum benedictum, fonsque profundus, *ut nominat eum Baſilius*. Quantæ ſagacitatis fuerit, inde patet, quod, cum Julianum adhuc impietatem ſub pallio philoſophico tegentem conſpexiſſet, dixerit: *Quantum malum terra nutrit!*

Epiphan. ad Hieron. Ep. 60 Hieron. ad Ruffin. Apol. 2. & in Catal. Script. c. 114. Socr. lib. 6. c. 9. & c. 13. Sozom. l. 8. cap. 32. lib. 7. c. 26. lib. 8. c. 14. Niceph. l. 11. c. 39. & l. 12. c. 46. Magdeb. l. c. p. 1103. Oſiand. cap 47. p. 397.

EPIPHANIUS, epiſcopus Salaminæ Cyprius, natione Palæſtinus ſeu Judæus, πενταγλωσσος dictus ob peritiam quinque linguarum, Panario, quaſi caſula medica de LXXX. hæreſibus, Ancorato, quaſi ancori pro orthodoxis, de articulis fidei præcipuis, Anacephalæoſi, & aliis libris, ſummam præſtantiſſimi viri laudem conſecutus eſt. Nec tamen ſuis nævis caruit. Nam & de Anthropomorphitarum hæreſi ſuſpectus fuit, & in Origenis libris damnandis nimis facilem ſe præbuit, ipſumq; Johannem Chryſoſtomum, tantam præcipitantiam non probantem, miris modis cum Theophilo Alexandrino exagitavit.

Ruffin. l. 2. c. 11. & 15. Theodor. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 6 & 7. Socrat. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 25. Sozom. l. 6. Hiſt Eccl. c. 13. & 24. Sulp. Sev. l. 2. Hiſt. Sacr. c. 63. Niceph. l. 11. Hiſt Eccl. c. 32. Magd. p. 1147. loc. cit. Oſiand. Cent. 4. l. 3. cap. 46 p. 389. ſeqq.

AMBROSIUS, cujus virtutem examina apum circa pueri cunas collecta præſagire viſa ſunt, viro illuſtri, Ambroſio præfecto Galliæ, natus: cum Mediolanenſibus ab imperatore ad tumultum compeſcendũ miſſus eſſet præfectus: unanimi populi, in electione epiſcopi hactenus diſſidentis, ſuffragio epiſcopus ex laico deſignatus poſt Auxentium, epiſcopum Arianum. Hinc ipſe ſe raptum de tribunalibus atq; adminiſtrationis infulis ad ſacerdotium dicit, cœpiſſeque docere, quod ipſe non didiciſſet. Tam felix autem in diſcendo fuit, ut jam divina ejus monumenta ad nos transmiſſa, cum inſigni fructu legamus, & porro non miremur vocem Theodoſii, qui ſolum Ambroſium epiſcopi nomine dignum cenſuit, *Sozom. lib. 5. cap. 18*. Non ſolum enim hæreticis ſe animoſe oppoſuit: ſed & aulæ favore ſpreto, ipſos reges ad diſciplinam eccleſiaſticam vocavit, nec veritus eſt Theodoſium imperatorem, cum, nullo habito inſontium diſcrimine ſeptem millia Theſſalonicenſium promiſcua cæde ſuſtuliſſet, ab eccleſiæ communione arcere, donec pœnitentia acta veniam facti impetraret. Tandem inter preces placide obdormivit, die, quem fratribus antea prædixerat, enarratione Pſalmi XLIV. primum illis dictata, & ultime hiſce verbis prolatis: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere: nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus.* Inter dictandum, di-

dicit Paulinus, conſpectam eſſe figuram clypei, quæ poſtea dilabens, fulgorem inuſitatum in facie ejus ſparſerit, & ore tandem hauſta ſit. Auguſtinus in libris confesſionum fatetur, ſe acutis ſagittis de manu potentis Ambroſii confoſſum, & mori coactum fuiſſe impietati. Extant ſex Tomi operum ipſius.

Hieron. cont. Ruffin. Caſſiodor. divin. Lect. c. 20. Caſſian. l. 7. de Incarn. c. 26 Marcellin in Chron. Indict. 5. Freculf. Lexov. in Chron. Tom. 2. l. 5. c. 3. Magd. Cent. 4. c. 10. p. 1335. Oſiand. Cent. ead. c. 10. p. 461. ſeqq

HIERONYMUS, presbyter Stridonenſis, Dalmata, Theologus cognominatus, poſtquam diuturna peregrinatione doctorum amicitiam ſibi conciliaverat, in ſolitudine quadam ſe tandem in Syria per quadriennium abdidit: ſacram ſcripturam ad ungvem edidicit: ſe Hebrææ, Chaldaicæ & Syriacæ lingvæ totum dedit. Inde tamen ad eccleſias retractus, dignus viſus eſt Romano epiſcopatu: ſed calumniis aliorum preſſus, poſtquam Romæ triennium ſubſtiterat, in Syriam rediit, eoque loco, quo Chriſtus natus eſt, ſedem ſuæ ſenectuti elegit: tanta nominis celebritate, ut publicum Chriſtiani orbis oraculum, antrum illud Hieronymi Bethlehemiticum haberetur, in cujus confinio *Paula Romana*, femina pia, IV. monaſteria exſtruxit, unum pro Hieronymo, tria pro ſe & virginibus ſacris. Hoc in loco Hieronymus conjugio iniquior, dum pro virginitate certabat, durus etiam cenſor in bigamos, præter asſiduum in meditatione divinarū ſcripturarum laborem, varia exercitia, falſa religionis ſuſpicione ſuſcepit, ut ipſe in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodienda virginitate ſcribit horridum calore ſolis habitaculum, ſaccum membra deformia, cutem ſqalidam, lacrymas & gemitus quotidianos, humi dormitiones, aquam frigidam, cibum incoctum, jejunium, famem. Quibus tamen omnibus corporis afflictionibus laſciviam & ardentes naturæ impetus, quos ſæpe accuſat ipſe, non magis domare valuit, quam Baronius cimicis, vermiculi fœtidisſimi, deglutitione: qvod legitur in vita Baronii apud Spondanum. Audi, qvid ipſe de ſe *epiſtola XXII.* teſtetur: *Ille igitur ego*, inquit, *qvi ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum: pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum jam carne demortua ſola libidinum incendia bulliebant.* Adverſarios nactus eſt, præter ingentem hæreticorum numerum, Ruffinum & Johannem Conſtantinopolitanum, qvos ob favorem, quo Origenis libros proſequebantur, acerrime & præter modum exagitavit. Libros ejus tomis IX. diſtinctos legimus: quorum qvidam ſunt parænetici & paradigmatici: qvidam elenchtici & apologetici: alii ſacrorum voluminum commentaria. Hoc imprimis no-

mine profuit eccleſiæ, quod, cum jam extaret *Latina verſio Bibliorum*, quam vocant *Italicam ſeu Veterem*, ex translatione LXX. interpretum minus feliciter factam, ipſe ex textu Hebraico novam ediderit caſtigatiorem, quam vocant *Hieronymianam*. Ex utraque tempore Gregorii Papæ una eſt completa, quæ hodienum in uſu eſt & dicitur *communis ſeu vulgata*. Obiit vir pius anno Chriſti CCCCXX. in Bethlehem; ætatis XCI. ſecundum alios LXXXI.

Theodoret. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 26. 27. Sozom. l. 4. c. 20. 25. 26. 30. & l. 7. c. 7. Socrat. l. 2. c. 42. & l. 5. c. 8. Ruffin. l. 1. c. 23. & 37. Epiph. Hær. 37. Niceph. l. 5. Hiſt. Eccl. c. 46. Magd. Cent. 4. c. 10. p. 881. Oſiand. Cent. ead. l. 3. c. 31. p. 335.

CYRILLUS, Hieroſolymorum epiſcopus, ſæpe ab Arianis pulſus eccleſia, & deinceps receptus, Catecheſes compoſuit: quæ etſi paſſim apoſtolicam ſpirant ſcriptionem, multis tamen in locis ſunt ſuſpectæ.

VI. Pergemus ad doctores & epiſcopos ſeculi V ti.

In ſeculo qvinto fidem Chriſti, ſuſcepere *Burgundiones*, ſub Theodoſio juniore; *Franci* ſub ſuo rege *Clodoveo*, adducti à Remigio; *Mawia* Saracenorum regina à S. Hilarione abbate perſvaſa; *Fritigil*, Marcomannorum regina, ab Ambroſio, ad quem videndum perrexerat Mediolanum; *Beſſi, Daci, Getbæ & Scythæ* à Niceta Daciæ epiſcopo; *Hunni* à Theotimo Scytha, epiſcopo Tamienſium; *Norici* à Severino; *Perſæ* à Marutha, epiſcopo Meſopotamiæ; *Nomades* ad Iſtrum à Chryſoſtomo. Inter doctores hujus ſeculi præcipue eminuit

Aug. lib. Confeſſ. & Poſſid. in vita ejus. Viciſſim Aug. de hæreſ. c. 88. contra Jul. per tot. Proſper. Aquit. in Chron. A. 415. & 418. Freculf. Lexov. in Chronic. Tom. 2. l. 5. c. 12. & ſeq. Victor. de perſec. Vand. l. 1. Magd. Cent. 5. c. 10. p. 1113. Oſiander Cent. ead. l. 4. c. 24. pag. 469. & ſeqq. Gerh. in Patrol. ſec. 5. p. 359. ſeqq.

AUGUSTINUS, Tagaſte natus in Numidia, anno Chriſti CCCXXX. epiſcopus Hipponenſis in Africa, philoſophus & theologus inſignis, Hercules Chriſtianorum & orbis magiſter, qui annos undeviginti natus, cœpit Manichæorum erroribus faſcinari, inqve iis integro novennio inſumto, cum Chriſtum quidem magni æſtimaret, ſed ut hominem tantum, non paucos in opinionem ſuam traxit. Tandem paulatim ſubrepſit erroris faſtidium. Carthagine primum, deinde Romæ, & tandem Mediolani rhetoricam docuit, & ex concubina *Adeodatum* genuit. Mediolani jam tricennarius, *cum Ambroſio* aliquantiſper converſatus, cum res negligeret, facundiam admiraretur: cum verbis, quorum captator erat, res ſimul in mentem incurrentes, fecerunt ei Manichæiſmum ſuſpectum; idqve tandem præſtiterunt, ut neqve Manichæus eſſet, neqve catholicus. Contulit ſe ergo ad Academias, inqve earum quæſtionibus quærebat qvietem pro anima turbata. Tandem *Monicæ matris* precibus, & conſilio Simpliciani adjutus, cum adhuc animus in diverſum tractus, lacrymas ob perditè exactam ætatem funderet: audiit vocem quaſi puerilem de vicina domo ſibi dicentem: *Tolle lege: tolle lege.* Arrepto igitur codice ſacro, ex Paulo, *non in comeſſationibus & ebrietatibus*

bus, nec in cubilibus & impudicitiis ſalutem eſſe quærendam, ſed induendum Dominum Jeſum Chriſtum didicit, & ita ad Chriſtianam religionem tranſiens, ætatis anno XXXIII. baptiſmum ab Ambroſio ſuſcepit, tandemq; à Valerio, epiſcopo Hipponenſi, presbyter conſtitutus, vices ejus aliquamdiu obiit: poſt eidem defuncto ſucceſsit tanta cum laude, ut nullo in eccleſia eruditione haberetur poſterior. *Libros ejus Eraſmus in X. Tomos digeſſit:* quibus adverſus varios veritatis hoſtes feliciter decertavit, veritatisque patrocinium non ſine fructu inſigni, in univerſam eccleſiam redundante, ſuſcepit. Tandem Hippone à Genſerico, Vandaliſque & Gothis obſeſſa, cum à Deo precaretur, ut aut obſidio aut ipſe diſſolveretur, annos nato LXXVI, inter preces piã animã A.C.CDXXX. Salvatori reddidit. Memorabile eſt, quod *tres imprimis hæreſes confecerit*, nempe *Pelagianorum*, contra quos gratiam divinam propugnavit; *Donatiſtarum*, quorum errores de eccleſia diſpulit, & *Manichæorum*, adverſus quorum promachum *Felicem* de origine mali ſubtiliſsime diſputavit, eumque ad ſanam mentem reduxit. Cum autem ſic contra Pelagianos diſputaret, *ut Deum diceret ſolos electos velle ſalvos, nec omnibus donum gratiæ conferre*, multi viri clari & nobiles, *Maſſiliæ, Genevæ & alibi in Gallia*, inveniabantur, quibus non potuit hæc ſua effata perſvedere. Illorum aliqui erant *catholici*; alii *Semi-Pelagiani*. Sed & *Adrumetini monachi in Africa*, ex libris Auguſtini minus recte intellectis originem dederunt novæ *Prædeſtinatianorum* hæreſi: in qua Deus ſtatuebatur abſolutis decretis aliqvos elegiſſe; alios reprobaſſe. Et hodienum ſunt, qui eum putant in illa ſententia fuiſſe, qvæ improbatur in *Calvinianis* de abſolutis decretis, quamqve olim Prædeſtinatiani cum Adrumetinis monachis tuebantur. Ille verò, ut recte negabat prædeſtinationem ad ſalutem eſſe factam ex prævifis bonorum operum meritis: ita, ſi quis de poteſtate tenebrarum non eruitur, non debet hoc abſolutis Dei decretis, ſed voluntariæ malitiæ, peccato originis additæ. Scopus illius unicus erat, *gratiam prædeſtinationis eſſe indebitam, & excludere hominum merita, tam ex electione, quam ex juſtificatione: hoc interim inculcare, ſicut nemo ſuo liberatur merito, ita neminem perdi immerito: eorum, qui perduntur, malitiam; qui ſalvantur, fidem eſſe intuitum Deum.* Sed, quod dixi, multi in Gallia hic aſſenſum negabant. Eorum *aliqui* cum Semipelagianis gratiam prævenientem negabant; *aliqui* dogma Auguſtini de DEI voluntate, ad paucos ſalvandos reſtricta, reprehendebant. Ipſe nunquam ſub nomine gratiæ fatalem neceſsitatẽ prædicaverat: ſed cum di-

cebat, *Deum paucos ſalvare velle*, loquebatur de illa peculiari ſpecie gratiæ, quam DEUS, qui aliàs omnes vult ſalvos, intenſiore gradu, & qvidem voluntate antecedente, ut vocant theologi, electis præparavit, quanquam voluntate conſequente eam illis negavit, qui primam gratiam prævenientem ſunt aſpernati. Nunqvam igitur dixit, *plurimos ad peccatum & ad judicium eſſe prædeſtinatos: per decreta Dei neceſſitatem peccandi illis imponi: paucos tantum per media neceſſitantia ſalvari: quaſi, qui convertuntur, propter neceſſitatem fatalem non poſſint mediis reſiſtere.* Sed hæc videantur apud theologos & in noſtra heterodoxia Calviniana. Memorabile & hoc eſt de Auguſtino, *quod appellationes tranſmarinas ad epiſcopum Romanum in concilio Carthaginenſi V. conſtanter negarit, & ita nullam eccleſiaſticam monarchiam illi conceſſerit:* item, quod tanti candoris fuerit, ut ſenex *in libris Retractationum* ipſe notarit, qvæ emendari in ſcriptis ſuis voluit.

Iſidor. l. 6. Orig. c. 17. Photius in Biblioth. Socr. l. 7. Hiſt. Eccl. c. 7. 11. 13 14. Niceph. l. 14. Hiſt. Eccl. cap. 14 & ſeqq. Gennad. de Vir. Illuſtr. c. 57 Sigebert. de Script. Eccl. c. 24. Theodor. l. 1. Hiſt. Eccl. c. 23. Socr. l. 7. c. 7. Niceph l. 14. c. 14 Magd. Cent. 5. c. 10. pag. 671. Oſiand. Cent. ead. l. 1. c. 28. p. 315. ſeqq.

Alterum lumen hujus ſeculi eſt CYRILLUS, epiſcopus Alexandrinus, vir ad certamina natus. Cum, Novatianorum templis dirutis, ſacras eorum opes ad ſe reciperet; Judæos etiam, conſenſu Oreſtis præfecti urbis non exſpectato, expelleret, magnis turbis occaſionem præbuit. Nam monachi, monaſteriis relictis, Alexandriam confluentes, præfectum implacabilem Cyrilli hoſtem, lapidibus impetierunt, & furori habenas laxantes, Hypatiam, doctam feminam, præfecto præprimis caram, atroci mortis genere interemerunt. Quieverunt tamen, cum ad ſupplicium raptus, morte pœnam lueret, qui primus armatæ magiſtratuum dexteræ occurrerat. Deinde in negotio Chryſoſtomi nimis iniqvum ſe præbuit Cyrillus. Neſtorio autem, Mariam Θεοτόκον neganti, primus reſtitit, & provinciali ſynodo Alexandrina convocata, XII. capitula ſeu decreta adverſus Neſtorium promulgavit: quibus Neſtorius XII antanathematiſmos oppoſuit. Alii etiam doctores iis, tanquam minus orthodoxis contradixerunt. Defendit tamen Cyrillus ſua capitula docte, pie, & animoſe, & tandem explicatione addita meruit, ut ab omnibus orthodoxus haberetur, quem ante de Apollinaris hæreſi ſuſpectum habuiſſent. Libri ejus partim exegetici, partim dimicatorii adhuc extant, & excellentiſſimum viri ingenium nobis ſatis ſuperque commendant. *Videatur hiſtoria de Epheſino concilio œcumenico.*

Pallad. in Vita ejus Hier. in Catal. Scriptor. c. 129. Metaphr in vita ej Georg. Patriarcha de vita Chryſoſt.

Tertius magni nominis theologus hac ætate fuit Johannes CHRYSOSTOMUS, ex presbytero Antiocheno epiſcopus Conſtantinopoli-

politanus,& inſpector eccleſiarum per Thraciam: philoſophus, philologus,orator &theologus inſignis,ut ex operibus ejus,in V. Tomos ab Eraſmo digeſtis, apparet: dono etiam ſanandi morbos excellens, ut Georgius patriarcha in vita ejus commemorat. Etſi autem pacis fuit amantiſſimus,non tamen inſidias falſorum fratrum,aulicorum item hæreticorum, & paganorum effugere potuit. Fratres eum, in quorum vitia acerbe invehebatur,clerum reformare conatꝰ, calumniis proſcindebant. Theophilus Alexandrinus & Epiphanius,cum libros Origenis damnare nollet,eum exagitabant. Aulici ejus in eccleſiaſticis objurgationibus vehementiam in crimen vocabant. Ipſa Arcadii uxor, Eudoxia, quam ob agrum viduæ ereptum graviter objurgaverat &ad templum venientem excluſerat,quaſi concione, contra γυναικοκρατείαν habita, crimen læſæ majeſtatis commiſiſſet, curavit per Theophilum, epiſcopum ex Alexandria accerſitum,perq; alios in ſynodum ex adverſariis ejus convocatos, ut in exilium conjiceretur. Sed intercedente multitudine, ipſoq;Honorio imperatore ejꝰ patrocinium ſuſcipiente,reſtitutus eſt: nec tamen diu potuit præeſſe officio. Publicos enim ludos, qvi ad ſtatuam imperatricis,non procul à temploSophiæ,ritibus gentilitiis exercebantur,publice deteſtatus,cum Herodiaden rurſus inſanire,turbare,ſaltare, inqve diſco caput Johannis accipere dixiſſet,per vim dejectus,vinctꝰ,&Cucuſum in Cilicia,poſtea Cumanem apud Pontum,exul abductus eſt. In exilio defunctus,diſſidio ingenti inter epiſcopos præbuit materiam: aliis eum jure; aliis per vim damnatum eſſe cenſentibus. Plerique tamen ejus ſectatores aut carceri mancipati,aut loco moti,aut variis tormentis excruciati ſunt. IpſaEudoxia paulo poſt in partu extincta eſt. Theodoſius junior jam defuncto famam reſtituit & epiſcopi ſubſequentes nomen ejus in diptycha receperunt.

Iſidor.l.1.Epiſt 156.Job. Caſſian.l.7.deIncarnat.ad;t.Socrat. l.6 Hiſt.Eccl.c. 2.3. 9. Theodoret.l.5 Hiſt. Eccleſ.c.27. & 33. Sozom.l.8 Hiſt Eccl cap 13.14. Proſp. inChronic. A 403. Niceph.l.13.c.2.& 12.Freculf. Lexovienſ. in Chron. Tom. 2. l.5. c. 1. Magd. Cent. 5. c.10.p. 1170.Oſiand. Cent.ead. l.1.c. 6.p 33. & ſeqq. Gerb.in Patrol. ſec.4 pag. 340. ſeqq.

Hiſce eccleſiæ luminibus ſuccenturiati ſunt *Heſychius* presbyter in eccleſia Hieroſolymitana clarus,& adhuc ob commentarium in Leviticum commendatus: *Theodoretus*, epiſcopus Cyri, qvi precibus, *ut eſt apud Nicephorum lib. 14. cap. 54.* à matre ſterili impetratus, & antequam natus ſacri miniſterii uſui conſecratus, in quæſtione contra Neſtorium varius fuit,nec Neſtorio, nec Cyrillo conſtans amicus.Variis commentariis,& imprimis hiſtoria eccleſiaſtica,ſe conſpicuum reddidit. Opera ejus, *Socratis & Sozomeni* conjuncta, nomen tripartitæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſortita ſunt. *Victor*, epiſcopus Uticenſis,in tribus libris, quos conſcripſit de Vandalica perſecutione in Africa,& *Gildas Sapiens*, Anglus,in

Gerb.in Patrol. Olear.in Abac. Patrolog.

 hiſto-

hiſtoria de excidio Britanniæ, ſuccenturiantur tripartitæ hiſtoriæ. *Atacig Amidenus*, ſupellectile ſacra divendita, ſeptem millia Perſarum captivorum hoſtium ab imperatore redemit, *Socrat. lib. 7. cap. 21. Syneſius Cyrenæus*, philoſophus Chriſtianus, epiſtolis plurimis, & libris de providentia, aliiſque opuſculis, famam ad poſteros transmiſit: quem Nicephorus teſtatur initio epiſcopatus ſui reſurrectionis doctrinam, Platonicis ſententiis ſeductum, minime recepiſſe; & tamen eccleſiam ei propter inſignes virtutes eſſe commiſſam, quum omnes ſpe certa docerentur, fore ut divina gratia tantum virum illo errore liberaret. *Eugenius Carthaginenſis* multa à Vandalis Arianis paſſus eſt. Ejus confesſio fidei in Vandalica perſecutione Victoris adhuc legitur: reliqui libri periere. *S. Proclus*, archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, hoc tempore vixit, cujus hiſtorica *apud Socratem lib. 7. cap. 41.* monumenta in Bibliotheca Patrum extant. In illa etiam invenitur egregia diſputatio *Gregentii archiepiſcopi* cum Herbano Judæo: epiſtolæ *Iſidori Peluſiotæ*, doctisſimo ſtylo conſignatæ: homiliæ *Petri Chryſologi* Ravennatis: parænefes & liber aſceticus *Nili monachi* Conſtantinopolitani: *Theodori*, presbyteri Antiocheni XVI libri de incarnatione Domini: *Baſilii*, Seleuciæ Iſauriæ epiſcopi, orationes XLIII in præcipuos V. & N.T. viros & facta: *Valeriani Cæſarii* Arelatenſis homiliæ: epiſtolæ *Ruricii & Deſiderii*: *Cerealis*, epiſcopi Africani, libellus contra Maximinum Arianum. Præter hos *Junilius Africanus* de partibus divinæ legis, & commentarium in priora capita Geneſeos ſcripſit. *Primaſius*, itidem Africanus, Auguſtini diſcipulus, in epiſtolas Paulinas & Apocalypſin commentatus eſt. *Sedulius* Scotus, presbyter, *Auſonius*, & *Paulinus Nolanus*, ſcriptores in utroque orationis genere fuerunt diſertisſimi: quorum poſterior viduæ paupérculæ filium ex captivitate, ſemetipſo in λύτρον oblato redemit, *teſte Gregorio dialog. lib. 3. c. 1. Paſchaſius*, diaconus Cardinalis, libros duos de Spiritu S. eccleſiæ reliquit. *Maximus Taurinenſis* homiliis eccleſiam erudiit. *Vigilius Tridentinus* contra varios hæreticos pugnavit, & à nobis adhuc legitur: ab idololatris, quos convertere voluit, in Alpibus interfectus. *Fridelinus*, regis Scotorum filius, fidem apud Germanos pasſim docuit, dono miraculorum inſignis ſi vera ſunt, quæ Balæus refert. Nam & Rhenum alio alveo contra vim tumultuantium avertit, & mortuum reſuſcitavit. *Severinus*, Aquitanus, vir divinus, Bavariæ & Auſtriæ epiſcopus, Noricorum apoſtolus dictus, prophetico ſpiritu Norici & Vindeliciæ devaſtationem prædixit, & multa loca obiens, homines ad pœnitentiam exhortatus eſt. Quæcunque oppida

Se-

Severini conciones tanquam inſani vatis riſerunt, reliquis ſervatis, exciſa poſtea ſunt. Ipſe *Odoacer*, vaticiniis ejus confirmatus, paulo poſt Italiæ regno potitus eſt. *Gennadius, Salvianus* & *Johannes Caſſianus*, Maſſilienſes, ſtrenuos etiam in vinea Domini ſeſe præbebant operarios. *Ille* opuſculum de illuſtribus viris, & epiſtolam ad omnes metropolitanos contra ſimoniam; *iſte* IIX. libros de vero judicio & providentia DEI; *hic* libros III. de inſtitutis cœnobiorum; XII. de origine vitiorum; XXIV. collationum, quas cum eremitis in ſua peregrinatione habuit, & VII. de incarnatione Domini edidit. Id interim notandum, quod Gennadius & Caſſianus de Semipelagianiſmo admodum ſuſpecti fuerint. Proſper certe Caſſianum ſub nomine Collatoris confutavit. *Salonius*, Salviani diſcipulus, ſcripſit myſticã in Proverbia & Eccleſiaſtem explicationem; *Claudius Marius Victor* commentarium in Geneſin tribus libris verſuum; *Æneas Gazæus*, ex Platonico philoſophus Chriſtianus, Theophraſtum ſeu dialogum de animarum immortalitate & corporum reſurrectione; *Nemeſius Emiſſenus* librum de natura hominis. *Eucherius Lugdunenſis*, præter alios ingenii fœtus commentariis Geneſin, libroſque regum illuſtravit. *Claudianus Mamertus*, epiſcopus Viennenſis, de animæ ſtatu tribus libris commentatus eſt, tanti ingenii vir, ut Sidonius non vereatur ipſum cum omnibus gentium & eccleſiæ ſcriptoribus conferre. *Hilarius Arelatenſis*, cujus adhuc carmen in Geneſin extat, à Romanis epiſcopis, ſub ſpecioſo autoritatis apoſtoli Petri prætextu dominationem in eccleſias Gallicanas affectantibus, ſeceſſit, & viriliter eorum ſe conatui oppoſuit. *Vincentius Lirinenſis* pro catholicæ fidei antiquitate & univerſitate adverſus profanas omnium hæreſeon novationes ſcripſit. *Proſper Aquitanicus* in ſoluta & ligata oratione ingenium prodidit. *Fauſtus Regienſis* hæreſiologiam, antidotum & duos libros de gratia DEI & liberio arbitro poſteritati reliquit: in quibꝰ tamen in partes Pelagianorum quodammodo conceſſiſſe videtur. *Lupus Trecaſſinus* tam celebris extitit, ut Sidonius auſus ſit eum nominare patrem patrum, epiſcopum epiſcoporum, & alterum ſui ſeculi Jacobum. Ipſe *Sidonius Apollinaris*, Arvernorum epiſcopus, Aviti Imperatoris gener, in annis ſenectutis initia pulſantibus ſe dixit conſiſtere. Jam grandævus enim curam eccleſiæ ſuſcepit. & epiſtolis, panegyricis orationibus, epithalamiis & epigrammatibus felix ingenium oſtentavit, inque ipſo epiſcopatu liberos procreavit, ut ex epiſtola ad Aquilinum apparet. *S. Martinus*, natione Pannonius in militiam à patre gentili protruſus, cum per quinquennium ſub Juliano militaſſet, ægrè dimiſſus, Hilarii

larii factus diſcipulus, epiſcopatum Turonenſem invitus ſuſcepit: præſcientia futurorum, gentilium multorum converſione, fanorumqve deſtructione, & dono miraculorum excelluit: multa pericula, tentationesque diabolicas fortiter ſuſtinuit: tanta liberalitate conſpicuus, ut miles adhuc & catechumenus nudam diviſo pallio tegeret, ceu teſtatur in vita ejus Severus Sulpitius. *Briccius*, diſcipulus & ſucceſſor Martini, cum juſſiſſet infantem XXX dierum ſuum patrem proloqvi & prunas ardentes veſtimento illæſo portaſſet, à ſuſpicione fornicationis ſe liberavit. *Remigius*, Francorum apoſtolus & patronus, ceu vocatur, epiſcopus Remenſium, miraculis & dono prophetiæ claruit, ceu de eo teſtatur Hincmarus, multus ſanè & ſuperſtitioſus in vita & miraculis ejus recenſendis. Libri nonnulli Remigii hujus adhuc leguntur. *Severus Sulpitius*, ut antea diximus, nobis acta Martini reliquit, ejus olim diſcipulus, illuſtri genere natus & ſcriptor elegans. *Alcimus Avitus*, epiſcopus Viennenſis, adverſus factionem Arianam, Neſtorianam, Pelagianam ſcripſit, & præterea IX libris epiſtolarum & homiliis variis inclaruit. *Paulus Oroſius*, Hiſpanus Hieronymi & Auguſtini diſcipulus contra paganos eccleſiam hiſtorico ſcripto defendit. *Patricius*, epiſcopus Scotorum, doctrina & miraculis excelluit, &, ſi credimus Vincentio, XL. diebus, ut alter Elias, jejunavit: Evangelii textum & baculum à Chriſto in viſione accepit: Deorum templa deſtruxit: ſigna pietatis paſſim erexit: obſeſſos liberavit: LX. mortuos ſuſcitavit; multa millia hominum, interque eos ſeptem reges, ſacris baptiſmi aquis abluit. Idem Vincentius, purgatorium, Chriſto monſtratore, eum inveniſſe, teſtatur: quam fabulam tamen Balæus ad qvendam alium Patricium multo juniorem transfert, *ut docent Magdeburgenſes centuria 5. capite 10.*

VII. Sic ergo his temporibus purgatorium nondum incaluit? Sed an ſextum etiam ſeculum tam pretioſos doctores tanto numero habuit?

Iſid. in Chron. c.14. Paul. Diac. ad Eutrop. l. 17. Hiſt Miſcell. lib 15. c. 8. Vita Fulgentii in Martyrol. Rom. ad 1. Jan. Honor. Auguſtodun. l. 3. c. 16. Sigeb. de Script. Eccl. c. 28. Ferrand. Diac. de Vit. Fulg.

Nullo modo. Nam nunc tandem capita doctrinæ Chriſti & parcius, & minus pure explicabantur: in ceremoniis ſuperſtitioſis ſubinde auctis, doctores ignobiles toti occupabantur: opes in monaſteria collatæ pietatem obruebant. Inter omnes autem ſexti ſeculi Doctores venerata eſt eccleſia hac ætate FULGENTIUM, Auguſtini diſcipulum, epiſcopum Ruſpenſem, frugalem, eruditum, multa ab Arianis paſſum, & bis in exilium ejectum, bis reſtitutum, egregiis librorum monumentis clarum: *Petrum*

Dia-

Diaconum, cujus liber de incarnatione & gratia Chriſti in Bibliotheca Patrum extat: *Ennodium*, cujus opera ſeorſim expreſſa leguntur: *Ferandum*, diaconum Carthaginenſem, è parænetico de duce religioſo notum: *Eugipp um*, abbatem qvi duos tomos theſaurorum Auguſtini compilavit. Illuſtris imprimis fuit *Anicius Severus BOETHIUS*, vir conſularis, Iſid. in Chron
poeta, philoſophus & theologus inſignis: qui libris multis, & imprimis & Orig. l. 3. c. 1.
iis, qui agunt de conſolatione philoſophica, de fide Chriſtiana, de Tri- Paul. Diac. l. 17.
nitate, & de duabus Chriſti naturis, ſe commendavit, & cum ſocero Procop. de bello Goth. lib. 1.
SYMMACHO, viro non minus celebri, à Theodorico Oſtrogothorum rege Ariano, tandem necatus eſt. Inter poetas ſacros admirati
ſunt hoc ſeculo *Venantium Fortunatum presbyterum*, *Aratorem*, *Alcimum* Procop. l. 1. c. 2.
Avitum, *Dracontium*, *Turcium Ruffum*, *Nonnum Panopolitanum*, *Ruſti-* Aimon. l. 2. c.
cum Helpidium: & præter eos *Aurelium Caſſiodorum*, Ravennatem, con- Paul. Diac. ad
ſulem primo & patricium, regiqve Theodorico à epiſtolis, poſtea mo- Eutrop. l. 17.
nachum: Pſalmorum, Cantici & Apocalypſeos commentatorem & Faſtorum conſularium autorem: ut & *Dionyſium Exiguum Abbatem*, Æræ Chriſtianæ vulgatæ conditorem. Hoc præterea ſeculum ſcriptis exornarunt, quæ adhuc in Bibliotheca Patrum extant, *Johannes Maxentius* & *Leontius Byzantius*, monachus, egregii fidei adverſus varios hæreticos vindices: *Victor*, epiſcopus Africanus, qui de ratione fidei catholicæ ad Hunericum regem Vandalorum ſcripſit: *Juſtus Orgelitanus*, qui Canticum Canticorum; *Aretas*, qui Apocalypſin; *Primaſius*, epiſcopus Africanus, qui & ipſe Apocalypſin, & omnes epiſtolas Pauli commentario illuſtrarunt: *Agapetus Diaconus*, qui paræneſin ad Juſtinum imperatorem edidit: *Zacharias Mitylenenſis* cujus Syntagma adverſ9 Manichæos, contra mundi & materiæ æternitatem applauſum meretur: *Anaſtaſius Sinaita*, patriarcha Antiochenus, autor longe optimus dignus qui adverſus Socinianos in ὁδηγῷ ſeu duce viæ, adverſus Acephalos legatur: *Junilius Africanus*, duobus libris de partibus divinæ legis clarus: *Ruſticus*, qui ſe diſputatione contra Acephalos commendavit: *Martinus Dumienſis*, qui de quatuor virtutum cardinalium differentia ſcripſit: *Johannes Climacus*, qvi librum triginta graduum ſeu ſcalam paradiſi, qua ad perfectionem conſcenditur, edidit: *Iſaacus Presbyter*, qui de mundi contemtu commentatus eſt. Ex philoſophis floruere *Philoponus & Proclus*, ut & *Priſcianus Grammaticus*, & inter JCtos *Tribonianus*: ſed hi omnes pagani & nominis Chriſtiani hoſtes. Hiſtoriam imprimis excoluerunt hoc ſeculo, *Marcellinus Comes* in Chronico rerum orientalium; *Theo-*

dorus Lector in collectaneis hiſtoricis: *Evagrius* in hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſex libris; *Gregorius* Turonenſis in hiſtoria Francorum, gloria martyrum, miraculis & vitis Patrum: *Jornandes* in libro de rebus Geticis. Hoc ſeculo VI. ineunte *Dunaas*, rex Arabiæ, vulgo dictus rex Homeritanorum, Judaiſmum amplexus infenſe Chriſtianos affixit. Sed Adad, rex Æthiopum, Chriſti nomini addictus, feliciter eum evertit: quanqvam poſtea Perſæ, Æthiopibus ex Arabia ejectis, Homeritis reddidere Arabiam. Converſi alias ſunt hoc tempore *Almundarus*, princeps Saracenorum; *Zothus*, rex Colchorum; *Brudaus*, rex Pictorum; *Ethelbertus*, rex Cantuarienſium: *Bordas*, rex Hunnorum; *Getes* Herulorum: & evangelium lætius ſonuit in Armenia, Iberia, & apud Anglo-ſaxones. Bajoarios convertit *Rupertus*.

IIX. Cum ſecula poſteriora plerumque ſoleant prioribus eſſe deteriora: ſeptimum à doctoribus eccleſiæ florentius fuiſſe, vix credibile eſt.

Iſid. l. 5. Orig in fin. Concil. Tolet. 8. c. 2. Herm Contr. A. 703. 726. 731. Vinc. Bellov. l. 4. Spec. Hiſt. c. 133. 150.

In illo orientales pleriqve Monotheletarum errorem profitebantur. Romani ceremoniis condendis, ſeſeqve ſuper eccleſiam Dei ambitioſe efferendis erant occupati. Nomen imprimis, præter Gregorium M. cujus vitam & res geſtas in catalogo Romanorum pontificum invenire licet, meruerunt *ISIDORUS Hiſpalenſis*, ineunte ſeculo VII; & exeunte *BEDA venerabilis*, Britannus monachus: quorum *ille* varia opera octo tomis comprehenſa reliquit, & Machometem, antequam in pietatem acueret ingenium, peſtem reipub & eccleſiæ, ex phyſiognomia præſagiit; *hic* ipſi Gregorio M. ob linguarum variarum peritiam, & dicendi ſuavitatem, quodqve omni philoſophica & theologica ſcientia abundaret, prælatus eſt, & XXXVI. volumina in libros LXXIIX. diſtincta conſcripſit. Vitam illus qui ſcripſit, fabulatur, eum oculis in extrema ſenectute captum à famulo per luſum ad acervum lapidum fuiſſe deductum, quaſi ad eccleſiam: lapidesq; , cum diu concionatus eſſet, per miraculum clauſula illa eccleſiaſtica, AMEN, reſpondiſſe. Præter hos *Iſichius ſeu Hiſychius presbyter* ſcripſit in Leviticum: *Sophronius*, archiepiſcopus Hieroſolymitanus, *Antiochius monachus*, *Eligius Noviomenſis*, *Theofridus*, *Eſaias Maximus & Berengoſius*, ediderunt ſermones & homilias varias: *Johannes Moſchus*, alias *Eviratus*, evulgavit pratum ſpirituale; *Thalaſſius* quatuor hecatontadas de ſincera caritate, vera continentia & regimine mentis; *Severus Patriarcha* Alexandrinus, librum de ritibus baptiſmi;

Pan-

Pantaleon Diaconus ſcripſit de luminibus ſanctis, ſeu de Domino Chriſto & Johanne præcurſore; *Leontius Cyprius* contra Hebræos. Imprimis duo archiepiſcopi Toletani ſolertes fuere in myſteriis fidei explicandis, *Hildephonſus & Julianus*. *Ille* operoſum tractatum de virginitate Mariæ, & plures de præcipuis ejus feſtis vulgavit: *Hic* tribus Judæorum impietatem; totidem, quos Prognoſticon vocat, futurum ſeculum depinxit, & in Prophetam Nahum commentatus eſt. Nec defuere poetæ huic ſeculo. Nam *Honorius* carmine aſcenſionem Chriſti; *Georgius Piſida* mundi opificium ſeu opus ſex dierum; *Coſmas Hieroſolymitanus* Theogoniam; *Petrus Appollonius* excidium Hieroſolymitanum celebrarunt. Hoc ſeculo nomen Chriſto dedere *Angli mediterranei* per monachum Auguſtinum; *Franci orientales* per Kilianum & Wilibaldum. Converſi etiam ſunt *Heneti* in vicinia Bojorum, *Giſulfus, dux Forojulienſium*. Anglo-Saxones diviſi ſunt in duos archiepiſcopatus, Londinenſem & Eboracenſem.

IN OCTAVO SECULO, quod attigit venerabilis Beda, de quo jam diximus, conſpicui præcipue fuere, *ANSHELMUS*, qui verſa & proſa oratione de laude virginum & octo principalibus virtutibus commentatus eſt, *& Johannes DAMASCENUS*, monachus, vir profundæ doctrinæ, qui cum multis aliis operibus, tum imprimis libris quatuor de fide orthodoxa admodum eccleſiæ prodeſt. His adde *PAULUM DIACONUM*, Warefridi Longobardi filium, qui juſſu Caroli M. Poſtillas in evangelia & epiſtolas Dominicales primus concinnavit: egregius Hiſtoricus, à quo Eutropius auctus eſt & continuatus: *Flaccum Albinum*, alias *Alcuinum* dictum, natione itidem Anglum, ſed à Carolo M. in Galliam evocatum, Pariſienſis Academiæ autorem & directorem, qui præter alia monumenta, Carolo jubente, Patrum homilias in evangelia Dominicalia in ordinem redegit: *Vinofridum*, epiſcopum Moguntinum, *Bonifacium* dictum, qui, etſi multos Germanorum ad Chriſtum convertit, eccleſias tamen Germanicas, quæ antea doctrinam Chriſti profeſſæ, pontificum jugo non fuerant ſubjectæ, pontificia larva induit & deformavit. Adde illis etiam *Germanum & Taraſium*, epiſcopos Conſtantinopolitanos, imaginum contra iconoclaſtas defenſores. Cæterum hoc ſeculo converſi ſunt *Weſtphali ſeu Saxones*, *Flandri*, *Brunſvicenſes*, *Friſii*, quorum apoſtolus Wilfridus, *Carinthii*, *Telericus* rex Bulgarorum, *Tuellinus*, rex Hungarorum, *Valdungus*, rex Henetorum. *Rex quoque Daniæ*, *Gormo*, Chriſti fidem recepit; ſed multi ex

Malmesb. lib. 5. Hiſt. Ang p. 91. ſeqq.
Cedren. Comp. Hiſt. p. 730. 40. 50. Sabell. Enn. 8. l. 5. pag. 273. Sig. de Vir. Illuſt cap. 8. Trithem. de Script. Eccl. p. 250. Petr. Diac. de Vir Illuſt. Mont. Caſſ.

ejus ſucceſſoribus ſubinde ad cultum idolorum reſilierunt. Eadem fata contigere prædicationi evangelii *in Svecia.* Nam etſi hoc ſeculo rex *Biorno IV.* tempore Caroli M. nomen Chriſto dedit, ab *Ansgario* baptiſatus: ſæpe tamen ſubſequentibus annis Chriſtus eſt deſertus, donec tempore Ottonum impp. ad *Adelwardi, Stephani & Olai* conciones tota Svecia converteretur.

IX. *Satis de Doctoribus. Nunc catalogum pontificum Romanorum continuari peto.*

Præmittam ſeriem patriarcharum Conſtantinopolitanorum, Hieroſolymitanorum, Antiochenorum & Alexandrinorum: quia ſine illa patriarcharum Romanorum, & conciliorum atque hæreticorum hiſtoria obſcura eſt. Incipiam à Conſtantinopolitanis quia illorum patriarchatus, licet demum decreto concilii Conſtantinopolitani & Chalcedonenſis acceſſerit, ſic tamen excrevit poſt translatam in orientem imperii ſedem, ut primatum auderet præ Romano affectare & autoritas ejus poſt Romanam ab eo tempore ſemper eſſet conſpicua:

Philipp. Cyprig. in Chron. Eccl. Græc. cum not. Heinr. Hilarii Magdeb. & Oſiand. in Centuris Hiſt. Eccleſ. paſſim.

CONSTANTINOPOLI, tempore concilii Nicæni præfuit *Alexander:* & poſt eum *Paulus*, cui in ſchiſmate per Conſtantem Imperatorem, Arianum, abdicato & deportato ſurrogatus eſt *Euſebius Nicomedienſis Arianus*, bis apoſtata. Poſt obitum Euſebii intruſi revocatus eſt ab orthodoxis *Paulus*, opera Conſtantis: ſed iterum per Conſtantium & Arianos dejectus, & in exilio ſtrangulatus. Illi per tumultum ab Arianis ſurrogatus eſt *Macedonius* hæreſiarcha, Spiritum Sanctum inter creaturas referens. Hic admodum in catholicos ſæviit, & à parte Semi-Arianorum contra Arianos ſtetit, & ob id ab Acacianis Arianis, qvorum promachus erat Acacius, epiſcopus Cæſarienſis, eſt depoſitus. Illi *Eudoxius, rigidus Arianus,* ex Antiochena eccleſia, cujus ſedem doloſe ante invaſerat, evocatus, ſurrogabatur: qui in impias partes traxit Valentem imperatorem. Defuncto illi ſurrogatus eſt *Semi-Arianus Demophilus.* Cum adeſſet Conſtantinopoli *Gregorius Nazianzenus orthodoxus*, à concilio Antiocheno illuc miſſus ad eccleſiam, qvam Ariani admodum proſtraverant, reparandam: multa paſſus eſt à Demophilo & reliquis Arianis. Ab orthodoxis quidem expetitus epiſcopus eſt, & in locum Demophili à Petro Alexandrino epiſcopo illis datus, & in concilio œcumenico Conſtantinopolitano confirmatus: ſed adverſarii illi opponebant in ſchiſmate *Maximum*, ex philoſopho Cynico Chriſtianum, ſed mox à populo

pulo pulſum. Cumque non ceſſarent turbæ, abdicavit ſeſe epiſcopatu, & *Nectarius* ex ſenatorio ordine, adhuc catechumenus, adeoq; ſacrorum imperitus, etſi orthodoxꝰ, datus eſt illi ſucceſſor. Hic cum anno CCCXCVII. moreretur, egregium recepit ſucceſſorem *Johannem Chryſoſtomum*, hactenus presbyterum Antiochenum. Hic cum non tantum hæreticis ſe maſcule opponeret, ſed & cleri & populi ipſiusque Eudoxiæ Auguſtæ vitia corrigeret, odium omnium in ſe concitavit, & opera Eudoxiæ in ſynodo ad Quercum ab Alexandrino epiſcopo depoſitus, in exilium abiit. Sed cum ſeditio in populo exoriretur; terræ motus etiam omnium animos conſternaret: revocatus eſt cum honore. Statim tamen anno ſequenti iterum, volente ita Eudoxia, quam ob imaginem ejꝰ ſuperſtitioſe circumductam reprehenderat, denuo à conciliabulo Conſtantinopolitano pulſus eſt in exilium. Succesſit illi anno CCCCIV. *Arſacius*, frater Nectarii, hactenus presbyter, homo infantisſimus: ſed illo anno ſequente mortuo, unus ex adverſariis Chryſoſtomi, pius tamen & inculpatꝰ vir, *Atticus*, patriarchæ dignitatem meruit: quem hoſtiliter oppugnavit Innocentius, papa Romanus, cum jure ſuo in eccleſiam Illyrici uteretur. Præfuit poſtea *Siſinnius*, vir laudatisſimus, & poſt hunc *Neſtorius* hæreſiarcha, ex Antiochia, ubi hactenus presbyter fuit, accerſitus. Neſtorio à concilio œcumenico Epheſino damnato ſucceſſere ordine *Maximianus*, vir inſignis: *Proclus*, qui egit adverſus ſcripta Diodori Tarſenſis & Theodori Mopſveſtani: *Flavianus*, qui admodum vexatus ab Eutychianis & Neſtorianis, & imprimis à Dioſcoro, epiſcopo Alexandrino, Eutychetis patrono: *Anatolius*, intruſus à Dioſcoro: *Gennadius*, clarus inter ſcriptores, & imprimis commentario in Danielem: *Acacius*, initio orthodoxus, tandem Eutychianis favens, in quorum gratiam approbavit Henoticon Zenonis: à Felice III epiſcopo Romano ob primatus in eccleſia quæſtionem excommunicatus, ſed quem vicisſim excommunicavit: *Fravitas ſeu Flavianus*, qui malis artibus obtinuit epiſcopatum, pacemq; ſimul cum catholicis & hæreticis affectavit, & paulo poſt ſubito deceſſit: *Euphemius*, orthodoxus, contra Petrum Moggum, admodum a Romano pontifice vexatus, quod Acacii anteceſſoris nomen in diptychis retineret, tandem ab imperatore Anaſtaſio Eutychiano pulſus: *Macedonius*, pius & orthodoxus, pulſus & ipſe ab Anaſtaſio: *Timotheus*, Eutychianus & Theopaſchita, ab Anaſtaſio intruſus & repentino caſu anno DXVII. mortuus: *Johannes Cappadox*, orthodoxus: *Epiphanius*, orthodoxus: *Anthimus*, Eutychianus, per conjugem Juſtiniani intruſus, & tandem excommunicatus à concilio Conſtan-

tinopolitano & à Juſtiniano relegatus anno IↃXXXVI. *Mennas* orthodoxus, ſed in cauſa trium capitulorum varius: *Eutychius*, qui præfuit qvinto concilio œcumenico Conſtantinopolitano, in qvo tria capitula damnabantur: tandem à Juſtiniano jam Aphthardocita pulſus: *Johannes Scholaſticus*, mortuus anno IↃLXXVII. *Eutychius* iterum: *Johannes Jejunator*, cujus faſtum Gregorius M. papa Romanus redarguit, cum ſe vocaret epiſcopum œcumenicum: *Cyriacus*, qui reſtitit Phocæ, cum titulum œcumenici tribueret Romano Pontifici: *Thomas*: *Sergius*, tandem Monotheleta & ſeductor Heraclii imperatoris, cui autor fuit, ut ecthesis impia conderetur: *Pyrrhus*, Monotheleta, depoſitus: *Paulus*, & ipſe Monotheleta, autor Conſtanti imperatori, ut impium Typum promulgaret: *Pyrrhus* iterum poſt reſipiſcentiam, anno IↃLI. ſed paulo poſt mortuus apoſtata: *Petrus*, Monotheleta: *Thomas*, Monotheleta: *Johannes*, Monotheleta: *Conſtantinus*, orthodoxus: *Theodorus Sincellus*, Monotheleta, pulſus autoritate concilii œcumenici: *Georgius* orthodoxus in œcumenico concilio VI. electus *Theodorus Sincellus* iterum, ſimulans ſe catholicum: *Paulus*, ex laico epiſcopus: *Callinicus*, autor celebrationis Synodi Qvinisextæ, tandem oculis à Juſtiniano juniore privatus, anno IↃCCIII. *Johannes*: *Cyrus*, à Philippo Monotheleta remotus: *Johannes*, monotheleta, ex monacho epiſcopus intruſus: *S. Germanus*, iconoclaſtiæ Leonis Iſaurici adverſus & ejectus: *Anaſtaſius* iconoclaſta, dejectus & cæſus à Copronymo imperatore Neſtoriano: *Conſtantinus iconoclaſta*, à Copronymo intruſus, & poſtea capite truncatus: *Nicetas*, evnuchus, iconoclaſta: *Paulus*, qui ſe poſt quadriennium abdicavit & monaſterium ingreſſus: *Taraſius*, ex ſecretario patriarcha, iconolatra, intereſt concilio Nicæno II. *Nicephorus* itidem ex ſecretario patriarcha, iconolatra, pulſus ab iconoclaſta Leone Armenio: *Theodorus Caſſitera*, iconoclaſta: *Johannes* iconoclaſta, ejectus ab idololatris: *Methodius* iconolatra, qui ſtupri accuſatus, ſe purgavit, oſtenſis pudendis plane ſiccatis: *Ignatius*, Nicephori Imp. ex filia nepos, à Leone Armenio caſtratus è monacho tandem anno IↃCCCXLVII. patriarcha, varia paſſus ob aulicorum vitia reprehenſa, & dejectus an. IↃCCCLVIII. *Photius* ex laico patriarcha, multa paſſus à pontificibus Romanis, qvi cauſam agebant Ignatii ejecti: *Ignatius*, iterum: *Photius* iterum, tandem ab imperatore Leone VI. relegatus: *Stephanus*, Leonis VI. frater: *Antonius Cauleos*: *Nicolaus Myſticus*, depoſitus, qvod noluiſſet conſentire quartis nuptiis Leonis VI. & poſt *Euthymium* reſtitutus ab Alexandro imperatore, anno IↃCCCCXI. poſt quem qui præfuerint eccleſiæ Conſtantinopolitanæ

litanæ, non opus eſt recenſere, quia hiſtoria ſubſiſtit pene in ſolis nominibus. Notetur ſaltem, quod *Johannes Xiphilinus*, Dionis Caſſii epitomator, patriarcha Conſtantinopolitanus factus ſit anno CIↃLXVI. quodq; tempore belli ſacri cœperint *bini patriarchæ* aliquandiu præeſſe, quorum unus *Latinorum*; alter *Græcorum* erat epiſcopus: quodque, cum Conſtantinopolis ſeculo XIV. occupabatur à Turcis, Chriſtianis primus ſub Turcis patriarcha præfuerit *Gennadius*, & luculenta privilegia Chriſtianis a Machomete impetraverit. Notetur item, quod Conſtantinopolitanus patriarchatus ab illo tempore, quo nova Roma dici cœpit, complexus ſit quinqve diœceſes: & in ſingulis plures provincias: nempe *in diœceſi Aſiana*, Pamphiliam, Helleſpontum, Lydiam, Piſidiam, Lycaonem, utramq; Phrygiam, Cariam & Inſulas: in *Pontica* Galatiam utramque, Bithyniam, Paphlagoniam, Honoriaden, Cappadociam, utramque, Hellenopontum, Pontum Polemoniacum, utramque Armeniam: in *Thracica* Europen, Thraciam, Hæmum montem, Rhodopen, Myſiam, Scythiam: in *Macedonica* Achajam, Macedoniam, Cretam, Theſſaliam, Epirum veterem & novam: *in Dacica* denique Daciam mediterraneam & Ripenſem, Myſiam alteram, Dardaniam & Prævalitanam.

HIEROSOLYMITANÆ eccleſiæ tempore concilii Nicæni præfuit *Macarius*, qui ſubſcripſit damnationi Arii. Poſt eum ordine ſubſecuti ſunt *Maximus*, confeſſor & acerrimus fidei Nicænæ & Athanaſii adverſus Arianos propugnator, mortuus anno CCCLI: *Cyrillus*, ex concilio ſecundo Oecumenico notus, in religione varius, & ſæpius in Arianorum, Semi Arianorum & orthodoxorum conflictationibus pulſus & receptus, cum interea unus atqve alter (variant enim hic autores) ſedem occuparet: *Johannes* inde, Origenis patronus & ob id ab Epiphanio & Hieronymo reprehenſus, defunctus anno CCCCXVI. *Praijus: Juvenalis*, qui intererat concilio œcumenico III. Epheſino adverſus Neſtorium, tandemque pro Eutychete ſentiens, ſed reſipiſcens, & ob id ab Eutychianis pulſ9 & denuo reſtitutus: *Anaſtaſius: Martyrius* ab aliquibus, ut Evagrio, Eutychianiſmi inſimulatus: *Salluſtius: Elias*, Arabs, orthodoxus, ab Eutychianis pulſus anno IↃXIII. *Johannes*, ex Eutychiano catholicus: *Petrus*: *Macarius* pulſus, ſed reſtitutus: *Euſtochius*: *Johannes*: *Amos*: *Eſychius*: *Zacharias*, abductus anno IↃCXIV. à Perſis, qui ſub Coſrhoe Hieroſolymas occuparunt: *Modeſtus* abbas: *Sophronius*, ſtrenuus oppugnator Monotheletarum, cujus tempore Hieroſolymæ anno IↃCXXXVI ceſſerunt Saracenis; A quo tempore res epiſcoporum Hieroſolymitanorũ admodum fuere acciſæ,

ciſæ, ipſique obſcuri nominis. Notetur, quod Hieroſolymitana eccleſia, etſi mater erat reliquarum, initio tamen absque prærogativa patriarchatus fuerit. In concilio Nicæno, cum canone VI. Romano & Alexandrino, Epiſcopis, confirmaretur dignitas patriarchalis, canone VII. antiqua qvoqve conſvetudo confirmatur, qua epiſcopus Æliæ i. e. Hieroſolymitanus eſt honoratus, ut ſalva maneat metropoli dignitas. Hinc aliqui concludunt, illo tempore Hieroſolymitanam eccleſiam nondum patriarchalem fuiſſe, nec epiſcopum in ea ulli archiepiſcopo inſtar aliorum patriarcharum præfuiſſe, quanquã quarto loco in conciliis conſederit: Antiocheno enim eum ſubfuiſſe: deinde tempore concilii Chalcedonenſis, ne eſſet ſine honore, decerptum eſſe patriarchatui Alexandrino Cæſarienſem & Scythopolitanum; Antiocheno Berythenſem & Rubenſem metropolitanos cum nonnullis epiſcopis; quosdam etiam epiſcopos de novo eſſe creatos, ut illi ſubeſſent: in ſacro etiam bello Tyrenſem archiepiſcopatum eſſe Antiocheno detractum & eidem ſubjectum.

ANTIOCHENUS patriarchatus XV. orientis provincias ſibi habuit ſubjectas, nempe utramque Syriam, utramq; Palæſtinam, Phœnicen, I. II. & ſalutarem, utramq; Ciliciam, Cyprum, Euphratenſem, Meſopotamiam, Oſdroenam, Arabiam Iſauriam. Præcipuæ ejus ſedes fuere Tyrus, Tarſus, Edeſſa, Apamia, Hieropolis, Seleucia, Theodoſiopolis, Emiſſa, Damaſcus, quo tandem ipſa ſedes patriarchalis eſt translata. In concilio Nicæno præfuit *Euſtathius*, à quo orthodoxi Antiochiæ ſunt vocati Euſtathiani. Hunc Ariani tempore Conſtantii per ſubornatam meretriculam adulterii accuſarunt, ut loco pelleretur. Ejecto illo, variæ turbæ datæ ſunt, cum, renitentibus aliis, Ariani ſibi jam peterent *Euſebium Cæſarienſem*, unde Ariani dicti ſunt *Euſebiani*, jam *Eulalium Placitum*, *Stephanum*, *Leontium* ſpadonem, qui ſe ipſum caſtraverat. Orthodoxi autem evehi volebant *Euphronium*. Sed ille ſtatim pulſus eſt. Dein doloſe invaſit ſedem *Eudoxius* Arianus, à cujus diſcipulo Eunomio aliud nomèn *Eunomianorum* acceſſit Arianis. Eudoxio a Conſtantio Imperatore Conſtantinopolin translato ſucceſſit *Meletius*, communi orthodoxorum & Arianorum conſenſu electus, quod utraque pars ipſum à ſe ſtare exiſtimaret. Et aliquando Arianis conſenſerat. Quia autem nunc orthodoxus erat, à Conſtantio in exilium ſtatim ſequenti anno CCCLX. pulſus eſt: A Joviniano revocatus iterum ejectus eſt à Valente. In his turbis pars Antiochenorum Euſtathiana elegit ſibi *Paulinum*, qui *Meletianis* i.e. Meletii ſectatoribus communicare noluere, qvum ille ab Arii partibus aliquando

ſte-

ſtetiſſet. Conciliati tamen tandem ſunt Meletius & Paulinus, quia uterq; orthodoxus erat, hac conditione, ut, qui ſuperviveret, ſolus epiſcopus eſſet. Supervixit Paulinus cum Meletius in concilio œcumenico Conſtantinopolitano pie obiiſſet. Sed & tunc graves denuo turbæ extitere, aliis *Flavianum* petentibus, aliis Paulinum retinere volentibus. Duo igitur iterum erant catholicorum Antiochiæ epiſcopi, Flavianus & Paulinus. Paulino paulo poſt defuncto ſurrogatus eſt *Evagrius*; Flaviano *Porphyrius*. Evagrius brevi moritur: Moritur & Porphyrius anno CCCCIIX. Et tunc eccleſia hactenus per annos LXIIX diſtracta, iterum coaluit, nominibus Meletianorum & Euſthatianorum ſublatis, & *Alcedro* electo. Illi ordine ſucceſſere *Theodotus*: *Johannes*, qui Theodorum Mopſveſtanum defendit: *Domnus*, ſatis vexatus ab Eutychianis & depoſitus ab illis: *Maximus*, intruſus ab Eutychianis: *Baſilius* catholicus: *Acacius Martyrius*, admodum vexatus à ſucceſſore, ſponte dignitate abiit: *Petrus Gnapheus*, à prima arte *Fullo* cognominatus, Eutychianus & Apollinariſta, ſedis invaſor, iterum iterumq; pulſꝰ rediit. Qui interea patriarchatui præfuere, *Stephanus ſenior*, *Stephanus junior*, *Calendion*, viri pii & orthodoxi, graviter vexati; Stephanus etiam ſenior martyrio coronatus eſt. Gnapheo turbatori anno CCCCLXXXVI. mortuo ſucceſſit *Palladius* & ipſe Eutychianus: inde *Flavianus* orthodoxus, ſed ob fidem ab Anaſtaſio imperatore pulſus. Intruſus poſt eum *Severus*, ex mago ethnico monachus Eutychianus, & tandem patriarcha, catholicos crudeliter perſecutus, à ſe nomen dedit *Severianis*. Tandem à Juſtino imperatore anno IↃXIX. ejectus, Alexandriam confugit, & ibi autor factus eſt *Corrupticolarum*. Poſt illum præfuere *Paulus* orthodoxus, qui ſe ſponte abdicavit: *Euphraſius*, qui in ingenti illa clade, qua magna pars Antiochiæ terræ motu fœdata eſt, periit: *Ephræm*, ex comite epiſcopus, cujus tempore Antiochia occupata eſt à Coshröe Perſa, ſed brevi poſt à Juſtiniano reſtituta. *Domnus*: *Anaſtaſius Sinaita*, clarus inter ſcriptores, qui reſtitit Juſtiniano, cum hæreſin *Incorruptibilium* promulgaret, & calumniis deinde traductus, atqve à Juſtino pulſus, in exilium abiit: *Gregorius*: *Anaſtaſius Sinaita* iterum: *Anaſtaſius junior*, à Judæis anno IↃCIX. occiſus. Anno abhinc XXIIX. Antiochia capta eſt à Saracenis. Et ab hoc tempore obſcura ſunt patriarcharum nomina. In bello qvidem ſacro, cum à Chriſtianis Antiochia recuperaretur, patriarchatus cœpit quodammodo refloreſcere, ita ut hi patriarchæ ſe auderent non tantum Hieroſolymitanis, ſed & Romanis epiſcopis præferre. Qvo ipſo

tempore factum, ut Latinis ſuus eſſet Antiochiæ patriarcha; ſuus etiam Græcis. Anno cIↄ CXCIII. *Theodorus Balſamon* patriarcha, egregius ſcriptor, Nomocanonem & alios libros contra Romanum pontificem edidit. Hodie eccleſiæ, qvæ quondam ſubfuere patriarchæ Antiocheno, ſcindunt ſeſe in tres *Jacobitarum, Neſtorianorum & Malchitarum* factiones; *Jacobitis* dictis à Jacobo, Dioſcori Eutychiani diſcipulo, præeſt patriarcha, qui ſe quidem Antiochenum vocat, ſed non Antiochiæ, verum in Meſopotamiæ urbe nobili Amed ſeu Caramit ſeu Charemet, in regione, qvam vocant Moradin ſeu Mœredin, ſedem habet. *Neſtorianorum* patriarcha dici conſvevit patriarcha Babylonis. Reſidet in monaſterio ad oppidum Muſul, in ruinis antiquæ Ninive extructum: & ſub illo CCC. amplius mille familiæ in Chaldæa dicuntur inveniri, qvum familiæ Jacobitarum nõ excedant numerum LXXX. millium. *Malchitæ* parent patriarchæ, qvi ſedem habet Damaſci, dicti quaſi regii: quia decreta imperatorum, contra Neſtorianos & Eutychianos ſequuntur.

ALEXANDRINO patriarchatui decem provinciæ ſuberant, inque illis Ægyptus, Thebais, Libya, Arcadia, Auguſtamnica. Illi præfuit tempore Concilii Nicæni *Alexander*, qui Arium exuit presbyterio & eccleſia ejecit. Succesſit *magnus Athanaſius*, cujus hiſtoriam jam conſignavimus: cujusq; locum, cum in exiliis diverſis hæreret, primum *Gregorius*, deinde *Georgius*, uterq; Cappadox, uterq; Arianus, ut & *Lucius*, invaſere: *Petrus*, qui anno CCCLXII. Athanaſio ſuccesſit, quia erat orthodoxus, multa ſimiliter ab Arianorum epiſcopo Lucio paſſus eſt. Succesſit illi frater *Timotheus*. Hinc ordine *Theophilus*, qui confecit cyclum paſchalem, oppugnator Origeniſtarum, minus æquus Chryſoſtomo. Hinc *magnus Cyrillus*, Theophili ex fratre nepos, qvi nomen Chryſoſtomi reſtituit in Diptychis, hoſtis acerrimus Neſtorianorum, Novatianorum, Judæorum, præſes in Concilio œcumenico Epheſino. Poſt eum *Dioſcorus*, fautor Eutychetis, orthodoxorum perſecutor, tandem damnatus in concilio Chalcedonenſi, & depoſitus anno CCCCL. Poſt eum eliguntur in ſchiſmate *Proterius* orthodoxus & *Timotheus Ælurus* Eutychianus, unde dicti *Timotheani*. Ælurus cum curaſſet occidi Proterium, pulſus eſt à Leone, inque ejus locum electus *Timotheus Soloſaciolus* orthodoxus. Sed Leone defuncto, Ælurus rediit, & Soloſaciolum extruſit; qui tamen Æluro, cum ſe ſua manu percuſſerat, denuo anno CCCCLXXVII. ſuccesſit. Illi oppoſitus eſt Eutychianus *Petrus Moggus*, ſed mox à Zenone ejectus. Cumqve paulo poſt moreretur Soloſaciolus, *Johannes Tabaidas*

landus creatus eſt epiſcopus. Contra hunc ab exilio denuo adeſt *P. Moggus* & Zenoni autor eſt, ut henoticon promulgaret. Illius locum occuparunt Eutychiani continua ſerie *Johannes Mela*: *Johannes Machiota*: *Dioſcorus Junior*: *Timotheus*, contra quem orthodoxis à Juſtino datus eſt *Aſterius*. Poſt illum in ſchiſmate ſimul præfuere eccleſiæ *Theodoſius*, intruſus à Juſtiniani uxore, fautor *Incorruptibilium*: & *Gajanus*, à populo vocatus, fautor *Incorruptibilium*, qvos ab ipſo vocabant *Gajanitas*. Inde *Paulus* à Juſtiniano depoſitus. Hinc orthodoxi continuo ordine. *Zoilus*: *Apollinaris*: *Johannes*: *Eulogius*, tempore Gregorii M. *Theodorus Scribon*: *Johannes Eleemoſynarius*, vir optimus: *Georgius*. *Cyrus* inde Monotheleta, cujus tempore anno IↃCXXXVII. Alexandria capta eſt à Saracenis: & poſt hac incertus ordo patriarcharum. Sedes hodie translata eſt *Cayrum*. Chriſtiani in Ægypto vocantur *Cophti* vel *Ægopthi*: qui ante baptiſmum infantes circumcidunt, baptiſmum adultioribus conferunt, & in tria immerſione ter formulam baptiſmi repetunt: loco confirmationis, matrimonii & extremæ unctionis, inter ſacramenta referunt fidem, jejunium & orationem: unam tantum in Chriſto voluntatem agnoſcunt: Concilium Chalcedonenſe rejiciunt. Nunc tandem pergimus ad Pontificos Romanos.

ROMANI PONTIFICES SUB IMPP. ORIENTALIBUS GRÆCIS.

A.C. Anni ſedis

314. XXXIV. *Silveſter*, *Romanus Ruffini F.* 22

[Hic eſt famigeratus ille Silveſter, quem nugantur Conſtantinum M. lepra percuſſum, miraculoſe mundaſſe, & ob tantum beneficium non Romæ duntaxat, ſed totius fere Italiæ, aliarumque provinciarum dominum & juriſdictionem temporalem accepiſſe ab imperatore, indignum ſe ejus urbis imperio judicante, in quo monarcha totius eccleſiæ, Chriſtiq; in terris vicarius reſideret. Latitaverat Silveſter hactenus ob mortis metum in monte Soracte. Sed cum pax eccleſiæ eſſet à Conſtantino M. reddita, inde rediit, non, ut Conſtantinum à lepra mundaret, ſed ut epiſcopatum urbis Romæ ſuſciperet. Et Conſtantinus quidem, ut canit Mantuanus,

Sozom. l. 1. Hiſt. Eccl. c. 2. p. 546. Sabell. 7 Enn. 8. col. 391. Baron. Tom. 3. Annal. ad Ann. 324. p. 237. ſeq.

Maxima templa Deo Divisq; eduxit in auras,
Immenſas donavit opes, vaſa aurea fundos;

Sed urbem Romam eum, nedum Italiam pene totam, & integras provincias, eccleſiæ, ejusque juriſdictioni ceſſiſſe, eodem loco habeo, qvo

illam fabulam, qva Silveſter dicitur ſerpentem, qui quotidie CCC. homines in paſtum abripuiſſet, enecaſſe, & cum ei diſputatio de religione cum Judæis à Conſtantino committeretur, bovem tacita in aurem inſuſurratione exanimaſſe, & iterum in vitam revocaſſe. Sed de his nugis Mantuanus prædictus piam adhibet cenſuram, cum ait:

Nullus idoneus autor
Nec teſtis productus adhuc. Ideoq; relinquam
Talia, quæ poſſunt quædam figmenta videri.
Noſtra etenim nugas, deliramentaque damnat
Religio, nec dat linguis mendacibus aures.

Hujus Silveſtri multa feruntur inſtituta de chriſmate ad ſignandos, baptiſandos, & morientes ungendos conſecrando; templis altaribusqve, ipſisqve adeo ſacerdotibus, vario dalmaticarum, capparum, corporalium, alborum, mitrarum, palliorum, peplorum, ſyndonum apparatu ornandis. Antoninus eum dicit IV. & VI. diem, & ſabbatum jejuniis conſecraſſe; quintum vero ut Dominicum juſſiſſe celebrari. Ad ſynodum Nicænam miſit legatos, *Victorem* & *Victorium*, presbyteros, quorum ibi nullus fuit primatus vel præſidentia.]

Platina p. 43. Sabell. 7. Enn. 8. col. 395. Magd. Cent. 4. c. 10. p. 1275.

336. XXXV. *Marcus, Romanus, Priſci F.* 3/4

[Vir doctus & gravis duas baſilicas, unam in via Ardentina, ubi requieſcit, & alteram in urbe Roma exſtruxit, & ab Oſtienſi epiſcopo epiſcopum urbis Romæ conſecrari voluit.]

337. XXXVI. *Julius, Romanus.* 15

Vollaterr. l. 22. p 499. Sabell. 7. Ennead. 8. col. 396. Marnix de Pont. Rom. c. 6. p. 85. ſeqq.

[Hunc rectè Athanaſius virum orthodoxum & apoſtolicum, ſincerumque profeſſorem & acerrimum Nicænorum dogmatum defenſorem nominavit. Cauſam enim Athanaſii adverſus Euſebianos fideliter egit, & ejus atq; veritatis gratia Romæ ſynodum coegit: alii etiam ſynodo Sardicæ, in diverſas disjunctæ partes, interfuit: idqve tandem apud Conſtantem impetravit, ut reſtitueretur Athanaſius.]

Sulpit. Sever. l. 2 Hiſt. Sacr. p. 151. Marcell. l. 15. p. 40. Socrat. l. 2. c. 37. p. 319 Theodor. l. 2. c. 17.

352. XXXVII. *Liberius, Romanus,* Auguſti F. *cujus XIII. epiſtolæ apud Binium legi poſſunt.* 15

XXXIIX. *Felix II. Romanus, Liberio ejecto in ſecundo ſchiſmate ſubſtitutus: qui publice cum Arianis communicavit, licet Arianus nollet vocari.*

[Liberium Conſtantius, quod iteratæ Athanaſii damnationi ſubſcribere nollet & oblata munera animoſus faſtidiret, minasq; contemneret, Beræam Thraciæ in exilium ejecit, & Felicem, ejus diaconum Arianum, ut ait Hieronymus in catalogo, aut orthodoxum quidem, ſed qvi Aria-

Arianos in communionem receperat, ſubſtituit. Qvi tamen ipſe vel ob parrheſiam adverſus Conſtantium eſt necatus,& martyrio coronatus, vel redeunte Liberio in prædiolum ſponte ſeceſsit. Nam rediiſſe tandem Liberium,& tædio exilii fractum, ſi non mente, tamen manu & lingua, pravitati hæreticæ ſubſcripſiſſe,& ita dignitati ſuæ eſſe reſtitutum, *teſtes ſunt gravisſimi, Athanaſius, Hieronymus Platina.* Inde Guilielmus Occam Minorita, etſi barbare, tamen vere: *Poteſt papa hæreticari, licet nunquam papatui renunciet.*]

367. XXXIX. *Damaſus, Hiſpanus,* Antonii F. 18. | *Urſicinius ſeu Urſinus in tertio ſchiſmate.* Ruffin. l. 2. c. 10. Binn. in Not. ad Damaſ. p. 503. Plat p. 48 Sigon l. 8. de Imp Occid. p. 204. 205.

[Damaſus fuit vir eleganti ingenio,& carmine ſcribendo eruditus: cujus liber pontificalis de vitis Pontificum adhuc circumfertur, quanquam dubitatur, an ipſius ſit. Sed cum eſſet epiſcopus eligendus, aliqvi adhæſerunt Urſicino diacono, cumque in occulto quodam eccleſiæ loco ordinari curarunt. Quæ temeritas ingenti dedit anſam tumultui, quo teſte Ammiano Marcellino CXXXVII amplius uno die in Sicinii baſilica obtriti ſunt. Ceſsit tamen Urſicinus, epiſcopatu Neapolitano contentus. Damaſus poſthac, utut inculpate viveret, & eſſet virgo virginis eccleſiæ, ut Hieronymus eum commendavit, adulterii tamen à Concordia & Caliſto, diaconis accuſatus eſt. Sed calumniam, cauſa ad concilium devoluta, facile diluit, idque effecit, ut delatores ex eccleſia ejicerentur.]

385. XL. *Siricius, Romanus, Tiburtii F.* 13

[Hic primus monachos lege canonizavit, id eſt, in tribum clericorum recepit, cum antea in laicorum numero eſſent habiti, *ut legere eſt apud Hoſpinianum l. b. 3. de origine monachatus capite 12.* Idem conjugium ſacerdotum in occidente improbavit,& maritos quidem ad omnes ordines eccleſiaſticos admiſit, ſed conſvetudinis conjugalis uſum poſt ordinationem acceptam interdixit. Ruffinum Origeniſtam in communionem recepit, & ob id, dicente Hieronymo, certisſime anno ſeqventis initio ex hac vita ſublatus eſt.] Siric Ep. 1. c. 7. Tom. 1. Concil. Binii part. 1. p. 558. Platin. pag. 49. Sab 7. E. n. 9. p. 406 Baron. A. 395. Anaſtaſ. p 44.

398. XLI. *Anaſtaſius I. Romanus, Maximi presbyteri F.* 4

[Sacerdotes jusſit evangelium, non ſedentes, ſed ſtantibus ſtantes legere. Damnavit Origeniſtas & Ruffinum, quem Siricius receperat.] Sabell. 7 Enn. 9 col. 407. Plat. p. 50.

402. XLII. *Innocentius I. Albanus, Innocentii F.* 15

[Jejunium ſabbati denuo conſtituit: Cataphryges urbe expulit: Pelagium & Cœleſtinum damnavit: in reſtituendo Chryſoſtomo, inique expulſo, admodum laboravit: ipſum imperatorem Arcadium cum conjuge, Plat p. 51. Oroſ. 7 H ſt. c. 39 pag. 674. Baron. A. 416. n. 12. p. 393.

juge, ut & Atticum & Theophilum, patriarchas, excommunicavit. Urbem tandem Romam à rege Gothorum Alarico diripi vidit: cujus cladis cauſa cum adſcriberetur Chriſtianis à gentilibus, Auguſtinus XXII. pios & eruditos libros de civitate Dei ſcripſit. Zoſimus narrat Innocentium, religioni ſalutem urbis anteponentem, ſecreto conſenſiſſe, ut ſacra gentilitia fierent tempore obſidionis, ad hoſtes arceſſendos.

417. XLIII. *Zoſimus, Græcus, Abrahami F. Falſator canonum Nicenorum.* 1

Sigeb. lib. II. Impr. Ocid. pag. 296. Baron. T. 5. A. 418. Magd. Cent. 5. cap. 10. col. 1139.

[Hic egregius myſterii iniquitatis miniſter, ſynodo VI. Carthaginenſi canonibus ſynodi Nycænæ ſummo ſcelere falſatis & corruptis, perſvadere voluit, ut ſibi primatus in eccleſia concederetur, nec quicquam ratum eſſet niſi ſua ſucceſſorumque accederet autoritas. Sed fraus facile detecta & eluſa eſt. Cauſam ſynodo VI. dedit *Apiarius* presbyter Siccenſis homo ſceleſtus, ab Africanis eccleſiis & epiſcopo Siccenſi Urbano ejectus. Hic ad ſuorum ſcelerum aſylum Zoſimum confugerat: qui etſi eum ſine vera cauſæ cognitione innocentem pronunciaverat, & rapta ſibi poteſtate in Africanas eccleſias recipi juſſerat, ſynodus tamen Carthaginenſis animoſe & Apiarii & Zoſimi impietati reſtitit. Zoſimus etiam reſipuit.]

Baron. A. 418. p. 438. ſeqq. 446. ſeq. Plat. p. 54.

418. XLIV. *Bonifacius I. Romanus, ſacerdotis Jucundi F.* 5 | *In ſchiſmate IV. Eulalius, Romanus.*

[Quia presbyter Bonifacius à parte cleri in Baſilica Julii; Archidiaconus Eulalius in Conſtantiniana ab altera parte, in ſchiſmate electi fuerant, Honorius Imperator, ex relatione Symmachi urbis præfecti, Bonifacium, ut intruſum, nec rite electum, juſſit expelli. Mutavit tamen ſententiam ad inſtantiam presbyterorum, & ad præcavendum tumultum pluribus epiſcopis Ravennam adſcitis cauſam examinavit & lata lege, ſi duo ſciſſis populis ſtudiis Romæ ordinentur, ambos eſſe urbe pellendos, utrumque epiſcopum juſſit urbe abeſſe, ſacris ejus interea Achilleo epiſcopo Spoletano commendatis. Eulalius autem, non exſpectata imperatoris & concilii, ad quod CCL. convenerant, ſententia, reverſus ad ſacra, imperatoris autoritate dejectus eſt, & epiſcopatum in Campania nactus, locum ceſſit Bonifacio: qui negotium de dominio Romani epiſcopi in Africanas, omnesque alias eccleſias, impudentius urgere cœpit. Sed cum Patres Carthaginenſis concilii authentica Nicæni concilii

cilii exemplaria curarent Conſtantinopoli afferri, confuſus deſtitit, ut *ex actis VI. Synodi Carthaginenſis patet.*]

423 XLV. *Cœleſtinus, Campanus.* 9

[Etſi hic egregius fidei adverſus Neſtorium, nunc primum eccleſias turbantem, ut & adverſus Pelagianos & Novatianos aſſertor fuit; impudentius tamen cum ſexta ſynodo Carthaginenſi depugnavit. Legatis enim miſſis, juſſit, ut Apiario recepto, Carthaginenſes eccleſiæ ſe Romanæ ſedi ſubjicerent. Renuunt Patres ſynodi, nec ullam ſe jurisdictionẽ Papæ in ſe conceſſuros, authenticis ſynodi Nicænæ canonibus innixi, reſcribunt, monentqve, ne fumoſus typhus ſeculi in eccleſiam Chriſti inducatur. Qvin & Hieroſolymorum epiſcopus Polychronius, ſi qværendus eſſet primatus, pluribus eum nominibus ſuæ, quam Romanæ eccleſiæ, deberi aſſeruit. Repreſſit igitur ſe Cœleſtinus, ad ſucceſſores, aliam capturos occaſionem, negotio tranſmiſſo. Edixit, ut Pſalmus LI. ante Miſſam caneretur.]

Baron. T. Annal. A. 430. Baral. in Chron. Leriner. ſi p. 10. Sigeb. A. 431. Platina p 55.

432. XLVI. *Sixtus III. Romanus, Sixti F. eccleſiarum ditator cognominatus, ob Mariæ Majoris & Laurentii baſilicas exſtructas.* 8

[Extant nonnulli ejus libri, quos ſcripſit de vitiis, de caſtitate, de malis doctoribus: qui tamen omnes de Pelagianiſmo ſuſpecti. Peſſimum hujus Sixti ingenium è duabus rebus elucet. Nam primo coram Valentiniano imperatore, à Baſſo de adulterio accuſatus, cum à qvodam adulatore diceretur, tanqvam pontifex, non poſſe judicari, judicio ad ſuum arbitrium revocato, vehementi excommunicationis fulmine Baſſum ſtatim percuſſit, & quaſi in Spiritum S. peccaſſet, recipi eum in gratiam vetuit, ſi vel maximè pœnitentiam agere cuperet. Deinde Polychronium epiſcopum Hieroſolymitanum, quem ſenſerat Cœleſtinus in primatus quæſitione ſibi adverſantem, iniqua delatione circumventum, tanquam Simoniacum, damnavit & eccleſia ejecit: qui tamen paulo poſt innocens deprehenſus, loco ſuo reſtitutus eſt. Adde, qvod, ut Cuſpinianus habet, non erubuerit à Valentiniano Imperatore pallium ſeu tunicam lineam, qvæ tantummodo à Cæſaribus geſtari conſueverat, ſibi circumjicere. Petri catenas confirmavit, & iiſdem annuum feſtum fieri curavit.]

Plat. p. 56. Bar. A. 433. pag. 656. Magd. Cent 5. c. 10. col. 1249. ſeq.

440. XLVII *Leo Magnus, Tuſcus, Quintiani F.* 21

[Hujus ſermones, homiliæ & epiſtolæ, magnæ eruditionis & pietatis monumenta, adhuc extant. In primatu ſtabiliendo & ipſe nimis fuit ſtrenuus. Miſſis enim Carthaginenſibus, conatus eſt aliis perſvadere eccleſiis, Romanam eccleſiam omnium eſſe ſummam, ſibique curam omnium

Plat. p. 57. Egnat. l. 8 Exempl. p. 273. Bar. A. 44?. pag. 13. Magd. Cent. 5. cap. 10. col. 1262.

mnium eccleſiarum eſſe permiſſam. Hinc etiam Hilarium, epiſcopum Arelatenſem, prohibuit epiſcopos in Gallia ordinare. Id ſane commendes, quod Attilæ, Hunnorum regi, urbem vaſtaturo, cum altero conſulum obviam progreſſus, urbi ſalutem deprecatione ſua redemerit; Genſericum etiam Vandalorum regem ferocem, ita demulſerit, ut ſpoliis urbis contentus, à cædibus abſtineret. Capta eſt urbs à Genſerico anno CCCCLV. Et ab hoc tempore Roma occidentis imperii nomen & majeſtatem amiſit. Qvod autem fingitur Leo quæſtionem dubiam, in charta ſcriptam, D. Petro dijudicandam ad ejus tumulum obtuliſſe, & deinde has literas adſcriptas inveniſſe: LEGI, EMENDAVI; nulla fide dignum videtur.

461. XLIIX. *Hilarius I. Sardus, Criſpini F.* 6

Plat. pag. 58. Sabell. 8. Enn. 2. col. 415. Magd. Cent. 5. cap. 10. col. 1266.

[Templa a barbaris direpta & vaſtata liberaliter reſtituit, & à pietate egregiè ſe commendavit. Cyclum etiam curavit condi per Victorinū. Sed dominationem & ipſe affectavit, & imprimis in eccleſias Hiſpanicas. Quo tamen in conatu cordate ei reſtitit Silvanus epiſcopus, imperium pontificium haud magni æſtimans]

467. XLIX *Simplicius, Tiburtinus, Caſtini F.* 16

Baron. A. 467. p. 28. Sigon. 15. de Occid. Imp. p. 399. Marian. A. 482. pag. 418. Plat. p. 60.

[Odoacro lupercalia Romæ aperturo animoſe reſtitit, & ſi verbo fides eſt, ne clericus beneficium eccleſiaſticum à laico recognoſceret, præcepit. Annotant ſcriptores, circa hoc tempus nullum catholicum principem inveniri potuiſſe. Odoacer Arianus Italiam; Gothi, itidem Ariani, Gallias cum Hiſpanis tenebant. Genſericus eidem ſectæ mancipatus, Africæ præerat: Conſtantinopoli Zeno Imperator Eutychianus in orthodoxos ſæviebat. Bis hujus pontificis tempore Roma eſt direpta: primum cum Anthemius imperator à Ricimere genero perimebatur; deinde cum Odoacer, ſublato Auguſtulo, regem Italiæ ſe conſtitueret.]

483. L. *Felix III. Romanus, Felic s presbyteri F. atavus Gregorii M.* 9

Plat. p. 61. Polyd. Vergil. 8. de Rer. Inv. 8 Magdeb. Cent. 5. c. 10. col 1270, 1278.

[Acacium, epiſcopum Conſtantinopolitanum, excommunicavit, qui Johannem Alexandrinum dejecerit, & alios ab hæreſi abſolutos ſine Romanæ eccleſiæ conſenſu receperat. Sed ille nihil minas curans, viciſſim nomen Felicis ex ſacro albo expunxit. Henoticon Zenonis ſeu unitivum edictum, quo hæretici cum catholicis aliqua ſaltem ſpecie uniebantur, damnavit.]

492. LI. *Gelaſius I. Afer, epiſcopi Valerii F.* 4

Bar. A. 492. pag. 466. Plat. pag. 61. Volaterr.

[Hinc non, ut cæteri, occulte ac inſidioſe, ſed aperto Marte, & concilio habito, principatum in univerſas eccleſias ſibi aſſeruit: & præter Acacia-

cianos ipſum imperatorem Anaſtaſium, eorum fautorem, & Vandalos, eorumque regem Arianum, catholicos perſequentem, anathemate percuſſit, *ceu ſcribunt Platina & Sabellicus.* Fuit alioquin in inſtauranda diſciplina admodum occupatus, & quinq; libris adverſus Eutychetem & Neſtorium, duobus in Arianos, hymnis etiam & epiſtolis atque orationibus elegantibus ſe poſteritati commendavit. Memorabile eſt ejus decretum, *diſt. 2. de conſecr. Aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejusdemq; myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.*]

lib. 22. p. 500. Sigon. ad A. 492. de Occid. Imp. pag. 413.

496. LII. *Anaſtaſius II. Romanus, Petri F.* 2

[Et hunc *ſcribit Platina* imperatorem Anaſtaſium, Acacio faventem excommunicaſſe; ipſum autem poſtea cœpiſſe Acacii cauſam agere, divinitusque punitum, aut ſubito morbo interiiſſe, aut, dum neceſſitati naturæ obtemperaret, in latrinam inteſtina effudiſſe. *Balæus ex Faſciculo temporum*, eum Neſtorianam & Eutychianam hæreſin amplexum fuiſſe, teſtatur. *Liber pontificalis* eum communicaſſe Photino dicit. *Volaterranus* eum vocat virum fama parum ſecunda. Extat apud Goldaſtum epiſtola concilii epiſcoporum Galliæ & Germaniæ ad Anaſtaſium II. qua ipſum & Italicos epiſcopos monent, ut ſe miſſos faciant, nec tyrannidem in ſe affectent.

Plat. p. 62. Volater lib. 22. p. 500. Faſc. Temp p. 53. Magdeb. Cent. 6. c. 10. col. 663.

---

468. LIII *Symmachus, Sardus, Fortunati F. electus in baſilica Conſtantiniana* 16 | *In ſchiſmate V. Laurentius Romanus, electus in Baſilica Mariæ.*

[Duobus hic in ſchiſmate electis, ſynodus Ravennæ indicta eſt, & Theodoricus, rex Arianus, Symachū confirmavit, epiſcopatu Nucerino Laurentio conceſſo. Nonnulli vero ex clero, poſt quadriennium Laurentio revocato, variorum criminum, & imprimis adulterii, Symmachum onerarunt. Ideoque Theodoricus Petrum, epiſcopum Altinæ, viſitatorem miſit, qui de criminibus Symmacho imputatis cognoſceret: qui cum damnatione dignum deprehenderet Symmachum, præcipui ex clero obtinuerunt, ne expelleretur. Sic tamen ſæviit contraria factio, ut multæ ſacræ virgines, multi ſacerdotes & presbyteri cæderentur, nec quisqvam Romæ tutus eſſet. Quæ turbæ cum à Fauſto Exconſule eſſent ſedatæ, Symmachus, expulſo Laurentio, jam confirmatus, Manichæis urbe ejectis, eorum libros cremavit, & ſanxit, ut virgines vel viduæ, continentiam profeſſæ, ulterius non nubant. Miſſam etiam in formam redegit. Extat adhuc ejus Apologeticus contra Anaſtaſium imperatorem de Eutychianiſmo ſuſpectum, quem excommunicaverat.

Blond. Dec. 1. l. 3 p. 35. Sigon. l. 16. Imp. Occid p. 423. 426. Trithem. in Catal. Scriptor. Eccl. fol. 48.

rat Hujus tempore Clodoveus rex Francorum victoria contra Alemannos per Chriſti invocationem impetrata, à S. Remigio baptiſatus eſt]

Plat.p.64 Cent Magd.6.cap.10. col.667.Blond. Dec.1.l.3.p.37.

514. LIV. *Hormiſda, Campanus, Juſti F.* 9

[Hujus contra hypocritas & Scytharum monachos epiſtola adhuc extat, confutata à Johanne Maxentio, & Arianiſmi atq; Pelagianiſmi rea facta. Cum moneret literis Timotheum, epiſcopum Conſtantinopolitanum, ut ab Eutychiana hæreſi pateretur ſe avocari, hoc tulit reſponſi, *Auguſtorum eſſe, non pontificis regnare.* Legati ejus contra jus gentium ludibrio expoſiti, & navi dehiſcenti, qua domum irent, impoſiti ſunt. Ut nuptiæ fiant publice, & non occulte, additis ceremoniis, dicunt eum conſtituiſſe]

Baron.T.7. A. 523. p. 97. Niceph.l 17 col.9. Blond. Dec.1.l. 3. pag. 37.

523. LV. *Johannes I. Tuſcus, Conſtantii F.* 3

[Hunc Theodoricus rex Italiæ, juſſit legatum ad Juſtinum abire, eumq; rogare, ut, ni vellet omnes Catholicos ex Italia ejici, Arianis locum in eccleſia concederet. Reverſus, à Theodorico, qui jam præclaros illos viros, Symmachum & Boethium, ſuſtulerat, in carcerem compactus eſt; & pœdore, ſqvalore & inedia periit, tanquam qui Juſtino conſilia adverſus Theodoricum ſuppeditaſſet.]

Plat.p.66. Bar. A 530.pag. 158. Magd. Cent. 6 c.10.col. 668.

526. LVI. *Felix IV. Caſtorii F. Beneventanus ſeu Samnius.* 4

[A rege Ariano Gothorum eſt electus Dionyſius Exiguus: ſub eo à nativitate Chriſti annos primus numerare cœpit, à ſecundo anno Felicis IV. cyclum Paſchalem exorſus. Hoc etiam tempore Juſtinianus Imperator Codicem abſolutum confirmavit & evulgavit.]

---

530. LVII. *Bonifacius II. Romanus, Sigiſvulthi F.* 1 | *Dioſcorus, cujus mors poſt XXVIII. diem ſchisma VI. diremit.*

Sigon.l.17 Imp. Occid.pag.457. Bar.in Mart.16. Oct Anaſtaſ.in Vit.]

[Bonifacius, *teſte Platina*, populum à clero in ſacris audiendis diviſit, cum ut eos in electione pontificum ſuis vocibus & locis tandem privaret, tum, ne cuiquam eorum liceret, in civili aut criminali cauſa epiſcopum aut clericum ad ſecularem judicem vocare. Elegit ſibi vivus ſucceſſorem Vitalium, ſed quia ſenatus reſiſtebat, & papam in hac re erraſſe clamabat, irrito conatu. Bonifacius igitur ſuum chirographum ipſe combuſſit.]

Plat. p. 67. Bar. A.533. pag 195. Carrier.Chron. Pont.pag.17.

531. LVIII. *Johannes II. Romanus, Projecti F.* 4

[Mercurius propter eloquentiam cognominatus eſt. Damnavit Anthimum Eutychianum Conſtantinopolitanum antiſtitem, quod in hæreſin declinaſſet, qua unus de Trinitate negabatur paſſus.]

535. LIX. *Agapetus I. Romanus, Gordiani presbyteri F.* 1

[Mi-

Miſit eum Theodatus Gothorum rex, qui uxorem ſuam Amalaſuntham, regis Theodorici filiam, necaverat, ad Juſtinianum placandum. In qua legatione Conſtantinopoli, ut idololatria confirmaretur, non Dei, ſed Petri autoritate, mutum & claudum ſanavit, ſi Gregorio M. credimus. Obiit Conſtantinopoli, cum Juſtinianum ab Eutychianiſmo retraxiſſet, & loco epiſcopi Anthimi ejecti, qui duas naturas in Chriſto, negabat, Mennam Conſtantinopoli conſecraſſet.] Egnat. l. 6. Exempl. pag. 201. Plat. p. 67 Baron A. 535 Magd. p. 671.

530. LX. *Silverius vel Liberius, Campanus, papæ Hormisdæ F.* 2 | *Vigilius, Romanus, in ſchiſmate VII. intruſus, hæreſi Acephalorum & Origenis infectus.*

[Sine ſuffragiis Imperatoris & cleri à Theodato intruſus Silverius, cum nollet in gratiam Theodoræ Auguſtæ, Juſtiniani uxoris, pulſo Menna, epiſcopo Conſtantinopolitano, Anthimum Eutychetis hæreſi infectum reſtituere, & præterea inſimularetur, quaſi urbem Gothis, qui eam à Belliſario ſibi ereptam anno diutius gravi obſidione preſſerant, prodere voluiſſet: dejectus, attonſus & in Græciam deportatus eſt à Belliſario. In exilio tamen, in quo mortuꝰ eſt, Vigilium excommunicavit, qui à Belliſario Pontificatũ obtinuerat, & Theodoræ Auguſtæ cum Anthimi Eutychiani reſtitutionem, tum pecuniarum in bellum ſolutionem, quin & ſublationem ſynodi Chalcedonenſis ad promovendum Eutychianiſmum promiſerat.] Plat. p. 67. Faſc. Temp f. 53; Blondin. Dec. 1. l. 4. p. 53. Baron. A. 539. & 540.

538. LXI. *Vigilius, Romanus.* 17

[Malis artibus, ceu dictum, intruſus, cum Imperator juſſiſſet Silverium reduci, & de ejus actis judicium fieri, Belliſario perſvaſit, ut Silverius, qui Romam redux venerat, in Palmariam inſulam deportaretur, datisque literis ad Theodoram Auguſtam, Eutychetis & Severi hæreſin pertinaciter foventem, epiſcopis eodem errore infectis approbationem hæreſios promiſit, *ut patet ex Liberato.* Promiſſis impiis non ſtetit, & nec in Anthimi reſtitutionem conſenſit, nec ullam pecuniam exſolvit, ſed potius fulmen anathematis in Anthimum vibravit. Per legatos igitur Theodoræ Auguſtæ Romam miſſos, *ut teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum,* violenter ab urbe abſtractus eſt, & Conſtantinopolin deductus, ob Silverium pulſum in jus vocatus, verberibusq; & contumelia affectus, inq; carcerem compactus, &, quanqvam vel binis vicibus ſibi fuga conſulere vellet, Conſtantinopoli toto pene pontificatus ſui tempore detentus eſt. Agitari interea cœpit *famigeratiſſima illa de tribus capitulis* Baron. Tom. 7. A. 554. Magdeb. Cent 6. c. 10. col. 673. Blond. Dec. 1. l. 7. p. 98. Carriere Chronol. Pont. p. 28.

talis controverſia, adverſus tres Neſtorianos epiſcopos jam defunctos, quos edicto imperatorio damnaverat Juſtinianus. Damnationi initio ſubſcribere Vigilius detrectabat: poſtea conſenſit, ſemper in hac quæſtione inconſtans. Cum concilium ea de re Conſtantinopoli celebraretur, ſub directione epiſcopi Conſtantinopolitani, ei non interfuit: eoque fruſtra renitente, concilium œcumenicum habitum & finitum eſt. Tandem precibus Narſetis datum eſt ab imperatore, ut Vigilius ab exilio liberaretur. Sed Romam reverſurus, in Sicilia, ad quam navi appulerat, ex calculo defunctus eſt. Circa hæc tempora Totilas urbem cœpit & diripuit. Paulo tamen poſt Gothorum in Italia regnum finem accepit per Narſetem.]

Platin. p. 70. Sabell. 8 Enn. 5. col. 508 Baron. A. 555 Magdeb. Cent 6. c. 10. col. 674.

555. LXII *Pelagius, Romanus, Joh. Vicariani F.* 5

[Autoritate Juſtiniani electus eſt. Primus aſſeruit primatum eccleſiæ Romanæ, non a ſynodis aut ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto originem habere. Et tamen principis ac populi conſenſum in ordinandis pontificibus neceſſarium eſſe publico decreto ſanxit, ſeqve juramento purgavit, quod ærumnis Vigilii cauſam non præbuiſſet.]

Baron. A 571. Magd. p. 675.

560. LXIII *Johannes III. Romanus, cognomine Catellinus, Anaſtaſii F.* 12

[Contra prædeceſſorem Pelagium ſancivit, nullum dici debere ſummum ſacerdotem aut univerſalem epiſcopum, *diſtinct. 99. Nullus.* Hujus tempore Longobardi in Italiam ingreſſi ſunt, ſub Alboino, & exarchatus Ravennæ cœpit ſub primo exarcho Longino.]

Blond. l. 8 Dec. 1 p. 102 Magd. co. 676.

573. LXIV *Benedictus I. Romanus, Bonifacii F.* 4

[Græci eum Bonoſum vocant. Illius tempore maxime à Longobardis Roma affligebatur.]

597. LXV. *Pelagius II. Romanus, Winigildi F.* 13

Blond. l. 8 Dec. 1 p. 102. Magd. l. cit. & Oſiand. Cent. 6. l. 4. c. 3. & 4 p. 242.

[Cum Longobardi obſiderent Romam, injuſſu imperatoris electus, miſit Gregorium diaconum, qui ſe excuſaret, ſibique confirmationem ab imperatore pro more impetraret. Scripſit ad Orientales epiſcopos, ipſo Baronio teſte: *Nullus patriarcharum hoc tam profano* [univerſalis epiſcopi] *vocabulo utatur: quia, ſi ſummus patriarcha univerſalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur.*]

Paul. Diac. in vita Blond. lib. 8. Dec. 1. pag 108. Egnat. l. 4. Exempl. p 118. Bar.

599. LXVI. GREGORIUS MAGNUS, *Romanus, Gordiani F. Felicis III. abnepos ex præfecto urbis monachus, deinde Papa factus.* 14

[Vir fuit ſanctitate vitæ & ſimplicitate morum conſpicuus, & verſutiæ pontificalis plane expers. Pro ſua confirmatione imperatori certã pecuniæ ſummam pendere juſſus eſt; & titulum univerſalis epiſcopi omnino a-

on averſatus, ſe *ſervorum DEI ſervum* profitebatur. Nec titulum illū in e- A. 509. Anton. tit. 21. cap. 8.
piſcopis tantum Conſtantinopolitanis improbavit; in ſe & ſuis vel antecesſoribus, vel ſucceſſoribus illo probato. Clariora enim ſunt verba Gregorii, quam ut hoc ſophiſmate elidi qveant, *Titulum œcumenici epiſcopum nominat blaſphemiam, quæ adverſetur evangelio ſi contra canones, afficiat Deum & vel quos etiam epiſcopos injuria.* Imo fidenter dicit *quod, quisquis ſe univerſalem ſacerdotem vocat, Antichriſtum præcurrat, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponat.* Miraculis claruiſſe dicitur, idque inde meruiſſe, quia angelum ſub ſpecie naufragi ſuſcepiſſet, paviſſet, nummis donaſſet. An autem animam Trajani ex inferis liberaverit, quia tam probum imperatorem perire in æternum noluit, ceu de illo ferunt nonnulli, credant, quibus fabulæ in delitiis ſunt. Credibilius foret, *quod Huldericus, Auguſtanus epiſcopus, in epiſtola ad Nicolaum I. & Balæus confirmat ex Paralipomenis Urſpergenſis, & ex documentis in bibliotheca Oudewatriana inventis*, Gregorium quodam tempore Romæ in piſcina multa ſubmerſorum infantum crania inveniſſe qvos in illam impuræ cœlibum manus, quibus conjugio interdictum erat, ad tegenda ſcelera enectos conjecerant. Cæterum, ut eccleſiam multis ceremoniis pene obruit, ita egregiis ſcriptis eam juvit, ut commentario in Jobum & Ezechielem, homiliis elegantiſſimis, tractatu de ſacramentis, libris quatuor dialogorum, & Paſtorali: in quibus tamen multa invenias, unde ſuperſtitionem indies auctam deprehendere qveas. Verſiculus de eo notus eſt:

Gregorius vitam finit Apoſtolicam.]

604. LXVII. *Sabinianus, Tuſcus, Boni F.* 2

[Gloriæ prædeceſſoris Gregorii invidens, vix impediri potuit, quin libros ejus exureret. Cum Roma fame laboraret, noluit Gregorii liberalitatem, quam avarus profuſionem nominavit, imitari: tandem tamen malo ingraveſcente horrea eccleſiæ aperuit. Fertur à Gregorio in viſione ob avaritiam percuſſus exſpiraſſe. *Genebrardus teſtatur*, eum campanas & tintinnabula inveniſſe.] Plat. p. 75. Blond Dec. 1. l. 9. p. 118. Sigeb. A. 607.

606. LXIIX. *Bonifacius III. Romanus.* 3/4

[Primus hic PAPA OECUMENICUS dici cœpit. Nam cum *Phocam*, quem patriarcha Conſtantinopolitanus ob parricidium in Mauritium commiſſum acrius reprehenderat, abſolviſſet, cæde Mauritii probata, obtinuit, conſenſu tyranni, nomen ſummi pontificis, jusque convocandi ſynodos, & abrogandi ſynodorū decreta. Et ſic contentio deſiit, quæ hactenus inter Romanos & Conſtantinopolitanos epiſcopos de principatu duraverat.] Baron. A. 606. Plat. p. 76. Genebrard Chronogr fol. 19. Mag. Cent. 7. c. 7. pag. 228.

Plat p.76. Blond. 1. Dec. 9. pag. 118. Vergil. lib. 6 c. 8. de Invent. Baron. in T. 8. p. 201.

607. LXIX. *Bonifacius IV. Marſus. Johannis Medici F.* 7

[Pantheon, nobile delubrum, à M. Agrippa quondam exſtructum, necdum ab idolis purgatum, à Phoca obtinuit, & cum dæmones in eo Chriſtianos, *juxta Præmonſtratenſem*, ſæpius percuterent, S. Mariæ, omnibusqve martyribus dedicavit, & gentilium more ſanctos mortuos ad cultum proſtituit.]

614. LXX. *Deus dedit ſeu Theodatus. Romanus, Stephani ſubdiaconi F.* 4

Bar. T. 8. p. 229. & A. 614. p. 146. Magd Cent. 7. c. 10. col. 481.

[Hic ſorte eſt electus, cum non convenirent ſuffragia: eſtque is, à qvo ſpiritualis cognatio traxit originem, ne quis eam, quam ex ſacro fonte levaſſet, aut cum qua infantem ex baptiſmo ſuſcepiſſet, duceret. Fuit alioquin ſatis laudatus, & elephantiacum oſculo ſanavit, *ſi Platinæ credendum eſt.*]

618. LXXI. *Bonifacius V. Neapolitanus,* 8

Mart. Polon. col. 116. Plat. p. 78.

[Aſyla in templis conſtituit, & Chriſtum pro originali tantum peccato mortuum eſſe dixit hæretice]

626. LXXII. *Honorius, Campanus, Petronii conſularis F.* 13

Plat. p. 79. Bergom. f. 146. Magdeb. Cent. 7. cap 10. col. 482. Oſiand. Cent. 1. c. 26. pag. 72.

[Monotheletarum hæreſi correptum VII. ſynodus Conſtantinopolitana damnavit, ut ex Actis conſtat. Feſtum exaltationis S Crucis inſtitutum eſt hoc tempore, poſtqvam crux Chriſti à Perſis; à qvibus ſuperioribus annis è Palæſtina in Perſiam translata fuerat, reſtituta eſt Chriſtianis. Scotis perſvadere conatus eſt, ut, qui hactenus paſcha XIV. die à novilunio celebrarunt, in illo celebrando ſe Romanis conformarent.]

639. LXXIII. *Severinus I. Romanus* 1.

Blond. l. 9 Dec. 1 p. 124. Baron. A. 639. p. 350.

[Theſauris eccleſiaſticis eſt exutus ab Iſacio exarcho Italiæ, cum in ſumptus militares nihil conferre vellet. *Ecthesin Heraclii imp. reſpuit, ob id ab aulicis exagitatus.*]

640. LXXIV. *Johannes Dalmata, Venantii ſcholaſtici F.* 2.

Bar. A. 640. pag. 357. Magdeb. Cent. 7. cap. 10. col. 484.

Multa millia Chriſtianorum à Saracenis lytro ſoluto redemit. Hujus tempore obiit Heraclius, imperator felicisſimus, niſi hæreſi Monotheletarum famæ integritatem conſpurcaviſſet.]

642. LXXV. *Theodorus Græcus, Theodori, epiſcopi Hieroſolymorum F.* 7

Baron. A. 642. 362. Plat. p. 81. Binnii Tom. 2. Concil. part. 2. pag. 397.

[Pyrrhus, Conſtantinopolitanus Patriarcha, hæreſi Monotheletarum infectus, confugerat in Africam, initæ conjurationis in necem imperatoris reus factus, &, diſputatione cum Maximo abbate de Monotheletarum confesſione ibi habita, Romam venerat, hæreſi abjurata. Interea Paulus æque Monotheleta, ſurrogatus eſt Conſtantinopoli. Sed illum Occidens & Theodorus Papa Romanus, congregata ſynodo, damnavit.

Con-

Conſtans imperator contra edictum promulgavit, quod *Typum* appellarunt: quo juſſit altercationem illam de una ſeu duabus voluntatibus in Chriſto mittere, ut eccleſiæ hac ratione in unam eandemque ſententiam unirentur. Sed & hunc Typũ anathemate percuſſit TheodorusPapa, ſententiis epiſcoporum in ſynodo congregata auditis: Pyrrhus verò paulo poſt, perſuaſus à Platone exarcho Ravennate, ad priſtinum errorem reverſus eſt.]

649 LXXVI. *Martinus, Tudertinus.* 3

[Monotheletarum hæreſis à patriarchis Conſtantinopolitanis aliqvot jam annis propugnata fuerat. Miſit ergo Martinus legatos Conſtantinopolim, ut ad ſaniorem ſenſum revocaret orientis eccleſias. Sed illi correpti, inqve diverſas inſulas deportati ſunt. Synodum ergo CL. epiſcoporum convocavit Martinus, & fulmen anathematis in Paulum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, vibravit. Id ratus imperator Conſtantius injuriam, miſit Theodorum exarchum in Italiam, qvi Martinum, dolo captum, in compedibus ad imperatorem pertraxit: à qvo deinde Cherſonam in Ponto Euxino deportatus eſt, trium inſimulatus criminum, quaſi fidem à majoribus traditam mutaſſet; cum Saracenis conſpiraſſet; contra Deiparam virginem neſcio qvid locutus fuiſſet.]

Bar. in Append. Tom. XI. p. 732. Blond. Dec. 1. l. 6. p. 1:6. Volat. l. 22. p. 501. Platin. pag. 82.

652. LXXVII. *Eugenius I. Romanus, Ruffiniani F.* 5

[Carceres ab epiſcopis fieri voluit, in quibus clericos ipſi plecterent.]

Bar. A. 654. & ſeq. p. 448. ſeq. Magd. Cent. 7. col. 487.

653. LXXIIX *Vitalianus, Campanus, Anaſtaſii F.* 14

[Omnia ſacra in Chriſtianorum templis latino ſermone fieri juſſit: tonſuras & unctiones introduxit: primus

- - - - adjunxit molli conflata metallo
Organa, quæ feſtis reſonant ad ſacra diebus.

[Ejus tempore Conſtans, imperator Monotheleta, in Italiam trajecit, & ibi interfectus eſt in balneo.]

Hier Rubeus. l. 4 Hiſt. Rav. pag. 173. Baron. T. 8. A. 669. pag. 505. Blond. l. 9. Dec. 1. pag. 128.

669. LXXIX. *Theodatus II. vel Adeodatus, Romanus, Joviani F.* 7

[Prodigiis variis, furores Saracenorum nunciantibus, territus, ſupplicationes & preces publicas fieri curavit. Ejus tempore Conſtantinopolis per biennium à Saracenis obſeſſa eſt.]

Platin. pag. 87. Volat. l. 22. p. 508 Blond. l. 9. Dec. 1. p. 131.

676. LXXX. *Donus vel Domnus, Romanus Mauritii F.* 2

[Hic primus vicarius Chriſti eſt appellatus, *ut eſt in lectionibus memorabilibus Wolfii.* In archiepiſcopo Ravennate ſedi Pontificiæ obligando aſſiduus fuit.]

Plat. p. 85 Blond lib. 9. Dec. 1. p. 131. Sabell. 8. Enn. 6. col. 545.

678.

Paul. Diac.l.18. Baron.A.680.p. 532. usque 537.

678.LXXXI *Agatho Siculus, ex monacho pontifex.* 4

[Peſte infectus obiit, quam dirus cometa ſub Dono prædixerat.]

VACAT SEDES 1

Rubeus lib. 4. Hiſt.Ravenn.p. 178 Sabell.8. Enn. 6.col.547

683.LXXXII. *Leo II. Siculus, Pauli F.* 1

[Ravennates archiepiſcopi hactenus nihil ceſſerant Romanis pontificibus, autoritate exarchi freti, cujus apud eos ſedes fuit. Sed cum Juſtinianus hoc tempore Ravennam expugnaret, urbis etiam hujus eccleſia jugum Romani præſulis ſuſcepit.]

684.LXXXIII *Benedictus II. Romanus, Johannis F.* 1

Plat p.87.Stella in vit. Blond.l. 9 Dec. 1. p. 132.

{Hujus demum tempore putant indultum ab imperatore Conſtantino IV. ne confirmatio pontificis ex aula Cæſaris peteretur, ſed ut rata eſſet electio cleri, populi & exercitus Romani, ſine ſuffragio imperatoris aut exarchi. Exarcho ſane jus in electione pontificis reſervatum eſſe, conſpicitur ex Cononis electione Imperatores quoque jus confirmandi epiſcopos Romanos ſequentibus temporibus ad ſe revocatum uſurparunt, & in pontifices ut qui ipſis ſubjecti eſſent, juriſdictionem exercurunt, quantum eccleſiæ ratio admittebat. Hoc ipſum jus, imperio jam in Germanos tranſlato, inviolatum permanſit Cæſaribus, licet pontifices ſe eorum poteſtati ſæpe ſubtrahere conarentur, donec tandem Henricus IV. auſibus eorum ſuccumberet.]

Blond.l.9.Dec. 1 p. 133. Plat. p. 88.

685.LXXXIV. *Johannes V. Antiochenus Syrus, Cyriaci F.* 1

[A tribus epiſcopis, Oſtenſi, Portuenſi, Veliterno, poſthac pontifices conſecrari voluit. Hunc primum dicit *Binius in tom 5 conciliorum*, non exſpectata Conſtantinopolitani imperatoris autoritate, in Romanum pontificem conſecratum eſſe.]

Blond. lib. 10. Dec.1.pag. 133. Binn. Not. ad Concil. T. 3. part.1.ſect.1. p. 300.

686.LXXXV. *Conon, Thrax.*	*Theodorus, archipresbyter, in IIX. ſchiſmate.*	*Petrus, archiepiſcopus.*

[Juſtinianus imperator, ſe in eligendo pontifice Romano excludi, ægre ferens, exarcho mandavit, ut ſuam autoritatem interponeret. Ille igitur cum exercitu Theodorum presbyterum; Clerus contra Romanus Petrum archipresbyterum creavit. Cumq; diu pugnatum eſſet, conſenſum tandem eſt, populi judicio interveniente, in Cononem, qui ſe nunquam, *uti eſt in libro Pontificali,* cauſis & actionibus ſecularibus immiſcuerat.]

687.LXXXVI. *Sergius, Syrus, Tiburtii F.* 14	*Theodorus, archipresbyter in IX. ſchiſmate.*	*Paſchalis archidiaconus.*

[*Pa-*

[*Paſchalis* auro ab exarcho dignitatem pontificiam coemerat. Pars populi iterata vice *Theodorum* elegerat. Cum armis uterq; ſe tutaretur, utroque tandem repudiato, *Sergius* à primoribus pontifex eſt conſtitutus. Hinc in damnanda Quiniſexta ſynodo, quæ tamen rectius quam ipſe, de conjugio ſacerdotum ſenſit, totus erat. Ejus igitur tempore penitus ſcindebantur eccleſiæ orientis & occidentis. Decreverat enim concilium Conſtantinopolitanum VI. Clericis liberum eſſe conjugium, dummodo ſacra obituri abſtinerent ab uxoribus. Hujus decretis cum Sergius nollet ſubſcribere, Juſtinianus II. imperator, indignatione correptus, Romam miſit Zachariam protoſpatarium, qui Sergium vinctum ſibi ſiſteret. Romani id ægre tulerunt, omnesqve Itali & exercitus, qui in exarchatus finibus continebantur, arma induti protoſpatarium ad necem qværiverunt: qui tamen ab ipſo Sergio conſervatus evaſit incolumis. Hac ratione Romæ autoritas pontificia magna ſumſit incrementa, *ut legere eſt apud Bedam, Paulum Diaconum, & alios.*]

Sabell Enn. 8 l. 6 p. 181. Bar. A. 687. p. 590. Magdeb. Cent. 7 c. 10. col. 491.

701. LXXXVII. *Johannes VI. Græcus.* 4

[Hujus tempore Theophylactus exarchus Romam afflixit.]

705. LXXXIIX. *Johannes VII. Græcus, Platonis F.* 3

[Huic Aripertus, rex Longobardorum, Alpes Cottias donavit, & quicquid à Taurinis & Medullis usque ad Genuam & Liguriam protenditur: quod tamen Baronius putat contigiſſe ſub Johanne VI.]

Faſc. Temp. f. 60. Mart. Polon col. 128. Carrier. Chron Pont. p. 35. Magdeb. Cent. 8. c. 10. col. 679.

708. LXXXIX. *Siſinnius I. Johannis F. Syrus XX. diebus.*

[Ex podagricis doloribus vigeſimo poſt electionem die defunctus eſt.]

Plat. 92. Faſc. temp. f. 61.

709. XC. *Conſtantinus I. Syrus, Johannis F.* 6

[Huic primo *Platina, Blondus, Nauclerus ex libro Pontificali dicunt* Juſtinianum II. imperatorem, ad quem Conſtantinopolin profectus erat, oſculo pedes ſalutaſſe. Ideoqve in ſuperbiam magis erectus, cultum imaginum, anathemate in Philippum Juſtiniani ſucceſſorem vibrato, ſtatuminavit. Ejus tempore tota Hiſpania Saracenorum imperio ſubjecta eſt.]

Plat. p. 91. Paul. Diac. l. 6. c. 30. Blond. l. 10. Dec. 1. p. 137.

714. XCI. *Gregorius II. Romanus, Marcelli F. ſimulator callidus* 17

[A Leone Iſaurico, imperatore, cultum imaginum, in qvo offendebantur Saraceni, improbante, totum fere occidentem fulmine excommunicationis abſtraxit, & cum Francis fœdus iniit, ipſisque occaſionem occupandæ Italiæ fœdus proditor præbuit. Quin & arma adverſus Imperatoris præfectum & exarchum Eutychium, ut & adverſus Longobardos indu-

Stadenſ. Chron fol. 32. Nic. Serarius l. 3. Rer. Mogunt. [illegible] 25. p. 481. Paul. Diac. l. 21.

induit, & qvo leonina non potuit, vulpina pelle contendit. Ejus tempore Tyberis eruptione aqvarum ex alveo facta, inundavit Romam, magno cum civium damno. Bonifacium, antea W'inifridum dictum, tandem archiepiſcopum Moguntinum, ad Friſios & alios Germanos miſit, ut ſacris Romanis adſveſcerent.]

731. XCII. *Gregorius III. Syrus. Johannis F.* 11

Blond. l. 10. Dec 1. p. 45. Sabell. 8. Enn. 5. col. 573. Sigon. 3. Reg. Ital p. 64. Plat p. 97. Baronius Tom. 3. Concil. part. 1. p. 351.

[Hic, continuato anteceſſoris in Leonem imperatorem odio, eum imperio indignum rapta poteſtate pronunciavit, & ab e9 fide Romanos & occidentis partes abduxit, eumq; Francis amicitiam adverſus Longobardos & imperatorem pepigit. Leo autem excommunicatione Papæ audita, ridens dixiſſe fertur: *Idololatra eſt ipſemet à Deo excommunicatus.* Inter haſce turbas, urbes Italiæ, exarchi inſignibus ſublatis, cœperunt ſibi proprios conſtituere duces. Luitprandus etiam, rex Longobardorum, plura loca occupavit. Sed inter eum & Romanos, qui adhuc & ipſi ducem habuere Stephanum Patricium, lites gliſcere cœperunt, dictusq; Stephanus cum Thraſimundo, duce Spoletano, arma adverſus Luitprandum conjunxit, & jam caſtrum Gallienſum occupaverat. Luitprand9 igitur gravi expeditione Romæ incumbebat. Exuerat jam Thraſimundum ducatu Spoletano, urbiqve extrema minabatur, oppidis circumurbanis jam expugnatis. Pontifex in ſubſidium quidē evocavit è Francia Carolum Metellum, Caroli M. avū: ſed ille, bello adverſus Saracenos impeditus, preſſos armis juvare non poterat: interceſſione tamen ſua impetravit, ut rex ab urbe diſcederet: ideq; eo citius, quia Pontifex cum decoro comitatu egreſſus, bellum apud Luitprandum deprecabatur. Thraſimund9 etiam in gratiam eſt receptus, cum ſe apud pedes Luitprandi abjiceret. Hic Gregorius III. dicitur denarium S. Petri ex Anglia primus accepiſſe.]

742. XCIII. *Zacharias, Græcus, Polychronii F.* 10

Plat. pag. 98. Blond. l. 10. Dec 1. p. 146. Baron. Tom. 9. p. 137. & 154 Alb. Stadenſ. fol. 33. Sabell. 8. Enn. 8. col. 575.

[Hic eſt ille, qui autoritate ſibi rapta, Chilpericum, Franciæ regem legitimum, auſus eſt pronunciare indignum regno, & Pipino ſummo aulæ magiſtro diadema Francicum concedere. *Sic Pipinum papa* (ut promiſit) *beatum, Papam Pipinus divitem fecit.* Idem, ſecundum Baronium, regibus Franciæ epiſcopos inſtituendi conceſſit poteſtatem, vel potius reliqvit. Ad eum, teſte Aventino, provocatum eſt, cum ſacerdos per ignorantiam linguæ latinæ, infantem baptiſaſſet in nomine Patria & 'ilia & Spiritua S. Baptiſmum legitimum eſſe decrevit contra D. Boniſacium, pro Sidonio & Vigilio. Hunc ipſum tamen Vigilium ſacerdotio depulit, quod Antipodes ſtatuiſſet.]

752. Ste

752. Stephanus II. Binius Tom. 3. Conc. pom. 1. p. 384.

[Quarto die poſt electionem apoplexia mortuus, & ob id inter Papas à Platina & aliis non numeratus; quem tamen inter eos recenſet *Anaſtaſius.*]

752. XCIV. *Stephanus (III.) II. Romanus, Conſtantini F.* 5

[Aiſtulphus, Longobardorum rex, qui exarchatum Ravennæ ſibi rapuerat, convertit etiam arma infeſta in Romanos, eosque aliquamdiu obſeſſos miris modis exagitavit. Ideoq; Pipinus, cujus opem Pontifex imploraverat, induciis inter eos factis, negotium compoſuit. Sed Aiſtulpho nec ſic quieſcente, Pontifex ipſe in Gallias abiens, Pipinum, ejusqve filios, Carolum & Carolomannum, reges Galliæ inunxit, reductusque à Francis, victo Aiſtulpho, univerſum exarchatum Ravennæ cum ducatu Spoletano & Beneventano, multisqve aliis regionibus, quæ imperatoris Conſtantinopolitani erant, ſub nomine & emendicato titulo donationis & PATRIMONII *Petri* (quo hactenus pauper apoſtolus caruerat) accepit, & quidem (ut emblema naturæ mireris) eo ipſo tempore, quo, *ſecundum Gvagnium & alios,* ingens draco Polonos infeſtavit. Sumſit autem pontifex confeſtim tantos animos, ut non ſaltem permitteret ſibi à Pipino & Carolo procumbentibus pedes oſculo peti, & ſtapedes ab iis, tanquam ſtratoribus, teneri: ſed &, quaſi triumphum agens, primus humeris ſubeuntium ad Lateranenſem baſilicam portaretur. Sic Papa omnium Chriſtianorum principum Deus terreſtris eſſe cœpit, & mundi monarchas ſibi ſubditos fecit. Si autem nunc primum à Pipino Papæ datum eſt imperium pontificium, *ut loqvuntur* Friſingenſis & Viterbienſis, qvid opus erat, turpiter fingere, à Chriſto, vel Petro, vel Conſtantino, id ortum traxiſſe?]

Naucl. Gen. 26. fol. 110. Plat. p. 100. Polyd. Vergil. 4. Inv. 10. p. 443. Bar. A. 755. n. 17. Magdeb. Cent. 8. c. 10. col. 711.

---

757. XCV. *Paulus I. Romanus, frater Stephani III.* 19	*Theophylactus Romanus in ſchiſmate X. ſed poſt electionem deſertus.*

Baron. A. 757. p. 241. Sabell. 8. Enn. col. 581.

[Pipinum contra Longobardos Paulus I. magis magisqve animavit, & corpora Sanctorum extra urbem ſepulta in urbem tranſtulit.]

767. Conſtantinus II. Romanus, à Platina & aliis plurimis numero paparum excluſus, & Antipapa vocatus.

[Nam à fratre Totone, duce Nepoſino, cum nondum ullis eſſet imbutus ſacris, biduo ante, quam Paulus moreretur, malis artibus intruſus, tandemque à Romanis ejectus & trucidatus eſt.]

Plat. p. 105. Baron. A. 768. p. 289. Falc. Temp. fol. 63.

Baron. T. 9. A. 768. p. 290. Volateran. l. 22. p. 502. Plat. p. 194.

786. XCVI. *Stephanus (IV) III. Siculus, Olivi F.* | *Philippus, quinto die poſt electionem in monaſterium detruſus, in ſib ſnate XI.*

[Stephanus hic Mediolanenſem eccleſiam hactenus à jugo pontificio liberam ſibi ſubjecit. & Conſtantinopolitanam VII. ſynodum tanquam hæreticam ob ſtatuarum cultum in ea reprobatum, exſecravit.]

792. XCVII *Adrianus, Romanus, quo nemo diutius pontificatum geſſit, Theodori V. CL. F.* 24

Baron. T. 9. A. 772. p. 307. Volateran l. cit. Magdeb. Cent. 8. c. 10 p. 746. Bar. Tom. 9. A. 77 . Blond. l. 1. Dec. 2. pag 155.

[Præerat adhuc Romæ, Græci imperatoris nomine, *Paulus Affialta.* Verebatur tamen, ſe, præ metu Gallorum, ducem Romanum nominare: quanquam ope nonnullorum procerum, & Deſiderii Longobardorum regis ſubnixus, aliquid imperatoriæ dignitatis retinebat. Sed Adrianus ei, quantum potuit, reſtitit, & Carolum M. adverſus Deſiderium, qvi Ravennatem exarchatum & alias urbes à Francorum regibus Pontifici donatas repetebat, evocavit: eiqve, cum jam præter Gallias, Germaniam & Hiſpaniam, magnam partem Italiæ teneret, dignitatem Patricii, imperatoriæ majeſtati proximam, omni populo & proceribus conſentientibus, contulit. Excuſſo enim imperatoris Græci jugo, & repulſo exarchi vicariatu, absqve capite eſſe tutum non erat. Conſilium igitur de Francorum rege patricio creando ſuſceptum eſt: cui, ut qvondam exarchis, competeret poteſtas regia & advocatia, ſeu externa eccleſiæ Romanæ gubernatio, ſed citra imperatoris nomen. Hanc Patriciatus poteſtatem adeptus Carolus M. anno ſubſeqvente Deſiderium, gravi afflictum bello, in poteſtatem redegit, & fine Longobardorum regno in Italia impoſito, omnia pro imperio egit; Romæ vicarium reliqvit: provinciis duces & comites impoſuit: epiſcopos conſtituit. Recte enim, præter plures alios, *Sigebertus in Chronico. & Gratianus in libro decretorum diſt. LXV. can. XXII. & diſt. LXIII. can. in ſynodo* affirmant, Adrianum & Leonem, Papas, per ſuffragia univerſalis ſynodi, Carolo jus eligendi pontificem & ordinandi apoſtolicam ſedem, ut & dignitatem principatus, dediſſe, utque archiepiſcopi & epiſcopi per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipiant, & niſi à rege laudentur & inveſtiantur, à nemine conſecrentur, definiviſſe. Videatur in Conſtitutionibus imperii à Goldaſto editis, bulla Adriani, de poteſtate pontificis, patriciorum & epiſcoporum eligendorum & confirmandorum, in imperatorem collata, cum egregiis adverſus Baronium notis. Quomodo hic papa in concilio Nicæno II.

 cura-

curaverit iconolatrarū errorem contra iconoclaſtas confirmari: & qvomodo Carolus M. in concilio Francofurtano iconolatras ſimul & iconoclaſtas improbaverit, dicetur infra, cum de conciliis erit agendum.]

796. XCIIX. *Leo III. Romanus, Aſuppii F.* 20

[Fabulantur, eum pontificatus exordio carnis incendium ex oſculo, quod manui mulier impreſſerat, paſſum, ſibimet ipſi manum præſcidiſſe. Eadem Fabula narratur de Leone I. Fingitur etiam à nepotibus Adriani pontificis per tumultum correptus, & oculis excæcatus, linguaque abſciſſa mutilatus, miraculoſe viſum & loqvelam recuperaſſe. Id verum eſt, quod ad Carolum M. Galliæ regem confugiens, ejus opera & patrocinio munitus, Romam redierit, & variorum criminum accuſatus juramento ſeſe ab illis purgaverit. Tanti beneficii memor, ut aliquid gratiarum Carolo rependeret, cum non ignoraret, vacare jam in occidente imperialem dignitatem, & Carolum, qui jam ante Germanorum, Gallorum, ut & Longobardorum rex erat, omnium pene ditionum, quas antea orientalis imperator tenuerat, legitimum dominum eſſe, per ſuffragia ſenatus, populique Romani, & principum per Italiam, tanquam à jure imperatorum Græcorum jam liberorum, mutato nomine patritii, imperatorem in ipſis feriis natalitiis, anno IↃCCC in templo pronunciavit, ut provincias, quarum ſingularum diverſo titulo jam ante dominus erat legitimus, in unum corpus redactas, dignitate imperiali gubernaret. Nihil igitur aliud accepit à Romanis Carolus hac electione & coronatione, quam illam poteſtatem in Romano territorio & reliquis exarchatus oppidis, quæ ante rebellionem fuerat imperatorum Græcorum. Pontifex certe nihil illi contulit quam inaugurationem ſolemnem, poſtquam ſuffragiis procerum Italiæ erat electus. Et ipſi Græci imperatores tandem conſenſere in hanc ejus electionem, qvum occidenti ſuccurrere amplius non poſſent.

Sabell. Enn. 8. col. 597. Bar. A. 800. Tom. 9. p. 187. ſeq. Binius Tom. 3. Concil. part. 1. ſect. 2. p. 180. Polyd. Vergil. 5. de Rer. Invent. c. 11. pag. 449. Faſc. Temp. f. 64.

X. Mira Papæ Romani incrementa enarraſti. Sed quod tam feliciter ei aſtuta conſilia & vis tyrannica ceſſerint, quis non obſtupeſcat?

Tu vero, ut cardinem rei melius intelligas, totam gubernationis eccleſiæ in hac ætate hiſtoriam dilucidius accipe deſcriptam. *Hieronymus in epiſtol. ad Evagrium & in commentario ad Tit. 1. teſtatur*, tempore Apoſtolorum, antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: *Ego ſum Pauli: ego ſum Cephæ:* gradus epiſcopo-

Dreyer. in Diſp. contra Pontif. de Primatu Papæ, qvæ eſt ordine X. Petrus Molin. in Nov. Papiſmi & Heidegger. in Hiſt. Papat.

rum, & presbyterorum non fuiſſe diſtinctos: ſed poſtea in ſchismatis remedium, unum ex presbyteris eſſe electum, & in excelſiori gradu collocatum, epiſcopum appellatum, qvi ſolo ordinationis officio à presbyteris differret. Cui conſentit Scriptura *I. Petr. V, 1. & 2. Phil. I, 1. Tim. I, 14. Tit. I, 5.* Unde recte concluditur, non tam divina inſtitutione, quam humana autoritate, ut ordinis certi ratio haberetur, epiſcopatũ gradu presbyterii ſuperiorem haberi cœpiſſe. Hi verò qui ad epiſcopatum evecti fuerant, docendi munus more modernorum in Papatu epiſcoporum, non neglexerunt, ſed in ſacris literis interpretandis, ſacramentis adminiſtrandis, & eccleſia regenda erant occupati. Deinde poſtquam ſingulis civitatib9 ſinguli fuiſſent attributi epiſcopi, forma gubernationis propemodum democratias ſimili, illi ſe eſſe communi caritatis vinculo colligatos non ignari, ſibi invicem in oppugnandis hæreticis, eccleſia amplificanda, veritate defendenda, tulerunt ſuppetias: nec ſibi unquam conſiliis, admonitionibus, conſolationibus defuerunt: inq; gravioribus negotiis convenientes, & de communi Reip. eccleſiaſticæ ſalute conſulentes, ut hæreſes improbarunt, ita delinqventes coercuerunt. Cum autem in iſtiusmodi ſynodis provincialibus, tanquam magiſter collegii præferretur, qui ejus civitatis eſſet epiſcopus, quæ provinciæ caput erat, aut in qua apoſtoli docuerant, aut ex qua aliæ, tanquam coloniæ Chriſtianæ, deductæ fuerant, non quia majori eſſet poteſtate roboratus, ſed propter ſervandum ordinem: factum eſt, ut eum πρῶτον vel προεστῶτα, archiepiſcopum, primatum, archiantiſtitem, protomyſtam, pœmenarcham, PAPAM etiam quaſi patrem, freqventius METROPOLITEN, ab urbe ſcilicet, in qua epiſcopatu fungebatur, appellarent. Sed quod ſpe εὐταξίας inſtitutum fuit, ſummam ἀκαταστασίαν invexit. Nam qvi potiores ſedes in præcipuis urbib9 tenebant, primitus ſancitam ἰσονομίαν καὶ ὁμοτιμίαν, ad exemplum Diotrephis φιλοπρωτεύοντος, III Joh. verſ. 9. negligentes, majores paulatim ſpiritus ſumſerunt, ut tandem illa orbis Chriſtiani in quatuor patriarchat9, tanquam tetrarchias, diviſio ab ipſa ſynodo Nicæna approbaretur, & *quatuor* conſtituerentur *Patriarchæ*, quos etiam vocarunt *Abunas*, quaſi patres noſtros: item *catholicos*, qvaſi qvi pluribus univerſitatib9 præeſſent, & tanquam communes earum eſſent inſpectores, non autem domini, qvi conſilio privato omnia agere auderent: nempe *Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus.* Si qvæ aliæ metropoles erant, quæ nulli dictorum patriarcharum ſubjectæ fuerunt, Bulgaria videlicet, Cyprus, Carthago, Iberia ſeu regio Georgiana, dicebantur

bantur *autocephala*, tanqvam caput ſibiipſis. Et hæc eſt cauſa, quod præter prænominatos & Conſtantinopolitanum patriarchatum ab antiqviſſimis temporibus nominetur *Patriarchatus Aqvilejenſis* in Dalmatia; *Gradienſis* in Iſtria; *Seleucenſis* in Babylonia, qui ſexto loco ſedet poſt patriarcham Hieroſolymitanum; *Carthaginenſis* in Africa, cujus patriarchæ conſueverunt etiam vocari pontifices maximi; *Moſcoviæ* in Ruſſia; *Maronitarum* in Libano; *Amidenſis ſeu Moradenſis ſeu Caramithenſis* Jacobitarum in Meſopotamia; *duo Armenorum* in Armenia, unus *Servenſis* in majori, alter *Caratnaprenſis* in minore. Inter reliqvos autem patriarchas, *Romanus*, cui hoſpitium Roma, totius orbis regina & caput conceſſit, facile primum locum propter ordinem in ſeſſionibus pedetentim obtinuit. Emerſit autem paulo poſt è ruderibus ſuis Conſtantinopolis, imperiiq; ſede potita, quam alte extulit caput, ut cum ipſa urbe Roma certaret. Novæ igitur urbis, tanqvam novæ Romæ, epiſcopus non ſolum eſt in ſocietatem quatuor Patriarcharum ſuſceptus, & concilii Conſtantinopolitani decreto, Antiocheno, Alexandrino, Hieroſolymitano prælatus, ſed & tandem Chalcedonenſis concilii ſententia æqvalitatem dignitatis cum Romano epiſcopo, fruſtra reclamante, acqviſivit. Ita æmulatione inſigni enata, tam Roma, quam Conſtantinopolis, decantatum iſtud antichriſti palladium, primatum puta, non ordinis, ſed juriſdictionis qvæſiit. Romanus tamen majori dolo uſus, occaſionibus melioribus adjutus, utut ipſe Gregorius M. Papa obtonabat, laureolam præ Conſtantinopolitano deportavit, & quidem à perjuro parricida & tyranno PHOCA: ut diceretur Patriarcharum epiſcopus, pater patrum, epiſcopus œcumenicus.

XI. Siccine omnis pietatis & æquitatis ſepta à Romano Pontifice perrupta ſunt? Sed qvandonam qvæſo hoc iniqvitatis myſterium vires primum exſerere cœpit?

Id ex jam dictis facile eſt colligere. Primum crudelitatis ſpecimen edidit *Victor*: quem inter Pontifices numero XV. numeravimus, quique Aſianas eccleſias ob diverſam Paſchatos celebrationem excommunicavit. Alterum edidit *Stephanus*, in pontificum ſerie XXIV. qvi plurimas eccleſias auſu nefario & ex contumacia, *ut Cyprianus ait epiſtola ad Pompei.* fulmine papali percusſit. *Alii*, dum eos, qui ab aliis eccleſiis excommunicati, & ab officio propter ſcelera depoſiti fuerant, fovebant, ſeq; eorum pa-

Sutliv. de Pontif. Romano ejusq; injuſtiſſima in Eccleſia dominatione. V Vitaker de Pontif Roman. Raynold. Colloq. cum Harto. Chamier in Panſtrat. Cathol. de Pont. Rom. Job Conr. Diederic. in Brev. Pontif. Claſſ. V. Robert Barus & Joh Balæus de Vitis Pontificum.

patronos conſtituebant, & vel hoc nomine contradicentes Romam ad dicendam cauſam, impudenter evocabant; eos autem, in quos beneficium contulerant, ad quemvis nutū ſibi obſtringebant: ſibi viam ad dominium in eccleſias ſtraverunt. Et cum more illorum temporum *in cauſis civilibus nonnunquam ad epiſcoporum autoritatem appellaretur*, idqve ipſo Conſtantino M. comprobante, *ut eſt apud Sozom. lib. 1. cap. 9.* occaſionem inde arripuerunt epiſcopi Romani, &, regno Chriſti in politicum transmutato, ſeſe ſupra magiſtratus pedetentim elatos, ex eccleſiæ miniſtris & doctoribus dictatores & reges fecerunt, ſpreta interim & abjecta ſalutari animarum cura. Accedebant & alia. Nam Conſtantinus M. Romæ adhuc ſubſiſtens, cauſas epiſcoporū, ad ſe ex disſitis locis devolutas, Romano epiſcopo nonnunquā dijudicandas commiſit: ipſique epiſcopi inter ſe in aliis provinciis disſidentes ad eum, tanquā in eccleſia precellentem, & ad ejus arbitrium. litis qvandoq; devolverunt, ab eo doctores petierunt, atq; ex ejus conſilio & judicio hæreticos reſipiſcentes receperunt. Quin & orientales epiſcopi, ab Arianis presſi, auxilium & conſilium ab eo nonnunqvam impetraverunt. Et ipſe, ſi convocatus ad ſynodum abeſſet, ſententiam nihilominus ſuam perſcripſit, eoq; nomine decreta ſynodorum aut reprobavit, aut rata eſſe juſſit. Hinc non ceſſavit eccleſiam ſuam, tanquam omnium primam, jactare & caput reliquarum vocare. Nec veritus eſt, ipſos Nicænæ ſynodi canones immenſo ſcelere falſare, *ut ex hiſtoria Zoſimi, Bonifacii & Cæleſtini videre licet.* Nec deerant adulatores, qui id ſcriptis defendebant. Ideoq; omniā ſibi ſumſit pontifex. Si qvi ſuæ parti minus favebant eos ut ſigillatim expugnaret, calumniis oppresſit. Si quid minus recte ab aliis epiſcopis fiebat, eos tanquam edictis prætoriis corripuit, & quid eſſet faciendum, præſcripſit. Jus etiam ſibi uſurpavit, privilegia & inſignia aliis acrhiepiſcopis largiendi, eosq; confirmandi, citandi, abſolvendi, excommunicandi. Sic fecit eos paulatim ſuos, ut ad ſeſe graviores cauſas referrent, ſuaq; contra hæreticos decreta obſervarent, & ex autoritate Romanæ eccleſiæ omnia agere viderentur. Præterea poteſtatem concilia indicendi, iisqve præſidendi, & contra canones diſpenſandi ſibi ſumſit: ſynodos autem ſine ſua autoritate convocatas, ut illegitimas, rejecit. Tandem etiam ipſos imperatores excommunicare auſus eſt, ut vidimus *in hiſtoria Gelaſii I. Anaſtaſii II. Symmachi, Conſtantini I. Gregorii II. & III.* aut aliis vicinis demandavit, ut contra eosdem agerent. *Meiſnerus parte III. philoſophia ſobria ſect. II. cap. I. quæſt. III.* rem paucis comprehendit, quando dicit, me-

dia,

dia, quibus intervenientibus ad monarchiæ faſtigium Pontifex Romanus pervenerit, eſſe in duplici differentia, ut quædam ſint *directa*, quædam *indirecta*. *Directorum* facit ſeptem: *I. urbis Romæ majeſtatem. II. eccleſiæ Romanæ celebritatem. III. Petri Pauliq; venerationem. IV. metropolitanorum & archiepiſcoporum inſtitutionem. V. immoderatam adulatorum laudationem. VI. nimiam magnatum munificentiam. VII. intempeſtivam epiſcoporum & imperatorum indulgentiam.* *Indirecta* autem conſtituit duo, *fraudulentiam* & *violentiam*, vel violentam fraudulentiam & fraudulentam violentiam. Tu interim nota, *Chriſtiani populi ignorantiam & Romanæ ſedis autoritatem ſimul auctam fuiſſe.* Quamprimum enim Romani præſules eccleſiæ Chriſti leges dare cœperunt, introducti ſunt varii ritus & ſuperſtitiones: monachorum ſectæ omnia implebant: doctrina de juſtificatione obſcurabatur: incauta plebs variis commentis, fabulis, nugis atque ſuperſtitionibus decipiebatur: conſcientiæ hominum placitis novis illigabantur: jus ipſum innumeris canonibus, decretis, decretalibus & extravagantibus deformabatur. Viciſſim facta bonarum literarum inſtauratione, ut faceſſere cœpit ignorantia, ita pontificis autoritas paulatim labeſcere viſa eſt. Hinc quo tempore bonarum literarum peritia reſtaurabatur, ſtatim in concilio Conſtantienſi & Baſilienſi, anno cIↃCCCCXVII. & XXXIX. decretum eſt, Papam concilio eſſe inferiorem. Et ab eo tempore Sorbona atque univerſa Gallicana eccleſia, ductu Johannis Gerſonis, qui concilio Conſtantienſi interfuit, conſtanter aſſeruit, eos, qui Pontificem concilio ſuperiorem ſtatuunt, tyrannidem in eccleſiam invehere.

XII. Num quis etiam hiſce antichriſtianis conatibus in hac eccleſiæ ætate reſtitit?

Malitiæ ceſſit pietas. Quicquid moliebantur aliarum eccleſiarum doctores; quicquid ſynodi: ceſſit tandem libertas eccleſiæ, Romanorum antiſtitum audaciæ. *Patres Nicæni* ſane non prætulerunt Romanum reliquis metropolitanis, ſed canone VI. coæquarunt. Idem fecere *ſynodi œcumenicæ, Epheſina & Chalcedonenſis*: quarum Patres epiſcopo Romano alium, quam fratris & comminiſtri & conſacerdotis titulum, non adſcripſere, nec aliud nomen ei alii epiſcopi tribuerunt, ut legere eſt in actis conciliorum. *Synodus Sardicenſis* id imitata, cum Julius minacibus literis inſtaret, reliquos epiſcopos illo poſteriores negavit. *Conſtantinopolitana* iisdem privilegiis, juribus & honoribus juſſit uti Con- (Chriſt. Dreyer. Diſp. XIII. & ſeq. de Primatu Pontif. Centur. Magdeb. atque Oſiander in Hiſt. Eccl.)

ſtantinopoleos, quibus Romæ epiſcopum, ſine œcumenica omnium eccleſiarum inſpectione. *Carthaginenſis III.* tandem ſanxit, ut primæ ſedis epiſcopus non appellaretur princeps ſacerdotum, aut ſumus ſacerdos, aut aliquid hujusmodi; univerſalis autem nec eſſet Romanus pontifex. Cui conſenſerunt *Pelagius II. & Gregorius I.* ipſi pontifices, nomen univerſalis epiſcopi deteſtati. Et *Gregorius* quidem non dubitavit aſſerere, *antichriſtum fore eum, qui nomen univerſalis epiſcopi aſſumeret.* Qui ergo pontifices hoc nominis ſibi arrogarunt, uti omnes fere poſt Gregorium id ſibi arrogabant: videant, qua ratione antichriſti nomen à ſe declinent, qvum definitione Gregorii pontificia, quam cenſent infallibilem, quæ errare non poſſit, pro antichriſtis jamdudum declarati ſint. Interim de tanta, tamque immenſa Vejovis Romani potentia, nec *Arnobius* quicquam novit, nec *Lactantius*, nec *Euſebius*, nec *Athanaſius*, nec *Hilarius*, nec reliqui, qui Romanos epiſcopos vocarunt conſacerdotes, coëpiſcopos, fratres. *Ipſa imperatorum autoritas* ſeſe myſterio iniquitatis viriliter oppoſuit, &, quicquid ſtolidi Romanenſes ex mendaciſſimo de donatione Conſtantini M. figmento contra blaterent; ſibi jus convocandi ſynodos, jus confirmandi & deponendi epiſcopos, jus compeſcendi hæreticos vendicavit. *Reliquæ etiam eccleſiæ* nonnunquam decreta imperatoria Romanæ ſuperbiæ ſusque deque habuerunt, nec ſe ſuosque ritus judicio pontificis Romani ſubmiſerunt, nec provocationes ad eum comprobarunt. Quamq; viriliter impietati antichriſtianæ *Britones*, pontifici Romano ſe ſubmittere nolentes, reſtiterint, nec armis cogentibus ceſſerint, *narrant ex Galfrido Magdeburgenſes Cent. VI. cap. VII.* Noverant enim, unicum illum eccleſiæ ſuæ ſponſum, paſtorem, & pontificem œcumenicum, Chriſtum Jeſum, non tantum nullum inter apoſtolos primatum inſtituiſſe: ſed & inſtitui prohibuiſſe *Luc. XXII, 25, Matth. XX, 26. XXIII, 8:* nec apoſtolos Petrum, multo minus ejus, quos nominant, ſucceſſores, tanquam ſummos eccleſiæ ſive monarchas, ſive ſacerdotes, coluiſſe, *Act. IIX, 14. XI, 1. XV, 13. Gal. II, 7:* nec ipſum Petrum ſe alio titulo, quam *συμπρεσβυτέρε* inſigniiſſe, dominatu eccleſiaſtico ſevere prohibito, *I Pet. V, 1. & 2.* Paulum vero, non epiſcopum orthodoxum, ſed hominem peccati, præeminentia quadam illegitima, in templo DEI ſe evecturum prædixiſſe *II. Theſſ. I, 3.* Quo refer *Cyprianum*, qui deſperatos & perditos nominat, qui minorem eſſe epiſcoporum in Africa, quam Romani, autoritatem putent, *lib. 1. ep. 3.* & *Hieronymum in epiſtola ad Evagrium*, qui, cum major ſit urbe orbis, ejusdem meriti, ejus-

ejusdem & ſacerdotii eſſe cenſet, ubicunque epiſcopus fuerit. Quotiescunque igitur Romanenſes Chriſtum dicunt univerſalem epiſcopatum *Matth. XVI.* promiſiſſe, promiſſum *Joh. XXI.* tradidiſſe, traditum à Petro Romæ eſſe uſurpatum, & uſurpationem illam per pontifices Romanos continuari: toties pie & ſimpliciter reſponde, Chriſtum cum Petro, non cum papa Romano, locutum: nec ſuper Petrum, ſed hanc petram, qua Jeſus creditur eſſe Chriſtus vivi DEI filius, exſtruxiſſe eccleſiam: alioquin lapſo Petro, & Satana brevi poſt facto, *Matth. XVI, 22.* eccleſiæ parum proſpexiſſe. Petro itidem fuiſſe claves quidem concreditas, ſed non ſoli: nec eidem vim in regnis transferendis, & imperatoribus deponendis conceſſam: ſed poteſtatem peccata ſolvendi & ligandi donatam eum uſurpaſſe: cumque ter juberetur oves Chriſti paſcere, non accepiſſe dominium, ſed miniſterium,

ut terna negantis
Culpa recens parili numero purgata maneret,

ceu canit Sedulius.

XIII. Si, ut dixiſti, tanto conatu impii pontificis conatus impediti fuerunt: quid cauſæ eſt, quod à dictatura illa eccleſiaſtica, qua totus terrarum orbis concutitur, non ſit dejectus?

Qua ratione Bonifacius III. à Phoca, quem ſui ſceleris organon nactus fuerat, eccleſiis aliis fruſtra renitentibus, œcumenici epiſcopi nomen, iniquitatis mercedem, acceperit, & caput ſuper omnes patriarchas & metropolitanos extulerit, ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Qui conſecuti Bonifacium, cathedram peſtilentiæ occuparunt, tam ſtrenue antichriſti munere defuncti ſunt, ut divinam Petri autoritatē mentiti, papam nec erraſſe, nec errare poſſe, eique tanquam eccleſiæ capiti, eſſe ab omnibus in omnibus obtemperandum, aſſererent: jure epiſcopos ordinandi eccleſias alias ſpoliarent: iisdem ſuas ceremonias obtruderent: in nuptiis clero prohibendis prorſus antitacti eſſent: feſta ſuperſtitioſa adornarent: lingva ignota & multis ſuperſtitionibus ſacra adminiſtrarent: certis antichriſti notis proſtituti in templo Dei ſederent: numenq; emendicantes, & gloriam hujus mundi ſectati, ſeſe, tanquam ille perditionis filius, ſupra omne numen, vi, fraude, dolis eveherent: &, licet innumerabiles animas ad inferos ſecum deducere viderentur, à nemine tamen ſe judicari poſſe jactitarent. Succrevit facile Stygiis agitata conſiliis ini-

*Iſſelburg. de jure Proteſtantium contra Pontificem Romanum. Spanheimii Diſſertatio de Primatu Pontif. Rom. Mich. Sricius in Idolo Papali ex ipſa Papatus praxi & antiquis Monumentis per aliquot capita demonſtrato.

iniquitas, nec epiſcopis abſque autoritate pontificia quicquam conari licitum erat. Quæcunque gentes vel convertebantur, vel jam converſæ in fide confirmabantur, iis vel nolentibus character beſtiæ imprimebatur. Opes eccleſiæ ſuperſtitioſe augebantur, rerump. impie diminutis. Reges aut ſpernebantur excommunicati, aut ludebantur dementati, inque errorum patrocinium protrahebantur inviti. Subditi ab obedientia magiſtratui præſtanda liberabantur inique, bona imperii rapiebantur avare, bella ſvadebantur impune, & hæc omnia fulmen Papale excuſabat temere. Hanc poteſtatem papæ infinitam canoniſtæ his male contortis verſiculis, qui extant apud Hoſtienſem comprehenderunt:

Si ſit catholicus Papa, non judicat ullus.
Erigit & ſubjicit cathedras: dividit, unit,
Mutat vota crucis: reſtaurat & eximit: ad ſe
Majores cauſæ referuntur, legitimatque.
Promovet: appellare vetat: prohibet profiteri:
Deponit: transfert: ſuppletque: renunciat illi
Præſul & exemtus, ſimon, jurans, anathema,
Vel proprium, vel legati, vel lex utriusq;.
Nequaquam participans, & ſi quem ſponte ſalutat,
Quem canon damnat: ſibi ſol' quando reſervat.
Solvitur à papa nec non, quem regula damnat.
Addas ſuſpenſum, caſus cum fertur ad ipſum,
Reſcriptum fidei dubium quod fert plura bona.
Irritat infectum: legem condit generalem.
Approbat imperium, format, deponit & ungit.
Concilium generale facit: ſanctat quoq; ſanctos:
Ens non eſſe facit: non ens fore. Pallia ſemper
Portat, concedit: legi nec ſubditur ulli.
Appellatur ad hunc medio ſine, judiciumq;
Eſt pro lege ſuum. Monachum revocat venuentem.
Majus adulterio ſolvit: generaliter arctat.
Et laxat, quicquid ſponſis nocet: ordinat extra,
Tempora dando ſacrum: promotum promovet idem.
Ordinat: atque die, qua conſecratur, & ipſe
Viventisque locum concedit, jureque privat.
Inſignit laicos: ſacro dat chriſma miniſtro.

Summa

Summa ſede ſedet, plenusq; vicarius extat.
Si ſit catholicus Papa, non judicat ullus.

XIV. *Faſtum illum pontificum oportet opulentia regali fuiſſe innixum. Unde autem tanta bona acceperunt Papæ?*

Ceſſante perſecutionum fervore, Conſtantinus M. non ſolum ablata bona eccleſiis reſtituit, ſed & multa de novo addidit: templa maximis ſumtibus exſtruxit & ornavit: ex ſtatuis materiæ pretioſioris, quæ hactenus fuerant cultibus idololatricis proſtitutæ, pecunias conflatas eccleſiis condonavit. *Sozom, lib. 2. cap. 5.* Vectigal quoque & decimas per ſingulas civitates in ſtipendium miniſtrorum verbi certum deputavit *Sozom. lib. 1. cap. 8. lib. 5. cap. 6.* &, frumento de publico dare juſſo, lege permiſit, ut cuivis liceret, uſui eccleſiarū, omnē offerre ſubſtantiam, utq; illæ theſauros, vaſa aurea, veſtes pretioſas prædia, libertos & ſervos poſſiderent. Quæ omnia quanquam tanta ſunt, ut munificentiſſimum imperatoris animū ſatis comprobent, illis tamen inſatiabili Paparum avaritiæ non ſatisfactum eſt. Fingunt igitur, ſe ab eo, præter dominium ſpirituale ſuper omnes eccleſias, accepiſſe quoque temporale totius occidentis, inſignia regia, diadema aureum, pompam præcedentium & ſequentium equitū, ſceptrumque imperiale: & Conſtantinum ideo imperium tranſtuliſſe Byzantium, quia, ubi ſacerdotum principatus & Chriſtianæ religionis caput conſtitutum eſt, ibi terrenus imperator non poſſit habere poteſtatem. Sed quam putido mendacio ſe ridendos expoſuerint, ipſi eorum doctores docuere, quos quæſtione III. allegavimus. Certo certius eſt, non ſaltem Conſtantinum M. ſed & ejus ſucceſſores jurisdictionem in urbem Romanam, totumque occidentem uſurpaſſe. Et licet Aribertus, rex Longobardorum, Pipinus item & Carolus, reges Gallorum, quædam in Italia loca concederent pontificibus: ipſique pontifices à Ludovico & aliis Caroli ſucceſſoribus, vi, fraude & dolis multa ad ſe pertraherent, & donationes, neſcio quas, de ipſo jure non ſubſiſtentes, prætenderent: quamprimum tamen Otto I. ad imperium evectus eſt, omnia repetita, nec gravatè à Leone VII. reddita ſunt, *uti ex Theodorico à Niem, multorum paparum Secretario, Hoſpinianus lib. 5. de templ. cap. 2. teſtatur.* Nec quicquam de ſuo jure in Italia remiſit Fridericus II. utut papis frementibus, donec tandem Carolus IV *Aventino teſte lib. 7. annal.* ea lege conſecratus, ut continuo Italia excederet, nec eam absquē mandato Romani pontificis

Dreyer Diſp. XV. & ſeqq. de Pontif. Rom. poteſtate temporali. Dannh. in Hodomor. Spir. Papæi 1. Sibrand. Lubert. de Pontif Rom.

deinceps adiret, primus immani ejus libidini ceſſit. *Hieronymus Balbus tamen lib. de coron. pag. 25.* dicit, Carolum V. urbem Romam, una cum Adriani mole, portuque Hoſtienſi,& oppidis undiquaq; circumvicinis, in poteſtatem redactam ſedi apoſtolicæ habendam fruendamq; primum donaſſe. Licet autem antiquitus nihil juris in tot provinciis obtineret papa, ſed de facto tantum iis inſideret: auctus tamen eſt ſubinde ex novis regum, imperatorum & principum largitionibus: quorum nonnullos, ut Anglum, tributarios ſibi fecit, & ad numum Petri annuum ſolvendum adegit. Auctus etiam eſt ex profuſis piorum & fidelium largitionibus; ex legatis morientium; ex bonis damnatorum eccleſiæ adjudicatis; ex præda deniq; & rapinis Cumq; ſic religio peperiſſet divitias, filia cœpit devorare matrem, & opes, pulſa pietate, luxum induxerunt. Pedetentim laudabilis ille mos abolitus eſt, quo ex *decreto concilii Milevitani & Carthaginenſis V.* aliquis procerum, bonis eccleſiaſticis, tanquam defenſor, patronus & diſpenſator, ab imperatoribus præficiebatur, qui ſacerdotibus victum, & veſtitum, & alimenta pauperibus tribueret, *uti loquitur Aventinus in præfatione ad librum VI. Annalium.* Nam epiſcopi, tractu temporis redituum eccleſiæ adminiſtratione in ſe ſuſcepta, ad ſuum arbitrium in luxum & libidinem omnia converterunt, nullius penſi *ſalutarem ſanctionem Romanæ Synodi III. habentes*, qua reditus eccleſiaſtici omnes in IV. partes diſtribuebantur, ut una daretur eccleſiæ ad reparationem templorum; altera epiſcopo ad ſui ſuſtentationem & hoſpitalitatem exercendam; tertia presbyteris & diaconis & toti clero; quarta pauperibus, infirmis, & peregrinis.

XV. Si quid habes, quod de templis hujus eccleſiæ ætatis moneas, id quæſo exponito.

Rud. Hoſpinianus de Templor. Orig. & progreſſu. Joach. Hildebrandus de ſacris publicis & templis.

Uti ſub fluctibus perſecutionum tyrannicarum oratoria & templa nullis ſumtibus fuerant conſpicua: ita, Conſtantino imperatore ad fidem converſo, baſilice & magnifice ſurgebant, columnis marmoreis ſplendentia, ſeque altarium formoſitate, baptiſteriorum pretioſitate, anathematum pulcritudine, aſpectui omnium commendantia. Nec Conſtantinus ſolus in ædibus ſacris condendis egregiam navavit operam, unam vocitans Irenen, alteram Apoſtolicam, tertiam Salvatoris (quæ in monte Calvariæ Hieroſolymis exſtructa vocabatur MARTYRIUM) aliam Theophaniæ, aliam denique aſſumtionis Chriſti: ſed & alii reges & principes, ipſique epiſcopi, ſimili ſtudio tenebantur, &, *ſi Heinrico de Erphordia*

dia fides habenda eſt, unus Patricius, in Hibernia epiſcopus, CCCLXV. templa pro numero dierum in anno exſtruxit. Et hæc quidem templa primitus non ſanctis, ſed ipſi Salvatori & Domino, dedicata fuerunt: quod vel ex unius Conſtantini conſecrationibus patet. Unde etiam recte dicta leguntur *Dominica* & *κυριακά*. Cum autem templa magno ubique ſurgerent numero, ut à ſe invicem facilius diſtingverentur, varias denominationes à ſanctis & martyribus acceperunt: ſed nondum in eorum honorem ædificabantur, donec tandem circa Juſtiniani tempora ſuperſtitio hac etiam in parte dementaret eccleſiam, & templa, in quibus ſolus Deus colendus eſt, Divis exſtrui cœperint. Qua ex re plures aliæ conſvetudines deteſtandæ pedetentim originem traxiſſe videntur. Nam cum indulgentiæ certis temporibus templa viſitantibus concederentur; cum ſolennes ab æde unius Divi ad alterius proceſſiones & circuitiones inſtituerentur; cum deniq; aſylis conſtitutis, ſceleratorum cauſa ad templa ageretur (idque ea occaſione, quod, cum circa annum CCCCXXX. fugitivi quidam ſervitutum ſibi receptum in templo Conſtantinopolitano adverſus inſequentes quæſiviſſent, admoniti, ne ſacris impedimento eſſent, duos primo ſacerdotes, ſeque poſt ipſos interfecere, & aſylis conſtituendis ſub Theodoſio anſam dedere,) periit fides, pietas, & religio: hominesque à fonte vitæ oculos averſos in res, quas multis privilegiis videbant munitas, fixerunt: idque eo magis, quia tandem *infelix error imagines colendi* uſu receptus eſt. Interea nota, *organorum muſicorum*, quorum etiam uſus in templa tandem eſt receptus, jam meminiſſe Auguſtinum & Hieronymum: hunc *epiſtola XXIIX. ad Dard.* illum *in Pſalm. LXI.* Quæ tamen utrum concinnis & artificioſis noſtris organis conformia fuerint, dubitamus. Hæc enim aliqui eſſe Teophili imperatoris inventa; aliqui vetuſtiora cenſent; aliqui autorem eorum prorſus ignorari dicunt. A Vitaliano papa *circa* annum IↃCLX. ea in templis recepta, & per conſonantias humanis vocibus adhibita fuiſſe, *teſtatur Balæus*. In Galliam tempore Pipini anno IↃCCLVII. dono Conſtantini imperatoris transportata eſſe, *autor eſt Aventinus in annalibus Bojorum, & Marianus Scotus in chronicis.* Bernhardum Teutonem anno CIↃCCCCLXXX. auxiſſe numeros, &, ut pedes quoque attractu funiculorum concentum juvarent, feciſſe, dicit *Sabellicus Enn. X. lib. IIX.* Addit *Hoſpinianus lib. 2. de templis cap. 23.* cum in fabricandis organis luxum cœpiſſe adhiberi, ut Michael, Conſtantinopolitanus imperator ea ex auro conflari, & abbas quidam Salernitanus fiſtulam in longitudine XXIIX. pedum, & in circumferentia IV. ſpithamarum fieri curaverit.

XVI.

XVI. Quid quæſo de ſcholis horum temporum in hiſtorias relatum eſt?

Conſtantinus M. ſine ſuis ſeminariis & officinis eccleſiam florere haud poſſe intelligens, per univerſum imperium in celebrioribus urbib9 ſcholas quamplurimas aut ipſe adornavit, aut veteres reparavit, & im̃unitate profeſſoribus conceſſa nobilitavit. Inter quas fuerunt florentiſſimæ, *Conſtantinopolitana* in Thracia, *Athenienſis* in Græcia, *Romana* in Italia, *Alexandrina* in Ægypto. *Maſſilienſis* in Gallia. Cum autem Julianum apoſtaſia ſua ad quamvis impietatem adigeret, putavit verſipellis homo, non poſſe citius eccleſiarum detrimentum procurari, quam ex ſcholis Chriſtianorum clauſis. Sed quas clauſerat apoſtatæ malitia, imperatorum deinde ampliavit munificentia Et quemadmodum Theodoſius junior *anno CCCCXXIII.* per epiſcopum Petronium, *ſcholam Bononenſem*, bonorum ſtudiorum matrem vulgo appellatam, aperuit; *Conſtantinopolitanam* etiam conſtitutis tribus Oratoribus, & decem Grammaticis in utraque lingva, reparavit; ita alii reges certatim ſuam operam in ſcholis fundandis & conſervandis adhibuerunt. Ipſe Athalaricus, *ceu dicit Sabellicus enn. 8. lib. 2.* Romanos & univerſam Italiam ad bonarum literarum artiumque ſtudia adhortatus, præceptoribus annua ſtipendia conſtituit. Cantaber verò, Hiſpaniæ rex, anno CCCLXX. *Cantabrigenſem* in Anglia academiam à ſe vocatam, excitis ex Athenienſi academia profeſſoribus, fundavit, quam Sigebertus, Angliæ rex, anno IↃCXXX. inſtauravit, ut Georgius Lilius teſtatur. Floruerunt etiam inter alias ſcholas *Antiochena*, Euſeb. lib. 7. cap. 29; *Laodicena*, Epiphanio clara: *Nicomedienſis*. in qua docuit Lactantius; *Cæſarienſis*, quam frequentarunt Baſilius M & Nazianzenus; *Berithenſis* in Phœnicia, quam imperator *in §. hac autem tria, Conſt. de ratione & meth. juris docendi ad Anteceſſores*, legum nutricem appellat; *Bannochorenſis* in Britannia, ex qua prodiit Pelagius; *Mediolanenſis*, in qua Auguſtinus eloquentiam docuit; Auguſtodunenſis, quæ, teſte Tacito, ſub primis Cæſaribus magni fuit nominis, à Conſtantio Conſtantini M. patre reparata: Trevirenſis, quæ eſt antiquisſima omnium Germaniæ Academiarum. nobilitata ab Athanaſio exule, Hieronymo & aliis. Præter has autem ſcholas, autoritate & liberalitate principum adornatas, viri nonnulli pii & literati, interque eos præcipui, Baſilius M. & Auguſtinus. relictis urbibus, *in deſerta loca & monaſteria* receſſerunt, & ſecundum regulam apoſtolorum viventes, ex ſuo collegio

gio dederunt eccleſiis rogantibꝰ epiſcopos, viros undiquaq; doctiſſimos & piiſſimos, *ut ait Poſſidonius Auguſtini diſcipulus in vita Auguſtini c. V. & XI.* Paulo vero poſt, irrumpentibus in Italiam Gothis, horrenda barbaries, diſſipatis ſcholis, & libris optimis laceratis, Europā involvit, & uſum linguarum tantū non exſtinxit; Sed *Benedictus Nurſinus* in Umbria Italiæ monachus, tumultuū pertæſus, eos, quos ſuo more ſolivagam vitam amantes inveniſſet, ſeculo VI. in cœnobia collegit, &, præterquam quod illos in bonis literis erudiret, certis vivendi regulis aſtrinxit. Sic igitur monaſteria & cœnobia prioribus ſeculis non luſtra fuerunt perditorum hominum, & inutilium terræ ponderum habitacula, ſed ſub inſpectione *abbatum*, quos *archimandritas* vocabant, literarum, pietatis & honeſtæ vitæ hoſpitia & phrontiſteria. *Confer Hoſpinianum libro III. de templis cap. V. & lib. IV. de origine Monachatus cap. XXII.* Cum tandem, *inquit*, Chriſtiani principes monaſteria viderent ad commoda eccleſiæ & rerump promovenda valide prodeſſe, utpote ex quibus tot caſtæ ad maritos virgines, tot juvenes modeſtia & timore Domini humanitateq; præditi, tot deniq; eruditione, vitæque integritate præſtantiſſimi epiſcopi & paſtores eccleſiarum, prodirent: factum eſt, ut moti pio ardentique zelo, plurima hinc inde cœnobia maximis ſumtibus exſtruerent, eaq; reditibus, opibusque immodicis certatim locupletarent. Accedebant ad hæc ſcholaſtica monaſteria *ſcholæ juxta cathedrales eccleſias*, ſub certo domus & diſciplinæ præfecto, adornatæ, ut & *Canonicorum collegia*, quæ nihil erant aliud, quā ſcholæ eccleſiaſticæ, in quibus tam viri, quam adoleſcentes & pueri, dogmate ſanctæ religionis imbuti, ad eccleſiarum tandem adminiſtrationem promovebantur. Sic memorabile eſt epiſcopos Leodienſes σεμνεῖα ſeu loca venerabilia, & ſcholas ad ſtudia & bonas artes, liberaliſſime foviſſe, idque ex patrimonio D. Lamberti, *teſte Zwingero volumine XXVI.* Sed hæc ſcholaſtica monaſteria & collegia tandem in monaſteria ſuperſtitioſorum ordinum transformata ſunt. Sic, *ut idem Zwingerus teſtatur*, Congellus *circa* annum IↃCCC. collegium *Bannochorenſe* in Anglia celeberrimum, quod ultra CCCL. annos floruerat, & uno tempore plusquam bis mille Chriſtianæ religionis ſtudioſos aluerat, in monaſterium apoſtolici ordinis mutavit, ſe primo ejus abbate conſtituto. Ex hoc cœnobio deinde tota Europa monachis repleta eſt & monaſteriis. Viri igitur literati, otia tandem, quibus ex opimis illis reditibus fruebantur Canonici, deteſtati, doctrinarum & artium cultum in academias tranſtulerunt.

Himmel. de Canonicatu. Joh. Gieſſen. de vita Acad. Lucius de Monach. Dorſchæus de Inſtit. Monaſter.

XVII. Siccine igitur nunc tandem, qui ad eccleſiaſticam adminiſtrationem promoveri ſolebant, certis gradibus videntur eſſe diſtincti?

Seculis prioribus uſitatiſſima fuerant officia eccleſiaſtica *epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum*. Sed tunc epiſcopi non ſic contradiſtingvebantur presbyteris, ut alia eſſent illorum, quam horum, munia, epiſcopis omnia presbyterorum munia obeuntibus.* Humano tandem jure, non divino, presbyter cœpit epiſcopo minor æſtimari. Ignatius quidem *in epiſtola ad Antiochenos* nominat *ſubdiaconos*, *lectores*, *cantores*, *oſtiarios*, *laborantes* (quos alii vocant foſſarios ſeu laboratores*, mortuorum corpora obvolvere ſolitos) *exorciſtas*, *confeſſores*, *cuſtodes ſanctarum portarum*, *diaconiſſas*, *virgines ſuſceptrices Chriſti*. Sequentibus temporibus ſancitum eſt, ut quis primum fieret *oſtiarius ſeu janitor & cuſtos templi*, cui epiſcopus clave tradita commiſit poteſtatem fores claudendi & aperiendi, & curam ſacrarum ædium habendi: deinde, *lector*, *pſalmiſta & cantor*, alias etiam dictus *pronunciator & verbi Dei relator*, per libram inveſtitus, ut ex pulpito ſacros textus populo prælegeret: tertio *exorciſta ſeu ejurator*, ut, ceu Iſidorus libro VII. inquit, ſuper catechumenos, vel ſuper energumenos i. e. obſeſſos & immundo ſpiritu vexatos, nomen Domini Jeſu invocaret: quarto *acoluthus ſeu cereoferarius*, ut cereos ſub lectione evangelii aut ſacrificii teneret accenſos, & vaſa ſacra ad uſus divinos præpararet; quinto *Subdiaconus*, qui inſerviebat diaconis & presbyteris: ſexto *diaconus*; ut pauperum curam ageret, & quidem non doceret, homilias tamen Patrum abſentibus presbyteris & epiſcopis recitaret; tandem *ſacerdos*, Presbyter, ut ſacramenta adminiſtraret, legationes obiret, doceret, pœnitentes abſolveret. Succedentibus ſeculis *Sacerdotes* diſtingvebant *in minores & majores*. Et *minores* vocabant presbyteros ad munus prædicandi & ſacramenta adminiſtrandi arctius obſtrictos. *Majores*, dicti *epiſcopi*, creſcente jam luxu & faſtu in eccleſia, labore docendi presbyteris ut plurimum demandato, cœpere in morem ſeculi jurisdictione ſeſe armare, variisq; dignitatibus nimium elati, regibus & principibus ſe non inferiores cenſere, quin potius ſupra illos ſe ambitu impotente elevare. Juris enim epiſcopalis poteſtatem conſiſtere docebant non ſaltem *in ordine*, cujus vi illis incumbit officium docendi, ſacra obeundi, & peccatores ligandi & abſolvendi: ſed & in *legi diœceſana*, propter quam epiſcopis tam à laicis, quam à clericis canonicam

nicam requirunt obedientiam, & ſibi poteſtatem, omnia eccleſiæ bona adminiſtrandi attribuunt, ut & in *jurisdictione ſeu epiſcopali audientia*, qua poſſint omnes clericorum & ſpirituales laicorum cauſas cognoſcere & per ſententiam definire, pœnasq; canonicas & ſeculares decernere: & propter hæc omnia *in tali dignitate* poni, ut non niſi illuſtriſſimorum titulis gaudeant, & nullis principibus inferiores habeantur. Horum epiſcoporum varios conſtituerunt gradus, ut alii ſint *ſimpliciter epiſcopi*, alii *metropolitani*, in provinciæ alicujus metropoli; alii *archiepiſcopi*, quibus ſubſunt plures in una provincia epiſcopi; alii *patriarchæ*, qui non uni præſident provinciæ; alii *cardinales*, qui ſunt à latere pontificis, & in eodem cum illo conſiſtorio Papam in regenda eccleſia adjutent; ſupremus tandem omnium apex ſit *Romanus pontifex*: cui hanc tribuere audent majeſtatem, quod ſit univerſalis eccleſiæ princeps & caput, quod à nullo judicetur, tanquam ſupra omnes leges: quin & ſecundum nonnullos ſupra ipſa concilia œcumenica poſitus, qui poſſet pro eccleſiæ utilitate reges creare & deponere, & utroque gladio, tam ſpirituali, quam ſeculari, contradicentes coërcere.

XIIX. Dimitterem te hinc ad concilia enarranda, niſi de feſtis Chriſtianorum eſſem erudiendus.

Etſi Chriſtianos in primitiva eccleſia, ad auditum verbi divini & uſum ſacramentorum, ſæpius conveniſſe firmiter ſtatuimus: eos tamen primis ſeculis feſtivitatem quandam celebriorem habuiſſe, præter *diem Dominicum*, *feſtum natalitium Chriſti* (quod cum feſto *epiphanias* ſeu *theophanias* uno eodemq; die olim Græci celebrarunt; occidentales tredecim à ſe invicem diebus) *paſcha* & *pentecoſten*, ex probatis autoribus probari vix poteſt. Solemnis tamen etiam haberi cœpit *Quinquageſima* ſeu quinquaginta inter paſcha & pentecoſten dies (inter quos eſt *feſtum Aſcenſionis*) ut & *calendæ Januariæ*, quas deinde *octavam nativitatis Chriſti* & *feſtum circumciſionis* vocarunt. Supervenerunt paulatim *memoriæ martyrum*, quæ tamen non feſtivæ & feriales, ſed tantum memoriales primis temporibus fuerunt: cum ut in iis edocti auditores ad conſtantiam piorum imitandam incitarentur, tum ut hac pietate à feſtis & ritibus paganorum avocarentur. Sed hæ memoriæ tractu temporis in feſta tranſierunt: ita tamen, ut feriæ non eſſent univerſales & omnibus eccleſiis communes, ſed tantum particulares, inter eos ſaltem uſitatæ, ad quos potuit memoria piorum martyrum pertingere. Solemne etiam

Matth. Dreſſer. de Feſtis. Andr. VVilkius de Feſtis Chriſtianor. & XII. Apoſtol. Theodor. Thummius de Feſtis Judæor. & Chriſtianorum.

ſatis cito haberi cœpit, & quidem ſub Sixto I. ſeculo tertio *tempus jejunii XL. dierum*, quod vocatur. *Quadrageſimale*, & à *die cinerũ* incipit, quo cineres ex ſacratis præteriti anni palmis uſti & conſecrati, in capita conſperguntur, ut meminerint, homines ſe eſſe & cineres & in cinerem convertendos. Sixti ſucceſſor Teleſphorus, fas eſſe ratus, ut, qvum clerici populum præcedant ordine, ſanctitate eum præcederent, ſtatuit, ut duobus ante feriam cinericiam diebus jejunare inciperent, & ſic facta eſt *Dominica Quinquageſima* ſeu *Eſto mihi*. Quia autem non jejunabant, nec in quintis feriis, qvum in quinta feria cœna Dominica ſit inſtituta & Chriſtus in cœlum aſcenderit; nec in primis, propter ejusdem reſurrectionem prima feria factam: addidere in redemtionem quintarum feriarum hebdomada ſextam, vocatam poſthac *Sexageſimam*; & in ſextarum redemtionem, ſeptimam *Septuageſimam*: & ita ſimul, ſicuti, neſcio qua æmulatione, jejunium Chriſti in deſerto XL. dierum tempore Quadrageſimali imitari voluere, per Septuageſimam annos LXX. captivitatis Babylonicæ repræſentari credentes, toto illo tempore cantica lætitiæ & laudis intermiſere. Gregorius M. tandem circa annum Chriſti Ioc. feriis primis & quintis jejunium injunxit toto Quadrageſimali tempore, ut continuis XL. diebus jejunaret eccleſia. Non improbamus, ſed comendamꝰ jejunia, tanquam precum & meditationum ſacrarum quoddã adminiculum: ſed hoc deteſtamur, quod pontifex Romanus, oppreſſa libertate Chriſtiana, ſciſcat jejunia, jam *quatuor temporum*, jam *angariarum*, *rogationum*, *vigiliarum*, *ſtationum*, *quadrageſimæ*, *quinquageſimæ*, *ſexageſimæ*, *aliorumque titulorum*: eaque non habeat pro adminiculo cultus, ſed pro ipſo cultu, & illis ſatisfactionem pro peccatis & amiſſæ gratiæ recuperationem adſcribat, eademque potiſſimum in ciborum delectu ponat contra *I. Tim. IV, 2. Matth XV, 11. Luc. X, 7. I. Cor. X, 27. Col. II, 20. Hebr. XIII 9*; Pythagoræis & Gymnoſophiſtis deteriores, quia illi carnibus abſtinebant, piſces etiam & quicquid animatum eſt, quin & vinum, ſibi negabant. Servi autem pontificis, dum carne quadrupedum & avium abſtinent, piſces Apicianis artibus conditos ſibi curant apponi, cœnasque ſuas Saliares generoſo vino ſolantur. Expoſtulatio Auguſtini adverſus Manichæorum electos *ex lib. II. de moribus Manichæorum cap. XIII.* hic audienda eſt: *Quæro à vobis*, inquit, *ſi quis exiſtit ita homo parcus & frugi, ut appetitum ventris & gutturis moderans, non epuletur bis per unum diem; & huic cœnanti oluſcula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atque condita, quantum comprimendæ fami ſat eſt: ſitimque irriget propter diligentiam valetudine*

dine duabus aut tribus vini meracis potionibus : isque illi victus ſit quotidianus : alius verò, ex alia parte, nihil guſtans carnium, nihil vini (quanquam pontificios jejunantes nihil vini non guſtare, non dicendum eſt) *exquiſitas & peregrinas fruges multis ferculis variatas & largo pipere aſperſas nona hora libenter aſſumit, noctis etiam principio talia cœnaturus: bibat autem mulſum, carenum paſſum, & nonnullorum pomorum expreſſos ſuccos, vini ſpeciem ſatis imitantes, atq; id etiam ſuavitate vincentes, & bibat, non quantum libet: idq; ſibi exhibendum curet quotidie: taliq; victu deliciisq; fruatur nulla neceſſitate, magna voluptate; quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potandumque attinet, abſtinentius vitam ducere judicatis? Seculo quarto* Magdeburgenſibus & Hoſpiniano videntur *feſta Petri & Pauli* apoſtolorum, *Petri ad vincula, annunciationis Mariæ*, inſtituta. *Seculo quinto* additi ſunt *dies rogationum ſeu Litaniæ, dies cinerum, Dominica in ramis palmarum, nativitas Baptiſtæ, feſta Michaëlis, Laurentii, Agnetis, Urſulæ, inventionis etiam crucis.* Nam credebatur Helena, Imperatoris Conſtantini M. mater, crucem Dominicam in terra defoſſam reperiſſe, uti conſtat ex ſuppoſititia Ambroſii Oratione in funere Theodoſii. *Seculo ſexto* acceſſit *feſtum ὑπαπαντῆς ſeu exceptionis Chriſti:* ſequentibus ætatibus *purificationis Mariæ* dictum, & ſuperſtitioſa candelarum conſecratione profanatum, ut & *feriæ dormitionis ſeu aſſumtionis* Mariæ. Deinde *ſeculo ſeptimo* à Sergio I. *feſtum nativitatis Mariæ* eſt imperatum; *omnium* (Seb. Nieman de Canoniſat. Sanctor.) *martyrum* à Bonifacio III; *Martini* à Martino I; *Valentini* à Benedicto II; *exaltationis & oſtenſionis crucis* ab Heraclio imperatore. *Seculo octavo* acceſſit *præſentatio Mariæ, transfiguratio Chriſti, & paſſio Dominicæ imaginis,* quæ à Judæis contumelioſe tractata, aperto latere ſangvinem effuderat: mosq; invaluit, ut feſti dies à veſpere ad veſperam celebrarentur. *Seculo nono* additum eſt *feſtum Trinitatis*, & Carolus M. de feſtis, eorumque numero, certam legem tulit, mandavitque Paulo Diacono, ut ſanctorum vitas & lectiones, cuilibet feſtivitati convenientes, ex Patrum ſcriptis in *Poſtillas* colligeret, & hymnos adderet, *ut ex Paulo Æmilio, Cranzio & Sigeberto Hoſpinianus* teſtatur. *Seculum X.* accepit *feſtum omnium ſanctorum; XI. animarum omnium; XII. converſionis Pauli, Mariæ Magdalenæ, conceptionis Mariæ, & XI. millium virginum; XIII. addidit feſtivitates Antonii, Franciſci, & Eliſabethæ,* ut & *corporis Chriſti.* quod, ad nocturnam viſionem monialis cujusdam Evæ, inſtituiſſe Urbanum refert Balæus. Et res ipſa loquitur, ritum incluſionis, circumgeſtationis & adorationis panis conſecrati horribiliter cœnam dominicam in ſuperſtitioſas ceremonias

transfiguraſſe. Circa hoc quoque tempus (nam quæ de feſtis Chriſtianorum dicenda eſſe ſtatuimus, hoc uno loco conjungemus) *Dominica de roſa* ſacrata eſt, qua pontifex roſam, auro, muſco, & balſamo præparatam conſecrat, & principi alicui in ſignum ſingularis favoris transmittit. Porro ſeculum XIV. adornavit *feſtum lanceæ & clavorum Chriſti*, *Brigittæ*, & *viſitationis Mariæ*; XV *Catharinæ Senenſis*. Et ne XVI. & XVII. ſanctis nihil dediſſe viderentur, *illud* tempore Leonis X. *Brunonem*, Carthuſianorum patriarcham; *hoc* præter alios *Ignatium Lojolam*, Jeſuitarum choragum, ad imitationem gentilium canonizavit, id eſt, cœleſtis gloriæ jam eſſe participes declaravit, & divinos illis honores & cultum decrevit. *Quorum quidem honorum Bellarminus ſeptem facit:* I. ut ille, qui eſt in canonem receptus & quaſi deificatus, ab omnibus dicatur & habeatur ſanctus. II. ut invocetur in publicis eccleſiæ cœtibus. III. ut templa & aræ in honorem ejus exſtruantur. IV. ut ſacrificia tam euchariſtiæ, quam horis canonicis laudum & precum in honorem ejus offerantur. V. ut dies feſti in honorem ejus celebrentur. VI. ut pingatur imago ejus addito lumine in ſignum gloriæ cœleſtis. VII. ut ejus reliquiæ pretioſis thecis incluſæ publice honorentur.

XIX. O miſere beatos, quorum gloria ab hac canoniſatione pontificum dependet! Sed & de conciliis tibi dicendum eſſe memento.

Conciliorum poſt Scripturam eſſe maximam autoritatem, teſtis eſt antiquitas. Et merito illorum exploditur adulatio, qui papam conciliis eſſe majorem, ſi non credunt, tamen calamo teſtantur. Nam quis adeo bardus & blennus qui in unius homunculi anima ſuam vellet & eccleſiæ ſalutem includi? Fuerunt ſane inter pontifices Ariani, Eutychiani, Monotheletæ, Epicurei, magi; &, *ſi verbis Brigittæ ex libro revelationum cæleſtium uti velim*, abominabiliores Judæis, immitiores Juda, injuſtiores Pilato, pejores & deteriores ipſo Lucifero. Quis ergo eorum, utut ſedem pontificiam occupantium, vel vitam vel doctrinam pro norma allegabit? Quis non judicio ſcripturæ & eccleſiæ eos ſubjacere affirmabit? Non eſt pontifex, non concilium, non ipſa eccleſia extra errandi aleam poſita. Homines ſumus omnes; ſeduci poſſumus; errare poſſumus; poſſumus in devia abripi omnes. Solum Dei verbum norma eſt & judex, juxta quod ſi non dixerint, non erit iis lux matutina, *Eſai. VIII, 20.* ideoq; ſive concilia Patres laudarunt, ſive præſidentiam & πρεσβείαν in conciliis Romano epi-

epiſcopo conceſſerunt: non prætoriam & dictatoriam, ſed miniſterialem illis autoritatem attribuerunt. Et præſidentiæ, quæ in conciliis vetuſtioribus non ſemper papis Romanis, ſed & nonnunquam aliis concedebantur, non fuerunt authenticæ, ſed honorariæ, ut, quiqui demum eſſent præſides conſtituti, quæſtiones in concilium mitterent; diſceptationem moderarentur; ſententias colligerent; decreta per notarios ad acta referrent; non prætoriano jure ſententiam dicerent. Præter quos præſes etiam politicus, ſive imperator, ſive quivis rex alius, requirebatur, qui concilium indiceret, cogeret, ab externa vi & interna *ἀσχημοσύνῃ* tueretur; decreta etiam epiſcoporum ſubſcriptionibus confirmata ſanciret. Sed his miſſis, *cum concilia diſpeſcantur in generalia ſeu œcumenica, & particularia, ſive ea ſint orthodoxa, ſive hæretica*, de Oecumenicis primo loco, poſt de aliis agemus. Ubi hoc præmonemus, *œcumenica ſeu univerſalia & generalia dici cœpiſſe concilia*, non quod ex univerſis omnium fidelium eccleſiis in illud epiſcopi convenerint: ſed quod imperatores Romani, quos univerſales totius œcumenes *Luc. II, 1.* dominos vocabant, ex omnibus imperii ſui provinciis tam ex oriente quam ex occidente epiſcopos convocarint, utcumq; poſtea oriens ab occidente divideretur, & aquila jã eſſet biceps facta, & aliud imperium eſſet in oriente, aliud in occidente, ſi quinq; patriarchæ convenirent, dictum eſt concilium œcumenicum: quin &, ſi in ſola Europa conſenſu regum & principum illi tantum venirent in ſynodum epiſcopi, qui papæ Romano deferunt obſequium, nihilominus mos obtinuit, ut œcumenica concilia dicerentur: quanquam raro in illis de cauſis religionis diſceptabatur, ſed vel milites in bellum ſacrum jam pro recuperanda terra ſancta, jã contra Waldenſes erant concitandi vel ſchiſmata Paparum inter ſe aut cum regibus & principibus Chriſtianis eliminanda.

XX. *Quænam & quot ſunt Concilia œcumenica?*

I. NICÆNUM in Bithynia A. C. CCCXXV. ab imperatore *Conſtantino M.* indictum, & præter infinitam presbyterorum & diaconorum multitudinem, à CCCXIIX. epiſcopis, *ut Theodoretus & Epiphanius teſtantur*, in ipſa aula imperatoria celebratum. *Cauſa ejus* convocandi fuere duæ: *Una*, ut Ariana hæreſis ejusque defenſores Euſebiani, convincerentur: altera, ut in controverſia de tempore paſchatos celebrandi, non dum prorſus conſopita, conformitas ceremoniæ in omnibus eccleſiis reciperetur. Acceſſit *tertia*, ut Novatianorum patronus Aceſius confutaretur. Quin & *quarta*, ut philoſophi confunderentur: quod tandem ſenex

Euſeb. de Vita Conſtantini l. 3. Socrates l. 1. Hiſt Eccleſ. c. 8. Theodoret. l. 1. Hiſt Eccleſ. c. 7. Sozom l. 1. Hiſt. Eccleſ c. 20. 21. Athanaſ. Orat. cont. Arrian. Epiſt. ad Epiſc. per Africam. Magd. Cent. 4. cap. 9. pag. 649. Oſiand. Cent. ead lib. 2. cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

ſenex nihil minus quam verborum præſtigias edoctus, fecit. Interfuerunt *Hoſius*, Cordubæ in Hiſpania; *Alexander*, Alexandriæ in Ægypto; *Macarius*, Hieroſolymitanus; *Euſtathius*, Antiochenus; *Paphnutius*, in Thebaide; *Spiridion*, in Cypro; *Jacobus Niſibenus*, in Meſopotamia, miraculis clarus; *Nicolaus*, Myrenſis in Lycia confeſſor in perſecutione Lyciniana, & propheticis donis inſignis; *Cæcilianus* Carthaginenſis, fortis athleta adverſus Donatiſtas; *Theophilus*, Gothiæ epiſcopus; *Athanaſius*, hoc tempore archidiaconus Alexandrinus; *Victor ſeu Vitus & Vincentius*, presbyteri urbis Romæ pro epiſcopo Silveſtro; *Alexander & Paulus* pro Metrophane, epiſcopo Conſtantinopolitano; & *multi alii*, quorum nonnulli in corpore ſuo inuſtas circumferebant notas & ſtigmata Domini. Sed & ipſe Conſtantinus imperator huic concilio non ſolum interfuit, ſed & præfuit, ut cujus autoritate fuit coactum, & ſumtibus tanto Cæſare dignis celebratum. Deteſtatus enim eccleſiarum turbas & ſchiſmata, & imprimis graviſſimas contentiones, in quas Arius Alexandrinus presbyter cum orthodoxis de æterna filii Dei divinitate deſcenderat. Ablegaverat ante hac *Hoſium*, Cordubæ epiſcopum, virũ cana autoritate & rara eruditione venerabilem, in Ægyptum, ut Alexandrum epiſcopum, & Arium presbyterum in gratiam, & ſi fieri poſſet, in ſanum de fide Chriſtiana conſenſum reduceret. Quod cum Hoſio non ſuccederet, factione Ariana, licet in Alexandrina ſynodo damnata, indies vires majores ſumente: imperator, conſilio ejuſdem & aliorum, epiſcopos totius orbis, Romano imperio noti, evocavit Nicæam in Bithynia. Quibus magno numero in aula imperatoria congregatis, & in utroque latere in ſellis ordine diſpoſitis conſidentibus, ipſe medius ſummo loco in ſella quadã ex auro fabricata conſedit. Quo facto, non epiſcopi Romani legati; nec nomine papæ Romani, ut nugantur ejus adulatores, Hoſius etſi princeps concilii, ut ait Athanaſius, i.e. præcipuus theologus; ſed Euſtathius, epiſcopus Antiochenus, qui in dextero ordine primam ſedem occupaverat, gratias egit Deo, quod per Conſtantinum, expulſis impietatis tenebris, luce divinæ cognitionis orbem terrarum illuſtraſſet: rogavitq; imperatorem, ut fidem de Trinitate conſubſtantiali contra Arium ſervaret eccleſiæ integram & inviolatam. Ille Romano idiomate reſpondens, ſibi de tot epiſcoporum, quos accerſierat conventu gratulabatur, eosq; ad cauſas diſſenſionum tollendas hortatus, voluit ut primo omniũ omnia vincula, quibus conſtricta teneretur controverſia, pacis legibus omnino diſſolverent. Dicitur etiam libellos, quibus epiſcopi mutuis in ſe querimo-

moniis inſurrexerant, juſſiſſe exuri, ne innoteſceret virorum DEO dicatorum diſſenſio, ſed ipſi à privatis offenſionibus ad mutuam condonationem provocarentur: & addidiſſe, ſi contingeret, epiſcopum ſe videre, conjugium alienum violantem ſua ſe purpura iniquum facinus eſſe contecturum, ne talibus factis intuentium aſpectus læderetur. *Paphnutium* imprimis, miraculis clarum, & *Spiridionem*, quem vocant virum inſignem in Domino, & unum ex ordine prophetarum, coluit. Cumq; Paphnutio oculum alterum in confeſſione fidei per edicta Maximini noſſet evulſum, locum effoſſi oculi oſculo demulcere non dedignabatur, viro ſæpius intra palatiũ evocato. Sufficiente de rebus controverſis diſquiſitione habita cum *duo Euſebii*, Nicomedienſis & Cæſarienſis; *Paulinus* Tyrius; *Menophantes* Epheſinus; *Theognis* Nicænus; *Patrophilus* Scythopolitanus & *Mares* Chalcedonenſis epiſcopi, Ario ſuccenturiabantur, decretum eſt I. ut *vox homouſii, qua filius dicitur patri coæqualis eſſentia & potentia, & ex qua orthodoxi cognomen Homouſiorum ſortiti ſunt, contra Arianos & Euſebianos uſurparetur. II. ne cum Judæis eodem die paſcha celebraretur, ſed quo tempore celebrandum ſit, ab Alexandrino epiſcopo definiretur, & tempeſtive ad Romanum & alios patriarchas perſcriberetur; qui aliis illud indicarent. III. ut lapſis, qui pœnitentia acta veniam peterent, gratia ne denegaretur.* Philoſophis etiam, qui magna dicendi arte Chriſtianæ veritati dialecticis ſtrophis reſiſtebant, ſic obviam itum eſt, ut palam victoriam concederent. Quemadmodum enim *Phædonem* philoſophum, qui Ariana principia propugnabat, patres ſynodi validis argumentis confuderunt: ita quidam ex confeſſoribus, ſimplicis vir naturæ, nihil aliud ſciens, quam Jeſum Chriſtum crucifixum, cum planam fidei confeſſionem edidiſſet, ſic commovit quendam ex philoſophis, callide ſe arte diſputationis jactantem, ut ſaniora poſthac ſecutus, Chriſtianæ fidei ſignaculum ſuſciperet, & converſus ad diſcipulos diceret: *Donec verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur, dicendi arte ſubverti. Ubi vero pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo adverſari potuit Deo.* Canones etiam nonnulli ad gubernationem eccleſiaſticam pertinentes conditi ſunt, de quorum numero tamen nondum convenit. *Sozomenus lib. I. cap. XXIII. teſtatur, Paphnutium* pio voto obtinuiſſe, ut, cum leges introducendæ viderentur, quibus à viris eccleſiaſticis uxores eſſent arcendæ, nuptiæ cenſerentur honorabiles, & concubitus conjugatorum in ſacerdotii dignitate conſtitutorum cum propria uxore caſtus haberetur. Inter eos

canones, quos hodie legimus, is, qui ſextus numero eſt, palam facit, epiſcopi Romani poteſtatem non fuiſſe majorem, quam Alexandrini aut Antiocheni. Verba hæc ſunt: *Antiqua conſvetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolin, ut Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ epiſcopo parilis* (in ſuburbicarias eccleſias, ut Ruffinus ait) *mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam cæteraſq; provincias, ſuis privilegia ſerventur eccleſiis.* Additur alius canon de epiſcopo Æliæ, id eſt, Hieroſolymæ, ut & ille juxta antiquam conſvetudinem honoretur, ſalva metropolis propria dignitate. Triennium duraſſe hanc ſynodum ſcribunt aliqui, ſed intra trium menſium ſpacium finitam illam eſſe, ex nonnullis documentis conſtat, *quæ videre licet apud Binium Tom. I. Concil. pag. 316. Confer, quæ ſubſequentibus quæſtionibus XXI. XXII. XXIII. & XXXVI. dicemus.*

Socrat. lib. 5. c. 8 & 9 Sozom. lib. 7 Hiſt. Eccl. c. 7. Theodor. l. 5 c. 9. Magdeb. Cent. 4. c. 9. p. 851. Oſiand. Cent. ead. lib. 4. cap. 5. p. 413. & ſeqq.

II. CONSTANTINOPOLITANUM I. An. CCCLXXXI. à Theodoſio M. ut teſtatur *Theodoretus lib. 5 cap. 9.* convocatum, & ab epiſcopis CL. celebratum. Cauſa ejus indicendi fuerunt *Macedoniani,* Spiritum S. creaturam dicentes: qui, *uti Socrates teſtatur,* epiſcopos XXXVI. eo miſerant, & ſolenniter profeſſi, ſe Ariano dogmati adhærere malle, quam Homouſio accedere, condemnati ſunt. In hoc concilio, confirmata ſynodo Nicæna, epiſcopus Conſtantinopolitanus locum primum accepit poſt Romanum, & Canones VII. conſtituti ſunt, legendi in Tomis Conciliorum. Interfuere huic concilio tantum Orientales: & inter eos *Timotheus* Alexandrinus; *Cyrillus* Hieroſolymitanus; *Meletius* Antiochenus; *duo Gregorii,* Nazianzenus & Nyſſenus. Pontifex Romanus neq; per ſe, neque per legatos adfuit. Et quia in Conſtantinopolitana eccleſia ſchiſma erat exortum, ob electionem epiſcopi in Maximi Cynici, de Apollinaris hæreſi convicti, locum ſurrogandi, *Gregorius Nazianzenus* quidem communi patrum calculo dignus ea ſede eſt habitus: ſed quia Ægyptii contradixerunt, ipſe ſe ſponte abdicavit, & *Nectarius,* vir conſularis, in ejus locum eſt ſubſtitutus. Finito concilio, patres ad Theodoſium de rebus geſtis perſcribunt, eique gratias agunt, quod ſe convocaverit, rogantque, ut ratum eſſe jubeat, confirmetque, & ſententia atque ſigillo corroboret concilii decreta. Generale illud & œcumenicum vocatur, quia, quanquam occidentalium eccleſiarum epiſcopi non interfuerunt, eorum tamen definitiones de una Patris, Filii & Spiritus Sancti eſſentia in hoc concilio approbatæ ſunt.

Tom. I. Concil. Colon. p. 600. usq; ad p. 630.

III. EPHESINUM, plurium, quam ducentorum epiſcoporum, anno

anno CCCCXXXI. à Theodoſio II. & Valentiniano coactum. Cauſam præbuit *Neſtorius*, Antiochenus primo presbyter, deinde Conſtantinopolitanus pontifex: qui, cum adverſus Arianos, Novatianos, Macedonianos, & Teſſeradecatitas, alioſq; hæreticos, gravi perſecutione mota, faniſque eorum accenſis, magnas paſſim turbas dediſſet, novæ ipſe hæreſi occaſionem dedit, & virginis Deiparæ nomen deteſtatus, presbytero ſuo Athanaſio, aliis dicto Anaſtaſio, qui verba ad populum faciens, ab homine Deum natum eſſe dixerat, contradixit. *Eum*, inquiebat, *qui ſpacii menſtruis adolevit, Deum non appellavero. Quomodo Maria ſe antiquiorem peperit? Ne glorieris Judæe: Non hominem, ſed Deum crucifixiſti.* Id *Cyrillus Alexandrinorum pontifex* intelligens, literis non ſemel hominem monuit, ut ſaluti eccleſiæ ſe non opponeret, nec virgini Deiparæ litem intenderet: ſynodoque Alexandriæ provinciali convocata, ex ejus decretis, tertiæ epiſtolæ paræneticæ *XII. capitula cum anathematiſmis* adjunxit: quæ multis quidem orthodoxis duriora viſa ſunt, & tamen veram θεανθρώπου Chriſti, quem θεοφόρον, non DEUM, Neſtorius vocare conſueverat, divinitatem & carnem ejus vivificatricem aſſeruere. Admonuerunt etiam Neſtorium alii epiſcopi, & imprimis Cœleſtinus Romanus, & Johannes Antiochenus, ut ab inſania deſiſteret. In ipſa urbe Conſtantinopolitana à clero contra Neſtorium programma eſt affixum. Ille cauſæ ſuæ metuens, Theodoſium Auguſtum, variis in Cyrillum evomitis calumniis, permovit, ut ſilentium ei, tanquam ſeditionis, temeritatis, & arrogantiæ reo, imponeret. Antequam autem imperator ad Cyrillum perſcriberet, ille tres juſtæ magnitudinis libros, de recta in Dominum noſtrum fide perſcriptos ad eundem & imperatrices, Eudociam & Pulcheriam, miſerat, & œcumenicam ſynodum primo quoque tempore cogendam petierat. Petebat idem Neſtorius; & monachi Conſtantinopolitani, admodum preſſi à Neſtorio, obtinuere à pio imperatore, quod ſolum ærumnas eccleſiæ ſanare poterat. Theodoſius enim, Auguſtalibus ad omnes ubique metropolitanos miſſis, Epheſi, ad ſacram pentecoſtes diem, ſynodum indixit. Adfuerunt, qui poterant, omnes, præter Cœleſtinum, epiſcopum Romanum, navigationis moleſtias detrectantem. Ejus tamen vicem legati ſupplevere. Cum XV. dies à præfinito tempore eſſent elapſi necdum *Johannes Antiochenus patriarcha* cum ſuis adeſſet, præſentes epiſcopi ſynodū ſunt auſpicati, ab ipſo Antiocheno literis moniti, ut id facerent. In primo ſtatim congreſſu Neſtorius, à Cyrillo acriter perſtrictus, cum non paucos ex epiſcopis ſibi adſtipulaturos prævide-

Cyrill. in Apol. ad Theodoſ. t. 4. Socrat. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 33. Evagr. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 2. & ſeqq. Proſper in Chron. Ann. 434. Zonar. Tom. 3. pag. 34. Niceph. lib. 14. Hiſt. Eccleſ. c. 34. Magdeb. Cent. 5. c. 10. p. 1030. Oliand. Cent. 5. l. 2. cap. 14. & 15. p. 252.

ret, exurgens, *Ego*, ait, *bimeſtrem aut trimeſtrem Deum non facile dixerim. Proinde purus ſum à veſtro ſangvine: In poſterum ad vos non veniam.* His dictis, cum VI. epiſcopis, qui à partibus ejus ſtabant, egreſſus, ſeorſim poſtea ſynodũ agitavit; nec, quanquam tertia vice vocaretur, ut ſe ſiſteret, & de objectis rationẽ redderet, porro comparuit. Ideoq; patres ſanctæ ſynodi, interq; eos præcipui, *Cyrillus* Alexandrinus, *Memnon* Epheſius, epiſcopi, ſymbolo Nicæno in medium poſito, & adductis Scripturæ & veterum patrum ſententiis, Cyrilli epiſtola parænetica probata, epiſtolas, conciones, & exegeſes Neſtorii juſto examini ſubjecerunt, communiq; ſuffragio ſententiam exauctorationis pridie ante tulere, quam legati epiſcopi Romani advenerant. Ille nihil id moratus, quanquam legati Romani, poſtquam lata jam ſententia advenerunt, ſubſcripſerant aliorum calculis, cum ſuis in conciliabulo congregatis, in Cyrillum & Memnonem exauctorationis; in reliquos concilii patres excommunicationis ſententiam tulit. Adeſt interim Antiochia, tertia à damnato Neſtorio die, Johannes, epiſcopis XXII, comitatus, & quod, ſe non expectato, Cyrilli anathematiſmi, quos de hæreſi falſo ſuſpectos habuit, eſſent approbati, & Neſtorius damnatus, ægre tulit: & licet Neſtorii errores non probaret, contra Cyrillum tamen & Memnonem, quibus contendebat Neſtorii condemnationem non competiviſſe, Candidiani Comitis Palatini à Cæſare Epheſum miſſi favori innixus, qui ſententiam ſynodi contra Neſtorium affixam refixerat, & variis calumniis Epheſinos patres cum Cyrillo traducebat, in privato XIV. Metropolitanorum, & XXXIX. epiſcoporum conſeſſu pronunciavit, iisq;, tanquam ſeditionis autoribus, exauctorationẽ, & cæteris concilii patribus excommunicationem, decrevit, & decretum, veluti ab univerſo concilio profectum, ad imperatorem Conſtantinopolin perſcripſit. Epiſcopi econtra in ſynodo CCX. cum tribus vicibus Antiochenus vocatus ſe non ſiſteret, damnato illo, Cyrillum & Memnonem inſontes declaratos, à vinculo, quo ligati videri poterant, abſolverunt. Imperator, Antiocheni epiſcopi literis præoccupatus, eadem damnationis ſententia Neſtorium, Cyrillum, & Memnonem conſtrictos cuſtodiæ per comites incluſit, & omnia acta concilii reſcidit. De tota autem re à ſynodi legatis, Conſtantinopolin miſſis, rectius edoctus, Neſtorio, tanquam manifeſte blaſphemo, exilium imperavit: Johanni Antiocheno, ut Neſtorii exauctorationi ſubſcriberet, & cum Cyrillo in gratiam rediret, demandavit: quod etiam quarto poſt concilium anno factum eſt: exemploque Conſtantini M. qui Arianis *Porphyrianorum* nomen impoſue-

poſuerat, quia eandem cum Porphyrio impietatem imbibiſſent, Neſtorianos omnes probroſo *Simonianorum* nomine perpetuo cenſendos decrevit, ut qui odio & contemtu Dei impietatem Simonis æmulati fuerint: libros etiam Neſtorii, legi & transſcribi vetitos, publice incendi juſſit.

IV. CHALCEDONENSE, anno CCCCLI. *à Martiano imperatore* indictum, & à IↃCXXX. epiſcopis, interque eos *Anatolio* Conſtantinopolitano, *Maximo* Antiocheno, *Juvenali* Hieroſolymitano epiſcopis celebratum. Cauſam concilio huic præbuere *Eutyches & Dioſcorus*. Eutyches, archimandrita monachorum Conſtantinopolitanorum, cum acriter hactenus adverſus Neſtorium depugnaviſſet, & ob id in ipſo concilio Epheſino non exiguam laudem reportaſſet, eo tandem deflexit, ut non modo duas perſonas in Chriſto, ſed & duas naturas negaret. Accuſatus antea erroris ab *Euſebio* Dorylæi epiſcopo, & à *Flaviano* pontifice Conſtantinopolitano, inque ſynodo provinciali damnatus, non acquievit: ſed cauſam ad imperatorem Theodoſium devolutam tam pervicaciter egit, ut, quanquam alia ſynodo Conſtantinopoli denuo indicta, cui ex aulicis in conſeſſum nonnulli ab imperatore additi ſunt, nihil tamen adverſus eum proficeretur. Confugit enim ad *Dioſcorum*, Alexandrinum pontificem, Cyrilli ſucceſſorem, & ejus opera impetravit, ut Epheſi ſynodus altera ab imperatore indiceretur: quam, quia in ea omnia confuſe, & non absque oppreſſione eorum, qui conatibus Dioſcori obluctabantur, geſta ſunt, LYSTRICAM i. e. *Prædatoriam* vocant. Dioſcorus enim, præſidis ſibi partibus vendicatis, Eutychetis confeſſionem, tanquam Nicæno ſymbolo conſonam, fruſtra reluctantibus epiſcopi Romani legatis, probavit: adverſus Euſebium & Flavianum orthodoxos ſententiam tulit: quibus illi communione eccleſiæ ob conſenſum in doctrina cum Eutychete interdixerant, hos ſuæ dignitati reſtituit: ipſum Flavianum, cum impio ac perverſo judicio reclamaret, calcibus impetitum & repulſum tam graviter percuſſit, ut ex plaga pectoris poſt triduum vita defungeretur. Ipſe imperator Theodoſius, ab amicis Dioſcori perſvaſus, rata habuit, quæ Epheſi in ſynodo Lyſtrica decreta fuerant. Turbidæ inde res eccleſiæ. Sed *Leo & Anatolius*, antiquæ & novæ Romæ epiſcopi, ab imperatore Marciano, qui ducta Pulcheria, Theodoſii ſorore, in uxorem, Auguſtalia induerat, impetrarunt, ut concilio coacto, de dogmate & actionibus Eutychetis & Dioſcori exactius inquireretur. Nicæa prius placuit, ubi conveniretur: & illuc etiam ab imperatore evocati ſunt orbis epiſcopi. Sed quia ipſe intereſſe ſynodo voluit, *Chalcedo-*

Tom. 2. Concil. in edit. Venet. pag. 129. & pag. 327. Evagr. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 2. 3. 4. & 18. Theophan. ad Ann. Marciani II. Concil. Chalced. in relat. ad Leon. Zonaras Tom. 3. Liberat. in Breviar. Marcellinus in Chron. A 451. Magdeb. Cent. 5. c. 9. p. 943. & Oſiand. in Ead. lib. 3. cap. 10. & ſeqq. à p. 339. ad p. 374.

donem, quæ non procul à Conſtantinopoli in altero Boſphori Thracii littore ſita eſt, è Nicæa epiſcopos evocavit, & cum Pulcheria Auguſta, aliisque judicibus, Anatolio, patricio, Palladio, præfecto prætorio, Tatiano, præfecto urbis, & nonnullis ſenatoribus conſidens, tali epiſcopos oratione allocutus eſt, qua *cauſam reddidit, ob quam eos exciverit, & quare ipſe exemplo Conſtantini M. iis intereſſe voluerit: non ad oſtendendam virtutem, ſed confirmandam fidem; ne in poſterum multitudo populi, inſtitutionibus pravis attracta, inveniatur diſſentiens*: legemque tulit, ne quis aliter de Chriſto diſputare auſit, quam in formula fidei Nicææ quondam definitum eſt. Prodiens deinde *Euſebius*, Dorylei epiſcopus: *Læſus*, inquit, *ſum à Dioſcoro: læſa eſt fides: Occiſus eſt Flavianus, ſanctus epiſcopus: (Lacrymis impleor.) Simul mecum injuſte ab eo damnatus eſt. Jubete preces meas perlegi.* Supplice inde ejus libello lecto, & excuſſis actis ſynodi Epheſinæ II. *Dioſcorus*, quem in medio ad cauſam dicendam conſidere juſſerant, non à ſe ſolo cauſabatur, acta eſſe, quæ in judicium vocentur, ſed à tota ſynodo Epheſina, quam Theodoſius imperator confirmaverat. Epiſcopi autem, qui Epheſi adfuerant, non ſua ſponte, ſed minis, vi, fuſtibus, militibus adactos ſubſcripſiſſe ſe conteſtati, idque non ſub ſtatutis & decretis ſynodi, ſed in pura charta, ignaros, quæ judicata ſint vel diſpoſita, actaque Epheſinæ ſynodi à notariis Dioſcori dixerunt eſſe corrupta, & Eutycheten in ſua confeſſione incarnatum quidem Chriſtum confiteri, ſed non ex Maria virgine. *Judices* igitur, interlocutoria interpoſita, damnabant Dioſcorum Alexandrinum cum quinque epiſcopis, quorum in ſynodo Epheſina primæ fuerant partes. *Alia ſeſſione* de fide tractatio eſt inſtituta, & lecto Nicæno & Conſtantinopolitano ſymbolo, aliisque patrum confeſſionibus, anathemate notati ſunt, *ut ait Zonaras*, qui filios binos ſtatuerent, & divinitatem paſſibilem eſſe aſſererent, quique temperamentum & confuſionem duarum naturarum profiteri auderent, aut duas naturas in Chriſto ante unionem, aut unam poſt unionem confingerent, quique formam à Domino ex nobis aſſumtam, vel cœleſtem, vel alterius naturæ fabularentur. *Tertia ſeſſione* ſoli epiſcopi de aliis facinoribus Dioſcori, quæ eccleſiaſticam cenſuram merebantur, ut quod eſſet Origeniſta, blaſphemus in SS. Trinitatem, interfector Flaviani, ſcortator, tyrannus in diaconos & presbyteros nullo adhibito magiſtratu ſeculari cognoſcebant, cumque tertio citatus non comparuiſſet, eum ab epiſcopatu removerunt. *Quarto congreſſu*, adhibitis iterum judicibus, quinque epiſcopi, qui cum Dioſcoro ſynodo Epheſinæ præfuerant, *Ju-*

re-

venalis Hieroſolymitanus, *Thalaſſius* Cæſarienſis, *Euſebius*, *Euſtathius* & *Baſilius*, Ancyræ, Berythi, & Seleuciæ epiſcopi, petebant ſe communioni reſtitui, qua per ſententiam judicum exciderant. Factum, quia ſymbolo Nicæno & Conſtantinopolitano ſubſcripſere. Ægyptii etiam epiſcopi, anathemate in Eutycheten dicto, benigne auditi ſunt, & monachis, qui hactenus archimandritæ ſuo Eutycheti adhæſerant, dilatio ad reſipiſcendum trium dierum conceſſa eſt. *Quinta ſeſſione* epiſcopus Tyri Photius de jure antiquo ſuæ metropolis diminuto contra Euſtathium Berythi epiſcopum conqueſtus, cauſam dixit, & à judicibus recepit, quod ei quondam per ſententiam Anatolii Conſtantinopolitani ademptum fuerat. Deinde definitio fidei condita eſt, quæ etiam *ſexto congreſſu*, præſentibus Auguſtis, confirmabatur, decretis præterea nonnullis factis de clericis, ut & de monachis, ne abſque conſenſu epiſcoporum monaſteria ædificent, nec ſe eorum obedientiæ ſubtrahant, invito etiam domino ſervum in monaſterium non recipiant, nec orationibus neglectis reip. negotia curent. *Reliquis ſeſſionibus* controverſiæ diverſarum eccleſiarum diremtæ ſunt. *Decima quinta ſeſſione*, quam alii duodecimam numerant, *XXX. canones* ſanciti ſunt: quorum uno conſtitutum fuit, ut primatum poſt Romanum epiſcopum habeat Conſtantinopolitanus, Alexandrino hac in parte prælatus. Et quanquam *ultimo conſeſſu* contradixerunt legati epiſcopi Romani: à judicibus tamen ſecundum Conſtantinopolitanum pronunciatum eſt, ut poteſtatem habeat ordinandi metropolitanos in Aſiana, Pontica, & Thracica diœceſibus: illis tamen liceret ſuæ provinciæ epiſcopos ordinare.

V. CONSTANTINOPOLITANUM II. anno IϽI. III. à *Juſtiniano imperatore* indictum, & ab epiſcopis CLXV. celebratum, hac occaſione: Theophilus Alexandrinus, & Euſtachius Hieroſolymitanus patriarchæ cum *monachis Palæſtinis*, capitula quædam, è libris Origenis excerpta, Conſtantinopoli damnari cum ipſo autore Origene petierant, controverſia de ejus ſcriptis denuo recrudeſcente. Imperator, auditis epiſcoporum Conſtantinopoli congregatorum ſententiis, prolixo & erudito decreto in Origenem invectus, ejuſdem errores, tanquam ex deliriis paganorum, & Manichæorum derivatos, unde Arius materiam ſuarum impietatum hauſiſſet condemnavit: præſertim, quia in ſcriptis favere videretur Neſtorio, in quibus legatur, corpus Chriſti primo eſſe formatum in utero virginis, & poſtea Deum verbum cum anima prius exiſtente, ei eſſe unitum. Id ægre tulit *Theodorus*, Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus, Ori-

Tom. 2. edit. Venet. Liberat. in Breviar. cap. 23. Evagr. lib. 4. c. 37. Niceph. lib. 17. Hiſt. Eccleſ. cap 27. Zonaras Tom. 3 p. 55. & 74. Magd. Cent. 5. c. 9. p. 921. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. cap. 2. pag. 334.

Origenis ſtudioſiſſimus: & quia non ignoravit, Theodorum Mopſveſtanum, Theodoretum Cyri, & Ibam Edeſſenum, epiſcopos, ſcriptis pro Neſtorio adverſus Cyrillum quondam depugnaviſſe: quos tamen concilium œcumenicum Chalcedonenſe admiſerat, urgebat quoque illorum, licet jam defunctorum, apud imperatorem damnationem. Si enim doctrinam aliquam, defunctis autoribus, damnare liceat, damnandos etiam cenſuit dictos tres epiſcopos. Adverſus illos *tria imprimis capitula*, quæ illi negaverant, in quæſtionem vocabantur: *1. utrum unus ex Trinitate ſit incarnatus. 2. An Deus carne pertulerit paſſionem, impaſſibili Deitate. 3. An proprie & veraciter mater Dei Maria ſemper virgo debeat appellari, & an ex Maria Deus natus ſit, ut legere eſt in epiſtola Johannis II. ad Anionem apud Binium Tom. II. Concil. pag 407. & l. reddentes. C. de ſumma Trin.* Imperator igitur intelligens, prædictos tres epiſcopos impie de Chriſto non ſolum ſenſiſſe, ſed & libris & epiſtolis in vulgus editis ſcripſiſſe: edicto promulgato prolixe errores eorum detexit & damnavit. Huic trium capitulorum damnationi cum ab epiſcopis ſubſcribendum eſſet, magnæ obortæ ſunt in eccleſia digladiationes, multis damnare capitula nolentibus, quia cauſabantur, non de fide, ſed de perſonis quæſtionem eſſe: & defunctos, quos Chalcedonenſis ſynodus aut non damnaſſet, aut recepta ab illis Chalcedonenſis ſynodi confeſſione abſolviſſet, non eſſe damnandos. Nonnulli etiam prætendebant, ab imperatore in præjudicium Chalcedonenſis concilii damnationem capitulorum urgeri. Ipſe Papa Vigilius, Conſtantinopoli detentus, initio ſubſcribere detrectavit, factumque eſt, ut, qui faverent tribus defunctis epiſcopis, *Haſitantes*; Orthodoxi verò vocarentur *Synoditæ*: quia illi hærebant, an Chalcedonenſe concilium propter tria illa capitula recipere poſſent, dicti etiam *Segregati & Acœmeti*, quaſi inquieti; hi verò ſynodi ſtare decretis perſeverabant. Tandem igitur ad diſſidia componenda convocavit Juſtinianus epiſcopos totius imperii. Ii determinabant, quæ ad Origenis errores & tria capitula damnanda ſpectabant, octo ſeſſionibus: quarum tamen nulli Vigilius Romanus epiſcopus, qui tunc temporis Conſtantinopoli hærebat, interfuit, quanquam vocatus, cum omnis concilii proceſſus ab Eutychio patriarcha Conſtantinopolitano dirigeretur. *Prima ſeſſione* legebatur reſcriptum imperatoris, quo forma ſynodo præſcripta erat, & Vigilius, legatis in domicilium ejus miſſis, accerſebatur. Sed ille ſcriptis ſe ſynodo ſatisfacturum reſpondebat. Nicephorus ait, detrectaſſe eum ſynodum, ne Eutychio Conſtantinopolitano ſecundus aſſidere cogere-

geretur. *Altera* fruſtra conterebatur in accerſendo Vigilio. & aliis occidendis epiſcopis, qui papa Romano non præſente venire renuebant. *Tertia* quatuor œcumenica concilia, & patrum nonnullorum ſcripta approbabantur. *Quarta & Quinta* Theodori Mopſveſtani & Theodoretici ſcripta examinata damnabantur. *Sexta* Ibæ epiſtola damnabatur. *Septima* legebantur epiſtolæ Vigilii, quibus damnationi trium capitulorum conſenſit. *Ultima* tandem ſententia ſynodi communi conſilio promulgabatur, & XVI. anathematiſmis Neſtoriani & Eutychiani feriebantur.

VI. CONSTANTINOPOLITANUM III. anno IↃcLXXX. *à Conſtantino Pogonato* indictum, & à CCXXCIX. epiſcopis in Trullo, palatio Cæſaris, celebratum. Cauſam præbuere *Monotheletæ*, qui ductum Eutychetis & Petri Gnaphei ſeu Fullonis atq; Petri Moggi ſequentes, unã Chriſti voluntatem defendebant, nec ſuperiorum conciliorum decretis contenti, paſſim in orbe Chriſtiano turbas concitabant. Ex eorum partibus jam per XLVI. annos ſteterant *quatuor epiſcopi Conſtantinopolitani*, *Sergius*, *Pyrrhus*, *Paulus*, *& Petrus*, *Honorius item Papa Romanus*, *Cyrus Alexandrinus*, *& alii.* Pax tunc temporis cum Saracenis & Bulgaris inita erat. De pace igitur eccleſiarum imperator quoque ſollicitus, per Divalem ſacram, ceu vocant, ad concilium œcumenicum epiſcopos, interque eos Romanum, convocavit, & congregatis illis in ſacro palatio, ipſe cum nonnullis patritiis & conſularibus viris præſidens, cum *Macarius*, Antiochenus epiſcopus, pro Monotheletis cauſam acturus, negaret, ullam ab illis novitatem introductam, ſed ea tantum aſſerta, quæ à ſacris ſynodis & patribus eſſent probata, juſſit, quæ propoſita erant, probare omnia. Sic plurimis conſeſſibus & actionibus tertiæ, quartæ & quintæ œcumenicarum ſynodorum acta, plurimaque Patrum teſtimonia lecta & ponderata ſunt: quibus Macarius fruſtra conabatur unicam in Chriſto voluntatem probare. Univerſa enim ſynodus ea invenit falſa, detorta, atque detruncata. Cumque reliqui epiſcopi omnes, inte que eos *Georgius*, Conſtantinopolitanus, confeſſioni orthodoxæ Agathonis, Roma in Synodum miſſæ, ſubſcripſiſſent, &, qui hactenus diſſenſerant, palinodiam ceciniſſent, Macarius autem errorem mittere recuſaret, anathema in illum, ut & in quatuor prædictos epiſcopos Conſtantinopolitanos & Honorium papam Romanum, etſi jam defunctos, conclamatum eſt. Baronius quidem Honorium damnatum negat, & eum in finem acta concilii, in quibus id aſſeritur, corrupta eſſe ait: ſed nimio ſuorum paparum amore faſcinatus, à lege hiſtoriæ nimis deviat. Notandum eſt, quod in

Beda de ſex ætat. mundi ad An. 4622. 39. Paul. Diac in Hiſt. Miſcell. l. 19 cap. 23. Anaſtaſ. in Pontif. Agathone Theophan. ad An. 672. Zonaras Tom. 3. in Conſtant. Pogon. Cedren. p. 360. Ado Viennenſ. ad An. 669. Paul. VVarnefr. de geſt. Longob. lib. 6. c. 4. Marian. Scot. ad Ann. 676.

ſeſſione XV. *Polychronius*, presbyter & monachus, dæmonum illuſionibus dementatus, formula fidei ſuæ, qua unam in Chriſto voluntatem confitebatur, ſynodo oblata, veritatem ejus miraculo conteſtari voluerit, illamque mortuo in medio fori impoſita, jactaverit, vitæ ſe defunctum redditurum. Sed cum multas ille horas fruſtra ad feretrum murmuraſſet, nec tamen defunctus reſurgeret, impoſtura ejus ab omnibus deprehenſa, ipſeque Simoni Mago ſimilis à concilio pronunciatus, & ſolenniter damnatus eſt. Seſſione XVI. *Conſtantinus* presbyter in conſeſſum admiſſus, ἑνωτικὸν ſeu adunatorium & temperamentum quoddam, cujus beneficio inter Monotheletas & Catholicos concordia iniri poſſet, ſe inveniſſe jactitavit, modumque henotici edere juſſus, ut duas in Chriſto naturas & proprietates, ita unam Deitatis in eo voluntatem conceſſit: voluntatem autem humanam, dixit, Chriſtum cum carne & ſangvine tempore crucis deſeruiſſe. Sed quia hac ratione errorem Manichæorum & Apollinaris videbatur incruſtare, damnatus & foras ejectus eſt. In hoc & ſuperiori concilio œcumenico, etſi de myſterio fidei pleniſſimè diſputatum erat, quia tamen nulli de diſciplina eccleſiaſtica canones in iis, ut in cæteris quatuor univerſalibus ſynodis, conditi erant, ideoque anno IↃCXCII. Juſtinianus II imperator eosdem patres ad ſynodum in idem palatium Trullum, revocavit. Illi ex omnibus locis convenere, numero CCXXVII. interque eos legati Romanæ ſedis, ut habet Anaſtaſius & Balſamon, patriarchæ item ex Conſtantinopoli, Alexandria, Hieroſolymis, & Antiochia. Hi patrum in prioribus duabus ſynodis congregatorum voces in certos canones digeſſere. Quo ipſo quia hæc ſynodus replevit, quod quintæ & ſextæ deerat, πενθέκτη ſeu QUINISEXTA eſt vocata, ut eſt in commentariis Theodori Balſamonis. Alii, qui papæ Romano adulantur, illam vocant *Erraticam*, & à loco, in quo celebrata eſt, *Trullanam*. Sancti enim patres in canonibus hujus ſynodi (quorum quidem CII. fuere) contra Romanam eccleſiam, quæ omnes, ordinationem diaconi vel presbyteri adepturos, ab uxoribus ſuis arcet, ſecundum antiquum apoſtolicæ conſtitutionis canonem, qui vult, ne epiſcopus, presbyter aut diaconus uxorem religionis prætextu ejiciat, decreverunt, quod virorum, qui in ſacris ſunt, legitima conjugia, ſi antequam ſacris ordinibus initiati ſunt, uxores duxerint, impoſterum valere debeant, nec eorum cum uxoribus copula, aut mutua conſvetudo ſi congruo tempore fiat, ſit diſſolvenda. Et id quidem de diaconis & presbyteris ſancitum. Quia autem, non ipſis quidem pri-

primis, ſed ſubſecutis eccleſiæ ſeculis, mos invaluit, ut plerisque in locis non niſi cœlibes vel abſtinentes ad epiſcopalem dignitatem admitterentur, iidem Patres, cùm ſcirent V. & XIIX apoſtolicum canonem liberum conceſſiſſe epiſcopis conjugium, ſanxere canone XII. & XLIIX. non quidem ad abolenda & evertenda ea, quæ apoſtolice conſtituta ſunt, ſed (ut verba canonis XII. ſunt) populi ſaluti, & in melius profectui conſulturi, & ne vituperio exponatur ſacerdotalis ordo, proviſuri, ut uxor ejus, cui epiſcopalis dignitas committenda eſt, communi ſui viri conſenſu prius ſeparata, monaſterium ingrediatur, & epiſcopi providentia fruatur. Sergius quidem, pontifex Romanus, non probavit hanc de conjugio clericorum ſanctionem, nec ſynodo ſubſcribere voluit, quamquam ejus legati, teſte Anaſtaſio, ſubſcripſiſſent, eamque ob rem, ut in vita ejus diximus, gravem imperatoris indignationem ſubiit: Johannem VII. tamen ſubſcripſiſſe, videtur innuere Anaſtaſius. Hadrianus certe, ejus nominis primus, circa tempora ſynodi Nicænæ II. canones hujus concilii Quiniſexti laudavit & approbavit. Quanquam enim ipſi Romani pontifices ſuo clero conjugium indulgere, & ſeveritatem ſuarum legum emendare noluerunt, Orientalibus tamen eccleſiis vitio non verterunt, quod ſanctiones aliis, per quas caſtitatem ſui cleri tutiorem credebant, promulgarent. Id ſane conſtat, cum ex hac de clericorum cœlibatu & conjugio ſanctione, tum imprimis ex ſacris literis, uſum conjugii ſacris miniſtris licere: idque in univerſo oriente, in Græcia etiam, Ruſſia, Armenia & Æthiopia conceditur. Num vero ante ſuſceptos ſacros ordines uxor ducenda ſit, ut orientales decrevere: an etiam poſt initiationem duci poſſit, ut ſeptentrionales aſſerunt: num item epiſcopi, quorum pauciores ſunt, ſinguli videlicet in ſingulis provinciis vel civitatibus, conjugii uſu privandi: an in mutua uxorum conſvetudine relinquendi ſint: ad diverſitatem rituum ſpectat, quæ non tam rigidis anathematis damnanda, quam pio affectu toleranda eſt.

VII. NICÆNUM II. anno DCCLXXXVII à *Conſtantino VII. & Irene* convocatum, & ab epiſcopis CCL. celebratum. Occaſionem præbuere ei *imagines in templis*, de quibus jam *in concilio Eliberitano*, canone XXXVI. conſtitutum erat, ne, quod colitur & adoratur in pariete pingatur. Fuere tamen inter Chriſtianos imagines. Sic, *Tertulliano teſte*, in calice cœnæ Dominicæ expreſſa fuit imago paſtoris, ovem perditam quærentis. Et *Euſebium* non ſaltem Petri & Pauli imagines in picturis, varietate colorum expreſſis, ſed & æneam ſtatuam hæmorrhouſæ & Chriſti

Concil. Nicæn. II. Act. 4. & 7. Paul. Diac. Hiſtor. Miſc. l. 23. cap. 2. Zonaras Tom. 3. in Irene. Cedren. p. 487. Polydor. Vergil. lib. 6. de Rer. Invent. cap. 13.

ſe vidiſſe refert. Poſt Conſtantini tempora pedetentim uſus obtinuit, ut etiam in templis imagines hiſtoricæ pingerentur. Hinc *Gregorius Nyſſenus inquit in oratione de Theodoro Martyre :* Solet etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodeſſe. Sed cum accedente vulgi ſuperſtitione, vel ipſæ imagines vel πρωτότυπα ad imagines genibus flexis adorari cœpiſſent, & ob id apud Saracenos Chriſtiana fides male audiret, idololatriæ paſſim inſimulata: epiſcopi nonnulli, zelo accenſi, omnes in univerſum imagines templis, favore imperatorum, Leonis iconomachi, & Conſtantini Copronymi, innixi ejecerunt: & ſicuti ipſi ab adverſa parte *Iconomachi* vocabantur & *Iconoclaſtæ*, ita reliquos omnes, qui idem ſecum non facerent, *Iconolatras* appellabant. Cumque animis omnium in ſe invicem exacerbatis, nullus finis controverſiæ fieret, Conſtantinus Copronymus *Conſtantinopoli* concilium per CCCXXXIIX. epiſcopos celebravit, *Oecumenicum ſeptimum* id vocatur: in quo imagines cum patronis ſuis damnatæ ſunt. Filio hujus Conſtantini Leoni IV. nupſerat Irene, quæ omnia ab arbitrio ſuo, cum vivo marito, tum pro filio Conſtantino VII. impubere imperans ſuſpendit, cumq; Hadriano, Romano pontifice, conſpirans an. IↃCCLXXXVI. omnes antiſtites Conſtantinopolin imaginum cauſa convocavit, decreta concilii Nicæni II. ſub Socero celebrati abrogatura. Sed, *ut Paulus Diaconus libro XXII. rerum Romanarum teſtatur*, cum legati pontificis, & qui iſtis adſtipulabantur, adverſam partem à conſeſſu & diſputatione excludere conarentur, tumultus inde à populo & milite prætoriano eſt exortus. Illo ſedato admiſſi denuo ad diſputationem, qui imaginum cultum oppugnabant, ita adverſam factionem verbo Dei retudere, ut victoriam deſperans, ſynodum diſſolveret, excogitatis inſidiis, quibus reliqui opprimerentur. Sequenti igitur anno Nicææ epiſcopi eodē pene numero ſeptenis vicibus congrediuntur, & remotis contradicentibus iiſq; ſolis admiſſis, qui aut hactenus ſecum ſenſerant, aut priori ſententia mutata ad ſe tranſibant, concilium anno ſuperiori Conſtantinopoli coactum, tanquam *Pſeudoſynodum* damnant, & uſum imaginum ad memoriam non ſufficere rati, eas oſculo, veneratione, cereis, ſuffitu, ſalutationibus, aliiſq honoribus colendas eſſe decernunt. Verba definitionis ſynodi hæc ſunt: *Definimus, venerandas & ſanctas imagines dedicandas, & in templis ſanctis DEI collocandas habendasque, quo per hanc imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & deſiderium veniant, illisq; ſalutationem, & honorariam adorationem exbi-*

exhibeant, non ſecundum fidem noſtram, veram latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit, ſed, quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis & ſanctis evangeliis, & reliquiis ſacris, oblationibus ſuffitorum & luminarium accedimus, quemadmodum veteribus pie in conſvetudinem hoc adductum eſt. Imaginis enim honor in prototypum deſultat, &, qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum. Hanc definitionem patres ſynodi confecerant ex nonnullis imaginibus templi & tabernaculi; nonnullis etiam patrum, qui imaginum ſacrarũ pictura delectati fuerant, hiſtoriis; & imprimis miraculis quibusdam, quæ ad imagines contigiſſe dicebantur: quale imprimis fuit, quod *Beryti* in Syria Judæi experti fuerant. Cum enim imaginem Chriſti ſculptam crucifigerent, & variis ſannis exceptam, tandem lancea transfoderent, ſangvis inde cum aqua effluxiſſe dicitur, qui hominibus male affectis & morbidis aſperſus, omnem ægritudinem expellere potuit, tanto cum Judæorum ſtupore, ut, abnegata perfidia, nomen Chriſto darent. Notandum autem eſt, eo ſynodi hujus patres, amore imaginum, abreptos eſſe, ut actione quinta largirentur, *angelos & animas materiatos & viſibiles eſſe, tenui & aëreo, ſive igneo corpore præditos, inque proprio corpore viſos, & ob id pictura imitabiles.* Poſtquam igitur ſententia pro imaginibus, earumque cultu, in ſynodo Nicæna II. lata eſt, omnia poſthac templa imaginibus oppleta ſunt. Interea *Felix & Elipandus*, Hiſpanorum epiſcopi, novam de Chriſto hæreſin voce & ſtylo prodiderunt, *eum in natura divina verum Deum & Dei filium; in humana nuncupativum ſeu adoptivum aſſerentes.* Quia igitur unam ejus perſonam hac ratione dividebant in duos filios, *Ratisbonæ* ex omni Germania, Italia & Gallia, anno IↃCCXCII. convenere, & Felicem, libris ejus exuſtis, ad palinodiam canendam induxere. Qui tamen, cum ad vomitum reverteretur, & præterea controverſiæ de imaginibus in oriente agitatæ, eccleſias etiam occidentis perturbarent, *autoritate Caroli Magni*, magna ſynodus *Francofurdana* ad Rhenum anno IↃCCXCIV. convenit: in qua CCC. circiter epiſcopi, ut Felicianam hæreſin ad orcum usque damnavere, ita, cum iis acta Nicænæ II. per Hadriani pontificis Romani legatos offerrentur, ut illis comprobatis ſubſcriberent, piã de imaginibus diſceptationem inſtituerunt. Quo facto, controverſiam inter Conſtantinopolitanam VI. & Nicænam II. ita diremerunt, ut utramque extra regiam viam declinaſſe oſtenderent, & quidem non ipſas imagines, earumque uſum hiſtoricum improbarent, nec ſine diſcrimine illas è templis eliminarent, ſed earum adorationem & cultum abomina-

 ren-

rentur, & omnes Romani pontificis & Nicænæ II. rationes eruditè confutarent. Extat adhuc liber ſatis grandis ipſius *Caroli M.* contra cultum imaginum: dignus, qui legatur, quia ſudes eſt idololatris Chriſtianis in oculis. Pium imperatorem imitati ſunt *Jonas & Agobardus*, ille Aurelianenſis epiſcopus; hic archiepiſcopus Lugdunenſis, cui doctis ſcriptis idololatras impugnavere.

XXI. Magnum mihi lumen eccleſiaſticæ hiſtoriæ ex hac conciliorum œcumenicorum enarratione acceſſit; Nunc ſynodos ſeu concilia provincialia etiam cognoſſe deſidero.

Tomi Concil. Binnii Colon. & Venet.

Ea omnia enarrare ideo exiſtimo impoſſibile quia epiſcopi, qui poteſtatem habuerunt ſynodum convocandi, toties cœtum presbyterorum congregarunt, quoties uſus & neceſſitas videbatur poſtulare. Celebratæ igitur ſunt paſſim ſynodi maximo numero, ſed paucæ annotatæ. *Wolfius tamen in Memorabilibus*, ſi includas œcumenicas, usque ad A. C. cIↃ IↃLVII. collegit CCCCXXCIII. inter quas XCVI. numerantur, quæ Romæ ſunt celebratæ. *Binius* adhuc plures inſinuat. Nos præcipuas delibabimus. Cum *Synodus Nicæna* eſſet peracta, cui manu, non mente ſubſcripſerant Euſebiani, Conſtantinus ipſum Arium, qui juramento ſe cum orthodoxis ſentire aſſeruerat, & de injuria ſibi illata conqueſtus, ſororem imperatoris Conſtantiam, Licinii uxorem, jam patronam invenerat, Athanaſio commendavit, ut in eccleſiam ſuam reciperetur. Quod cum non fieret, Athanaſius calumniis nefandis eſt oneratus. *TYRIA SYNODUS* anno CCCXXXV cogebatur: in qua Ariani & Euſebiani, rapta ſibi poteſtate, Athanaſium non ſaltem variis mendaciis exagitabant, ſed & tandem, exhorreſcente & diſcedente Paphnutio confeſſore, condemnabant. Eodem anno iidem convenere *in alia ſynodo HIEROSOLYMITANA* ſub prætextu dedicandæ ibi baſilicæ: revera autem, ut Arius, qui confeſſionem ambiguam, & in ſpecie catholicam obtulerat, Alexandriæ reſtitueretur. Anno ſequenti CONSTANTINOPOLIN coiere & Marcellum, Ancyranum in Galatia epiſcopum, alterum fidei veræ defenſorem catholicum, hæreſeos falſo intitulatum condemnavere. Deinde ſynodo *ANTIOCHIÆ* congregata, Euſtathium patriarcham, ad meretriculæ ſubornatæ juramentum, depoſuerunt: defunctoque Conſtantino M. cum ejus filius homonymus Athanaſium

ſium dignitati reſtituiſſet, *IBIDEM* Anno CCCXLI. denuo in concilium redeuntes, Athanaſium ob ſpretos eccleſiæ canones, ceu calumniabantur, & datas ſeditioni cauſas, iterum ejecerunt, & Gregorio Cappadoce Ariano ſubſtituto, XXV. Canones conſtituerunt, formamque fidei Nicænæ ſeu Homouſianæ, nova condita confeſſione, tam ſubdole & tanta impoſtura interpretati ſunt, ut ſe nihil in ſynodi Nicænæ decretis mutaſſe dicerent. Porro cum Julius, epiſcopus Romanus, Athanaſium Alexandrinum, & Paulum Conſtantinopolitanum, epiſcopatu pulſos, recipi juberet, *TERTIO Antiochiæ* congregati in ſynodum reſponderunt per literas, ſuas eccleſias Romanæ poſteriores non eſſe; ſeque ad obſequium papæ præſtandum non eſſe ullo jure, quod prætendi poſſet, obligatos. Imo nec tum deſtiterunt, cum Conſtans fratrem Conſtantium ad reſtituendum Athanaſium adegiſſet; ſed, *ut dicit Socrates libro 2. cap. 19.* in ORIENTE (*Antiochiæ*, aut ubi tandem, incertum) congregati, formulam fidei prolixam compoſuerunt; & Europæis transmiſerunt: qui tamen illam non receperunt, ſynodi Nicænæ formam ſufficere dicentes. Poſt anno CCCLVII. à Conſtantio *SIRMII.* in Pannonia, propter *Photinum*, ejus loci epiſcopum, cogitur ſynodus: quæ etiam dicitur œcumenica. In illa à trecentis amplius epiſcopis Photinus quidem, qui Chriſtum ante Mariam extitiſſe negabat, eſt damnatus: ſed de homouſio & homœuſio, ſpecioſo conciliationis titulo, tacendum eſſe decernebatur: promulgata interim tali confeſſionis formula, qua pater honore, dignitate, deitate, atque adeo ipſo nomine paterno, filio major aſſeritur. Ad hujus formulæ ſubſcriptionem *Hoſius* ſenex plagis adactus eſt. Idem Conſtantius, mortuo fratre Conſtante, *Arelate & Byterris* in Gallia, *Ancyræ* in Galatia, *Mediolani* in Italia, epiſcopos convenire, & damnato Athanaſio, Arianiſmum, cui totus addictus erat, ſtabilire curavit, omnesque pene totius orbis antiſtites, exilii & tormentorum metu, ad certarum formularum ſubſcriptionem adegit, ut, *dicente Hieronymo in dialogo contra Luciferianos*, totus pene orbis Arianum ſe eſſe miratus, nunc vere ingemuerit. Anno demum CCCLIX. imperator duas ſynodos convocavit: unam *Arimini* in occidente, in Æmilia; alteram in oriente *Seleuciæ* in Iſauria. ARIMINENSES, quorum quidem, tanquam in œcumenico concilio, CCCC. epiſcopi convenerunt: interque eos LXXX. circiter Ariani, eorumque anteſignani *Urſacius & Valens*, præter exſpectationem imperatoris, æternitate filii Dei comprobata, Arianos & confeſſionem Sirmienſem damnarunt. Sed tam aſtute Ariani reliqui in interpretanda

ſyno-

ſynodi ſententia progreſſi ſunt, ut imperatori Conſtantio perſvaderetur, profeſſionem in ſynodo ſcriptam favere Arianis. Illos cum orthodoxi in communionem recipere nollent, ingens perſecutio in eos deſævire cœpit: in qua Liberius etiam, pontifex Romanus, in exilium eſt ejectus. In ſynodo SELEUCIENSI patres CL. convenere, interque eos *Hilarius* Pictavienſis exul. Sed & hic ſciſſi ſunt: & *Acaciani* quidem, qui Acacio, Cæſareæ in Palæſtina epiſcopo adhæſere, Nicænam fidem abrogarunt; reliqui Semi-Ariani, à Georgio Laodiceæ epiſcopo *Georgiani* dicti, ſi demantur vox Homouſii, retinendam eam cenſuerunt. *Illi* iterum iterumque Conſtantinopoli, Lampſaci, Antiochiæ, & alibi convenientes, in errores plures prolapſi ſunt: *Hi* pedetentim veritatem agnoſcere incipientes, ad orthodoxos tandem acceſſerunt.

XXII. Proh Deum immortalem! Num Ariani, quos damnaverat Nicæna ſynodus, tantas vires tam ſubito ſumſerunt, & tot conciliis pallium erroribus ſuis quæſiverunt? Eant igitur nunc pontificii, & negent, concilia errare poſſe! Sed quid Orthodoxi?

Theodoret. l. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 7. 8. 9. Sozom. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 16. 19. 20. Sulpit. Sever. lib. 2. c. 50. Oroſ. lib. 7. cap. 28. Gelaſ. Cyzicen. in Act. Syn. lib. 2. cap. 36.

Tomi conciliorum aliquot *ſynodos Romanas*, ut & *Gangrenſem*, in cujus canone IV. uxores presbyteris permittuntur, & *duas Arelatenſes*, & *Carthaginenſem I.* & *Eliberitanam* circa Conſtantini M. tempora celebratas, inque iis tantum canones eſſe conſtitutos dicunt. Iidem meminerunt *ſynodorum aliquot Romanarum*, ut & *Antiochena*, *Mediolanenſis*, & *Colonienſis* ſeu *Agrippinenſis*, quæ omnes contra Arianos in cauſa Athanaſii reſtituendi, & formula fidei Ariana damnanda celebratæ ſunt. Sed cum nec ſic quieſcerent Euſebiani, & imprimis Alexandriæ multa ſcelerate adverſus orthodoxos conarentur, communi conſilio duorum fratrum imperatorum, Conſtantis orthodoxi & Conſtantii Ariani, *ſynodus* SARDICENSIS A. C. CCCXLVII in Thracia, in confinio Myſiæ & Illyrii, indicitur, & ex pluribus quam XXV. provinciis colligitur, præſentibus ex occidente circiter CCC. epiſcopis, interque eos Hoſio, Maximo Hieroſolymitano, Paphnutio, Spiridione, Serapione, & aliis; ex oriente LXXVI. *ut Socrates & Sozomenus teſtantur.* Ob hanc frequentiam Synodus hæc etiam dicta eſt *œcumenica.* Sed orientales, interque eos præcipui, *Urſacius* & *Acacius*, qui adverſus Athanaſium & Paulum epiſcopum Con-

Conſtantinopolitanum venerant, diſceſſerunt, & *Philippopoli*, in civitate, quæ monte ſaltem ſeparatur à Sardica, ſynodum ſeparatim habuerunt. *Synodus contra Sardicenſis*, Athanaſio, & aliis epiſcopis orthodoxis exulibus, poſt accuratam cauſæ cognitionem abſolutis, pleroſq; eorum damnatos depoſuit, & præterea XXI. canonibus diſciplinam eccleſiaſticam ordinavit, & decreto ſancivit, *ne quid ulterius de fide ſcriberetur, ſed ut eccleſiæ Nicæna fide contentæ eſſent, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur, neq; ederetur alia profeſſio fidei, ne illa, quæ Nicææ ſcripta erat, ſuos numeros non habere videretur.* Nec feriati ſunt *Philippopolenſes*: ſed filium patre minorem aperte profeſſi, in Homouſion anathema vibrarunt, & orthodoxos Sardicæ congregatos, interq; eos ipſum Hoſium, condemnarunt. Athanaſius vero ad epiſcopatum rediens, in novis ſynodis HIEROSOLYMIS & ALEXANDRIÆ coactis, malitiam Arianorum detexit, & egregie confutavit. Et triumphavit tandem veritas, cum, defuncto Conſtantio, & Juliano Apoſtata trucidato, ipſi Acaciani, *anno Chriſti CCCLXIII.* in ſynodo Antiochena Homouſion approbarent, & Theodoſio M. ad imperiū evecto, *alterum concilium œcumenicū Conſtantinopoli* celebraretur: quod ſubinde novæ ſynodi confirmarunt, *Aquilejenſis, Burdegalenſis, Hipponenſis, Carthaginenſes II. III IV. Milevitanæ I. & II.* De quibus omnibus pauca leguntur annotata. Poſt hæc tempora, *ineunte ſeculo V.* aliquæ ſynodi in cauſa Theophili, patriarchæ Alexandrini, qui libros Origenis damnabat, & Johannis, epiſcopi Conſtantinopolitani, qui eos utiliter legi poſſe contendebat, *in Cypro, Alexandria, Conſtantinopoli & Chalcedone* coactæ ſunt: & Johannes duabus vicibus in exilium artibus ſceleratis miſſus eſt. Hæreſes item *Neſtorii, Pelagii, Prædeſtinatianorum, Priſcillianiſtarum & Donatiſtarum* patres fatigarunt. *Pelagius* quidem condemnatus eſt in concilio *Carthaginenſi V. Milevitano in Africa & Arauſicano II. in Gallia*: ſed in concilio *Dioſpolitano*, quod in Palæſtina à XIV. epiſcopis eſt habitum, cum Gallicani abeſſent epiſcopi, qui eum accuſarant, abſolutꝰ eſt. Latinæ enim lingvæ ignaros judices, qui coram aderant, vaferrime eluſit. Quam ob cauſam Hieronymus hanc ſynodum vocat miſerrimam: cujus acta ab ipſo Auguſtino in duobus libris de geſtis Pelagii conſcripta, nuper inventa ſunt & edita. Priſcillianiſtæ damnati ſunt concilio *Toletano I. Prædeſtinatiani* in *Arelatenſi & Lugdunenſi*; *Neſtorius* in *Alexandrino*; *Donatiſtæ* in diverſis conciliis *Africanis*. Hinc *concilium Africanum* CARTHAGINENSE VI dictum, circa A.C. CCCCXIX. ſub præſidio Aurelii, archiepiſcopi Carthaginenſis, ultra

ſexennium duravit. Occaſionem illi præbuit *Apiarius*, Siccenſis presbyter, qui ob ſcelera eccleſia excluſus, Romam confugerat. Zoſimus, Bonifacius I & Cœleſtinus, papæ ordine ſibi ſuccedentes, reſtitutionem Apiarii ſummopere flagitarunt, ſibique hoc privilegii à Nicæna ſynodo conceſſum fuiſſe falſatis canonibus aſſeruerunt, ut ab omnibus metropolitanis & conciliis ad ſedem apoſtolicam Romanam appellare liceret. Sed patres Africani, interq; eos Auguſtinus, Proſper, Oroſius, cum CCXVII. epiſcopis aliis, jugum Antichriſtianum ſuis cervicibus imminens, penitus abjecerunt: Papam, nebulonis excommunicati fautorem, increpuerunt: ſibi non minus, quam Romanis, divinum auxilium in controverſiis dijudicandis affuturum dixerunt.

XXIII. Utinam Africanorum parrheſiam plures imitati fuiſſent! Sed quid poſt ſynodum illam Carthaginenſem VI?

Magd. Cent. 5. cap. 9. & Cent. 6. cap. eod. Oſiand. iisd. Centur.

Donatiſtis in Africa virus hæreticum ſpargentibus, ſubinde obviam eſt itum *à Patribus Carthaginenſibus & Hipponenſibus*; Neſtorium condemnavit *œcumenicum concilium Epheſinum*; Pelagium *ſynodus Arauſicana II. in Gallia*; Eutycheten *Conſtantinopolitana* (ut nonnulli numerant) *decima & undecima*. Eutyches autem, ut jam ſupra diximus, confugit ad Dioſcorum epiſcopum Alexandrinum, & ab eo cauſæ patrocinium petiit: qui A. C. CCCCXLVII. *Epheſinam II. ſynodum* dictam ληστρικὴν ſeu prædatoriam, CXXIIX. epiſcoporum coëgit, & Eutycheten recte credere definivit. Sed *œcumenicum concilium Chalcedonenſe* poſt quadriennium celebratum turbas has facile compoſuit. Quas exceperunt plures conventus, in quibus de diſciplina eccleſiaſtica actum eſt. Synodi etiam in cauſa *Severi, archiepiſcopi Antiocheni, & Petri Apamenſis*, ob falſam doctrinam & piorum perſecutionem, bonorumque eccleſiaſticorum rapinam accuſatorum, à Johanne epiſcopo Conſtantinopolitano, & aliis actæ & celebratæ ſunt. Turbas de Origenis libris nondum ſedatas *œcumenica ſynodus Conſtantinopolitana II.* tandem conſopivit. Contra Monotheletas imprimis ſeculo VII. non ſaltem in provincialibus, ſed & in *œcumenico Conſtantinopolitano III.* concilio diſputatum eſt. Et Martinus I. Papa Romanus anno IↃCXLII. convocatis CL. epiſcopis *concilium Lateranenſe* celebravit, in quo, Etheſi Heraclii & Typo Conſtantis proſcriptis, XX. canones conditi. Hoc ipſo ſeculo *Toleti* plurimi conventus habiti ſunt. Sicuti enim ſuperioribus ſeculis tres tantum

tum ſynodi Toletanæ numerantur, *prima* A.C. CCCC. *altera* anno IↃXXX. *tertia* anno IↃXC. ita hoc ſeculo *undecim* celebratæ leguntur. Seculo IIX. infelix illa controverſia *de cultu imaginum*, cujus jam ſupra meminimus, enata eſt, quas Leo Iſauricus, ne Saracenis eccleſia ob idololatriam ludibrio eſſet, tolli curaverat; Gregorius II. & III. magnis machinis, miraq; audacia defendebant. Etſi enim Leo in modo imaginum dejiciendarum, quæ per ſe, cum ad cultum non proſtant, non ſunt improbandæ, deliquit: non tamen minus deliquerunt pontifices, qui id unice egerunt, ut, quod nonnullæ ſynodi Conſtantinopolitanæ decreverant, quibus ſanctorum interceſſio viſa fuit fabula; imaginum autem & reliquiarum cultus atque adoratio non niſi mera idololatria, verbo DEI contraria, id in Romanis ſynodis abolerent, tandemque Occidentem univerſum ab imperatorum obſequio averterent, ſuæq; tyrannidis incrementa ex variis occaſionibus quærerent. Irene tandem in iconolatrarum opinionem conceſſit, *Synodo Nicæna II.* celebrata, quam ſupra ex nonnullorum ſupputatione inter œcumenica concilia recenſuimus. Sed paulo poſt A.C. IↃCCXCIV. *Synodus Francofordiana*, autoritate Caroli M. ob Felicis & Elipandi hæreſin, qua Chriſtus aſſeritur filius Dei adoptivus, coacta, conceſſit quidem in libro ſynodico, quem vocant *Capitulare Francofurtanum*, imagines habere, ſed nequaquam adorare, omneſque Romanenſium & Nicæni II. concilii rationes erudite confutavit, *uti legere eſt apud Magdeburgenſes & in catalogo teſtium veritatis:* & ita ſimul iconoclaſtas & iconolatras damnavit. Hic notetur *ex Carolina Conſtitutione*, quam Carolus M. opera Anſegiſi & Benedicti Levitæ, in concilio hoc CCC. epiſcoporum ex Italia, Liguria, Æmilia, Heſperia, Gallia, Aquitania, Britannia, Germania & Auſtria convocatorum, promulgavit, quæque adhuc extat, quod non papa, ſed imperator concilium convocaverit, & cum in illo epiſcopi, *quid credendum ſit de adoptione carnis Chriſti*, decernerent, auditor & arbiter adſederit: quid de controverſa quæſtione ſit firmiter tenendum, publico edicto juſſerit: diſſentientes communione indignos cenſuerit. Longe aliter tunc in eccleſia docebatur, ac nunc pagani docent. Nam, *ut patet ex capitulari & conſtitutione Caroli M.* traditionibus rejectis ſcriptura habebatur pro fidei fundamento: ex juſtificatione excludebantur noſtra opera: cœna adminiſtrabatur ſub utraque ſpecie: angelorum, defunctorum & imaginum cultus prohibebatur: ſacerdotibus conjugium; regibus cura eccleſiarum permittebatur.

XXIV. Quantum ex iis, quæ dixiſti, colligo, in hac eccleſiæ ætate plura extiterunt ſchiſmata.

Quæris cauſam? Invidit Satanas tranquillitatem eccleſiæ. Ideoq; non ſaltem per hæreticos doctrinam ſalutarem obſcuravit, ſed & hominum factioſorum inſania & improbitate uſus, ſeculo imprimis illo, quod imperatores orbis Chriſto nomen dediſſe vidit primum, tam tumultuatus eſt, ut diſſidia, contentiones, convulſiones, & lacerationes, quibus eccleſia vexata eſt, enarrare omnes non liceat, præcipua tamen delibare libeat. *Schiſma DONATISTARUM* omnium erat graviſſimum. Durante adhuc perſecutione Diocletiana, illud conflatum eſt contra *Cecilianum*, epiſcopum Carthaginenſem, cum à *Traditoribus* theſauros & vaſa eccleſiæ, quæ illi ad imperatoris edictum tradidiſſent, fruſtra repeteret. Adverſus hunc tanquam non rite electũ, *Donatus*, epiſcopus Caſisnigris in Numidia, ordinavit *Majorinum*, Carthaginenſem epiſcopum. Tribus nocentiſſimis rebus, ambitioni, avaritiæ atq; odio, ut & improbitati mulieris *Lucillæ*, hoc ſchiſma debere originem, & tandẽ in hæreſin deſiiſſe, dicit Auguſtinus. Circa eadem tempora *Meletius*, epiſcopus civitatis cujusdã in Ægypto, cum Petro Alexandriæ epiſcopo graves exercuit inimicitias. Turba, Petro adhærens, ſe nominavit *eccleſiam catholicam*. Factio Meletiana, ſe *eccleſiam martyrum* ſalutabat, propterea, quod durante perſecutione, lapſis pœnitentiam eſſe denegandam dixiſſet. *Epiph. lib. 2. tom. II. hær. 68.* Quin & *ſchiſmata de paſchatos celebratione* adhuc durarunt, præcipue in Scotia, ubi exemplo veterum eccleſiarum Aſiaticarum paſcha celebrabant à XIV. luna ad XX. cum in reliquis eccleſiis celebraretur à XV. luna ad XXI. Duravit etiam ſchiſma, quod *Novatianum* dicitur. *De Origenis libris*, & tandem *de cultu imaginum* ſubinde quoq; nova invaluerunt: *Hæreſes etiam refutandæ*, in eccleſiæ doctores turbas concitarunt. Nec deſtiterunt *presbyteri* inſurgere adverſus *epiſcopos*; epiſcopi negotia faceſſere presbyteris; utriq; ſibi invidere, ſe loco movere, ſuperiores illudere inferioribus, inferiores ſpernere ſuperiores, pares ſe præferre paribus. In patriarchatibus, ut vocant, ſeu archiepiſcopatibus hoc malum radices egit altiores. Defuncto enim metropolitano epiſcopo, cum plures dignitatem tantam ambirent; unus reciperetur: occaſio data eſt variis querelis, rixis, deportationibus. Cumque Romani principatum in eccleſia affectarent: non poterant non tranquillitatem reliquarum eccleſiarum concutere, & tumultibus variis concordiã piorum

Auguſt. in Catal Hæret. c. 69. & 1 brevi coll. D 3. c. 12. 13. 18. 20. & in ep. 68. 162. 165. Hieron. in Chron. 331.

rum cœtuum ſcindere. Præterea ſcriptores orthodoxi nonnunquam à ſe invicem diſſentiebant. Sic *Hieronymus* dicam ſcripſit *Vigilantio*, tanquam parum reverenter (ſic exagitat virum) de martyrum reliquiis & continentia religioſorum locuto. Sic *Auguſtinus* calamum ſtrinxit in *Hieronymum*, qui commentaturus ad *Gal. II, 14.* ſcripſerat, Paulum & Petrum Judaizantem revera non diſſenſiſſe, ſed pro ratione temporis ſimulatione uſos fuiſſe. De qua contentione, cum ille Petro peccatum imputaret: hic nihil imputandum cenſeret, lege egregium Lutheri diſcurſum in commentariis epiſtolæ ad Galatas. Hi ipſi eccleſiæ doctores docte diſſentiebant de hedera ſeu ricino apud Jonam: ſicuti *Hieronymus & Gregorius Nyſſenus* de peregrinatione ad terram ſanctam, quam ille commendabat; hic non admodum ſvadebat. Sic, cum ſeculo IIX. *ſacerdos quidam Bavarus*, latinæ lingvæ ignarus, infantem *in nomina patria & filia & ſpiritui ſancta* baptiſaſſet, *Bonifacius* pontificis legatus cenſuit, infantem rebaptiſandum eſſe; negarunt *Vigilius & Sidonius*: tandemque pontifex pronunciavit, lingvæ erratum, abſque omni dolo & fraude admiſſum, non impedire vim baptiſmi. Hujus ſeculi horrendam barbariem ut magis cognoſcas, *Vigilius prædictus*, quia *Antipodes* eſſe dixerat, ab opinione illa, tanquam peſſimo errore, ſub pœna depoſitionis diſcedere juſſus, & Romam ad examen evocatus eſt. Schiſma etiam de tonſura clericorum valde clerum agitabat: cum alii modicum circulum in ſolo capite tonderent; alii, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquerent.

XXV. Vah ruditatem ridiculam! Sed ad perſecutiones, piorumque martyria progrediendum eſſe memento.

Deſierant jam imperatores in pios ſævire, ipſique ad obſequium fidei converſi, eccleſiæ nutritios ſe præbere cœperant. Sed quo gratior piis fuit reſpiratio, hoc majores excitavit Satanas tumultus, idque *per Arianos*. Illi enim in Nicæna ſynodo damnati, orthodoxos, & imprimis Athanaſium, variis modis perſequi non deſtiterunt, ſuæque impietatis defenſorem rigidum invenerunt *Conſtantium*, Conſtantini M. filium, ſimulatione & impietate omnia, quantum in ipſo quidem fuit, replentem, *ut Athanaſius ſcripſit ad ſolitarios*. Illo enim per eunuchos & mulieres dementato, totus fere oriens in Arianiſmum, vi, dolis, artibus pertractus eſt, & exercitus imperatoris, ad Athanaſium comprehendendum miſſus, mul-

Sulpit. Sev. l. 2. Hiſt. Sacr. c. 52. Gregor. Nazianz in Orat. de Athanaſ. Sozom. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 27. ipſe Athanaſ. in Apol.

multos Alexandrinorum, qui ad Arianorum partes accedere renuebant, mactavit, obtrivit, concidit, exilio & carcere multavit. Pulſis, *ut Athanaſius in apologetico ad Conſtantium ſcribit*, XC. epiſcopis in Ægypto & Libya; XVI. in exilium actis, eorum eccleſiæ Arianis traditæ ſunt. Sed repreſſit iſtam vim pauliſper Conſtans, fratremque Conſtantium ad revocandos orthodoxos adegit. Quo tamen defuncto, odium in Homouſianos magis magisque Ariani explicuerunt. Nam *Paulum*, Conſtantinopolitanum patriarcham, pulſum in ſolitudine ſtrangularunt; *Athanaſium* Alexandria, *Cyrillum* Hieroſolymis expulerunt. *Illi* Macedonium; *iſti* Georgium; *huic* Acacium, ſingulos tyrannico plane animo efferatos, in ſedes patriarchales ſubſtituerunt, aliosque verberibus ad mortem usq; multarunt; alios facultatibus privarunt; alios in exilia abduxerunt: eamque immanitatem, *ut Sozomenus libro 4. cap. 27. ait*, per totum orientem, perque omnes gentes imperii Romani, maxime verò Conſtantinopoli, exercuerunt, ut vix Nero aliquis ſangvinolentus gravius in innoxios ſævire poſſe videretur. Poſt Conſtantium, triſti morbo conſumtum, cum aliquandiu ſub Juliano & Joviano virus iis ſuum effundere non licuiſſet, invenerunt alterum patronum *Valentem*, Valentiniani orthodoxi fratrem, id unice ſatagentem, ut Ariana fieret omnis religio. Eccleſiæ igitur paſſim afflictæ ſunt verberationibus, conviciis, carceribus, pecuniarum mulctis, aliisque exagitationibus nefandis. Pervaſit ea perſecutio ad eccleſias usque Thracenſes, Dacicas & Pannonias: virique eccleſiaſtici, numero LXXX. de injuriis, quas perpeſſi fuerant, libellis ſupplicationum imperatori exhibitis, inaudita tyrannide navi ſunt impoſiti, flammisque injectis combuſti. Sed ecce vindicem DEI oculum! Grando, manum magnitudine, lapides duritie æquans, multos ex hominibus & jumentis percuſſit: deinde terræ motus Nicæam evertit: poſt fame maxima Phrygia preſſa ingemuit. Ipſe Valens tandem à Gothis in pugna vulneratus, cum in tugurium ſe reciperet, igne injecto conſumtus, communi ſepultura caruit. Memorabile eſt, quod *Themiſtius*, prætor Conſtantinopolitanus, dehortaturus Valentem à tyrannide, demonſtraverit, non moleſte ferri debere differentiam Chriſtianorum dogmatum, ſi ad gentilium dogmatum multitudinem & confuſionem conferatur: *Eſſe enim ultra* IↃC. *variantes ſententias de Deo apud Græcos: Deum tam diverſa ac diſpari opinionum ratione ſuam velle gloriam illuſtrare, quo ſinguli divinam majeſtatem magis revereantur, quod non ſit proclive cuilibet, accurate Deum cognoſcere.* Videatur *Socrates lib. 3. cap. 27.*

XXVI.

XXVI. Miror ſane, violentiam Arianorum nihil conceſſiſſe truculentiæ eorum, quos gentilis ſuperſtitio in Chriſtianos quondam armavit.

Miraberis magis, ſi, quid porro factum ſit, conſideras. Ablato è vivis ad inferos Valente, *Juſtina* imperatrix, quæ jampridem Arianis faverat, filium quidem *Valentinianum juniorem* in orthodoxos ſic concitavit, ut Ambroſium eccleſia ſua ejicere conaretur. Ille tamen pedetentim tanto cœpit in ſanctum virum incumbere affectu, ut, quem antea tanquam adverſarium repulerat, nunc ut parentem veneraretur, *ceu ipſe teſtatur Ambroſius epiſtola XXX & XXXIV.* Poſt illa tempora inter varia ſchiſmata & hæreſes utcunque Arianus ſpiritus conquievit, usque ad irruptionem *Gothorum & Vandalorum:* quorum pars idolis adhuc ſerviebat; reliqui Arianam hæreſin profitebantur. *Gundericus Vandalus*, quem anno ſequenti fertur dæmon correptum interemiſſe, ejusq; frater *Genſericus*, hujusque filius *Hunericus*, & plerique ex ejus nepotibus, peragratis primum & vaſtatis Galliis; poſt Hiſpania, deinde Africa occupata: Arianiſmum magna crudelitate propagare conati, omnia populationibus, rapinis & cædibus miſcuere, ac horribiliter deformavere: usque adeo, ut nec innocenti ætati parcerent, ſed à maternis uberibus raptos lactantes partim terræ & ſaxis illiderent, partim à naturali meatu in ſummum capitis verticem medios diſſecarent, ſacrasque virgines, turpi contrectatione dehoneſtatas, & exquiſitis tormentis ſubjectas, in ſuſpicionem læſæ pudicitiæ falſo vocarent. Congregarunt immanes homines magnum puerorum cœtum, eumq; animoſe ad martyrium properantem, & confeſſionem fidei admiranda fiducia edentem, infando ſcelere, fame, tormentis, & plagis miſerandum in modum confecerunt, &, quos inedia non conſumſerat, eos in eremum abduxerunt, & pejus quam pecudum gregem habuerunt. Præterea templis & cœmeteriis flammas injecerunt: epiſcopos & presbyteros in ſynodos coactos aut blaſphemiæ Arianæ ſubſcribere, aut perire, aut in exilium emigrare juſſerunt: diaconos ad theſauros eccleſiarum prodendos tormentis adegerunt. Conſulendi ſunt de his omnibus *Victor in Vandalica perſecutione, & Proſper in Chronicis*, qui hanc Arianam perſecutioné nulla alia mitiorem fuiſſe teſtantur. Juſtinianus tandem imperator A. C. ɔXXXIII. intolerabili orthodoxorum in Africa calamitate motus arma pro ipſis ſumſit: præſertim cum moneretur à quodam epiſcopo, qui in ſomno mandatum à DEO acceperat,

Procop. Hiſt. Vandal. lib. 2. Paul. Diac. in Hiſt. miſcell. lib. 16 Iſidor. in Chron. Vandal. Æra 560.

perat, ut afflictis Chriſtianis ſuccurreretur. Miſſo igitur Belliſario, captoque Gilimere rege, parricida & perſecutore piorum truculento, tribus menſibus, quicquid Vandali in Africa hactenus tenuerant, ſibi ſubjecit, & præterea *Totilam* Gothorum regem, alterum DEI flagellum, *ut Gregorius eum nominat*, qui Romam rapinis & incendio miſere fœdaverat, & Arianis atque paganis militibus ſtipatus, Italiam, locaque vicina devaſtabat, per Narſetem repreſſit feliciter, & Gothico in Italia imperio finem impoſuit.

XXVII. Arianas perſecutiones videor mihi percepiſſe. Sed explica quæſo, num poſt tempora Conſtantini M. à paganis etiam perſecutiones in Chriſtianos motæ ſint.

Sozom. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 8. Georg. Cedren. p. 242. ſeq.

Occurrit primo in hiſtoriis *SAPORES*, ille rex Perſarum, qui in utero matris coronatus, quot annos vixit (vixit autem LXX.) tot regno præfuit. Hujus animum magi & Judæi in Chriſtianos exacerbaverant, quaſi eorum epiſcopi in gratiam Romani imperatoris res novas contra Perſas molirentur, aut arcana regni proderent. Ideoque omnes indiſcretim epiſcopos & eccleſiarum doctores & presbyteros peremit, eorumque una die centum in carcere trucidavit, edictoque evulgato morti addicavit, quotquot usquam Chriſtianos ſe eſſent profeſſi. *Sozomenus libro 2.* ſummam martyrum in Perſia cæſorum ſupputat XVI. millium: præter quos tamen multitudinem innumerabilem aliam cecidiſſe aſſerit. Egit quidem Chriſtianorum cauſam apud Saporem Conſtantinus ipſe: ſed idem *Sozomenus libro 7. cap. 21.* perſecutionem Perſicam ſub Conſtantio adhuc duraſſe teſtatur. Alter ex paganis, qui eccleſiam truculenter afflixit, fuit *JULIANUS*, doctus quidem & pie educatus, ſed, cum philoſophos gentiles & imprimis inter eos *Libanium rhetorem & Maximum Epheſinum* impenſius, quam epiſcopos, admiraretur, apoſtaſia tandem & magicis artibus infamis factus. Hic cum ad imperii culmen perveniſſet, mitem ſe illico Chriſtianis præter ſpem oſtendit. Sed cum virtutis ſimulatio diuturna ſit difficilis, paulo poſt ſeipſum nominavit pontificem: in paganorum templis denuo reparatis ſacrificavit: ſuperſtitioſum gentilium deorum cultum variis Chriſtianorum ritibus, proceſſionibus, & precationibus ornavit: ludos literarum nemini, niſi idololatris, patere permiſit: ſcholas piorum occluſit: milites Chriſto nomen profeſſos exautoravit: fontes, quorum uſus in urbibus erat, ſacris ſuis inquinavit: omnia,

Nazianz. in Orat. adv Julian. Ruffin. l. 1. c. 27. & 32. & ſeqq. Sozom. l. 5. c. 1. & ſeq. Oroſ. l. 7. c. 30. Ammian. Marcell. lib. 21. cap. 18. & l. 22. c. 7. 26. Niceph. l. 10. Hiſt. Eccl. cap. 3. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei cap. 52.

quæ

quæ in macello vendebantur, luſtratione polluit: libris multis, quorum nonnulli adhuc extant, editis, diras blaſphemias in Chriſtum evomuit: Judæorum remp. ut Chriſtum, quem Galilæum vocare conſveverat, mendacii argueret, reſtituere fruſtra paravit: Donatiſtis etiam baſilicas reddidit, eo modo Chriſtianum nomen poſſe perire de terris arbitratus, ſi unitati eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, invideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret, *ceu loquitur Auguſtinus epiſtola CLXVI.* Oraculum etiam Apollinis, quod nato Chriſto, ſublata tenebrarum poteſtate, virtute veræ lucis obmutuerat, inſtaurare decrevit, Orbaſio medico ad hanc rem peragendam Delphos miſſo, qui, cum illuc perveniſſet, opere inchoato, *teſte Cedreno*, tale reſponſum accepit:

Corruit artifici vario cortina labore
Conſtructa: hoc regi redeuntes dicite veſtro.
Nec caſa nec Phœbi reddens oracula laurus
Illa ſuper: non ullæ veniunt à fonte loquelæ:
Extincti latices profunda ſilentia ſervant.

Tormentis autem & atrocioribus coactionibus abſtinuit Julianus, ita tamen, ut ſacrificare nolentes graviſſimis exactionibus, exhauriret, reditus eccleſiis præriperet, templa deſtrueret, & ex illis, quicquid pecuniarum & ſacrorum vaſorum inveniſſet, auferret, falſo joco addito: *Sic expeditiores ſe ſe facere Chriſtianos ad regnum cœlorum, juxta illud: Beati pauperes.* Præſides etiam eccleſiarũ remotos in ultimas imperii terras ablegavit: & omnibus ubiq; & imprimis in Palæſtina ſceleratis poteſtatem, quacunq; vellent petulantia, pios illudendi, ſpoliandi, trucidandi, eorumque cadavera hordeo repleta porcis objiciendi fecit. Acceſſit, quod, qui paulo animoſius pro Chriſtianis reſpondiſſent, aut ſtatuas confregiſſent, eos, tanquam petulantes & contumelioſos in imperatorem, ad ſupplicium extremum abripi juberet; Chriſtianos autem injurias acceptas deferentes non admiſſos dimitteret. Tandem apoſtata & tyrannus, quem Antiocheni ob barbam hircinam & alia corporis vitia cercopem, loquacem talpam, purpuratam ſimiam, idolianum, & tauricremũ ſalſe & ſarcaſtice vocarant, *ut Ammianus & Nazianzenus teſtantur*, cum expeditionem adverſus Perſarum regem, quem ipſum etiam nominis Chriſtiani hoſtem diximus, ſuſcepiſſet, minatus, confecto bello, ſe longe duriora & atrociora in Chriſtianos moliturum, conto vel ſagitta trajectus periit: &, cum *viciſſe Galilæum* dixiſſet, pugillumque ſui cruoris in aërem projeciſſet, magno cum horrore eſt mortuus, nec ſepulcro conditus, ſed à terra propter ipſum

Fff com-

commota abſorptus, *ut Magdeburgenſes ex Nazianzeno teſtantur.* Sic nihil illi profuit, vivos homines mactaſſe, diſſectoque ventre è jecinore, turpi ἀνθρωπομαντείᾳ, ceu vocabant, eventum belli exploraſſe. Tertius, quem inter idololatras hoc ſeculum invenit in eccleſiam efferatum tyrannum, fuit *ISDIGERDES*, & ejus filius *GORORANES*, Perſarum reges: qui, cum Audas epiſcopus πυρεῖον ſeu Veſtæ templum ſubvertiſſet, nec juſſus illud inſtaurare vellet, omnia templa Chriſtianorum deſtruxerunt, &, *ut cum tripartita hiſtoria lib. 10. cap. 30. ex Theodoreto loquar*, aliorum manus excoriaverunt, aliorum dorſa, aliorum capita à fronte ad cervices usque nuda cute reliquerunt. Alios ſectis per medium calamis nudos operientes, & ipſas ſectiones calamorum carnibus aptantes, à capite usq; ad pedes funibus ſtringentes, poſtea calamos ex eorum membris violenter trahebant, ut acutæ ſectiones cum traherentur, eorum carnes ſecarent, & tormentum amariſſimi doloris inferrent. Deinde fodientes lacus, & eos undique obturantes, ſoricum majorum greges in eos immiſerunt, eisque pabulum athletas dederunt, impie ligantes manus eorum & pedes, ne poſſent à ſe beſtias removere. Sed & alia tormenta ſæviora valde exercuerunt, habentes doctorem veritatis inimicum. Sed non potuerunt athletarum devincere fortitudinem. Sponte namque currebant, ut occaſione hujus mortis, incorruptibilis vitæ dona perciperent. Duravit hæc perſecutio XXX. annos.

Cedren. in Compend. pag. 357. Bizar. Rer. Perſic. lib. 6 p. 163. ſeq. Abul. Pharaj Hiſtor. Dynaſt. 9. pag. 112. & 116.

XXIIX. *Sic video decantatas iſtas imperatorum decem perſecutiones, in imperio exercitas, habere, quibuscum comparari, & quibus poſtponi queant.*

Jornand. de Reb. Geticis c. 53. ſeqq. Procop. lib. 2. & 3. Hiſt. Gothor. Paul. Diac. ad Eutrop. lib. 18. & 19.

Audi vero, quam truculenter Satanas etiam in occidente ſævierit. Hoc ipſo enim perſecutionis Perſicæ tempore *GOTHICA tyrannis* Chriſtianos in Gallia, Italia, & aliis regionibus, vehementiſſime afflixit. Cum namque Gothi, à Chriſti cultu maximam partem alieni, cum exercitu innumerabili in Italiam erumpentes, omnem Romani nominis ſangvinem diis ſuis propinandum voviſſent, tanta extitit paſſim calamitas *ut rediens Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum ſcripſerit:* Quot matronæ, quot virgines Dei & ingenua nobiliaque corpora his beluis fuere ludibrio? capti epiſcopi: interfecti presbyteri: ſubverſæ eccleſiæ: ad altaria ſtabulati equi: martyrum effoſſæ reliquiæ: ubiq; luctus, ubiq; gemitus, & plurima mortis imago. Capta non ſemel eſt ipſa Roma. Barbari

ex

ex arbitrio omnia egere, & quanquam à Stilicone, dextera illa imperii manu, & aliis ducibus, non ſemel repellebantur, redire tamen auſi ſunt, furiis ſuis habenas laxantes. Gothicam truculentiam *HUNNICA* excepit *crudelitas*. Attila enim, ille terror orbis & flagellum illud Dei, rex Hunnorum, cum occidentale imperium jam penitus concuſſum nutaret, ſic cœpit in obvias quasque regiones & urbes ſævire, ut Italiæ proceres, neceſſitate coacti Venetias confluerent, novamque ibi urbem admirando ſucceſſu auguſta forma conderent. Ab hujus tyrannide ipſe Theodoſius junior, imperator, ingenti pecuniarum ſumma imperium occidentale redemit, ſeq; ad annuum tributum pendendum obſtrinxit. Ille vero, ferro & igne omnia permiſcens, tanta ſævitia in Chriſtianum nomen inſurrexit, ut, ſi martyrologi s veterum fides habenda eſt, præter multos alios martyres, *novies*, vel, ut alii dicunt, *undecies mille virgines apud Coloniam Agrippinam* perimeret. Ferunt enim, quanquam incerta fama, *Urſulam*, regis Britanniæ Dionethi filiam* in uxorem à Conano, præfecto minoris Britanniæ in Gallia petitam, cum illuc tenderet cum aliis virginibus, ab aliis militibus in dicta Britannia minore in torum petitis, & cũ pluribus ſociis, ſævitiam Anglorum, qui è Saxonia à Britannis contra Pictos & Scotos in ſubſidium evocati fuerant, fugientibus, tempeſtate diu jactatam, tandem cum XI. millibus ad Coloniam Agrippinam appuliſſe, &, cum ad ſtuprum ab Hunnis, qui illic locorum ſæviebant, rapta, mori mallet, quam libidini barbarorum ſeſe permittere, cum tota ſocietate crudeliter eſſe peremtam circa annum CCCLI. vel ſecundum Baronium CCCLXXXIII. Sed cum Romani adhuc anno CCCCXLIII. præſides & prætores in Britannia habuerint, & circa illud demum tempus Saxones à Britannis adverſus Scotos & Pictos evocati ſint; Attila etiam, primus Hunnorum in Pannoniis rex, demum ſeculo quarto exeunte ex oriente in Pannoniis adeſſet, nec Hunni unquam inde usq; ad oſtia Rheni veniſſe legantur, fides hiſtoriæ hujus admodum vacillat. Periit tandem Attila, immanis illa beſtia, in ipſis ſuis nuptiis, ſuo ipſius ſangvine erumpente ſuffocatus A. C. CCCCLV. Poſt Gothos & Hunnos divexarunt occidentales eccleſias *LONGOBARDI*, & rex eorum *Alboinus* circa A. C. IↃLXIIX. Italiam ingreſſus, vovit, ſe gladio omnes Chriſtianos deleturum: idq; reipſa perficere cœpit dirutione templorum, nece ſacerdotum, monachorum ſuſpenſione, Mediolanenſium cæde. Cum Ticinum ſeu Papiam poſt triennalem obſidionem expugnaſſet, & jam urbs militum prædæ aperiretur, prodigio quodam repreſſus eſt. Equus enim cui inſe-

Callimach. in Attila. Nicol. Olah in Attila. Paul. Diac. Hiſt. Miſcell. lib. 14.

VVarnefr. Strabo de Geſt. Longobard. l. 2. 3. & 4. Freculf. in Chron. lib. 5. cap. 25.

inſedit, in porta civitatis collapſus, nec calcaribus, nec verberibus erigi ante potuit, quam incolis ſalutem promiſiſſet, *ut legere eſt apud Gregorium Turonenſem lib. 4. cap. 41. & Paulum Diaconum de geſtis Longobardorum lib. 2. cap. 12 & 13.* Suppoſuerunt tamen & Longobardi collum jugo Chriſti, & ad eccleſiam acceſſerunt. Sed cum occidens pauliſper ab irruptione barbarorum reſpirare inciperet, ecce oriens immani Satanæ furore ita concuſſus eſt, ut, cui honor Chriſti cordi eſt, non poſſit non ingemiſcere, & largo lacrymarum imbre tantam eccleſiarum florentiſſimarum devaſtationem proſequi.

XXIX. Hui! quid hoc novi mali? Et quamnam tantam eccleſiæ cladem? quam devaſtationem dicis?

Non dico de inſultibus paganorum, qui multis in locis in Chriſtianos atrociter graſſabantur, non de nonnullorũ regum aut imperatorum impietate, qui in hæreſin prolapſi tyrannica ſævitia in orthodoxos armabantur; non de ea perſecutione utut magna, qua Coſrhoes, Perſarum rex, Chriſtianos graviter paſſim afflixit, & expugnatis Hieroſolymis, XC. Chriſtianorum millia Judæorum rabiei expoſuit, immanique odio in Chriſtum, & inexplebili fundendi ſangvinis cupiditate flagrans, Ægyptũ & Libyam ad Æthiopiam usque vaſtavit, tandemque feliciter ab Heraclio fuſus & ſuperatus eſt. Sed de duobus horrendis, exitioſis, immanibus monſtris ſermo inſtituendus eſt: quorum alterum tempore Heraclii in Arabia caput ſordidum extulit; alterum ex Caſpiis Scythiæ portis egreſſum, imperio circa eadem tempora innotuit. Et quanquam impia conſenſione hæc τερατοδεύματα in nominis Chriſtiani deletionem conjurarunt: illud tamen, quod Scythia in piorum perniciem emiſit, alterius, quod Arabia nutrivit, poteſtatem pedetentim ad ſe rapuit, & adhuc orbem terrarum dubium & anxium tenet.

XXX. Miror, quidnam hoc ænigmate tibi velis.

TURCOS dico & *SARACENOS*: quorum *illos* numero XL. millia ex Scythia; *hos* eodem pene tempore, anno videlicet à nato Chriſto IↃXXVI. adverſus Perſas Heraclius in ſubſidium evocavit Et *Turci* quidẽ hac vice, cum pax Perſis data eſſet, dimiſſi ſunt: ſed *Saraceni*, cum militare ſtipendium poſcentes, à præfecto Heraclii canes vocarentur, in Syriam ſecedentes, Machometis doctrina ſimul & artibus imbuti, Damaſcum, & in Phœniciam progreſſi, ipſam Hieroſolymorum urbem; Meſopotamiam

Leonicus Chalcond. de Reb. Turc. lib. 1. & 2. Leoncl. in Hiſt. Muſelm. & Pandect. Turc. Niceph. Gregoras in Hiſtor. Byzant.

miam item & Ægyptum ſibi ſubjecerunt: copias Heraclii non ſemel profligarunt: Perſiam, regia ſtirpe exciſa, occuparunt: Rhodum, Cyprum, Sardiniam expugnarunt: Africam, & ex illa Hiſpanias ipſas ſubjugarunt: inque Chriſtianos, qui impiis Machometis deceptionibus locum non dabant, debacchati, eccleſias eorum partim everterunt; partim profanis uſibus dicaverunt: & fidos Chriſti ſervos non aliter, ac oves, crudeli feralique immanitate agminatim mactaverunt. Perſæ, antequam jugum Saracenorum & impietatem Machometis ſuſciperent, Turcos, quos paulo ante, tempore Heraclii, hoſtes habuerant, per Caucaſi anguſtias in auxilium evocavere. Sed illi cum Saracenis, contra quos venerant, ſe conjunxere: nec quicquam à moribus & religione eorum diſcrepare cœpere; utrique ſub uno domino, Babylonio videlicet Calipha, ſibi devincti. Turci tamen Saracenos tandem, variis diſcordiis attritos, ſibi tractu temporis ſubjecere: quin & *circa* A. C. cIↃCCC. duce *Ottomanno*, ſceleſtiſſimo crucis Chriſti hoſte, eas vires acquiſivere, ut jam ſe dominos orbis ſuperbo titulo vocare non erubeſcant. Qui ipſi tamen, cum hoſpitia Chriſtianis, etſi preſſis, in ſuis regnis concedunt, ſunt longe manſvetiores iis, quibus dominari conſcientiis volupe eſt, quique Vejovi ſuo Romano longe plura adſcribunt, quam Turci ſuo Machometi.

XXXI. Agnoſco ex ungve illum in oriente; hunc in occidente Antichriſtum. Sed ut te ad jam dicta revocem; quænam tantos perſecutores pœnæ exceperint, indica.

Nonnunquam Deus ſceleratos æternis pœnis reſervat temporalibus exemptos: aut ſi, quod plerumque fieri videmus, in hac etiam vita eos corripit, id ſæpe injuria temporum memoriæ poſteritatis invidet. *Conſtantius* triſti & violento morbo è vita diſceſſit, tria mala ſuo principatu indigna ſe commiſiſſe confeſſus: quod generi ſuo necem attuliſſet; quod Julianum Cæſarem creaſſet; quod novis fidei dogmatibus ſtuduiſſet, *teſte Gregorio Nazianzeno* in oratione de laudibus Athanaſii. *Julianus* incerto telo in pugna transfixus, deſperabundus obiit. Avunculus ejus, qui & ipſe *Julianus* vocabatur, & lotio emiſſo ſacram menſam conſperſerat, excrementa per os ſceleratum egeſſit, inteſtinis à vermibus corroſis, *ut eſt apud Theodoretum* lib. 3. cap. 13. *& Sozomenum* lib. 5. cap. 8. *Valens* igne periit. *Eudoxia*, quæ D. Chryſoſtomi exilium procuraverat,

quarto poſt expulſum Chryſoſtomum die defunctæ, urna perpetuo moveri viſa fuit. DEO eum, qui per illam in eccleſia concitatus fuerat, motum oſtendente, *ceu ait Nicephorus lib. 13. cap. 36.* Plerique, qui impietatem Arianam propagaturi, orthodoxos divexarant fœdo mortis genere interierunt. Ipſe *Arius* inteſtina naturæ opus facturus, egeſſit. *Anaſtaſius* imperator, hæreticus, & orthodoxorum hoſtis capitalis, fulmine periit. *Theodoricus*, Veſtgothorum rex, cæſis Symmacho, Boëthio & Johanne papa Romano, cum piſces appoſitos putaſſet interfectorum eſſe capita, ſubitanea morte periit. *Rhadagaiſus*, Gothorum rex, vivus in Romanorum poteſtatem devenit, & mortis ſupplicium luit. *Gundericus Vandalus* à dæmone correptus interiit, ejusque poſteri *Genſericus*, *Hunericus & alii*, miſera morte ad inferos transmiſſi ſunt. *Attila* Hunnus ſuo ipſius ſangvine ſuffocatus exſpiravit. *Alboinus Longobardus* à Roſimunda uxore, quam è cranio patris cæſi aurato per luſum bibere juſſerat, interfectus, & *Coſrhoës* Perſa à filio miſere extinctus itidem in exemplum vindictæ divinæ proſtant. Reliqui nominis Chriſtiani hoſtes, *Gothi*, *Hunni*, *Vandali, & Alani* ſeſe mutua laniena confecerunt, aut à ducibus Imperatorum victi fugati, & cæſi ſunt: aliqui etiam in horrendam rabiem verſi, propria membra dentibus mordicus lacerarunt, ut *Leutherii*, principis Alemannorum, exemplo patet, qui religionem noſtram in bello Gothico impugnaverat, *ceu videre eſt apud Agathiam lib. 2. de bello Gothico.* Quid dicam de iſtis plagis, quibus integræ gentes correptæ ſunt? Terræ motus, fames, peſtes, irruptiones hoſtiles, inundationes aquarum, toties his ſeculis mortales turbaverunt, ut furor iræ divinæ cum in eos, quos hoſtile odium in Chriſtum armabat, tum in hos, quos impia vita deformabat, ſævire ſatis deprehenderetur.

XXXII. Num etiam claruit hæc ætas miraculis?

Si omnibus, obſcurorum imprimis ſcriptorum, hiſtoriis fidem habere velimus, clariora paſſim miracula viguiſſe intelligeremus, quã quæ vel ipſe Chriſtus præſtitit, vel ejus apoſtoli. Sed fabulis monaſticis omnia eſſe depravata dolemus: & miſſa facimus, quæ Zonaras, Nicephorus, Antoninus, & alii fabulantur de *lepra Conſtantini* miraculoſe ſanata; *Chryſanto & Muſonio*, defunctis epiſcopis, ſynodo Nicænæ ſubſcribentibus: de *crucis per Helenam inventa*, columnæque & clavorum Chriſti, aliarumq; reliquiarum miris operationibus: de illis tandem Satanæ illuſionibus & præſtigiis, quibus olim monachis impoſuit. Euſebius *interim lib. 5. cap. 7.* teſtatur, miraculoſas virtutes ſuo adhuc tempore per fideles

eſſe

eſſe perfectas: & *Narciſſum*, epiſcopum Hieroſolymitanum, cum deficeret oleum pro luminibus in eccleſia, ait *lib. 6. cap. 9.* aquam in oleum precibus convertiſſe. Apud eundem & alios legimus, per *Paphnutium*, *Frumentium*, *captivam apud Iberos muliérculam*, *duos Macarios*, *Arſacium*, *Hilarionem*, *oſſa Babylæ*, *S. Donatum*, *S. Martinum*, plurima edita miracula. Sic, teſte Theodoreto *l b. 2. cap. 30.* *Jacobus*, Niſibenus epiſcopus, vir divinus, petente Ephremo, epiſcopo Syro, Perſas finibus imperii imminentes execratione depulit, quia cyniphes & culices elephantorum proboſcidibus & equorum naribus ita fuere infeſti, ut ſeſſoribus excuſſis aciem diſturbarent. Miramur certe *crucem cum promiſſione victoriæ inſcriptá à* Conſtantino M. in cœlo conſpectam. Stupemus ad illam ſive vocem in aere auditam, ſive ſcripturam in Laterano ad parietem viſam: *HODIE* (poſtquam Conſtantinus in orientem ſecedens, pontificis ludibrio expoſuit occidentem) *VENENUM INFUSUM EST ECCLESIÆ*, *ut eſt apud Wolfium centuria IV. & Magdeburgenſes.* Horrorem nobis incutit *grave illud ſupplicium*, quo, *teſte Haythonio, in orientali hiſtoria, cap. 10.* Perſæ, qui juſſu Saporis regis, Chriſtianos, gravem tyrannidem fugientes, inque Græciam properantes, perſequebantur, affecti ſunt. Inclamato enim nomine JESU, ſalvi evaſerunt Chriſtiani per miraculum; hoſtes autem, cœcitate percuſſi, in tenebricoſum inciderunt locum, quem Hamſem vocat hiſtoricus. & ſuis ſe oculis vidiſſe, & inde adhuc ſæpe audiri hominum vociferationes, cantus gallorum, hinnitus equorum, teſtatur. Stupemus itidem ad *lucidiſſimum illud crucis ſignum*, quod ipſis ſanctæ Pentecoſtes diebus, circa horam diei tertiam, ſuper monte Golgatha reſplenduit, ac pertigit à loco Calvariæ per XV. ſtadia ad montem Oliveti, multoſque impios ad fidem convertit, fama miraculi per univerſum orbem divulgata, *teſte Sozomeno lib. 4. cap. 4. & Baronio* ad annum CCCLIV. Obſtupeſcimus ad illa, quæ Judæis, ſub Juliano Hieroſolymam inſtauraturis, acciderunt, & à nobis *in eccleſia Moſaica quæſtione LV.* enumerata ſunt. Quid dicam de *Victorio* milite, quem cum, *ut Paulinus lib. 3. epiſt. 2. teſtatur*, ob nomen Chriſto datum, ad comitem raptum & damnatum carnifex percutere vellet, comes ipſe cœcitate percuſſus eſt, & Victorio catenæ ſponte de manibus fluxerunt? Quid de *Eugonio*, qui, *teſte Chronico Alexandrino*, cum Judæo de fide in Chriſtum diſputans, illo miraculum poſcente, ſerpentem mortuum ſine noxa devoravit? Quid de divina vindicta, *quam tres quæſtores Juliani* ob ſacra Chriſtianorum interturbata ſenſiſſe, *refert Nicephorus libro 10. cap. 29?* Quid de *pane ſub dentibus* feminæ

minæ hæreticæ euchariſtia abutentis, tempore Anaſtaſii I. Conſtantinopoli *in lapidem verſo*, ut habet *Sozomenus cap. 5. lib. 8?* Quid dicam *de exercitibus angelorum*, qui Conſtantinopolin adverſus barbarorum impetus non ſemel conſervarunt, *ut apud Socratem lib. 6. cap. 5. & Sozomenum lib. 8. cap. 4. legere eſt?* Quid *de miraculoſa Theodoſii M. adverſus Eugenium tyrannum victoria*, magnis ventorum procellis divinitus hoſti immiſſis obtenta, ipſiq; Claudiano, gentili poëtæ, nota, cum canit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas acies, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti!

Quid de *Judæo*, quem *Sigebertus ad A. C.* IↃXVI. refert quæſtus cauſa ſæpe in multis hæreticorum eccleſiis baptiſatum, tandem ad orthodoxorum etiam eccleſiam acceſſiſſe; aquam verò fontis ſubito diſparuiſſe, & iterũ iterumque illatam, ſub manibus diffugiſſe, Judæique perfidiam & DEI virtutem oſtendiſſe? Quid de *ſangvine*, qui *anno* IↃLX. ex imagine Chriſti à Judæis per ludibrium confoſſa effluxit? ut habet *chronicon Sigeberti, & Athanaſius libro de paſſione imaginis:* quem tamen librum aliqui inter ſuppoſititios referunt. Quid de *pictore illo*, quem *Nicephorus & Cedrenus circa annum* IↃLXI. ajunt Chriſtum forma Jovis pingere conatum, ſubito manum ſideratam ſenſiſſe, & poſt delicti confeſſionem apud Gennadium, epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſanitatem recepiſſe? Quid *de eo confeſſore catholico*, quem *Nicephorus lib 15. cap. 12.* dicit adverſus Arianos ad teſtimonium per ignem provocaſſe, & ex igne diſputaſſe illæſum? Quid de *puero in aerem arrepto*, & deinde referente, ſe in altis audiviſſe hunc cantum: *Deus ſancte, ſancte fortis, ſancte & immortalis, miſerere noſtri!* Ad quem hymnum, Conſtantinopoli & aliis in locis decantatum, terræ motum, qui IV. menſes duraverat, deſiiſſe, *Cedrenus & Diaconus* teſtantur. Simile quid contigit *Antiochiæ* ſeculo VI. ex qua urbe bis gravi terræ motu concuſſa, cum cives diſcalceati egreſſi, iram Dei deprecarentur, vir quidam pius, cœlitus monitus, præcepit, ut ſuperioribus ædium poſtibꝰ inſciberent: *Chriſtus nobiſcum. State.* Quo facto ira Dei reſedit. Quid porro dicam *de Alboini equo*, quem ex lapſu conſurgere nequiiſſe ſupra diximus, donec ſalus promitteretur Ticino? Quid de *plagis in martyribus miraculoſe ſanatis*, & ingentium lignorum robore, quo carcer piorum firmabatur, ſubito per putredinem ſoluto, ut *Victor teſtatur libro primo perſecutionis Vandalicæ?* Quid de *Judæi Vitriarii filio*, qui, quod cœna Domini una cum aliis pueris uſus fuerat, à patre in furnum miſſus ardentem, diu

diu illæſus permanſit, & nulla corporis parte aduſtus evaſit, ut teſtatur *Evagrius lib. 4. cap. 36?* *Quid de illo portento*, quo, ut *Eutropius teſtatur*, Sol per XVII. dies radios retraxit, ita ut naves maris errarent, eo quidem tempore, quo Irene imperatrix in Oriente filium Conſtantinum evertit, & ei oculos eruit? *Quid de illo, qui ſe cæcum ſimulans*, perſvadente Cyrola epiſcopo Ariano, ſuam perfidiam miraculo confirmare volente, vere DEO cooperante cœcus factus eſt, *ut eſt apud Nicephorum?* Quid *de Judæo paralytico*, qui in ipſo baptiſmo ſanitatem recepit, eodem teſte? Qui præter hæc, ſive miracula & prodigia vera, ſive pro confirmanda ſuperſtitione papiſtica ſigna mendacia, multo numero ſtudioſe collecta, legere deſiderat, perluſtret ſingula XIII. capita centuriarum Magdeburgenſium. Hæc enim avido lectori ſatisfacient, docebuntque, non ſine cauſa ſapientum nonnullos ita à miraculis papiſtarum abhorruiſſe, ut illa legi in canonico jure prohibuerint. Inter prodigia & miracula nonnunquam etiam hac eccleſiæ ætate DEI providentia *per cœleſtes patefactiones* innotuit, nec lumine prophetico penitus pii fuere deſtituti. In SECULO QUARTO memorandus eſt primo *Antonius*, eremita Ægyptius, cui plurimi patrum egregium pietatis dant teſtimonium. Hic in periculoſis adverſus malignos ſpiritus certaminibus ſubinde auxilia ſenſit ſanctorum angelorum, & ab illis futura didicit. Præter multa alia prædixit inſtantem eccleſiæ per Arianos turbationem: quos viderat in ſpecie multorum altare calcibus impetere, & ſacram menſam ſubvertere, ut legere eſt *apud Sozomenum lib. 6. cap. 5. Hieronymus in epiſtolis*, prolixe ſolita verborum elegantia recenſet, ut Antonius jam ſenex (obiit enim anno ætatis CV.) alium eremitam *Paulum* CXXX. annorum, iisdem alloquiis divinis conſpicuum, quærere juſſus ſit, & inventum pieque defunctum terræ mandarit. Id imprimis vir pius egit, ut ſuis ſive fratribus, ſive diſcipulis in eremo collectis, traditiones humanas & vanitatem cultuum electitiorum diſſvaderet, iisque, ut unicam evangelii regulam ſibi commendatam haberent, inculcaret. Etſi autem, *inquit Nicephorus lib. 8. cap. 40.* præcognitionem futurorum divinam conſecutus erat, nihil admodum tamen eſſe judicabat, futura prævidere: quin &, quod in ea re ſtudium collocaretur, dicebat eſſe vanum. Nec enim virtutem eſſe divinare & prædicere, quæ nondum ſunt, ſicut nec vitium, futura non noſſe: illud unum eſſe beatitudinis, rite DEUM colere, legesque ejus & mandata inviolatè ſervare: ſi cui autem amor futura cognoſcendi inceſſat, puram modo debere animam habere: fu-

turi perſpectionem ultro eſſe conſecuturam, DEO veluti per ſpeculum aliquod cognitionem futuri exhibente. Non abſimilis ei fuit diſcipulus, *Hilarion*, Palæſtinus, quem *Sozomenus lib. 5. cap. 10. & 15. & Hieronymus in vita ejus*, præter virtutem ejiciendi dæmonia, ſcribunt illuminatum fuiſſe donis propheticis. Porro *Spiridionem*, Cyprium epiſcopum, *Sozomenus & Ruffinus* vocant virum ex ordine prophetarum, & multa ejus geſta mirabilia ſuo adhuc tempore ore omnium fuiſſe celebrata teſtantur: adduntque: *Tales in illis adhuc temporibus permulti viri in eccleſiis Domini refulgebant.* *Jacobo* etiam, Niſibeno epiſcopo, Theodoretus in vita ejus donum prophetiæ vendicat: quo etiam inſignis fuit *Nicolaus Myrenſis*, in Lycia epiſcopus, ex concilio Nicæno notus. Ut *Neanias*, poſtea Præcopius dictus, eo pene modo, quo Paulus apoſtolus, cœlitus ad fidem pertractus ſit, & ut eum tormentis ſubjectum Chriſtus cum angelis erexerit, legitur *apud Simonem Paraphraſten.* Quo die fuit cæſus Julianus, ſtatim *Julianus Saba*, inter preces reſcivit eum cecidiſſe, quamvis plusquam viginti ſtativis exercitus abeſſet ab illo loco, in quo vacabat curis pietatis Saba. Fletu enim, quo genas inter deprecandum rigaverat, ſubito repreſſo, ſuis denunciavit, ſuem agreſtem, vaſtatorem vineæ Domini, pœnas exſolviſſe injuriarum erga dominum ſuum, & nunc jacere mortuum, neque amplius ab ejus inſidiis metuendum eſſe, *ut eſt apud Theodoretum lib. 3. cap. 24.* qui ipſe *capite proxime præcedenti, ut & Sozomenus lib. 6. cap. 2.* recenſet, *pædagogum aliquem*, virum eccleſiaſticum, *Libanio Sophiſta*, de Juliani auſis multa ſibi promittenti, divina gratia repletum, prædixiſſe, fabrum univerſitatis (quem fabri filium Libanius per deriſionem vocaverat) ſandapilam concinnare. Didymum etiam, philoſophum eccleſiaſticum, vidiſſe equos albos in aëre diſcurſitantes, & eos, qui illis inſidebant, audiviſſe clamantes: *Annunciate Didymo, hoc die circa hanc horam occiſum eſſe Julianum, & ille hoc Athanaſio epiſcopo ſignificet.* Præterea *quendam amicum Juliani*, cum ad eum in Perſiam properaret, ſive vigilantem, ſive dormientem, conventum apoſtolorum ac prophetarum, de contumeliis imperatoris adverſus eccleſias conquerentium, noctu vidiſſe; quorum duo ſurrexerint, ac feſtinanter ad deſtruendum Juliani imperium properantes, concilium reliquerint: deinde alia nocte reverſi, veluti ex itinere, reliquis annunciaverint, tyrannum eſſe occiſum. *Zonaras tomo III. annalium* refert, *paganum quendam*, ex ordine judicum, cum juxta prætorium excubaret, congeriem ſtellarum in cœlo vidiſſe, quæ literas conformarent in hanc

hanc ſententiam ; *HODIE JULIANUS IN PERSIA OCCIDITUR :* & hunc, cum factum cognoſſet, quod per aſtra ſignificatum fuerat, veram religionem eſſe amplexatum. Sic quoque *Iſaac*, Sozomeno *Iſcaliticus monachus*, Valenti in expeditionem exercitum educenti, niſi furorem Arianum mitterent, denunciavit cladem & exitium. *Theod. lib. 4. cap. 34. Sozom. lib. 6 cap. 40.* Æque memorabile eſt, quod *Sozomenus lib. 4. cap. 16.* ante everſionem regalis urbis Nicomediæ dicit contigiſſe *Arſacio Confeſſori*, natione Perſæ, qui ex milite ac regalium leonum nutritore inſignis factus ſub Licinio confeſſor, relictaque militia in arce Nicomediæ in Bithynia, intra muros, in philoſophia eccleſiaſtica [hiſtoricus vitam monachorum piorum circumſcribit] commoratus, divina viſione juſſus eſt urbe egredi, tanquam mox terræ motu & igni ruitura. Ille admonitione accepta propere percurrens in templum, clericos, ut ſeria ſupplicatione DEI iram averterent, ſtimulavit. Sed ludibrio habebatur, quia afflictionem nunciabat inexpectatam. In turrim igitur reverſus, pronusque in terram lapſus, preces ad Dominum fudit, ut moreretur potius, quam cladi urbis ſupereſſet: eoque habitu deinde, poſtquam urbs opulenta penitus corruerat, & ignis accenſus rogum univerſam, præter turrim, reddiderat, mortuus inventus eſt. Hic usque adeo fuit DEO dilectus, ut dæmones expelleret, & vexatos ab illis liberaret. Celebratior eſt *Johannes*, eremita ſeu anachoreta, quem Theodoſius imperator, in anguſtiis, cum bellum adverſus Maximum gereret, conſtitutus, conſuluit, & DEI ſervum [*ut uno ore juxta Auguſtinum lib. 5. de civitate DEI cap. 26. teſtantur Martyrologium Romanum, Sozomenus, Caſſianus, Eucherius, Nicephorus, Sigonius*] prophetandi ſpiritu præditum, & magnæ pietatis virum, fama crebreſcente proximo Maximi bello didicerat. Plurium quidem *anachoretarum & aſcetarum* paſſim autores meminerunt, qui & miraculis claruere, & de futuris multa præmonuere : ſed cum hæc hiſtoriæ pars multis fabulis interpolata ſit, nolo referre, quæ præter alios *Theodoretus, & Evagrius & ex illis Nicephorus lib. 8. cap. 40. 41. 42. & libro 9. cap. 14. 15. 16. & lib. 10. à cap. 34.* totis decem capitibus ex autoribus fide dignis de monachis, quos ſubinde vocat philoſophantes apud Ægyptios, Syros, Palæſtinos, & alios populos, ſanctam vitam, variis miraculis & patefactionibus divinis coruſcantem, ducentibus, recenſet. Legi ibi poſſunt, quæ opera, DEO miraculoſe cooperante, & ſubinde cœlitus gratiam elargiente, conſignaverint *Amon, Spiridion* [cui *teſte Socrate lib. 1. cap. 12.* promiſſam mortuorum

reſurrectionem, per filiam ejus redivivam, Deus exhibuit) *Nicolaus* in Lycia, *Parthenius* in Helleſponto epiſcopus, *duo Macarii*, *Ægyptius & Palæſtinus*, (quos *Sozomenus lib. 3, cap. 14.* vocat viros divinos, divinaque præſcientia & philoſophia præditos, ac dæmonibus formidabiles, multorumque mirabilium operum ac curationum patratores) *Pachimius*, monachus ad Edeſſam, quem idem Sozomenus dicit & futura prævidiſſe & cum angelis frequenter converſatum eſſe, *Julianus*, cujus vitã variorum miraculorum patratione coruſcam conſcripſit Ephraim Syrus, quique Antiochenos, ex eremo egreſſus, ad orthodoxiam doctrina & miraculis revocavit, *Theophilus Indus*, quem Suidas dicit veluti quandam apoſtolicam imaginem fuiſſe, & mortuum aliquando reſuſcitaſſe, *Hilarion*, *Euthymius*, *Copres*, *Helles*, *Apelles*, *Zoſimas*, *Johannes Chuzicita*, & plures alii quos nominare, nedum copioſe vitam eorum delineare, mei non eſt inſtituti. Id certum eſt, hac ætate, qua Chriſti religio publice in imperio Romano recepta eſt, & paſſim apud alias etiam gentes magna ſumſit incrementa, illuſtres in eccleſia viros floruiſſe, ſuamque præſentiam iis Deum ſæpe extra ordinem conteſtatum. Inter omnes autem quarto poſt Chriſtum ſeculo eminuit *Martinus*, Turonenſis in Gallia epiſcopus, cujus vitam integris duobus libris Sulpitius Severus, diſcipulus ejus deſcripſit: & copioſe recenſuit, quæ miracula ediderit; quæ colloquia cum angelis habuerit; qua ratione dona gratioſa amiſerit, cum iniquis innoxiorum hominum condemnationibus ſubſcripſiſſet; ut denique ſemper fuerint, qui ipſi inanes ſuperſtitiones & phantaſmata viſionum ridicula & deliramenta ſenilia objecerunt. Non omittendum judico, quod apud *Epiphanium lib. 1. tom. 2. har. 30.* legitur: *Hillel*, Judæorum apud Tiberienſes patriarcha, ex evangelicis Chriſtianorum libris Hebraice ſcriptis, fidem in Chriſtum hauſerat, & ſub mortis articulo ab epiſcopo loci, quem ut medicum accerſierat, intra parietes baptiſmo ſacro ablui ſe, clam cæteris curaverat. Viderat id per rimulam quidam ex Judæis, *Joſephus*, cujus tutelæ Hillelis filius Judas commiſſus erat. Perrexit tamen ſuperſtitionem patriam ſectari, quanquam & crucis efficaciam contra veneficia ſenſerat, & veritatis fundamenta in relictis Hillelis libris legere poterat. Tandem in ſomnis ei apparuit Salvator, & ſibi fidem deberi aſſeveravit: cumq; lethali inde morbo correptus eſſet Joſeph, denuo apparens, ſub conditione fidei promiſit ei ſanitatem. Reconvaluit; ſed nihilo ſequius, errores patrios non ejuravit. Correptus igitur eſt altera vice morbo inſperato: & omnes jam ani-

animam egreſſum quærere credebant. Tunc vetulus ex Judæis, qui & ipſe clam ſociis noſtræ erat fidei, ore ad aurem decumbentis admoto, juſſit eum in Jeſum, crucifixum ſub Pontio Pilato, filium Dei ex Maria natum, credere. Chriſtus etiam morituro apparens, ſanitatem, ſi crederet, promiſit. Et reconvaluit ſtatim, ſed nomen cœleſti medico nondum dare voluit. Cœlitus tandem juſſus eſt in fidei augmentum, quod liberet, petere: fore, ut rata eſſent vota. Obſeſſum igitur à cacodæmone Judæus ſeorſim ductum, aqua in caput ejus per crucem ſparſa, juſſit in nomine Jeſu ab hoſte Stygio liberum eſſe. Nec ſic tamen animo, ut tenebras ſuperſtitionis diſcuteret, imperare poterat. Tandem in Siciliam miſſus, cum evangelicos libros diligentius evolveret, deprehenſus in hac pietate à ſynagoga ſua, decretam mortis pœnam ſubiit, & non ſaltem plagis eſt affectus, ſed & in fluvium Cydnum conjectus. Etſi autem jam ſubmerſus putabatur, evaſit tamen, & nomen Chriſti publice confeſſus, eo dignitatis à Conſtantino imperatore evectus eſt, ut, titulo comitis decoratus, poteſtatem acciperet, paſſim in Judæa templa pro Chriſtianis erigendi. Quæ cum ipſe Epiphanio, teſti omni exceptione majori, retulerit, digna nobis viſa ſunt, quæ hic adſcriberentur. Tranſimus ad QUINTUM SECULUM, in quo donum propheticæ permanſiſſe, & in ſanctis viros fuiſſe, purum & clarum mentis ſenſum habentes, qui multa de futuris prænovere & prædixere, *teſtis eſt Theodoretus in caput ſecundum Joëlis.* Teſtis etiam eſt *Auguſtinus in memorabili ad Eradium epiſtola*, digna, quæ de hac materia legatur. *Severinus* imprimis circa Danubium, omnia mala, quæ à Rugianis inſtarent, prædixit civitatibus. A quibus ſancti viri admonitiones irriſæ non ſunt, illis rectius conſultum fuit, ut *Egippius*, qui eodem cum illo tempore vixit, luculenter teſtatur. *Paulinus*, Nolæ epiſcopus, Gunderico Vandalorum regi, & Johanni epiſcopo Neapolitano mortem denunciavit: vir pientiſſimus, qui ipſum ſe ſervituti Vandalorum mancipavit, ut viduæ filius liberaretur, ceu autores fide digni de eo teſtantur ex Uranio ejus familiari. Superſunt aliquæ ejus epiſtolæ, in quarum altera, quæ libri quarti eſt, recenſet, ut *Valgio ſeni*, cum ſoli XXIII. diebus in navi cum fluctibus maris colluctandum eſſet, Chriſtus ipſe cum angelis ſubſidialem operam præſtiterit. Somnium *Monicæ* non recenſebo. Fecit id ejus filius *Auguſtinus lib. 3. confeſſ. cap. 11.* In SEXTO SECULO jam traditiones humanæ nimis invaleſcebant, & ſuperſtitio paſſim perſvaſionibus promovebatur, ut merito multa, quæ ex variis autoribus allegari poſſunt, ad debitos cha-

racteres prius revocanda & examinanda ſint, quam ab inſpiratione divina proceſſiſſe credantur. De Longobardorum adventu in Galliam prophetavit *Hoſpitius*, ut eſt apud *Gregorium Turonenſem lib. 6. cap. 6. & 7.* Totilæ Gothorum regi fata ſua prædixit *Benedictus Abbas* in Italia, quem virum apoſtolicis virtutibus præditum ipſe imperator Juſtinianus in admiratione habuit. Huic imperatori expeditionem in Africam fore felicem, prædixit aliquis ex ſacerdotibus, ut legere eſt apud *Procopium lib. 1. de bello Vandalico.* Ex *Gildæ Albanii fatidicis carminibus*, quæ de futuris cladibus ſcripſit, ſuperſunt hodienum fragmenta. Quæ de *S. Remigii* vita, variis miraculis refulgente, cum alii, tum Hieronymus ſcribit, iis & aliis multis ſuperſedeo. In SEPTIMO SECULO ob denunciata futura extollit Beda *Chunibertum & Johannem*, Hagulſtadenſes; *Furſeum item & Aidanum.* P. Diaconus commendat *Paulum, Gregorium & Calligraphum*; Vincentius *Aribertum*; alii *alios*, ut *Tajonem*, *Simeonem Stylitam*, *Aldegundin*, *Johannem Eleemoſynarium*, *Cutbertum*: de quibus quæ in vitis Patrum leguntur, ſic legi debent, ut quæ vel ſuperſtitionem olent vel relationis vanitatem, autoribus remittantur. Nec taceri debet, quod Sigebertus in chronicis refert, *nauclerum*, ſub pontifice Sabiniano, cum pauperculus ab eo eleëmoſynam peteret, juſſiſſe, ut petere ceſſaret, quia nihil veheret, niſi lapides: & ad imprecationem pauperis omnia in navi converſa in lapides. In OCTAVO SECULO lumen propheticum centuriatores Magdeburgici adſcribunt *Baudolino*, *Theclapio*, *Bonifacio*, *Joannicio*, *Taraſio*; Surius *Gutblaco*; Beda *Wilfrido*. Sed his tandem miſſis, ad hiſtoriam hæreticorum accingendi ſumus.

XXX. Ut igitur, quod ſupra feciſti, in hac quoque eccleſiæ ætate hæreticos in certas claſſes redigas, primo de PSEUDOCHRISTIS dicas velim.

Occurrit hinc initio *ille in Galliis*, quem ex *Gregorio Turonenſi & Henrico de Erphordia Magdeburgenſes Centuria 6. cap. 3. & 5.* teſtantur anno X. Mauritii; nati Christi IↃXCV. ligna in ſilvis cædentem, adeo muſcis infeſtatum fuiſſe, ut per biennium amens haberetur: ſub ſingularis tandem religionis ſimulatione pſeudoprophetam & Chriſtianorum hoſtem factum, magicis artibus, morborum curationibus, futurorum prædictionibus, multis ſtuporem injeciſſe: Chriſtum ſeſe, & mulierculam quandam Mariam ſuam matrem vocaſſe; & ad cultum atque adorationem ſe & illam proſtituiſſe. Quem honorem qui ei denegarunt, eos ſectariorum auxi-

auxilio, quorum magnam copiam ultra ter millia congregaverat, graviter afflixit. Tandem à quodam viro, ad tantas fraudes indignante, interfectus, ſectatores diſperſos reliquit. Conſimilem hiſtoriam de alio quodam Burdegalenſi *Deſiderio* narrat *Gregorius Turonenſis lib 9. hiſt. c. 6.* qui, cum magica arte hominibus impoſuiſſet, ſeque Chriſtum aſſeruiſſet, & abſtinentiam, quam præ ſe tulit, ingluvie clam compenſaſſet, dolo tandem cognito, urbe exactus eſt. Hos verò & omnes alios nomen Chriſti mentitos, multis poſt ſe paraſangis reliquerunt *duo illi in oriente & occidente Antichriſti*, qui caput ſupra omnia efferentes, gloria Chriſti ſibi impie rapta, ipſum in membris ſuis Chriſtum oppugnare nunc tandem cœperunt.

Joh. Damaſc. de hæreſ. Paul. Diac. Hiſt. Miſcell. lib. 18. c. 58. & ſeqq. Nicet. in Biblioth. Patr. Tom. 2. Theophan. in Heraclio. Cedren. pag. 346. ſeqq. Platina in Honorio. Abul. Pharaj Dynaſt. 9. p. 101. ſeqq.

ANTICHRISTUS ORIENTALIS, MACHOMET, patrem gentilem habuit Abdallam, Arabem Iſmaëlitam, quem aliqui nobilem ex Koreiſchitarum idolis deditorum familia; nonnulli pauperculum fuiſſe aſſerunt, & matrem Heminam. Jathribæ, in Arabia deſerta, in vico non procul à Mecha diſſito, natus patre duobus menſibus ante ipſum editum defuncto; matre autem ſexennio poſt extincta, ab avo primum Abdolmutlebo; & illo quoq; poſt biennium defuncto, à patruo Abutalepo eſt educatus. Dicunt, eum Judæo cuidam mago & aſtrologo Solano, qui eum imperio & lege fore magnum prædixerat, in diſciplinam traditum, præter magicas artes fundamenta fidei didiciſſe ex Chriſtianorum pariter & Judæorum libris. Sed alii eum in juventute nihil aut parum literarum didiciſſe, ſed ſtatim opulentæ fœminæ Chadigæ operam in tractandis mercibus mercenariam addixiſſe dicunt, à qua etiam anno ætatis XXV. in torum ſit aſſumtus. Opulentior factus, homo aſtutus, cum videret, totum orbem in religionum diverſitate & tanto hæreticorum numero ſuſpenſum teneri, aliis alios doctores ſequentibus: ſecundum aliquos, præter prænominatum Judæum, præceptorem adhibuit Johannem Antiochenum Arianum, Sergium exulem Neſtorianum, & Barram Perſam Jacobitam ſeu Eutychianum. Alii dicunt, cum diverſis in itineribus diverſas populorum religiones exploraſſet, Hieroſolymis incidiſſe in *Bahiram Neſtorianum*: qui aliquid ex ſacris literis illi prælegerit. Deteſtatum hinc ſimul Judæos & Chriſtianos, cœpiſſe deliberare, *quomodo Arabibus ſuis, cultui idolorum adhuc deditis, talem religionem perſvaderet, quæ nullas admitteret diſſenſiones*: novam igitur legem, quam vocavit ALCORANUM, ex Judæorum, hæreticorum & ethnicorum cœno conquiſitam compoſuiſſe, eamque ſimulatis viſionibus confirmaſſe. Quotieſcunque

enim

enim in morbum epilepticum, cui obnoxius erat, incidit, finxit ſe cum archangelo Gabriele colloquia habere, & columbam, quam aſſvefecerat, ut humeris ſuis inſidens grana ex aure legeret, quoties advolabat, Spiritum eſſe ſanctum dixit. Interim pectus ejus hac ratione patuit cacodæmonibus, qui animum faſtuoſum, cui novam religionem excogitare & ſibi autoritatem conciliare placuit, facile inſidere, & raptibus fanaticis eidem imponere non minus potuere, quam quondam Simoni mago & aliis pſeudoprophetis. Ipſe, cum rudis literarum eſſet, alloquia varia, quæ jactabat ſibi cum Gabriele angelo eſſe, curabat in ſchedis variis opera amanuenſis ſic confici, ut tanquam hythmi quidam decantari poſſent, & ſpeciem haberent verbi divini. Collectæ illæ ſchedæ venerunt poſtea nomine *Alcorani.* Potentia autem ſibi partim per latrocinia, partim per matrimonia opulenta (nam ultra XL. uxores, interque eas nonnullas ditiſſimas duxerat) ſtabilita, per tres ſoceros Abubecrum, Omarem, & Otmannum, generumque & agnatum Hali, impetravit, ut Saraceni (non à Sara uxore Abrahami dicti, ſed à סָרַק id eſt, ab inani ſeu vacuo, viri pauperes, agreſtes, in locis horridis ex rapto in Arabia viventes, vel à Scherk i. e. oriente) blaſphemiam noviter excogitatam primum reciperent, & poſt eos Ægyptii etiam, Syri, & totus fere oriens Nam A.C. IↃCXXII. XVI. Julii, (unde HEGIRAS & epochas ſuas Turci ſupputant) cum complicibus ſuis ex Mecha pulſus quosvis obvios in ſuam ire ſententiam coëgit, & quos invenit ſibi vel armis vel opinione adverſos, eos aut trucidavit, aut in miſeram ſervitutem abripuit. Tandem monſtrum hoc, decimo Hegiræ anno, anno ætatis LXIII. à ſuo diſcipulo Albunore, divinitatem præceptoris exploraturo, veneno eſt ſublatum, &, ceu dicunt, à canibus laceratum, aut, quod alii volunt, morbo violento periit, & cadaver ejus arcæ ferreæ incluſum, in Mecha à toto oriente colitur. Hic ἀλάςωρ, quos habuit conſentientes, vocavit *Muſulmannos* vel *Muſlimos*, quaſi fideles & credentes: ſeq; eorum *Calipham* ſeu *Emirem* i. e. ſummum ſimul pontificem & regem conſtituit, & per *Sultanos*, quaſi præfectos & viceregēs, ſubactas provincias rexit. Cum *Elxai, Cerintho & aliis Paradotis* ſua ſcripta, tanquam ex cœlo lapſa, per Deum angelosq; ſibi revelari finxit, eaque, quæ interdum ex S. Scriptura addidit, fabulis deformavit: *cum Sabellico* Trinitatem negavit: *cum Anthropomorphitis* Deo & angelis membra & corpus affinxit: *cum Ario, Ebione, & aliis hæreſiarchis* Chriſtum eſſe Deum & Dei filium negavit: prophetam & ſanctum ex Spiritu S. conceptum & ex virgine natum, conceſſit: cum

Mar-

Marcione & Manete eundem non eſſe paſſum, ſed corpus phantaſticum, quod cruci affixum ſit, ſubſtituiſſe aſſeruit: *cum Menandro & Simone* ſe Salvatorem mundi & maximum omnium prophetam venditavit, qui, quod ſuperiores prophetæ, Moſes, David, & Jeſus nequiiſſent, efficeret: *cum Baſilide, Valentiniano, Archonticis & Gnoſticis* monſtroſas opiniones de productione cœlorum, numero intelligentiarum, generali DEI providentia, angelorumq; officiis & cultu, deque diabolorum creatione evulgavit: *cum Origeniſtis* diabolos tandem ſalutem conſecuturos blateravit: *cum Pelagianis* Dei legem non eſſe ſupra vires noſtras, ſed levem; meritisq; operum nos ſalvari docuit: *cum Traditionariis* Moſen non omnia ſcripſiſſe, ſed plura in abſconditis tradidiſſe, nec patribus omnia enodaſſe. *azoara XVI.* tradidit: *cum Novatianis* gratiam à lege Alcorani deficientibus negavit; *cum Judæis* circumciſionem retinuit, divortia conceſſit, carnes porcinas prohibuit, ciborum diſcrimina introduxit, lotiones & plures ceremonias legales retinuit, & varias fabulas de cœlo, paradiſo, & inferno jactitavit: *cum Donatiſtis* amore Dei prædari juſſit: *cum Monachis* peregrinationes ad loca ſacra commendavit, & jejuniis certis ſalutem quæſiit: *cum Catharis* DEUM, ut homines poſt adeptionem fidei errent, permittere *azoara X.* negavit: *cum Prædeſtinatianis* Deum ita quosdam velle errare dixit, ut non poſſint veram vitam invenire: *cum Pontificiis* pro mortuis orare *azoara XIX.* juſſit; purgatorium *azoara XXIX. XXXIII. & XLVI.* aſſeruit; contra decreta ſua diſputantes *azoara V. & XII.* excommunicavit & armis ſubegit: ſeipſum tanquam Papam ſupremum & Dei vicarium omnibus præfecit; una tantum lingva, qua Pſeudopropheta uſus eſt, nempe Arabica, ſacra adminiſtrare juſſit; Monachorum, quos *Dervis* appellant, ordines inſtituit; ſe & nonnullos ſanctos adorandos proſtituit, *Sedichaſi* patronum belli, *Harſchipeteeh* peregrinantium, *Aſchikpaſſa* conjugum, *Vanpaſſa* pacis, *Goi & Bartſcumpaſſa* pecudum: *cum Montano* plures uxores duxit & ducere conceſſit: *cum Chiliaſtis* Chriſtum ante judicium extremum rediturum, &, Antichriſto interfecto, omnes Judæos converſurum docuit: *cum Philoſophis Pythagoricis* dixit numeris quædam ineſſe myſteria: cum *Tatianis* vini uſum prohibuit: *cum Cerinthianis* vitam æternam in voluptatibus corporis definiit: *cum Priſcillianiſtis* per creaturas juravit: *cum Orthodoxis tandem* (ne prorſus ἄθεος & impius videretur) nonnullas leges ſalutares retinuit, unum Deum credidit, imagines non adoravit, ebrietatem, adulteria, uſuras & furta prohibuit, & rigidioribus, quam apud

nos ſit, pœnis coërcuit. Moriturus impoſtor, *Halyn generum* in Caliphatu juſſit ſuccedere. Sed tres ejus ſoceri *Abubecrus*, *Omar*, & *Osmanus*, illo deturbato, per XXIV. annos ordine ſummum inter Arabes & Saracenos uſurparunt imperium. Tum demum Haly ad regnum pervenit, & longe aliter Alcoranum interpretatus eſt, quam fecere tres ejus antecesſores. *Illius* interpretationem ſeqvuntur hodie Perſæ; *horum* Turci & Syri. *Perſis* idem eſt rex & pontifex: *Turcorum* rex ſacra non adminiſtrat ipſe, ſed ea committit Muphti, pontifici ſummo. Scindebatur tractu temporis ſumma Saracenorum poteſtas *in duos Caliphatus*: quorum unum *Bagdeti* ad confluentiam Euphratis & Babylonis geſſere poſteri Abubecri; alterum adminiſtravere *Alcairæ* ſeu *Memphi* in Ægypto & Africa poſteri Halys. Caliphatum Alcairenſem ſeu Memphiticum ſuſtulit Anno 1173. *Saladinus*. Babylonicum ſeu Baldacenſem centum poſt annis *Tartari* Anno 1258. ſuſtulere, quorum pars *Turci* ſunt. Interea emerſit *Caliphatus Cordubenſis* in Hiſpania; *Feſſanus* in Africa occidentali; *Carvanus* in Africa orientali: ex quibus ſolus Feſſanus hodie ſupereſt nomine Caliphatus mutato in Xeriphi. Qui autem inter Machometanos in Turcia, Perſia, Tartaria & India rebus præſunt, nomine regum veniunt, niſi quod rex Perſarum ſimul ſacris & profanis præeſt, & *Siec* ſeu *Sofi* dicitur, quaſi ſanctus & ſapiens. Cæterum hæc Machometana ſuperſtitio tanta ſumſit incrementa, ut, ſi ſecundum Brerewodum in ſcrutinio religionum orbem in XXX. partes æquales diviſeris, Chriſtiani obtineant tantum quinque partes ex eo; Machometani ſex; idololatræ reliquas XIX. partes.

Balduinus in Diatr. Theolog. de Anti-Chriſto. Gabr. Barlietti ſuſpicio de Anti-Chriſto. Joh. Coccei Repetitio locor. qui de Anti-Chriſto agunt. Paræi demonſtratio Anti-Chriſti.

ANTICHRISTUS OCCIDENTALIS, PAPA. homo ille peccati, & filius ille perditionis, qui *II Theſſ. II, 4.* magno faſtu in templo DEI ſedet, ſibique dominatum in univerſam eccleſiam Chriſti & omnem poteſtatem in cœlo, terra, inferno, tanquam judex univerſalis errare neſcius, adſcribit: ἀντικείμενος ille, qui jactatis traditionibus & inventis humanis, adverſatur veritati, ſuamque autoritatem ipſi ſacroſanctæ Scripturæ præfert, & meritum Chriſti ad ſanctos & angelos confugiens, hominumq; naturæ & arbitrio nimium adſcribens, extenuat. & ſacramenta aut mutilat aut deformat: qui *I. Tim IV.* matrimonium & cibos, voto continentiæ ſacerdotibus imperato, & licentia veſcendi cibis permiſſis ſublata, impio auſu prohibet: qui *II. Theſſ. II, 4.* adverſus omnem, qui dicitur Deus aut numen, ſeſe tanquam imperatoribus & regibus ſuperiorem, & à poteſtate ſecularis magiſtratus exemtum, effert: qui *Dan. XI.* Deum Mahuzim, non

repu-

reputato patrum ſuorum Deo, Jeſu Chriſto, cujus verbo audacter contradicit, ſuper baſi ſua glorificat, & tentoria palatii ſui inter maria figit, id eſt, ſacrificium Miſſaticum Romæ, tanquam in caſtro aliquo, nullo jure non aliter ac monarcha quidam eccleſiæ, ſedens, omnibus, inſtar idoli cujusdam colendũ proſtituit, aut, *ut Philippus Nicolai cap. 6. de Antichriſto interpretatur*, ſuam cathedram, omnemq; ſuam fictam poteſtatem, ficto ſuo numini Petrino fert accepta: inq; illa poteſtate, quam mentitur ſe à Petro accepiſſe, terram pretio dividit, jurisdictionem in omnes epiſcopatus ſibi vendicat, & theſauros mundi venatur: qui porro *Apoc. IX. & XVII.* tanquam ille infernalis Apollyon & Abaddon de cœlo lapſus, & ad ſtudium rerum terrenarum converſus, & ſponſus ille Babylonis ſepticollis, ex abyſſo prodeuntis, matris omnium ſpiritualium ſcortationum, clavem abyſſi habet: regibus populisq; terrarum calicem libidinis & abominationum ſuarum propinat: poteſtatem juris immenſi, imo omnipotentiam, per infernalem illam abyſſi clavem ſignificatam, ſibi in cœleſtia, terreſtria & infernalia arrogat, omnes ab eccleſia Romana (quæ tamen à Chriſto, ſponſo ſuo, verboque ejus ad hagiolatriam, iconolatriam & infinitas ἐϑελοϑρησκείας defecit) diſſentientes damnat: ſuis ſucceſſibus confiſus, de ſede ſua Petrina, ceu vocant, & præeminentia apoſtolica gloriatur: miſeros mortales miſere decipit, & ſanguine martyrum ebrius titubat, *Apoc. XVII. 8.* Hunc tandem *Dan. XI. & II. Theſſ. II.* epiſcopis orientalibus, nonnullisque Germaniæ imperatoribus & teſtibus veritatis, paſſim ex ſeptentrionalibus oris excitatis, & impietati ejus nunquam non contradicentibus, fama ſive clamor ab oriente & ex aquilone turbatum, Lutherus noſter, tertius ille Elias, gladio oris Chriſti ſpiritualiter confecit, & Chriſtus tandem noviſſimo die penitus abolebit. Hic, inquam, Papa Romanus in numerum Pſeudochriſtorum merito refertur. Nam *primatu ſibi ſtabilito*, & *canone Miſſæ abſurdiſſimo* diverſis temporibus à diverſis conſarcinato, nec ante quingenteſimum annum à nato Chriſto in eccleſia cognito, à Gregorio autem, vel paulo ante Gregorii tempora, recepto, & poſtmodum neſcio à quibus aucto, omnes theſauros mundi, omnemque poteſtatem ad ſe per ſuos mercatores rapuit, *nundinatione* uſus *nova*, qua pecuniæ interventu omnia veneunt, &, *juxta illud Mantuani:*

> *Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,*
> *Ignis, thura, preces, cœlum eſt venale, Deusq;.*

Et quo plures anni numerati ſunt, eo plus ſuperſtitionum & ceremo-

niarum peperit Romana Babylon: & quanto plus non neceſſariorum rituum adjecit, tanto plus veteri ſimplicitati detraxit. Ex ſacrificiis enim laudis fecit *expiationes peccatorum per antiſtitem*, & ex funebribus orationibus aut gratiarum actionibus pro pie defunctis conſtituit *ſacrificia pro defunctorum redemtione*. Quo ipſo precum abuſu incendit deinde & ſuffl ivit *ignem purgatorium*. Et acceſſerunt ſpiritus nequam & impoſtores, qui per oracula illicita & prohibita prædicarunt miram *ſacrificii miſſalu* virtutem. Illud enim, laicis raro ad communionem cœnæ admiſſis, quotidie in monaſteriis & templis celebrabatur & pro expiatione peccati tam vivorum, quam mortuorum haberi cœpit. Sic tandem divitiis eccleſiæ excreſcentibus, *pro epiſcopis ſubſtituti ſunt principes*: principibusq; & dominis, quibus jure divino & humano ſubditi ſumus univerſi, legitima poteſtas aut prorſus eſt ablata, aut adeo diminuta, ut ſub tyrannide pontificia ſe preſſum orbis ipſe videat & ingemiſcat. Interim ecce quæſo pontificem Romanum, hæreticum omnium maximum, impudentiſſimum, ſummè abominabilem! *Cum Phariſæis* cultum Dei in nundinationē vertit, traditiones jactat, vitam hypocriticam agit, juſtitiam legis ſectatur; *cum gentilibus & idololatris* Deos tutelares, & heroas ſeu ſemideos, i.e. ſanctos, quos in variis neceſſitatibus invocet, habet, ſtatuas adorat, operibus cum moralibus, tum poriſſimum ceremonialibus, ſalvari cupit, feſta varia & varias circuitiones gentilitiis ceremoniis celebrat, animas mortuorum circa tumulos oberrare fingit, purgatorium aſſerit, ſimpliciter ſuis doctoribus, quia Biblia ſint imperfecta & obſcura, credendū eſſe ſtatuit, veritatis agnitionem plebi invidet: cum *Machomete* ad ſua dogmata diſſeminanda excōmunicatione & armis utitur, peregrinationes ad ſacra loca cōmendat, monachis delectatur, pro mortuis, quos in purgatorio eſſe putat, orat, una tantum lingva, qua utuntur Romani, ſacra adminiſtrare jubet, ſe vicarium Dei jactitat: *cum Simonianis* res ſacras & ſpirituales vendit, coram imaginibus procumbit, traditionibus magis quam ſcripturæ innititur: *cum Cataphrygibus*, *Saturninis*, *Montaniſtis*, *Encratitis*, *Abelianis*, *Euſtathio* & *Apoſtolicis* hæreticis, matrimonium clericis & certos cibos prohibet; *cum Heracleonitis & Marcoſiis* extremam unctionem morientibus confert: cū *Helceſaitis & Oſſenis* ſacra ignota lingva peragit: *cum Marcionitis* per Chriſti deſcenſum ad inferos animas quaſdam, ſive ex inferno, ſive ex purgatorio, liberatas aſſerit: *cum Catharis & Novatianis* de operum ſuorum meritis gloriatur, & dubitationem de ſalute ſtatuminat; *cum Manichæis* jejunium in ciborum delectu ponit, una ſpecie cœnæ uten-

utendum eſſe edicit, ſcripturam eſſe corruptam, & plura, quam in ſcriptura ſunt, Spiritum S. apoſtolos docuiſſe, aſſerit: non eſſe peccatum, quod voluntarium non eſt, docet: in electis ſuis, i.e. in ſacerdotibus nuptias criminatur, jus ſcripturam pro lubitu interpretandi ſibi tribuit. *Cum Donatiſtis* eccleſiam ſine peccato eſſe dicit, & ſacramentorum vim à miniſtri dignitate ſuſpendit, catholicamque eccleſiam particularem facit: *cum Audianis* omnium peccatorum confeſſionem urget: *cum Meſſalianis & Eutychianis* ſe & ſuos clericos ſolos ſpiritutales nominat, & horas canonicas nocturnas cum inſigni βαττολογίᾳ obit: *cum Nudipedalibus* monachos nudipedes emittit: *cum Priſcillianiſtis* confundit libros apocryphos cum canonicis, & revelationes ad dogmata impia ſtabilienda jactat: cũ *Collyridianis* Mariam virginẽ colit: *cum Pelagianis* libero arbitrio nimium adſcribit, peccato originali nimis extenuato, & ſuis meritis merito Chriſti aſſutis: *cum Marcitis* transſubſtantiationem in cœna introducit: *cum Circumcellionibus* eos, qui non ſunt ſuæ ſectæ, occidit, aut vi ad eam profitendam cogit: *cum Sampſæis* reliquias ſanctorum colit: *cum Angelicis* angelos adorat: *cum Archonticis* incertos eorum ordines fingit: *cum Pattalorynchitis* ſilentium ſuis quibusdam monachis imponit, vel ſaltem concedit: *cum Hemerobaptiſtis* ſe indies lavat, vel ſaltem aqua luſtrali conſpergit: *cum Ethnophronibus* gentium inſtituta non pauca ſequitur: *cum Gnoſimachis* ſtudium ſcripturæ in laicis non probat, & fidem ſimplicem laudat: *cum Arianis* indirecte per ſacrificulos filium Dei creaturam efficit, cum panem in carnem ejus mutari aſſerit: *cum Neſtorianis* unionem duarum in Chriſto naturarum per ſuſtentationem naturæ humanæ in filio Dei definit; nec vult per Jeſuitas concedere, quod Chriſto, ut homini, ſint realiter data axiomata divina: *cum Armeniis Staurolatris* crucem adorat: *cum Baſilidianis & Carpocratianis* imaginibus & incantationibus utitur: *cum Paradotis* ſua placita Scripturæ præfert, & evangelicos per contemtum Scripturarios vocat: *cum Gnoſticis* obſcuritatis eadem accuſat: *cum Arianis* illas laicis prohibet: *cum Baſilidianis & Valentinianis* myſteria ſua propalari vetat: *cum iſtis hæreticis, quos Athanaſius Tom. 2. pag. 271. confutat*, illis, quæ dicit, ſimpliciter vult credendum, nec conſiderandum, quid conveniat, & quid non conveniat: *cum Mirabilariis* veritatem fidei vult miraculis docere. Summa: A Chriſto miſeros mortales avocat, *uti ex pulcerrimo Matthiæ Flacii Illyrici diſcurſu patet*: Miniſtri Antichriſti, *inquit ille*, docent, Chriſtum juſtificare nos tantum prima vice in baptiſmo: ibi nos indui alba veſte: poſt quod tempus ſi denuo pec-

caverimus, amiſiſſe nos aiunt candidam illam ſtolam: navem, id eſt, vim ac beneficium baptiſmi à nobis fractam & amiſſam eſſe: quare tabellam pœnitentiæ arripiendam, ſi evadere ex naufragio velimus. Sic nos ab evangelio ad legem traducunt, dicentes, oportere nos habere ſufficientem pro magnitudine peccatorum contritionem (*quod impoſſibile eſt*) ſufficientem omnium peccatorum & circumſtantiarum confeſſioné, (*quod itidem impoſſibile*) ſufficientem denique ſatisfactionem: Chriſtum quidem ſatisfeciſſe pro peccatis ante baptiſmum; pro peccatis verò poſt baptiſmum debere nos ipſos ſatisfacere: non poſſe autem id fieri per obedientiam decalogo præſtandam, nam eam nos alioqui debere: facienda igitur eſſe opera non debita, nec à Deo præcepta. Atque ita ab evangelio & à lege ad mandata hominum eccleſiam Chriſti transferunt, ut ſunt cœlibatus, voluntaria paupertas, peregrinationes, battologiæ prolixarum precularum, flagellationes, jejunia, aliæque voluntariæ ſeu ſua ſponte ſuſceptæ cruciationes & caſtigationes corporis. Quod ſi nos ipſi ſatisfacere & hæc præſtare non poſſumus, aut etiam nolumus, nihil referre, modo adſit pecunia: alios pro nobis ſatisfacturos: adeſſe etiam ſanctiſſimum patrem Papam, vendentem pleniſſimas indulgentias & ampliſſimas bullas: adeſſe ſanctos, Franciſcum, Dominicum, infinitos alios, quorum interceſſione à monachis empta ſalvari poſſimus: adeſſe varios ſpirituales vendentes Miſſas & exequias, quibus næniis haud dubie ſint nos ex purgatorio erepturi: adeſſe multos greges monachorum & monacharum, qui habeant innumera opera ſupererogationis: ea ſi nobis vendant, in noſque ea effundant, non eſſe ullum dubium, quin protinus ſimus recta in cœlum evolaturi: quin etiam induere cucullam vel ante vel poſt mortem, mundare peccatores, ut primum eos baptiſma mundaverat: adeſſe aquam & ſalem magicè ſacrata, quæ deleant delicta, fiantque aſperſis ſalus & vita: adeſſe cereos, Agnos Dei, ſacratas herbas, candelas, & mille alia remedia & vias evadendi inferos, & intrandi regnum cœlorum: ultimum remedium eſſe purgatorium ignem, in quo cum ſatis excocti, & purgati, & ab omni pondere ſordium mundati erimus, neceſſario ſimus in regnum cœlorum ſubvolaturi: contra diabolum pugnandum præcipuè charactere crucis & aqua benedicta: Papam eſſe caput eccleſiæ: eſſe mixtum ex Deo & homine: habere poteſtatem in cœlo, terra, & purgatorio: errare non poſſe: omnes quidem obedire ei debere, ſi ſalvi eſſe velint: ipſum vero à nemine reprehendi debere, etiamſi innumerabiles populos ſecum in exitium æternum catervatim

tra-

traheret. *Diſt. XL. Ca. ſi Papa.* Hac ratione Antichriſtus miſeros homines, à Chriſto unico mediatore & ſervatore, ac à lege divina, non tantum ad merita homuncionum, ſed etiam ad certa loca, oſſa, veſtes, neſcio quorum cucullas, unctiones, aquas, ſales magice conſecratos, aliaque inaniſſima & vere mortua elementa mundi, ac Ægyptiacis & ethnicis Diis nihilo meliora, turpiter, ſcelerate, & in ipſorum exitium ac Chriſti contumeliam abduxit. *Hactenus Illyricus:* in cujus verbis allegandis, adeoque ipſo Papa deſcribendo, ſi more noſtro prolixiores fuimus, cogitet unusquisque abyſſum abominationum in Papatu: quam neceſſario detegere vel hac opella voluimus, præſertim qvum in ſequentibus eccleſiæ ætatibus non tam errores ejus in doctrina, quam furores & tyrannides in regnis turbandis & ſeculari poteſtate ad ſe rapienda detecturi ſimus.

XXXIV. Nunc ſane cognoſco tandem, te non ſine cauſa Papam hæreticorum omnium maximum, impudentisſimum, & ſumme abominabilem dixiſſe. Sed num etiam fuerunt Gnoſtici impuri in his hujus ætatis eccleſiæ ſeculis?

Hic primum invenio *Aëtianos*, quorum deinde mentionem faciam, qui *feruntur ab Auguſtino hæreſi LIV.* adeo fuiſſe bonis moribus inimici, ut aſſeverarent, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illis docebatur, fidei particeps eſſet. Occurrunt deinde *Archontici*, qui Petrum quendam, monachum Palæſtinum & Anachoretam nacti præceptorem, ex Valentiniana hæreſi ἄρχοντας, illos ſecundarios deos, à quibus mundus ſit conditus, in ſcenam iterum produxerunt, turpitudinem ſtuprorum cum ſuo dogmate conjunxerunt, carnis reſurrectionem negarunt, libros V.T. fusq; deque habuerunt, diabolum eſſe filium Dei Judaici, non Dei Chriſtianorum, & ex Eva generaſſe Cainum & Abelem, utrumque à Deo reprobatum, crediderunt, ſacramentorum uſum damnarunt, &, quia vaſa ſacramentis deſtinata confringebant, *Aſcotbryptæ* etiam dicti ſunt. Præter eos *Luciferiani*, à Lucifero epiſcopo Sardiniæ dicti, *ſecundum Hieronymum in dialogo adverſus Luciferianos* mundum diaboli opus eſſe, & animam ex carne educi, carnisque ſubſtantiam eſſe docuerunt. *Priſcillianiſtæ* ſomniarunt, mundum à maligno angelo, tanquam deo, conditum eſſe; eundem Deum jam patrem, jam filium, jam Spiritum dici; animas,

Auguſtin. Epiphan. &c. de Hæreſib.

uno

uno tempore conditas eſſe & habere eſſentiam divinam; ab aſtris nos penitus regi, ut illis cogentibus inviti peccemus; conjugia eſſe ſcortationes licitas, ſanctis deteſtandas; prophetas fuiſſe fanaticos, veri DEI ignaros; perſecutionis tempore licere mentiri, & verbis in aliorum ſententiam ire, juxta illud Priſcillianiſticum: *Jura: perjura: ſecretum prodere noli.* Ubi notandum, *Priſcillianum* fuiſſe epiſcopum Gallæciæ in Hiſpania: qui cum hæreſin Gnoſtico-Manichæam videretur incruſtare, *Ithacius* & *Urſacius* acriter reſtitere: factumque eſt, ut Priſcillianus damnaretur in ſynodo Toletana. Provocabat ad Maximum, Cæſarem paganum. Sed Ithacius rem eo adegit, ut ſupplicio ultimo, Cæſaris ſententia, afficeretur. Primum hoc exemplum, quo ob religionem quis occidebatur, deteſtati orthodoxi, excommunicabant Ithacium ob diritatem, & communione cum eo abſtinebant, *ipſeq; Ambroſius in epiſtola ad Studium*, truculentiam Ithacii carpebat. Sed patrocinium invenit apud Maximum: unde factum, ut plures ex ipſius adverſariis necarentur, & reliquis magna clades immineret: quam ut deprecaretur S. Martinus, communicavit cum Ithacianis, ſed ob id donum prophetiæ amiſit, ut in ejus vita apud Severum Sulpitium legi poteſt. Inventi porro ſunt, qui dicti *Patriciniani*, putarunt, ſubſtantiam carni humanæ à diabolo conditam & morte nonnunquam ſibi illata, carne carere voluerunt. Quorum diſcipulos Philaſter vocat *Symmachianos*, qui non ſperantes judicium ſeu reſurrectionem carnis, vitiis carnalibus prædicabant ſerviendum. Interim more Phariſæorum viventes, præter baptiſma, circumciſionem etiam Judæorum adhibuerunt, ea etiam de cauſa *Nazaræi* appellati. *Paterniani* à Paterno, *Venuſtiani* à Venere, dicti à Damaſceno ἠθικοπερσκόπται, id eſt, morum & honeſtatis irriſores, inferiores noſtri corporis partes, non à Deo, ſed à diabolo eſſe creatas, ſtatuerunt, & ob id omnibus vitiis voluptatibusque habenas laxaverunt, & animam, quam in pectore & cerebro habitare putarunt, mundam, uti putabant, ſervantes, pubem, etiamſi omnibus flagitiis polluatur, ad ſuam curam negarunt pertinere. Refer huc *Adrumetinos monachos in Africa*, qui Deum ajebant ſine reſpectu ad peccatum vel fidem vel ad interitũ vel ad ſalutẽ nos condidiſſe, & ſic de prædeſtinatione diſſerebant, ut negarent, reprobis pie viventibus prodeſſe bona opera, & electis impie viventibus obeſſe mala: quaſi omnes pendeamus ab abſolutis prædeſtinationis decretis. Quæ aſſertio & bonos ab operibus bonis avocat, & malos ad mala provocat. Qui Adrumetinis monachis aſtipulabantur, poſtea ſeculo V. dicti ſunt *Prædeſtinati* ſeu

Sulpit. Sever l. 2. c. 62. Freculf. lib. 5. cap. 3.

ſeu Prædeſtinatiani: quorum præcipuus ductor fuit *Lucidus*, presbyter magni nominis in Gallia: quem Fauſtus, Rhegienſis epiſcopus, ſucceſſor Proſperi Aquitanenſis, ſeculo VI. oppugnavit, & concilio III. Arelatenſi damnandum tradidit: quia dixerat, per præſcientiam homines in mortem deprimi, & illum, qui perit, non accepiſſe, ut ſalvus fieret, nec Chriſtum pro omnibus eſſe mortuū, nec Deum omnes homines ſalvos velle. Refer huc tandem *Aſcitas ſeu Utriarios*, qui utrem inflatum geſtabant bacchantes, tanquam ipſi ſint evangelici illi utres, novo vino repleti: ut & *Heicetas*, quos Damaſcenus dicit cum monacharum mulierum cœtu in monaſteriis ſaltaſſe & tripudiaſſe, id Chriſtianum, nec laſcivum arbitratos: item *impoſtorem illum crucigerum*, qui ſeculo eccleſiæ ſexto, *ut teſtatur Gregorius Turonenſis*, crucem circumtulit, ex qua multæ ampullæ ſuſpenſæ pendebant, oleo ſancto, ut dictitabat, & reliquiis ſanctis plenæ. Cumque recluderent impoſtoris ſacculos, radicibus diverſarum arborum, & talpæ dentibus, & murium oſſibus, ungulisque ac adipe urſino, repletos invenerunt, & quia, quod alii in templis ſub ſpecie religionis, ille publici fecerat, urbe eum ejecerunt.

XXX. *Alogianos ſubjunge.*

Hic primas merito tenet *ARIUS*, illud, *ut Hilarius dixit*, Antichriſti principium, turbidus ex Samoſatenianorum fœtido fonte rivus, ſtirps infelix ſtolonis Machometani: cujus ſectarii diutiſſime turbas in eccleſia dederunt. Presbyter fuerat Alexandrinus, & cum, defunctis Petro & ejus ſucceſſore Achilla, in electione epiſcopi poſtponeretur Alexandro, æmulatione motus, χειροτονίας ἐπιθυμῶν factus eſt, multosque erroris patronos invenit. Pulſus igitur fugit in Palæſtinam, & præter tres Euſebios, *Nicomedienſem, Emeſenum & Cæſarienſem*, multos alios in ſuam traxit ſententiam. Et quanquam damnatus erat in Nicæna Synodo: aulæ tamen & Cæſaris gynecæo ſe inſinuavit, & confeſſione dubia edita, nec juramento ad ſymbolum exhibitum, ſed ad chartam ſub ala conditam, per impoſturam præſtito, Conſtantini juſſu rediit Conſtantinopolin, ut vel invitis orthodoxis in communionem reciperetur. Sed cum totam noctem Alexander epiſcopus precibus inſumſiſſet, & Arius jam quaſi triumphabundus in eccleſiam duceretur, ſic eum alvi laxitas inceſſit, ut divertens ad latrinas publicas, quæ in proximo erant, medius crepans in cloaca, cum inteſtinis animam excerneret. Sed ecce fœcunditatem hydræ, quæ vel mortua produxit innumera capita peſtifera! Etſi enim omnes ejus aſſeclæ *Ariani*, &, quia Chriſtum ἐξ οὐκ ὄντων, ſeu ex illis, quæ non ſunt,

Socr. lib. 1. cap. 5. Theodoret. l. 1. c. 7. ſeqq. Oroſ l. 7. c. 28. Sozom. l. 1. c. 16.

extitiſſe, conditumque fuiſſe contenderunt, *Exucontii* dicti ſunt, plures tamen inter eos ſectæ, diverſa de deitate Chriſti ſentientes, numerantur. *I. ipſi Ariani. II. Aëtiani* ab Aëtio, prorſus ἀθέω tandem facto, alio nomine *Eunomii*, ab Eunomio, ob animi errorem leproſo dicto, & ab Eudoxio, epiſcopo Conſtantinopolitano *Eudoxiani* vocati. Hi doctrinam Arii abſurdioribus adhuc erroribus conſperſerunt, & præterea vitiis impunitatem conceſſerunt, dummodo ad normam præſcriptam crederetur. Quia verò ob ſummam blaſphemiam & impietatem ab ipſis etiam Arianis ejiciebantur (nam Conſtantinus Aëtium depoſuiſſe legitur) in cavernis convenerunt, & ob id nomen *Troglodytarum* ſortiti ſunt. Eosdem, quia Chriſtum dixerunt DEO non tantum ἑτερούσιον, ſed & ἀνόμοιον, *Anomios* appellatos eſſe meminimus. *III. Macedoniani*, à Macedonio, epiſcopo Conſtantinopolitano, πνευματομάχοι & *Tropici* Athanaſio, aliis *Marathonii* vocati, de patre & filio utcunque recte ſenſerunt, Spiritum autem S. creaturam & vim à Deo conditam, quæ eſſentiæ diviſione ſingulis creaturis inſit, crediderunt: varii in confeſſionibus, & jam ad Homouſianos, jam ad Arianos accedentes. *IV. Dorotheani*, Deum, antequam filium genuiſſet, patrem potuiſſe vocari negarunt; *V. Marin ani* & *Pſathyriani*, potuiſſe affirmarunt. *VI. Duliani*, Dei filium δοῦλον i. e. ſervum Dei per contumeliam vocarunt. *VII. Semiarii ſeu Acaciani priores*, aut filium quidem patri dixerunt coæternum, non tamen ὁμοούσιον, ſed ſaltem eſſentia ſimilem, nec tamen creaturam: aut de patre & filio recte ſenſerunt; de Spiritu vero S. ſecundum Arianos. *IIX. Acaciani poſteriores*, adhuc craſſiores, filium Dei dixerunt patri ὁμοούσιον κατὰ θέλησιν, imo ἑτερούσιον, quin & ἀνόμοιον, idque more Aëtianorum. *IX. Aëriani*, præterquam quod divinitatem Chriſti negarunt, nuptias cum Encratitis damnarunt, paſcha non celebrarunt. Hi, quod preces pro defunctis eſſe fundendas negarunt, ab Auguſtino & Epiphanio ob id inter hæreticos non fuiſſent numerandi. Et ſi jejunia noluerunt certis diebus alligare, presbyterum æquarunt epiſcopo, paſcha eodem die cum aliis non celebrarunt, potius ſchiſmatici fuiſſent dicendi, quam hæretici. *X. Marcelliniani* à Marcello Ancyrano epiſcopo, & *Luciani* à Lucio. *XI.* illi, qui, ut ait *Auguſtinus hæreſi LXXX.* coæternum patri filium confitebantur, ſed non ſemper fuiſſe credebant, quos docendi gratia Danæus vocat *Nativitarios vel Initiarios*. *XII. Agnoëtæ*, dicti alias *Themeſtiani*, diviſi in *Damianos, Petritas & Paul anos*, qui docuerunt, divinam Chriſti naturam quædam ignorare, & referuntur inter Eutychianos

nos. Arianiſmus autem, quo non ſaltem juxta vexatam illam ſententiam Arii: ἦν, ὅτε οὐκ ἦν, id eſt: *Erat, cum nondum erat:* Chriſtus negabatur eſſe ab æterno, ſed & dicebatur corpus tantum, & non animam, ex Maria aſſumſiſſe (quem errorem deinde defenderunt *Apollinariſtæ,*) tam ſubito ſumſit incrementa, ut, dicente Severo Sulpitio, *totus orbis ingemiſceret, & ſe Arianum miraretur.* Invenit enim hæreſis peſtilens multos propagatores & defenſores: ex epiſcopis quidem *Urſacium* Myſium, & *Valentem* Pannonium, ob audaciam & impudentiam in concilio primum Sardicenſi, deinde in Ariminenſi denuo depoſitos: *EUSEBIUM Nicomedienſem* primo, poſt Conſtantinopolitanum: *Theogonium* Nicænum: *Theodorum, Eulalium, Euphronium, Placitum, Stephanum, Leontium Spadonem*, qui ſeipſum exciderat, *omnes Antiochenos: Narciſſum* Neropolitanum: *Iſchyram* Marcotenſem impudentiſſimum Athanaſii criminatorem: *Euſebium Emeſenum: Euſebium Pamphili*, epiſcopum in Palæſtina Cæſarienſem hiſtoricum qui, etſi ad ſanam mentem rediit, tamen iterum ſecundum Baronium in apoſtaſian incidit: illius *ſucceſſorem* ACACIUM, Sardicæ primum, poſt Seleuciæ à ſynodo depoſitum, ſed non ſine maximis turbis: *Gregorium & Georgium & Lucium*, omnes Athanaſii ſucceſſores in eccleſia Alexandrina: *Auxentium* Mediolanenſem, à Papa Damaſo depoſitum: *Aſterium* Cappadocem ſophiſtam & omnes illos, qui ante id vocari conſveverant *Meletiani*, dicti à Meletio, epiſcopo Lycopolitano in Ægypto, in quæſtione etiam de lapſis ſchiſmatico. Et hos quidem, præterque eos multos alios ex epiſcopis habuit Arianiſmus ſectatores. Ex Imperatoribus autem patronos invenit *Conſtantium, Valentinianum*, qui tamen in viam reductus eſt, *Valentem, Valentinianum II. Anaſtaſium*, quem, cum prorſus dubiæ fidei eſſet, nonnulli Eutychianum appellant: ex imperatorum gynecæo *Juſtinam* Valentiniani II. matrem, cui Ambroſius reſtitit Mediolani, templum pro Arianiſmo poſcenti; ex gentibus *Gallos, Vandalos, Gothos.* Corripuit hæc hæreſis totum fere orbem, tranſiitq; in Ægyptum, Libyam, Scythiam ipſam, Pannoniam, Longobardi adhuc ſeculo ſeptimo peſte Ariana infecti fuerunt, orthodoxi in oriente decipiebantur; in oriente per ſcelus vincebantur. Qui tres ὑποστάσεις ſeu perſonas deitatis credebant, ferebantur trium Deorum aſſertores & Sabelliani. Proſtrata jacebat fides Catholica; perfidia exaltabatur. Cumque *Euſebiani* inter Arianos ſe non profiterentur Arianos, ſed publice nomen Arii averſati, varias fidei formulas conſcriberent, quibus ſe procul ab hæreſi Ariana ſignificabant; hinc à

multis imperatoribus compulſi ſunt catholici epiſcopi, ut cum Arianis communicarent. Qui nolebant ejecti ſunt in exilium, ut Athanaſius: Euſebius Samoſatenus & Vercellenſis: Marcellus Ancyranus: Aſclèpas Gazenſis: Paulinus Trevirenſis: Hilarius Pictavienſis: Lucifer Calaritanus. Tempore Theodoſii M. ſynodū univerſalem auſi ſunt poſcere. Obtinuere illam Conſtantinopoli anno CCCLXXXI. Ibi cum illorum impietas detegeretur, ex oriente ſunt ejecti à Theodoſio. Hinc in occidente, cui præerat Valentinianus II. & Mediolani imprimis, turbas dederunt. Illius urbis epiſcopatum *Auxentius Arianus* quondam ſuſceperat, intruſus per Conſtantium. Sed illi defuncto ſucceſſerat *S. Ambroſius*. Hoc antiſtite, *Auxentius junior*, ſub patrocinio Juſtinæ imperatricis, Valentiniani II. matris, petebat templum pro Arianis, & edictum pro illis impetrabat, ipſumque Ambroſium ad diſputationem de religione coram imperatore provocabat. Ille judicem politicum recuſans, poſcebat diſputationem coram epiſcopis aut populo. Non placebat id aulæ, veneno hæretico per fœminas infectæ. Cumq; jam templum vi eſſet occupandum, & Ambroſius ad necem quæreretur, populus cauſam ejus egit. Ut tumultus ſedaretur, ceſſit imperator, & de nulla niſi catholica religione toleranda edictum promulgavit. Refer præter Arianos ad hanc claſſem *Theopaſchitas*, *Photinum*, *Neſtorium* & *Eutycheten*. THEOPASCHITÆ *ſeu Deipaſſiani*, divinam in Chriſto naturam dixere fuiſſe paſſam. Ex quo errore veriſimile

Socr. lib. 2. c. 24. Sozom. l. 4. c. 5. Sulp. Sev. l. 2. c. 52. Epiphan. hæreſ. 71.

eſt, ortum eſſe Neſtorii & Eutychetis errorem. PHOTINUS, Ancyrenſis ex Galatia, epiſcopus Sirmienſis in Pannonia, cum Samoſateno docuit, Chriſtum non, niſi ψιλὸν ἄνθρωπον fuiſſe, & tunc demum cœpiſſe, & initium ὑπάρξεως accepiſſe, cum in Maria conciperetur: ante ſecula enim non eſſe genitum. Unde *Photiniani* dicti etiam ſunt *Samoſateniani* & *Homuncioniſtæ*; à Marcello, Photini præceptore, *Marcelliani*. NESTORIUS, natus in oppidulo Germaniceorum Syriæ ad Euphratem, presbyter Antiochenus, poſtea epiſcopus Conſtantinopolitanus, totius diabolicæ nequitiæ capax fuit inſtrumentum, vereque totius eccleſiæ incendium, & officina blaſphemiæ, ut Socrates & Evagrius eum nominant. Presbyter ejus *Athanaſius*, aliis *Anaſtaſius*, quocum ad *Theodorum*, *epiſcopum Mopſveſtæ* in Cilicia, virum magni nominis, & acerrimum Arianorum oppugnatorem, poſt annos CXIIX. in concilio quinto œcumenico, ob phraſes perſonam Chriſti diſtrahentes, poſt fata damnatum, diverterat, ut & *Dorotheus* aliquis, docuerunt è cathedra, quod forte à Theodoro Mopſveſtano inaudierant, Mariam *non eſſe vocandam* Θεοτόκον *ſeu Deipa-*

pa-

param, cum ab homine Deus naſci nequeat. Cum inde multi & imprimis
Euſebius Rhetor offenderentur, Neſtorius ob id compellatus, effatum
defendit: & docuit, *filium Mariæ, tanquam alium, ediſſe, dormiiſſe, lacrymaſſe, mortuum eſſe; filium autem Dei miracula edidiſſe, tanquam alterum,
& filio Mariæ fuiſſe aſſeſſorem.* Nota eſt impia ejus vox: *Noli gloriari, Judæe: non Deum, ſed hominem crucifixiſti.* Qui diſſenſum è clero & mona- Socr. lib. 7. c. 33.
chis conteſtabantur, hos indignis modis tractabat, & in publicum car- Evagr. lib. 1. c. 2.
cerem abduci & in exilium mitti curabat: ſymbolumque edidit, in quo Niceph. lib. 14.
verbis quidem unum filium, ſed reipſa alium Deum profitebatur; alium cap. 34.
hominem & eo artificio multorum epiſcoporum ſubſcriptiones colligebat. *Cyrillus* contra, epiſcopus Alexandrinus, binis literis amice monuit, ut ne hæreſi nova turbaret ecleſiam. Sed Neſtorius illum per calumniam incuſavit erroris Apolliniſtarum, quem poſtea Eutyches incruſtavit, quaſi confunderet naturas in Chriſto, quas ipſe diſtingveret, qvum *Mariam quidem largiretur eſſe* Χριστοτόκον & Θεοδόχον, *i. e. Chriſtiparam & Deicapam, ſed non* θεοτόκον *ſeu Deiparam, quia oporteat matrem eſſe antiquiorem & ejusdem eſſentiæ cum filio: natum igitur eſſe ex ea non Deum, ſed humanitatem Deo conjunctam, nec corporis paſſiones deitati* λόγου *competere: duos eſſe in Chriſto filios quorum alter ſit per ſe homo, alter per ſe Deus: conjunctus inter ſe per paraſtaſin quandam, cum Spiritus Sanctus* Joh. 1. *in Jeſum deſcenderet.* Interim falſo Cyrillum arguit, quaſi docuiſſet, divinitatem eſſe paſſam: & ex illa atque humanitate unam eſſe factam naturam. Cyrillus, concilio provinciali Alexandriæ convocato. *XII capitula, cum totidem anathematiſmis conſignata,* miſit tertiis literis ad Neſtorium, ut ſubſcriberet, ſi vellet videri orthodoxus. Romanus etiam & Antiochenus epiſcopi monuere eum, ut rectius ſaperet. Sed Neſtorius, quia aulæ propior impetrabat ab imperatore Theodoſio, ut ſilentium Cyrillo imponeretur. Et quidem magnæ erat vir autoritatis, qui hactenus contra Arianos, Novatianos, Macedonianos & alios hæreticos viriliter & pene tyrannice egerat. Antequam autem imperator ad Cyrillum ſcripſit. ille non tacendum in cauſa religionis ratus, *tres libros proſphoneticos de recta fide* ad eundem & ad imperatrices, Eudociam & Pulcheriam, miſit. ſimulque *concilium œcumenicum* convocari petiit. Idem petivere Neſtorius & monachi Conſtantinopolitani, admodum à Neſtorio preſſi. Indictum eſt *Epheſi*, anno CCCCXXXI. in quo quid actum ſit, dictum eſt ſupra. Damnato Neſtorio. & in exilio in extremis Ægypti oris ita miſere mortuo, ut vermes ejus lingvam blaſphemam exederent, &

terra ipſa dehiſcens eum deglutiret, turbæ non quieverunt. Qui eum defendebant, dicti ſunt ἀποδιορίζοντες q. *Segregatores*, quia hominem & Deum ſeorſim ſtatuebant: item διαχωρίζοντες, i. e. *Dividentes*. Qvumque *Origenis* ſcripta viderentur in nonnullis Neſtorio favere, inque illis legeretur, *corpus Chriſti primum eſſe formatum in utero virginis, & poſtea eidem unitum eſſe* λόγον, *&, quæ ante corpus fuerit, animam:* qvum etiam ex libris trium epiſcoporum, etſi jam defunctorum, nempe *Theodori Mopſveſtani, Theodoreti Cyrenſis, & Ibæ Edoſſeni, tria capitula* colligerentur, in quibus Neſtorianiſmus ſtabiliebatur, nempe *I. unum ex Trinitate non eſſe incarnatum. II. Impaſſibilem Deum non eſſe carne paſſum. III. Deum ex Maria non eſſe natum:* aliique damnationem non minus horum omnium, quàm Neſtorii urgerent; alii contradicerent, & imperator Juſtinianus tres dictos epiſcopos impiè ſenſiſſe cenſeret, edictoq; errores eorum damnaret: magnæ ſunt obortæ in eccleſia diſſenſiones. Alii damnationi ſubſcribebant; alii, & inter eos *Vigilius, papa Romanus*, in defunctos cenſuram ſtringi fas eſſe negabant, qvum ſynodus œcumenica Chalcedonenſis anno CCCCLI. eos non damnaſſet; alii etiam dubitarent, an Chalcedonenſe concilium propter illa tria capitula recipere poſſent: quod qui probabant, dicebantur *Synoditæ & Melchitæ:* qui de eo dubitabant, vocabantur *Hæſitantes:* qui idem rejiciebant, *Segregatores*. Hæc diſſidia ut componerentur, convocatum eſt *concilium Conſtantinopolitanum II.* anno IↃLIV. in quo ſcripta trium præmemoratorum epiſcoporum ſunt examinata & damnata, ut patet ex ſuperioribus. Nihilominus ſeculo ſexto inveniebantur *Acœmetæ*, qui nolebant dici Neſtoriani, & tamen unum de Trinitate negabant paſſum. Contra hos *Scythæ quidam orthodoxi* robuſto utebantur argumento, quia, ſi unus de Trinitate non eſt paſſus, neque unus de Trinitate eſt natus, nec Maria poteſt dici θεοτόκος. Præterea errorem Neſtorianum ſeculo octavo, anno IↃCCXCII. *Elipandus*, metropolitanus Toletanus, & *Felix Urgelitanus* in Hiſpania interpolarunt, exiſtimantes, *Chriſtum ſecundum carnem eſſe Dei patris filium adoptivum & nuncupativum, adeoq; duos in eo eſſe filios. Feliciani* quidem in concilio Ratiſponenſi & Francofurtano feliciter ſunt repreſſi. Sed hodienum in oriente, nempe in Meſopotamia, Aſſyria, Babylone, Parthia, Media & Cathaja, *magni Neſtorianorum cœtus* inveniuntur, à quibus Neſtorius præfertur Cyrillo. Quia enim Cosrhoes, rex Perſarum, odio Heraclii imperatoris, omnibus Chriſtianis, qui ſub eo degebant, interdixit, ne cum Heraclio & Epheſino concilio ſentirent; locum autem illis ſub ſe per-

permiſit, qui Neſtorii partes ſequebantur: hinc factum eſt, ut hæreſis longe lateq; ſpargeretur. Nec dum illic locorum radices ejus evulſæ ſint: quanquam ſunt, qui cenſent, hodie parum diſcriminis quoad doctrinam de Chriſto inter hos eſſe & orthodoxos. *Patriarcha eorum*, quem vocant Jacelich, ut ſuperiori ſectione docuimus, reſidet ad Tigrim in urbe Meſopotamiæ Muſul ſeu Moſal, & dicitur *patriarcha Babylonis*, cui *Bzovius in annalib. eccl. tom. 14. ad annum 1530. §. 21. Clementem VII.* dicit in urbe Caramit ſeu Amed, in ſeptentrionali Meſopotamiæ parte, oppoſuiſſe patriarcham à ſe conſtitutum, ut Chaldæi poſthac ſubeſſent pontifici Romano: & ita Chaldæorum nationem, hactenus uni patriarchæ Babylonis ſubjectam, in duas partes eſſe diſtractam, quarum una adhæſit *Neſtorianis*; altera *Romanis*: ſed paulo poſt patriarcham, Chaldæis à pontifice Romano præfectum, deſertum abiiſſe in provinciam Zeinalbech ad fines Perſidis, potentiæque ceſſiſſe patriarchæ Babylonis, qui jam pacifice ſuis præſit. Idem teſtatur, Paulum V. anno hujus ſeculi X. literas miſiſſe ad *Eliam, patriarcham Babylonis*, & demonſtraſſe, quid oporteat catholicum credere contra Neſtorium, remiſſumque ab illo *Adan*, archidiaconum & archimandritam, qui non tantum confeſſionem fidei ſuæ, ſed & commentarium à ſe juſſu patriarchæ compoſitum de conciliatione dogmatum Chaldæorum cum fide Romanorum exhibuerit. Quia enim Chaldæi 1. *virginem Mariam vocant tantum Chriſti, non Dei genetricem*, 2. *& unam quidem in Chriſto voluntatem & virtutem confitentur*, 3. *ſed duas perſonas*: prædictus Adas demonſtrare conatus eſt, *conciliari omnia poſſe*, 1. quia ſic à Chaldæis virgo beatiſſima & Chriſti mater dicatur, ut non negetur eſſe Dei: 2. ſic una voluntas Chriſti ſtatuatur, ut voluntas voluntatem dicatur ſequi, & duæ in unum quid conjungi & conſentire: & 3. ſic duæ perſonæ doceantur, ut in una tamen ſpecie, quæ oculis conſpicitur, videatur unius filiatio. Dimiſſus quidem eſt Adas honorificè, poſtquam papæ principatum in eccleſia confeſſus eſt: ſed papas ab hoc tempore quicquam juris in Chaldæorum eccleſias ſibi vendicaſſe, aut Neſtorianam hæreſin totam miſſam eſſe à Chaldæis, non deprehenſum eſt.

EUTYCHES, ſuperbus & αὐθάδης monachus, archimandrita Conſtantinopolitanus confutaturus Neſtorium, juxta illud: Evagr. lib. 2. c. 2. Niceph. lib. 2. c. 2. Marcell. in Chron. A. 452.

Dum vitant ſtulti vitium, in contraria currunt: incidit alia parte in laqueos Gnoſticos: &, ut antea Cerdon, Marcion & Manes, Apollinaris etiam & Docitæ ſeu Phantaſiaſtæ, veram Chriſti humanitatem negarunt, relicto illi tantum corpore phantaſtico, ita ipſe *negavit, corpus Domini in*

utero

utero Mariæ factum eſſe noſtris corporibus conſubſtantiale, licet eſſet humanum. Ante unionem conceſſit duas fuiſſe naturas; poſt illam, cum Spiritus S. ſuper Mariam veniſſet, unam factam eſſe naturam: humanitatem in Chriſto à divina natura eſſe abſorptam, & proprietates naturarum confuſas: deitatem factam paſſibilem, & eſſe mortuam: Chriſtum potius deificatum, quam Deum dici debere. Accuſatus erroris *in concilio provinciali Conſtantinopolitano* & damnatus, pertinaciter reſtitit, tandemque confugit Alexandriam, & patriarchæ Dioſcoro, Cyrilli ſucceſſori, perſvaſit, ſe nihil à Nicæno ſymbolo difforme docere. Ille impetrabat ab imperatore, ut anno CCCCXLVII. *Epheſi* ſynodus haberetur, in qua cum ſub directione Dioſcori omnia confuſe & violenter agerentur, & Eutyches abſolveretur, dicta eſt *ſynodus* ληστρικὴ *ſeu prædatoria:* cujus tamen decreta initio Theodoſius II. rata habuit. Sed Theodoſii ſucceſſor Martianus, monitus ab orthodoxis, poſt quadriennium *Chalcedone quartum Concilium œcumenicum* convocavit, in quo Eutyches, Dioſcorus & omnes συγχύοντες i. e. *confundentes*, ſunt damnati, & fides, certa confeſſionis formula edita, purius aſſerta. Nihilominus *Petrus Cnapheus*, alias *Fullo*, patriarcha Antiochenus, & *Petrus Moggus*, patriarcha Alexandrinus, cum Eutychete ſenſerunt. Eccleſiam utramque patriarchalem ab hoc tempore diu hæreſis Eutychiana turbavit, jam ſedes orthodoxis; jam hæreticis occupantibus. Quin & inter papas Romanos *Honorius* inventus, qui Eutycheti favebat. Sed *Acacius*, patriarcha Conſtantinopolitanus, animoſe ſe Eutychianis oppoſuit. Zeno imperator interim, edicto promulgato, qvod vocant *Henoticon* ſeu *Unitivum Zenonis*, juſſit, ut orthodoxi & Eutychiani in concordiam redirent, & ſe invicem quodam ſyncretiſmo & religionis mixtura tolerarent: ipſeque tandem Acacius, autoritate imperatoris faſcinatus, edicto ſubſcripſit. Sed patriarcha, qui tunc Romanis præerat, reclamavit cum aliis rectius ſentientibus: factumque eſt, quod paulo ante diximus, ut cum per Henoticon Zenonis concilium Chalcedonenſe contra Eutycheten aperte nec rejiceretur, nec probaretur, illi, qui concilium rejiciebant, Διακρινόμενοι quaſi *ſegregatores* vocarentur: reliqui, qui priorum imperatorum decretis pro concilio factis ſubſcribebant, dicerentur *Melchitæ*; qui dubitabant, *Hæſitantes*. Anaſtaſius, qui poſt Zenonem imperitabat, totus propendebat in hæreſin Eutychianorum ſeu Synchytarum, & audebat triſagio hymno hanc appendicem addere: CRUCIFIXUS PRO NOBIS. Graviter hic orthodoxos vexabat, & *Flaviano*, epiſcopo Antiocheno catholico, dejecto, *Seve-*

Severum Eutychianum ejus loco intruſit. Qui poſt illum præerat, Juſtinianus, acerrimum egit orthodoxæ fidei defenſorem: tandem tamen & ipſe, nimis uxori Theodoræ placiturus, nutare cœpit, & hæreſin *Aphthardocitarum*, quæ erat peculiaris ſecta Eutychianorum, edicto firmavit. Juſtinus junior, Conſtantinus III. Mauritius & Phocas, etſi ubique inveniebantur Eutychiani orthodoxis permixti, nihil tamen in religione immutarunt. Heraclius tandem, conſentiente *Sergio*, patriarcha Conſtantinopolitano, *Ecthesin* pro illis Eutychianis, qui dicebantur *Monotheletæ*, anno IↃCXXXIX. compoſuit, tam verſute conſcriptam, ut incautos facile fallere poſſet. Poſtea etiam Conſtans II. ejus nepos, autore *Paulo*, Conſtantinopolitano epiſcopo monotheleta, *Typum* divulgavit, quo ſilentium de controverſia indicebatur. Tandē anno IↃCLXXX. Conſtantinus Pogonatus, Conſtantis II. filius, *ſexto concilio œcumenico*, quod vocatur *Conſtantinopolitanum III.* congregavit: in quo catholica fides eſt ſtabilita, & Eutychianorū hæreſi, quæ tam diu orbem fatigaverat, finis impoſitus. Sed anno IↃCCXI. *Philippus Bardanes* denuo eam incruſtavit, unde poſtea dicti ſunt *Bardoſanitæ.* Nec enim ſemper Eutychiani eodem veniebant nomine, ſed vel in XII. ſectas ſcîſſi ſunt. *Acephali* inter eos (ſic dicti, vel quod eorum autor ignoretur, vel quod ſine capite i. e. citra patriarchæ ſui conſenſum convenirent ad rejiciendam doctrinam catholicam:) agnoverunt quidem in Chriſto duas ſubſiſtentias, more Neſtorianorum: ſed eas cum ſuis proprietatibus eſſe confuſas in unam naturam ſtatuerunt. Dicti ob id etiam ſunt *Monophyſitæ*, contra quos ex profeſſo ſcripſit Ruſticus Diaconus. *A Jacobo Zanzalo*, Syro, Dioſcori diſcipulo, ſeculo VI. dicti quoque ſunt *Jacobitæ*, & neſcio qua cauſa, *Caucobaptitæ, Angelitæ, Semidalitæ.* Scindebant ſeſe Eutychiani in duas diverſas factiones principales. *Timotheus Solofaciolus* enim, epiſcopus Alexandrinus, duas Chriſti naturas in utero Mariæ dixit in tertiam quandam naturam, velut in unam maſſam, conflatas, quæ nec divina ſit nec humana: ſicut ex anima & corpore coaleſcit homo. Aſſeclæ ejus *Timotheani* ſunt dicti. *Alii* totam hanc conflatam maſſam dixerunt mortalem; *alii* immortalem. Qui corpus Chriſti à conceptione usque dixere fuiſſe corruptibile, dicti ſunt Φθαρτολάτραι & σκηνολάτραι, quaſi *Corrupticolæ*: item *Severitæ* ſeu *Severiani* à Severo, & *Theodoſiani.* Qui idem ſtatuebant à conceptione fuiſſe incorruptibile, dicti ſunt ob id ἀφθαρτοδοκῖται, quaſi *Incorruptibiles* & *Phantaſiaſtæ*: item ab anteſignanis, Juliano Halicarnaſſæo *Julianitæ*, & Cajano *Cajanitæ.* Cæterum, qui inter

Paul. Diac. l. 18. c. 54. 55. Cedr. in Comp. hiſt. p. 157. S bell. E n. 8. lib. 6. pag. 279.

Eutychianos voluerunt correctiores & orthodoxi videri: naturam, quam in Chriſto tacite ſtatuerunt tantum unam, publice nomine voluntatis interpolarunt. Cumq; ita unam in eo voluntatem Dei virilem docerent, dicti ſunt *Monothelete*, ſurculus incorruptibilium: quibus acceſſiſſe diximus Honorium Papam & Juſtinianum. Superſunt hodienum magno numero Eutychiani, & in Meſopotamia, Babylonia, Syria, Palæſtina dicuntur *Jacobitæ* ſub patriarcha, qui ſemper vocatur Ignatius, in urbe Caramit, quæ eſt veterum Amida; in Ægypto *Cophthitæ* ſub patriarcha Alexandrino; in Æthiopia *Abyſſini* ſub ſuo Abuna; cis & ultra Euphratem *Armenii* ſub duobus patriarchis, ceu vocant, catholicis, uno in Armenia majore ſeu Turcomania ultra Euphratem; altero in minore & in Cilicia ſeu Caramania cis Euphratem. Quia enim diuturno tempore multi inter epiſcopos Antiochenos & Alexandrinos fuere, qui dogma Neſtorii fugientes de duabus in Chriſto perſonis, inciderunt in hæreſin de una in Chriſto natura & voluntate: hinc factum eſt, ut in Aſia & Africa Eutychianiſmus tam profundas egerit radices, quæ tot ſeculis evelli nequiverunt. Pleriq; tamen jam, & præſertim Armenii, Alexandrini & Abyſſini, ſibi negant hæreſin Eutychetis placere. Qui autem cum Jacobitis conſentiunt, infantes ſimul circumcidunt, baptiſant, cruce per ferrum ignitum inſigniunt, & ſacra cœna cibant.

August. de hæreſib. cap. 55. Superſunt in numero Alogianorum *APOLLINARISTÆ*, dicti ab *Apollinario* Syro, egregio poëta: qui, cum ſeculo IV. Julianus apoſtata Chriſtianorum ſcholas clauderet, omnem Hebræorum hiſtoriam usq; ad Saulem heroico carmine conſcripſit, & comœdias atque tragœdias ad poëtarum Græcorum imitationem compoſuit. Docent Apollinariſtæ, filium Dei initium originis ſumſiſſe à virgine, ſic tamen, ut carnem de cœlo in uterum Mariæ deportarit; corpus ejus animam quidem vegetativam & ſenſitivam habere, non autem mentem, cujus loco VERBUM ſit ſeu Deitas. Hanc ipſam Deitatem (ut videas eos plane Eutychianis Monotheletis occaſionem dediſſe) in triduana illa corporis mortificatione mortuam dixerunt, tanquam in carnem, oſſa, pilos & totum corpus tranſmutatam ut non ſit unio, ſed unitas & commixtio deitatis & carnis. Apolliniſtarum παρὰ φύσιν & ſuperfœturam vocat Epiphanius *Antidico-Marianitas*, qui Mariæ virginitati usque adeo contradixerunt, ut affirmarent, eam poſt Chriſtum natum viro ſuo fuiſſe commixtam. Hos ab Helvidio vocarunt etiam *Helvidianos*.

XXXVI. Num etiam his ſeculis quidam fuere, qui contra unitatem & trinitatem DEI minus recte ſenſerunt?

Id ex dictis ſatis ſuperque manifeſtum eſt. Refer igitur huc *Turcas*; refer *Arianos, Photinianos* & pleroſque *Alogianos*, ut & *Archonticos*, & alios *Gnoſticos*, qui nihil aliud egerunt, quam ut myſterium Trinitatis convellerent. Sed præter illos, quos jam noſti, hic nota peſſimos Manichæorum & Marcionitarum reliquias, *Hermianos* videlicet, ab Hermia, & *Seleucianos*, à Seleucio denominatos: qui ſtatuerunt materiam mundi Deo coæternam, & ex ea non Deum, ſed angelos, produxiſſe creaturas; malumque eſſe partim à Deo, partim à materia: & Chriſtum, poſt aſcenſionem in cœlum, carnem ſuam in ſole poſuiſſe, noſq; carnę non eſſe reſurrecturos. Adjunge his *Audianos ſeu Audæos* & *Anthropomorphitas*, qui Deum ſibi finxerunt cogitatione carnali in ſimilitudinem imaginis humanæ: quorum ſurculus eſt hæreſis *Melitoniorum*, qui imaginem Dei non in anima, ſed in corpore hominis quæſierunt. Huc etiam refer *TRITHEITAS*, qui tres Deos ſtatuerunt à ſeſe ſeparatos, vel ſaltem tribus naturis & eſſentiis diſtinctos: *Triformianos*, qui divinam eſſentiam cogitant in tribus hypoſtaſibus perfectam; in ſingulis perſonis, quas tanquam partes Dei definiunt, imperfectam: *Tetratheitas*, qui præter tres divinas hypoſtaſes quartam eſſentiam exiſtere crediderunt, quæ trium communis eſſet, & ſe tribus illis communicaret, propter quam communicationem Dii fierent: *Metangiſmonitas* tandem & *Metangæos*, qui ſic eſſe in patre dicebant filium, quomodo vas in vaſe; & in patre, tanquam loco majore, filium, tanquam ſubſtantiam minorem, ineſſe garriebant.

XXXVII. Quos Juſtitiarios ſeu Catharos & Operiſtas in hac eccleſiæ ætate deprehendiſti?

Aërianos, Arianos, quos nominat Philaſter *Encratitas*, jam dixi damnare nuptias. Eas enim à DEO eſſe negantes, nihil poſſident quicquam, & eſcas nonnullas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit. Ante omnes autem alios eminuere *DONATISTÆ*, *Montenſes* & *Parmeniani*, qui ſe ab omnium aliorum cœtu ſeparantes, & dogmati Ariano de filio, patre minori, conſentientes, & purgationes quaſdam magicas uſurpantes, docebant, eccleſiam DEI in his terris eſſe ſine ruga & macula, & de toto terrarum orbe, præterquam in

Auguſt. hæreſ. 38. & 69. epiſt. 68. 162.

in Africæ & *Donati parte*, ut loquitur Auguſtinus, periiſſe, & ex peccatis hominum eandem illud detrimentum paſſam, ut ſancta & catholica eſſe deſierit. Sacramentorum etiam efficaciam ex miniſtri præbentis dignitate metiebantur, & rebaptiſabant eos, qui catholicorum baptiſmo erant tincti. Fuerunt inter eos *Circumcelliones*, qui in monachatu viventes, facinus laudabile interpretabantur, ſi adverſarios quosvis obvios trucidarent. Hi ſi ſeipſos, longo ante tempore opiparis delitiis ſaginatos, ex alto præcipitarent, aut alio modo violentam mortem quærerent, felices ſe arbitrabantur. Hinc ſunt *Pattalorinchitæ*, ut vocat Auguſtinus hæreſi LXIII. *ſeu Silentiarii*, qui in tantum ſilentio ſtudent, ut naribus & labiis digitum opponant, ne vel ipſam taciturnitatem voce præripiant. *Euſtathius*, Sebaſtiæ in Armenia epiſcopus Macedonianus, monaſticæ diſciplinæ autor, in concilio Cæſarienſi depoſitus, & in ſynodo Gangrenſi damnatus, nuptiarum & ciborum quorundam uſu interdixit, τῆς κατὰ θεὸν ἀσκήσεως ἕνεκα. *Joviniani*, homines poſt baptiſmum peccare inficiati, omnia peccata eſſe æqualia dixerunt, & Mariam in partu virginem manſiſſe negarunt. Hos nonnulli virginitatis admiratores nimii, ideo etiam inter hæreticos numerant, quia conjugatos virginibus æquarunt, & jejunia aliasque exercitationes corporales inter res adiaphoras habuerunt. Nota hic porro *Meſſalianos*, *Eu[illegible]* & *Euphemitas*, qui etiam *Martyrianos* ſe vocarunt, & precationi totam ſalutem adſcripſerunt; poſt preces prolixè habitas laborare nefas duxerunt; ſacramenta contemſerunt, aut pro re adiaphora & indifferente habuerunt, quaſi caro non proſit quicquam: revelationes, decepti à dæmone, ſe vidiſſe jactitarunt, & ob id *Enthuſiaſtæ* dicti ſunt: Sata-
Auguſt. cap. 88. nam, ut mala averruncaret, coluerunt, & hanc ob cauſam *Satanicos* vel
Idid lib. 1 Epiſt. *Satanianos* ſemetipſos appellarunt: omnium etiam bonorum commu-
314. nionem habuerunt. Inter omnes noti ſunt *PELAGIANI* & *Caleſtiani*, à *Pelagio* Britone monacho, & ejus ſectatore *Cæleſtino* dicti: qui cum Juliano, epiſcopo Campano docuere, Adamum lege naturæ, etiamſi non peccaſſet, moriturũ fuiſſe; ipſi ſoli lapſum nocuiſſe, non aliis; in nos enim tranſire peccatũ non propagatione, ſed imitatione; non eſſe peccata concupiſcentiam & libidinem, quæ nobis ineſt; nec peccatum originale parvulis ullum ineſſe; eos, etſi non baptiſentur, ſalvos fore, extra tamen regnum Dei: nos reliquos ἀυτεξουσία & libero arbitrio (quod ſit ad bene agendum & legem implendam ſine Dei gratia ἀυτάρκης & ſufficiens) bonos vel malos eſſe; quemq; poſſe gratiam Dei meritis acquirere, quũ ea ſecun-

cundum merita & fidem, quam ex natura eſſe cenſent, detur; poſſe ſanctos ſine peccatis vitam degere. Errorem hunc, quo gentiliſmus in eccleſiam invectus eſt, Pelagius hauſit jam grandævus, vir hactenus doctrina & ætate ſpectabilis, ex ſcriptis *Ruffini Aquilejenſis:* qui illum imbiberat *ex libris Origenis periarchon:* ſicuti Origenes eundem debet *philoſophis illis*, qui ἀπάθειαν & ἀναμαρτησίαν i.e. impaſſibilitatem ſeu imperturbationem & impeccantiam ſeu immunitatem à peccando docuerunt. De qua impeccantia ſeu de vivendo ſine peccato Origenis diſcipulus, *Evagrius Ponticus*, peculiarem librum edidit. Cum autem catholici adverſus Pelagium urgerent gratiæ neceſſitatem, eam quidem & ipſe conceſſit. ſed per illam intellexit gratiam naturalem per naturam libertati voluntatis conceſſam; aut ſupernaturalem quidem, ſed externam, in doctrina legis poſitam; aut talem, qua non adjuvemur à Deo ad non peccandum, ſed qua ab illo peccata ignoſcantur; aut tandem talem Chriſti gratiam, quæ non per Spiritum ſanctum intellectum illuminet & vires ad non peccandum conferat, ſed quæ in doctrina & exemplo Chriſti conſiſtat, idq; tantum præſtet, ut facilius poſſimus; adeoque ſit quidem utilis, ſed non neceſſaria, quaſi non opus ſit ad ſingulos actus bonos Dei auxilio, quum ille prius à nobis exſpectet ſtudium & virtutis amorem, fideique initium, quam nos adjuvet. Docuit igitur eadem opera, prædeſtinationem fieri ex præviſis liberi arbitrii meritis, quaſi bonus virium naturalium uſus ſit unica prædeſtinationis cauſa. Sed *ab Auguſtino* variis ſcriptis eſt confutatus, *in concilio Carthaginenſi & Milevitano* damnatus, ab *Imperatore Honorio* exilio mulctatus. Ejus ſectatores dicti ſunt *Synergiſtæ* quia in converſione peccatoris tres cauſas concurrentes poſuere, verbum, voluntatem hominis & auxilium Dei. Seculo ſexto *Fauſtus, Rhegienſis epiſcopus*, cum contra hæreſin Prædeſtinatianorum, qui omnia abſolutis Dei decretis fieri, adeoque omnes, qui pereunt, per prædeſtinationem neceſſitantem peccare & perire dixerunt, acrius refutaret, in contrarium Pelagianorum errorem lapſus eſt. Sed catholici in oriente & occidente ſe illi maſcule oppoſuere, & in concilio Arauſicano II. anathema eidem dixere. Concludant Juſtitiariorum cœtum *Nudipedales*, qui ſemper nudis pedibus obambulantes monachi nonnulli adhuc ſtulte imitantur: & alii monachi, *Feri* dicti & *inhumani*, alias *Girovagi*, qui hominum commercia fugientes, eſcam cum illis non ſumſerunt, *ut teſtatur Auguſtinus hæreſi LXXI.*

XXXIIX. An etiam his ſeculis ſuperfuere Traditionarii & ejusmodi hæretici, qui præter ſuperiores errores, aut libros canonicos rejecerunt, aut aliquid defenderunt, quod ex S. libris probari nequit?

Aug. de hæreſ. cap. 65.

Primi hic ſunt *Coluthiani*, qui contradicturi Marcionitis, malorum autorem DEUM ſtatuentibus, non diſtingventes mala culpæ & pœnæ, Deum nec ſupplicia nec pœnas ſceleratis immittere dixerunt, id eſt, juſtitiam Dei negarunt. Seqvuntur *Tertullii*, qui docuerunt, per μετεμψύχωσιν animas ſceleratorum in dæmonas, vel in animantia iis vitiis ſimilia, quibus ipſi viventes addicti fuiſſent converti: *Mirabiliarii*, ſeu *Miracularii*, qui eorum veram eſſe doctrinam ſtatuerunt, qui miraculis eam demonſtrare poſſunt, & ita non ad ſcripturas, ſed ad miracula auditores ablegarunt: *Enthuſiaſtæ* ſeu *Enthei*, qui ecſtaſi ſe rapi finxerunt, ut cum Deo vel ſpiritu ejus loqui viderentur. Qua arte olim uſus Machomet orbem decepit, & noſtro tempore, *Anabaptiſtæ*. Agmen hoc comitabantur *Gnoſimachi*, qui ſtudium ſcripturæ in laicis non probabant, ignorantiam fovebant, fidem implicitam cum noſtris pontificiis commendabant: *Marcoſii*, qui moribundos unxerunt, & baptiſmum atque omnia ſacra, ignota lingva adminiſtrarunt: *Vincentius Victor*, quem Auguſtinus refutavit dicentem, animas noſtras eſſe de eſſentia divina creatas, nec eſſe ſpiritus, ſed corpora, nec ex traduce propagari, ſed novas ſingulis inſufflari, easque ante omnia peccata peccatrices eſſe: *Ethnophrones*, qui ſe Chriſtianos profeſſi, gentium tamen inſtituta non pauca ſequebantur: *Ecebolii*, rhetorem Ecebolium imitati in profeſſione fidei, quam pro principum religione mutavit, antea Chriſtianus; mox ſub Juliano paganus; poſtea iterum Chriſtianus: *Staurolatræ*, qui crucem Chriſti coluere, dicti quoque *Chazzinzarii*, & à ſuperſtitioſo jejunio *Azziburi*: *Collyridiani*, qui ex inſtituto mulierculartum quarundam collyrides ſeu placentas tortiles in nomen Mariæ obtulerunt, ut dicit Epiphanius, eamque ut reginam cœli coluerunt. Quos imitatus eſt ſeculo quinto *Petrus Gnaphæus*, epiſcopus Antiochenus, ſupra jam inter Eutychianos relatus, qui omnibus precibus Dei genitricis nomen immiſcuit, idque lege confirmavit. Et quidem, qui tempora diligentius ſcrutantur, quibus virgo Maria cum Collyridianis in eccleſia invocari & religioſe coli cœpit, illi occaſionem ſuper-

ſuperſtitioni à tempore Neſtorii datam eſſe æſtimant. Quia enim ille Chriſtum diviſit in duos filios, & eum, qui virgine natus erat, negavit Deum: catholici bina illa verba, Μαρία θεοτόκος: *Maria mater Dei:* ſæpius inculcabant. Pingebant etiam infantem in ulnis matris, ut filium Dei ex homine natum docerent eſſe colendum. Sed ille cultus, qui initio tantum filio dabatur, pedetentim matri eſt etiam tributus, imo matri absque filio datus; & eccleſiaſtici oratores certatim incubuerunt variis encomiis & epithetis beatæ virgini tribuendis. Sequioribus etiam ſeculis officium quotidianum; in ſeptem horas canonicas diſtinctum, in honorem ejus non minus atque ipſius Divinæ majeſtatis inſtitutum eſt: & quicquid filio Dei debetur, id totum translatum ad matrem: quod tamen ſeculo XII. D. Bernhardo, etſi alias in laudibus eccleſiæ admodum profuſo, haud probatum eſt. Ab hoc tempore quæri cœpit, an Maria ſit in peccato originali concepta, nec ne: de qua quæſtione inter ſe Franciſcani & Dominicani digladiati ſunt, donec, quod concilium Tridentinum non audebat, pontifices noſtræ ætatis peragerent, & ab omni peccato Mariam virginem eſſe natam immunem decernerent.

XXXIX. Quinq; horum ſeculorum hæreticos ſubjice quæſo in tabella ſub oculos, ut, quo quisq; vixerit tempore, cognoſcam.

Ariani cum ſuis complicibus, *Coluthiani*, *Donatiſtæ* cœperunt ſub Conſtantino M. circa A. C. 320

Archontici, Theopaſchitæ, Photiniani, Aëriani, Duliani, Aſteriani, Acaciani, Semiariani, Pattalorinchitæ, Eunomiani, Silentiarii, & Nativitarii ſub Conſtantino. 340

Macedoniani ſeu Pneumatomachi & Luciferiani ſub Juliano. 361

Joviniani ſub Joviano. 303

Audiani, Aëriani, Meſſaliani, Lucianiſtæ ſub Valente. 370

Priſcillianiſtæ, Tertullci, Apollinariſtæ ſub Gratiano. 376

Antidicomarianitæ, Helvidiani, Collyridiani ſub Theodoſio majore. 390

Anthropomorphitæ. Meletonii, Triformiani, Abelonitæ, Metangiſmonitæ, Pelagiani, Prædeſtinati, Patriciani, Paterniani ſub Arcadio. 400

Aſcitæ, Neſtoriani, Nudipedales, Feri, Helcitæ ſub Theodoſio Juniore. 430

Eutychiani, Barſaniani, Monophyſitæ ſub Martiano. 450

Petrus Cnaphæus ſeu Fullo & Petrus Moggus ſub Leone Thrace. 470

Timotheani, Acaciani ſub Zenone. 480

Acc-

Acephali, Tetratheitæ ſub Anaſtaſio. 500
Agnoëtæ, Severitæ ſub Mauritio. 550
Tritheitæ, Jacobitæ, Armenii, Monotheletæ, Machometiſmus & Papiſmus ſub Phoca & Heraclio circa annum. 600
Theodoſiani & Cajanitæ ſub Juſtiniano II. 690
Feliciani & Gnoſimachi ſub Conſtantino VII. & Irene. 790

XL. *Habeſne, quod de gentiliſmo & Judaiſmo horum temporum annotes?*

Non deſiit eccleſia, ut lilium, eſſe inter ſpinas. Multi ex gentibus & Judæis ſunt converſi: plures evangelio fores præcludebant: nonnulli fidem receptam ejurabant: magna pars ſacram ſcripturam *Talmude* Judaico & *Alcorano* Machometano permutabat. Inde factum, ut non ſine cauſa *Brerewodus Anglus* nuper in ſcrutinio religionum ſcripſerit, ſi XXX. partes orbis cogniti conſtituantur, quinque tantum ex illis eſſe Chriſtianorum, ſex Machometanorum; XIX. reliquas paganorum. Qvumq; filii hujus ſeculi prudentiores ſoleant eſſe filiis lucis: hinc factum, ut in ſeculo ſemper inventi ſint *philoſophi, qui ſe Chriſto oppoſuere.* Et quidem, ſi in gentibus hac eccleſiæ ætate aliquos invenis, ut *Libanium ſophiſtam, Jamblichum & alios,* qui gentiles Deos defenderunt: quos errores defenderint, ex illis, quæ cognoviſti, cogita. Si quoque [illegible]rias gentes in cœno ethnico adhuc hæſiſſe deprehendis, id non Deo, ſed ipſis ad lucem evangelii more nycticoracis ad ſolem cœcutientibus adſcribe. *JUDÆOS* quod attinet, illi non ſemel jugum ſervitutis, *ut ex quæſtione LV. eccleſia Moſaicæ* manifeſtum eſt. excutere conati, ſubinde ob rebellionem & ſcelera in ordinem redigendi fuerunt. Qua autem doctrina poſt Meſſiam, quem negant exhibitum, uſi ſint, *Chriſtianus Gerſon, converſus Judæus, in refutatione Talmudis lib. 1, cap. 28.* clare demonſtrat. Cum enim in ſectas eſſent ſciſſi, & ſinguli ſuorum doctorum placita ſequerentur, tandem *R. Juda,* ſub Antonino Pio, A. C. CXL. quod à multis ex ore majorum annotatum, inque ſchedulis ſcriptum invenit, in VI. libros collegit, & primam partem *TALMUDIS* confecit, eamque *Miſchnajot* ſeu ſecundam legem vocavit. Cui addidit deinde *Rabus*, ejus diſcipulus, interpretationem nomine *Bareitha:* Poſt annum D. adjecerunt *Rabina R. & Aſchai Gemaram,* tanquā opus perfectum. Quod iterum explicuerunt alii commentario, quem *Thoſſhot* vocant. Tandem *Babylonico Talmude* (ſic enim vocant omnes hoſce ridiculos, barbaros, blaſphemos, nullo ordine digeſtos

Eunap. in Vit. Zoſim. lib. 4. Zonaras in Juliano & Valente. Phot. in Biblioth. cod. 90.

Aug. Pfeiffer in Talm. Jud. Fechs. de Eccl. Jud.

ſtos libros, quorum tamen autoritatem ſcripturæ præferunt) circa A. C. cIↃCL. *R. Salomon* ultimam operi manum adjecit. In quo quas in legem, veritatem, naturam, ipſumque Deum voces eructent, quis ſatis enarrabit? Somniant regnum Meſſiæ temporale: idque tam monſtroſis & ſe invicem conficientibus opinionibus deſcribunt, ut dignas non judicem eas quisquilias, quibus has conſpergam paginas. Unicum noto, quod præter Talmudem etiam *Paraphraſes in libros V. T.* impenſe venerentur, quas vocant *TARGUMIM*: inter quas prima eſt *Babylonica Onkelos* in univerſam legem; altera *Jonathani in Prophetas*; tertia *Hieroſolymitana in Proverbia, Jobum & Pſalmos*; quarta tandem *in reliqua Hagiographa*. Sed nec Talmudiſtici, nec Targumici libri cœcis Judæis ſufficiunt. Ideoque & traditiones non ſcriptas *CABBALAM* nominatas, jactitant, quibus *μετεμψύχωσιν*, & errores putidos alios ſtabiliunt, magiamque exercent. De *SCHEMHAMPHORASCH*, quo nihil non fieri poſſe, & quo Jeſum omnia miracula peregiſſe mentiuntur, quum putent illud periiſſe, nihil dico: nihil etiam de aliis eorum nugis, non dignis, quæ pios fatigent.

XLI. Si quid de monachis habes, quod mea ſcire intereſt, id age produc in medium. Nam illos, ſi ſuperſtitionem eorum conſidero, ad cœtum malignantium pertinere, ob varias ἐθελοθρησκείας mihi perſuaſiſſimum eſt.

Recte quidem. Id tamen interea certum eſt, doctores eccleſiæ præſtantiſſimos, ſub quibus, quarto ſeculo ineunte, monaſtice primum cœpit, non modo ſolitariũ genus vitæ approbaſſe, ſed etiam adornaſſe. Monaſticam vitam per ſe non reprehendimus. Eſt enim res media, quæ ſecundum ſpeciem, finem ac circumſtantias, vel bona vel mala eſt. Ideoq; non ſimpliciter culpamus inſtitutum priſcorum, qui vel ſævientiũ perſecutionum fuga, vel rerum divinarum in ſeceſſu commodius meditandarum ſtudio, vel etiam, *ut Dionyſius Exiguus ex autore vitæ S. Pachomii ait*, martyrum paſſiones, ſincerumque in Chriſtum confeſſionis affectum imitandi deſiderio, è tumultu hominum ſeſe ſubduxerunt, & vel in eremo, vel in aſceteriis ad opus Dei ſeſe præpararunt. Confer, *quæ Eraſmus in vita D. Hieronymi habet, quam ejus operibus præfixit.* Sed cum illis monachos, & cœlibes ſacerdotes atq; epiſcopos, noſtrorum temporum, compa-

Hoſpin. de Orig. & progreſ. ſu Monachar. VVolff. in Lect. Memorab.

rari debere, pernego. Hi enim characterem antichriſti præcipuum præ ſe ferunt, legiq; divinæ impune inſultantes, deteſtando otii pulvinari utplurimum incubant, nec ullo honeſto labore lacertos validos occupant. Sunt horrenda illa locuſtarum colluvies, ex tartarei putei fumo nata, *Apoc. IX, 3.* Nam denſis agminibus omnia pervolitantes, lucem evangelii obfuſcant, nec gramen aut herbas lædunt (fœno enim non paſcuntur monachi) ſed homines miris præſtigiis effeminatos miſere diſcruciant. Sunt ſimiles equis ad prælium paratis, ut videas ferociam ad nocendum. Coronas geſtant in capite, ſi verticem attonſorum adſpicias. Faciem oſtentant humanam, ut artes eorum in rebus agendis veteratorias caveas. Capillis muliebribus blandiuntur, & errores blanditiarum lenociniis involvere ſciunt. Leoninis dentibus minantur, & in nocendo ſunt ſæviſſimi. Loricis ferreis armantur, potentiſſimorum orbis principum autoritate ſubnixi. Terrent ſonitu alarum, & anathematiſmis contradicentes exanimant. Caudis tandem ſcorpionum inſidiantur, & ſuperſtitioſarum opinionum virus incautis inſtillant, ut recte videatur *Palingenius lib. V*, ceciniſſe:

> *Hos fuge. Peſtis enim nulla hac immanior. Hi ſunt*
> *Fex hominum, fons ſtultitiæ, ſentina malorum,*
> *Agnorum ſub pelle lupi: mercede colentes;*
> *Non pietate DEUM.*

Quo etiam tendit vetus epigramma:

> *Vos monachi, veſtri ſtomachi ſunt amphora Bacchi.*
> *Vos eſtis, Deus eſt teſtis, deterrima peſtis.*

XLII. Egregiam ſane monachorum ex Apocalypſi picturam! Sed qui monachi ſub imperatoribus orientalibus præ reliquis inclaruerint, indica.

Originem monachorum, qui à communione generis humani abſtinentes, peculiari habitu, ſub voto cœlibatus, paupertatis & cœcæ obedientiæ clauſtris ſe includunt, nonnulli ad Eſſenos Judæos referunt; alii inepte ad Johannem Baptiſtam; quidam ineptius ad Eliam & prophetas; nonnulli ineptiſſime cum Boulduco ad antediluviana tempora, nempe ad Sethum & Enochum. Plerique ANTONIUM in Ægypto fundamenta infelicis monachatus jeciſſe ſtatuunt: cujus imitatores in re periculoſa fuerunt *Malchus* ab Hieronymo, & *Onuphrius* à Paphnutio, florido ſtylo deſcripti, & præter hos *Petrus Thebæus, duo quidam Macarii*, & non-

Hieronym. de ſcript. Eccleſ. c. 88. Ruffin. lib. 1. cap. 8. Gregor. Turonenſ. l. 1. Hiſt. Francor.

nonnulli alii aſſeclæ vanæ ſuperſtitionis: quæ tantas ſubito vires ſumſit, ut *Pachomius quidam* VII. millia in Thabenna, inſula Thebaidis, & *Serapion* juxta Arſenoiten circiter X. millia monachorum ſub ſe habuerint. Cap 38. Niceph. lib. 8 Hiſt. Eccleſ. cap. 40. Non tamen negandum, plures viros inſignes, & donis excellentibus præditos, huic vitæ generi ab initio fuiſſe mancipatos. *Ipſe Antonius*, natione Ægyptius, etſi literarum rudis, ſcripturas tamen divinas & memoriter audiendo tenuit, & prudenter cogitando intellexit, *ut ait Auguſtinus in prologo libri de doctrina Chriſtiana.* Autor vitæ ejus, qui creditur eſſe *Athanaſius*, dicit, eum ad auditam in eccleſia evangelii lectionem, qua perfectio illis tribuitur, qui omnia ſua vendita dant pauperibus, diſtracto patrimonio, primo in locis à villa ſua paululum remotioribus; tandem in eremo pietati indulſiſſe: precibus, vigiliis & jejuniis corpus adverſus illecebras carnis & inſidias, atque terriculamenta ſpirituum malignorum vallaviſſe: vitæ integritate, morum gravitate, miraculorum etiam virtute, & dono infirmos & dæmoniacos curandi ſe omnibus commendaſſe: viſionibus præterea cœleſtibus eruditum, abſentia & futura prædixiſſe: adverſus ſophiſtas & philoſophos gentilium, ut & Arianos, atque alios hæreticos, fortiter depugnaviſſe: & plures ad monaſteria condenda ſuo invitaſſe exemplo. *Hieronymus addit:* Antonio huic, cum jam nonaginta annos vitam cœleſtem in terris egiſſet, hanc cogitationem incidiſſe, nullum ultra ſe perfectum monachum in eremo conſidere: at illi per noctem quieſcenti revelatum eſſe, alium interius multo meliorem ipſo latere, ad quem viſendum deberet properare. *Paulus* hic erat *Thebæus*: qui, cum perſecutionis procella gravis ſub Decio detonaret, puer quindecim annorum in deſertum confugerat, & in ſpelunca jam XCIIX. annos in orationibus conſumſerat, corvo ei cibum; palma veſtimentum; fonte potum præbentibus. Hieronym. in Vita Pauli Eremitæ. Sozom. lib. 8. Ad quem cum pervenit Antonius, in difficili itinere à prodigioſo hippocentauro & ſatyro non tam læſus, quam adjutus, inſtare jam mortis articulum Paulo didicit. Sed pallium Athanaſii, uti juſſus erat à Paulo, allaturus, quo corpuſculum jamjam exceſſuri obvolveretur, morienti præſto eſſe non potuit. Sepulturam tamen ejus curavit, duorum leonum opera adjutus, qui humum pedibus egerentes, foſſam hominis capacem effoderunt. Sive Hieronymus exercendi ingenii cauſa luſerit, dum hæc ſcribebat, *ut ex Eraſmo Magdeburgenſes centuria IV. cap. X. opinantur*, ſive vere ita omnia contigerint, adſcribenda hic fuerunt, quæ de primis vitæ ſolitariæ conditoribus

bus antiquitus prodita ſunt. Quibus quanto diſſimiliores ſunt moderni monachi, quos nulla unquam angit ſolitudo, quia in cœnobiis ſemper ſuis ſtipantur ſodalibus, quosq; nulla ſollicitos habet penuria, quia culina aut aliorum liberalitas illis ſemper ciborum nidorem; cella vini fragrantiam objicit: tanto minus habent, quod ex vita Pauli & Antonii in ſuæ monaſticæ laudem conquirere poſſunt. Antonii diſcipulus, *HILARION*, quod viderat præceptorem facere in Syria, imitatus eſt in Palæſtina: vir, *ſi Hieronymo & Sozomeno fides habenda eſt*, tantis miraculis conſpicuus, quæ in apoſtolis mirareris. Nec tamen conſenuit in Palæſtina: ſed ſæpe loco mutato, ut honorem fugeret & importunitatem, cui ſilentium & vitam ignobilem præferebat, Ægyptum, Siciliam, Dalmatiam, Cyprum, & alia loca adiit, & tandem LXXX. ætatis anno, poſt LXX. pene annorum in eremo ſervitium, defunctus, *Heſychio* diſcipulo teſtamento omnes ſuas divitias reliquit, evangelium ſcilicet & tunicam ſaccineam, cucullam & palliolum. In Syria monaſticen inſtituit *quidam Julianus*, quem adeo domuiſſe corpus ſuum & ſe maceraſſe *ſcribit Sozomenus lib. 3. cap. 14.* ut carnis nihil propemodum præter cutem ſolam & oſſa circumferret. Apud Scythas, Thracas, Indos, Perſas, aliosque barbaros, monachorum & virginum choros *Chryſoſtomus* affirmat fuiſſe, *ſermone 13. in Rom IIX. Seculo IV.* novum inſtitutum monaſtices uſu receptum eſt, ut *in columnis immoti ſtantes*, vitam duriorem dicam, an ſuperſtitioſiorem, tranſigerent. Inter quos præcipuus *Simeon Stylita* ſeu *Columnarius & Columella*, variis miraculis in eccleſiaſtica hiſtoria notus, in columnis minoribus annos VII; in columna quadraginta cubitorum annos XXX. explevit, *ut eſt apud Evagrium & Nicephorum*, relicto *Daniele* ſuæ ſtoliditatis ſtulto imitatore. *Meletius*, patriarcha Antiochenus, rectius ſapuit: qui, cum inviſeret Simeonem Stylitam, vinctumque arcte ferro videret, fabro accito, ſolvi juſſit vincula: amanti Deum ſatis pro vinculo mentem eſſe ratus. Sic cum *Alcibiades martyr*, more ſolito, *ut eſt apud Euſebium libro 5.* in carcere ſqualide viveret, nec præter panem & aquam quicquam in cibum uſurparet: *Attalo* revelatum eſt, non recte facere Alcibiadem, quod creaturis Dei non uteretur, aliisq; offendiculum præberet. Ego interim horreſco, quoties lego, quæ de Simeone Stylita in vitis Patrum, omni veritatis lege poſthabita, dicuntur. Et tamen fabulæ inveniunt admiratores. Sunt, qui tres, vel quatuor Simeones Stylitas fuiſſe volunt. de quibus vide *Rosweydum lib. 1. de vitis Patrum*. Cæterum *alii* monachorum nunquam panem attigerunt;

Hieronym in Vita Hilarionis Sozom. lib. 3. c. 14. Magd. Cent. 4. cap. 10. pag. 1195. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. cap. 31. pag. 354.

Alii

Alii jejuniũ totis ſeptimanis continuarunt: *Alii* juges die noctẽq; hymnos concinuerunt, ſibi invicẽ tripertito tempore ſuccedentes, *Acœmetæ ſeu Inſomnes* dicti: *Alii* catenis ſemetipſos ferreis corpore nudo conſtrinxerunt, extrinſecus cilicio duntaxat induti: *Alii* uſum lingvæ prorſus ejurarunt, nec unquã vocẽ emittere viſi ſunt: qualis fuit *Job. Silentiarius* circa annũ CCCCLXXX. Probiores fuerunt monachi, qui literis & ſcriptis eccleſiæ profuerunt, ut *Iſidorus Peluſiota*, cujus decem epiſtolarum chiliades memorat Nicephorus: *Thalaſſius*, Hecontadibus quatuor ſeu ſententiis egregiis de præcipuis articulis fidei collectis clarus: *Marius eremita*, aphoriſmorum ſeu gnomarum de lege ſpirituali autor. Et hi quidem in ſeculo V. In VI. floruerunt *BENEDICTUS*, Nurſinus Italus, ordinis fœcundiſſimi autor: quem miraculis multis & inſigni pietate claruiſſe ajunt: *Placidus*, cum ſuis fratribus à Manitha duce Saracenorum martyrio coronatus: *Caluppa Gallus*, qui in exciſa rupe cellam ſibi fabricavit, & ſe tentandum diabolo ſponte expoſuit. Cui ſi id accidiſſet, quod *Antonio cuidam Burdegalenſi*, quid mirum? Illum enim, cum relicta functione annos circiter IIX. loco ab hominibus ſemoto vixiſſet, cacodæmon corporaliter occupavit & obſedit, ſicuti prius ſpiritualiter fecerat, ceu ex *Gregorio Turonenſi allegant Magdeburgenſes centuria VI. cap. VI. de eremitis.*

Caſſiod. in Chron. Greg. lib. 2. Dial. c 1. & 33 Aim. de Geſt. Franc. l. 2. cap. 16. & 22. Herm. Contr. Marian. Scot. Sigeb. A. 525. Chron. Caſſin. lib. 1. c. 1. Paul. VVarnef. l. 1. de Geſt Longob. cap. 26.

XLIII. *Cum varii ſint ordines monachorum, dic quæſo, qui quo tempore cœperint.*

Prioribus tribus ſeculis usque ad A. C. CCCXLI. nec veſtigium ordinum invenies. Primus *Thabeneſiotarum* memoratur: poſt quem mox plures impia fœcunditate enati ſunt. Quorum ſeriem integram transmitto ad ſequentem eccleſiæ ætatem. Nunc, coronidis loco, huic libro *ſyllabum vocum eccleſiaſticarum* ex variis autoribus ſubjungam, ne in lectione librorum eccleſiaſticorum ſive à barbarie, ſive ab uſurpatione vocum alioquin inuſitatarum, detinearis.

XLIV. *Placet conſilium, & grata eſt promiſſa vocum eccleſiaſticarum minus cognitarum enarratio.*

Abbas, Archimandrita, Cœnobiarcha, Archimonachus: cui ſubſunt religioſi in monaſteriis. *Abbatiſſa*, cui feminæ ſacræ fidem jurarunt. Inde *Abbatia*.

Abſis, Habſis, Abſida, Tribuna, Ambonium, locus excelſus ſub fornice in templo, Vorrkirch.

Acoluthi, quaſi comites & pediſſequi, cum ipſi ſacris non operentur, ab

 illis

illis tamen non excluduntur, & epiſcopis atque diaconis ſerviunt; dicti alias *Ceroferarii & Accendentes cereos.*

Adminiculator, pauperum advocatus.

Advocatus ſeu Defenſor, qui jus defenſionis eccleſiarum habet cum aliqua jurisdictione & inſpectione adminiſtrationis œconomicæ. *Advocatia*, jus patronatus, Kaſten-Vogthey.

Agape, convivium publicum in conventibus ſacris celebrari ſolitum: Item eleemoſyna ſeu pars, quæ ex caritate egenti datur.

Agnus Dei, cera alba, ex cereis paſchalibus accepta, ſacro chriſmate delibuta, agni imagine expreſſa, populoq; cum ſuperſtitione oſtenſa.

Alba, Camiſia, Camiſium, veſtis ſeu amiculum album. *Corporalia* etiam i.e. phylacteria, quibus altaria teguntur, dicuntur *Albæ.*

Album, matricula eccleſiæ.

Allodium, bonum, quod à clientela principum eſt liberum & non feudale bonum.

Ambo, corrupte *Umbo*, cathedra doctoris, ſuggeſtus ſeu pulpitum, q. ἀναβῶ, adſcenſus, Canzel/Lettner.

Amula, Ama, Hamula, Phyala, vas, in quo vinum offertur.

Anabolagium vel Anaboladium, ſuperhumerale album lineum.

Anachoretæ, monachi in eremis habitantes: alias *Heſychiaſtæ.*

Anathema, præciſio à Chriſti corpore. Inde *anathemizare*, cenſura uti in eos, qui ab eccleſia ſegregantur. Cenſura in eos, qui ſe excommunicatis conjungunt, dicitur *Catathema.* Vid. *Bannus*. Anathemata etiam dicuntur templorum ornamenta.

Angaria, certi in ſingulis annis dies, quarti nempe à prima feria, quibus & ſequentibus duabus diebus jejunia ſunt imperata. Vulgo dicuntur *Quatembres.* Hinc verſiculi:

Poſt *Crux*: poſt *Cineres*: eſt *Spiritus* atque *Lucia*, Sit tibi in *angaria* quarta ſequens feria.

Annatæ, penſiones ſeu reditus primi anni, ex eccleſiaſticis beneficiis vacantibus.

Apocriſiarius, qui eccleſiarum negotia curat, tanquam *Reſponſalis & legatus epiſcopi.*

Arcarius, qui tributorum exactioni præeſt.

Archimandrita. Vide Abbas.

Aſceteria, monaſteria. *Aſceta*, qui ſe in monaſterio variis religionis exercitiis manciparunt. *Aſcetria* eſt Nonna.

Aſſa-

Aſſaſini, ſicarii, dicti à populis Saracenicis Aſſaſmis in Phœnicia circa Tyrum, ſeculo XIII. latrocinia paſſim per ſicarios agentibus.

Auriflamma. Vide *Or flambe*. Vexillum ab altari martyrum ſumtum in expeditionibus, ut felicior pugna eſſet.

Azymitæ, qui in euchariſtia azymis utuntur.

Bailia, Baillie, Balivatus, Baleyeu / præfectura ſacra equeſtris in provincia aliqua. In illa ſunt Magnus Commendator, Compter; Prior; Quæſtor; Balaii.

Bannus ſeu Bannum, proſcriptio ſacra, *excommunicatio & cenſura eccleſiaſtica*, ſive *major*, quæ abſcindit à toto corpore eccleſiæ, & dicitur anathema: ſive *minor*, quæ tantum excludit à perceptione Sacramentorum. *Banniti*, qui excommunicati ſunt, & quibus per *interdictum* facultas exercendæ religionis ademta, & clericis interdictum eſt, ne officia celebrent.

Beneficia, quæ de poſſeſſionibus eccleſiæ conceduntur, ſunt vel *curata*, in quibus aliquid agendum, & quæ dantur pro labore: vel *ſimplicia*, quæ ex mera dantur gratia. Inde *beneficiarii* & *beneficiati*.

Bibliothecarius ſeu Cancellarius, epiſtolarum magiſter, omniumque notariorum, ſcribarum & ſcriniariorum princeps.

Biothanati, violenta morte propter fidem necati.

Biretum. *Birretum*, pileus ſacer: alias *Birrhus* & *Burra*.

Birrus, veſtis epiſcopalis.

Blada, frumenta.

Boja, vinculum. *Bojatus*, in vincula conjectus.

Brandea, vela ſeu lintea, ſepulcris & reliquiis Sanctorum admota, ut virtutem inde miraculorum recipiant.

Breve, epiſtola, ſchedula, literæ. Vide *Litera*.

Bucella, particula panis euchariſtici.

Buda, ſtorea ſeu lectus, cui incubant.

Bulla, cera ſigillata: unde *bullare*, ſigillare.

Calix miniſterialis, qui ſangvinis Chriſti adminiſtrationi deſervit.

Camelaucbium, *caſſa*, pileus, qui arcet calorem.

Camera Baſilicæ, ſacrarium baſilicis adjunctum.

Camerarius cum nomen archidiaconi S.R.E. tempore Gregorii VII. deſineret, dici cœpit: eſtq; qui pecuniarum eccleſiaſticarum curã geris.

Canalium, via regia ſeu publica, qua equi publici per ſtationes ſingulas diſpoſiti ſunt ad iter agendum. Hinc epiſcopi in canalio conſtituti

tuti dicebantur, qui circa curſum publicum ſedes habebant.

Canon, annua penſio: Inde *Canonicarius*, exactor annuorum canonum.

Canones, ſunt ſtatuta conciliorum, *decreta* pontificum; *dicta* ſanctorum.

Canonica portio eſt, quæ de relictis & proventibus eccleſiæ detrahitur, & prælatis, ut parocho & epiſcopo, debetur.

Canonici, ſacerdotes regulares in templis.

Canoniſatio, *Apotheoſis*, actus, quo pontifices aliquem in ſanctorum numerum referunt, & illius imagini circumdant ſplendorem circularem.

Cantharus, *Pharus*, *Canthara*, *Corona*, ſunt lucernæ vel ſuſtentacula lychnorum, qui *delphini* dicebantur.

Capella, olim *Cubiculum* ſeu ſepulcrum martyrum, à capa ſeu cappa i. e. cucullo eorum dicta. Unde *Cubicularii* ſeu *Capellani*, cuſtodes ſepulcris Apoſtolorum additi. Poſtea *Cappellani* dicti ſunt, qui ab epiſcopo inſtituuntur, ut in eccleſia, ubi monachi habitant, populi curam habeant. Et *capella* in genere dicitur ædicula aut *ſacellum* i. e. ſacra cella.

Capitulum, locus, ubi canonici congregantur: item tota ſodalitas *Capitularium*, ſeu Canonicorum.

Cardinalis, qui præcipuam alicujus tituli vel diaconiæ curam gerit, & omnes alios eccleſiarum earundem miniſtros gubernat. Diſtribuuntur Cardinales in *epiſcopos cardinales, presbyteros cardinales & cardinales diaconos*.

Carena, *carrina*, *carentena*, dicta à carentia cibariorum & hominum, eſt pœna, qua pœnitentes de peccato mortali XL. diebus abſtinent à cibis & à converſatione hominum, jejunantes in pane & aqua. Quibus diebus elapſis, imponitur eis *ſeptennalis pœnitentia*, ut jejunent qualibet ſeptimana unum diem. *Vid.* Karr-Woche in vocibus Computi.

Carrocium, currus prægrandis, aurea cruce in vertice mali ſeu antennæ & vexillo inſigni, in expeditionibus cum magna religione à bobus aut equis tractus, & in caſtris foſſa & vallo munitus & à fortiſſimis viris quaſi prætorium aut tribunal quoddam cuſtoditus, ne in poteſtatem hoſtis veniret. Vide *Labarum*.

Caſtitia, advocatus monaſterii aut epiſcopii, Kaſten-Voygt.

Caſula ſive *Planeta*, veſtis ſacerdotalis ſine manicis, conciſa ab utraque parte, ante & retro usque ad talos producta.

Cata-

Catabulum, ſtabulum jumentorum publicorum, quorum curæ ſæpe adſcribebantur martyres.

Catechumeni, κατηχούμενοι, qui erudiebantur in elementis fidei Chriſtianæ, ſed nondum baptiſati erant. Qui eos docebant, vocabantur *catechiſtæ*, *catecheſeωn magiſtri*, *lectores*. Catechumenorum alii erant *audientes*, recens admiſſi tirones, quaſi candidati fidei: qui, cum liturgia incipiebat celebrari, miſſi ſunt, unde *Miſſa*: alii *comparentes*, qui jam elementa fidei didicerant, & baptiſmum petebant. Poſtquam baptiſati erant, dicebantur *Fideles*, eccleſiæ albo inſcripti, quibus intereſſe licebat omnibus liturgiæ partibus. *Catechiſmus ſeu Catecheſis* elementa & compendium articulorum fidei.

Ceroferarii, Vid. *Acoluthi*.

Chameuniæ, humicubationes.

Chorepiſcopi, antiquitus fuere presbyteri, quibus res temporales credebantur, & cura pauperum, & alia miniſteria, ut juvarent epiſcopos: poſtea nomen hoc accepere *epiſcopi tutelares*, vicarii epiſcoporum, ruri in agris atque villis: unde etiam dicti ſunt epiſcopi ἐν χώραις, ἐπιχώριοι, *presbyteri regionarii*, *corregionarii*, *foraſtici*, *rurales villani*: qui epiſcopos impeditos vel abſentes adjuvant in ordinum collatione & ſacramentorum adminiſtratione. Chorepiſcopi illi, quibus communis eſt cum epiſcopis diſpenſatio circa plurima, ſunt jam ſublati.

Ciborium, ταμεῖον, Sacramenthäußlein / capſa ſeu ædicula, in qua aſſervatur panis conſecratus.

Cidaris, ornamentum capitis epiſcoporum.

Cilicina, veſtis, qua monachus incedit.

Ciſio Janus, calendarium chirometricum, quo feſtorum immobilium ſedes oſtenditur. *Calendarium* autem & *Almanach* ſunt ephemerides & faſti, quibus numerus & diſtinctio dierum per ſingulos annos juxta doctrinam computi continetur. *Computus* autem eſt doctrina, quæ occupatur in inventione paſchatis & aliorum feſtorum.

Clerici, qui divinis officiis mancipati ſunt.

Clericos ſportulantes vocat Cyprianus, qui ſingulis menſibus ſuas ſportulas accipiunt.

Clerus, univerſa eccleſia: vulgo *ſpirituales* in eccleſia.

Clinici, qui morti proximi, illius metu, non libere, in lecto baptiſabantur: minus laudati, ſi reconvaleſcerent.

Cæmeteria ſeu dormitoria, tumba, catatumbæ, arga, crypta, arenaria, ſunt loca, ubi ſepeliebantur Chriſtiani, ſpecus ſcilicet ſubterraneæ, in quibus ſæpe etiam temporibus perſecutionum ſynaxes peragebant. Vid. *Crypta*.

Cænobitæ, monachi in ſodalitio viventes.

Cænobium, monaſterium.

Colatorium, vaſculum ſubtiliſſimis foraminibus perforatum, quo vinum ex hamulis refunditur.

Collecta idem eſt Latinis, quod Græcis σύναξις, conventus ſacer: item precatio cum tono.

Collectæ, pecunia in uſum pauperum exigi ſolita: item preces publicæ.

Colobium, veſtis linea ſine manicis, ad cubitorum imas tamen pertingens.

Colymbethra eſt, qua in *baptiſterio* (i. e. vaſe baptiſmo deſtinato) aqua, ſuperfuſa baptiſato, per meatus & aquæductus ſecedit in inferiorem locum, quem vocant *piſcinam*.

Commenda, cuſtodia eccleſiæ cuipiam commiſſa.

Commendatarii, qui curam gerunt Commendæ.

Communio laica eſt, quam laici à clero ſegregatim ſumebant. Et ille clericus dicebatur ad communionem laicam amandatus, qui ordine ſuo motus, ad ſtatum laicum redigebatur.

Concellanei ſeu Cellularii, presbyteris & diaconis domeſtici additi, tanquam contubernales, ut vitæ & actuum eorum teſtes eſſent, ad amoliendas maledicorum calumnias. *Cella* enim vel *cellula* eſt cubiculum, item oratorium. *Cellulani* & *concellanei*, ejusdem cellæ monachi. Vocantur etiam *Syncellitæ*, apud Græcas eccleſias σύγκελλοι, *Syncelli*. Hinc *Protoſyncellus*, qui primus inter concellaneos.

Confeſſio, *Martyrium*, eccleſiæ ſeu templum, in quo confeſſorum ſeu martyrum memoria colitur, vel & locus inferior ſub altari majori ædificatus.

Confeſſores, qui pro fide Chriſti non ſuſceperunt in quæſtione tormenta, ut *Martyres*, qui tormentorum ſævitiam ſuperarunt: *Extorres*, qui, dimiſſis omnibus bonis, cedebant propter fidem: *Profeſſores*, qui ultro ſe martyrio ingerebant.

Coronæ, rotundi minutioris formæ panes ſacri: item ſpecies tonſuræ clericalis.

Cruciata, *prædicatio crucis*, quando pontifex pro eccleſiæ defenſione adverſus infideles aut hæreticos ad arma quosvis vocat, eosque, qui

com-

comparent, charactere crucis inſignit, & largis indulgentiis roborat. Inde *expeditio cruciata: Cruciferi.*

Cryptæ, ſubterraneæ cavernæ & antra, in quibus tempore perſecutionum ſacra obibant: item in aliquibus templis, pars eorum ſub terra inferior, aris non minus ac aliis ſtructuris inſtructa, atque ſuperior illi ſuperſtructa. Vid. *Cœmeteria.*

Cucullus ſeu Cuculla, à capite ad plantas deſinens monachorum veſtis, *Cappa* etiam dicta.

Cuculla parva, tegumentum capitis monachorum ad cervicem & humeros demiſſum. Inde *Cucullatus.* Solet in cuculla vultui prætendi *Liripipium* prælongum, in luctu præſertim.

Curatus eſt rector parochialis eccleſiæ.

Dalmatica, linea tunica ſeu amicula manicata.

Decima, eſt quota mobilium bonorum pro Deo debita: eſtque *vel perſonalis*, quæ deducitur ex proventibus, propria induſtria, per negotiationem, artificium & militiam venientibus: vel *prædialis*, quæ ex fructibus prædiorum.

Denarius S. Petri, à pontifice in Anglia, Gallia, Polonia, Hibernia annuatim à ſingulis capitibus exigebatur.

Dextrocherium, muliebre brachii dextri ornamentum aureum & gemmatum.

Diaconia, publicæ pauperum hoſpitales domus, quibus ſacella adjuncta erant.

Diaconiæ prætor, qui egenis in domibus hoſpitalibus ſubminiſtrat neceſſaria.

Diaconi, quibus pauperum & viduarum cura olim commiſſa fuit. Iſtorum primo *ſeptem* Romæ conſtituti, in diverſis urbis locis ſeu diaconiis. Poſt auctus eſt numerus, & conſtituti ſunt in quatuordecim diverſis urbis locis XIV. mox XIIX. Etſi autem primus eorum *archidiaconi* vel *diaconi cardinalis nomen meruit:* ſucceſſu tamen temporis omnes XIIX. ad diſtinctionem eorum diaconorum, qui non erant principales, dicti ſunt *diaconi Cardinales:* diviſique ſunt in XIV. regionarios, qui præerant XIV. Diaconiis, & IV. baſilicarios ſeu palatinos, qui in palatio papæ miniſtrabant. His inſerviebant *Subdiaconi.* Utrique tamen in ſacris tandem adhibiti ſunt: & tunc dicuntur *ſtationarii*, cum pontifici miſſam in aliqua ſtatione celebranti ſerviunt.

Diaconiſſæ ſunt feminæ ſacræ.

Diœceſanus, epiſcopus, qui diœceſi præeſt.

Diœceſis, epiſcopatus, parochia. *Lex diœceſana* eſt poteſtas epiſcopi quoad adminiſtrationem & viſitationem diœceſeos.

Diptychum, libellus duarum plicarum ſeu foliorum, quorum una parte inſcribebantur nomina epiſcoporum pie defunctorum; altera vivorum. Hinc *nomen illius ex ſacris eccleſiæ diptychis dicitur expunctum*, qui epiſcopatu dejectus eſt; *inſertum*, qui epiſcopatum ſuſcepit; *reſtitutum*, qui recepit.

Dominicus dies, dies ſolis, ſeu feria ſeptimanæ prima, in quam, quia in illa Dominus reſurrexit à mortuis, ſolemnia Sabbati Judaici abrogata in cultu divino publice faciendo translata ſunt. *Dominicum agere ſeu celebrare*, in actis martyrum eſt convenire ad liturgias ſacras celebrandas. Inde etiam vocabantur *dominica ſolemnia: dominica ſacra: collectæ, collectiones & συνάξεις dominicæ*, in quibus ſcripturas dominicas legebant & explicabant, orabant, hymnos cantabant, dominica ſacramenta celebrabant. Hinc etiam ipſe locus, in quo conveniebant, vocabatur *Dominicum*, corrupte Germanis der Thumb: alias oratorium, quanquam poſtea anguſtiora templa tantum dici cœperunt Dominica. *Dominicale linteamen* eſt, quo feminæ corpus domini ſumebant.

Domnus, vir clariſſimus & ſanctiſſimus. Quæ vox poſt Gregorii tempora reliquis epiſcopis ademta, & ſoli Romano papæ attributa eſt. Dicitur etiam *Donnus*.

Domna vel *Donna*, clariſſima femina.

Eccleſia cathedralis, hohe Stifft; in qua ſedet epiſcopus cum prælatis: *collegiata ſeu conventualis*, Stiffts-Kirche/ in qua collegium & capitulum, atq; canonici & capitulares: *patronata & parochialis*, Pfarr-Kirche/ in qua patronus jus habet præſentandi clericum, & ad quam pertinet *Plebania*, ſive ſit cum dignitate, ſive ſine illa.

Encænia, ἐγκαίνια. conſecratio, dedicatio, inauguratio templorum.

Energumeni, qui propter publica ſcelera publice à dæmonibus vexantur, excommunicati ab eccleſia.

Ependytes, veſtes exterius adiectæ monachis, ut pallium.

Epiſcopus, quem Ezechiel III, 17. ſpeculatorem domus Iſraëlis vocat; Apoſtolus Heb. XIII, 17. excubitorem pro animabus eccleſiæ; Ambroſius lib. de dign. ſac. cap. 6. *ſuperinſpectorem*; Hieronymus in Job.

Job. XX. & ep. ad Evagr. *ſuperintendentem*, qui præcipuum in eccleſia miniſterium obtinet.

Eucharistia ſeu cœna, convivium dominicum, ut vocat Tertullianus.

Eulogia, cibaria benedictionis gratia transmiſſa, dictæ etiam *Fermentum*: communis fermentatus panis benedictus, ſed extra adminiſtrationem cœnæ in ſymbolum caritatis porrectus.

Exorciſmus, quo *exorciſta* ſuper baptiſandos, catechumenos, & eos, qui immundo ſpiritu vexantur, nomen Jeſu invocat, ut locus detur Spiritui ſancto.

Exſpectativa gratia, literæ, quibus promittitur alicui beneficium vacaturum, & conceditur in futurum.

Feudum eccleſiaſticum epiſcoporum immediatorum, Scepter-Lehen: in quo papa inveſtit per annulum & baculum; imperator in regalibus per ſceptrum; contradiſtinctum feudo ſeculari, dem Fahnen-Lehne/ ducum, principum & comitum, qui inveſtiuntur ab imperatore per vexillum.

Formatæ ſeu *canonicæ literæ*, τετυπωμέναι, erant literæ epiſcoporum ad coëpiſcopos, cum notis π. υ. α. π. ſemper ſubſcriptis, i. e. patris, filii & ſancti ſpiritus.

Foſſarii, qui ſepeliendis corporibus defunctorum operam navant.

Gabellæ, *acciſæ*, tributa, collectæ & exactiones rebus impoſitæ. Dicuntur etiam *Paſſagia*, *Paſceſia*, *Pontivegia*.

Gemeniones, urceoli & ampullæ: quibus adde hydrias, metretas, ſcyphos.

Gibellini, factionis Cæſareæ; *Gvelphi* pontificiæ.

Gvardianatus, res & officium *Gvardiæ*. *Gvardia* eſt ſpecies feudi, quo caſtrum vel territorium alicui datur cuſtodiendum. Hinc *Gvardianus* dicitur, cujus fidei reditus & res eccleſiæ vel monaſterii concreduntur, ut recte adminiſtrentur.

Hegira eſt *æra* ſeu *epocha* Saracenorum & Turcorum, incipiens ab anno Chriſti 622. die 15. Julii, quo tempore Machomet primum exiit ad exercitus colligendos.

Hierarchia, ordo doctorum & presbyterii in eccleſia. Sumitur etiam hierarchia pro variis angelorum ordinibus, diſtinctis *in hyperarchiam*, in qua collocantur Seraphim, Cherubim, Throni: *meſarchiam*, in qua archangeli, angeli, virtutes: & *hyparchiam*, in qua dominationes, principatus, & poteſtates.

Homouſium, ὁμοούσιον, quo catholici confitebantur, filium cum patre eſſe

 ejus-

ejuſdem eſſentiæ, dicti ob id *homouſiani*, ſicuti *homœuſii* vocabantur, qui filium agnoſcebant patri ſimilem, non coëſſentialem.

Hoſpitalia, Xenodochia, in quibus pauperum habetur cura. Dicuntur etiam *noſocomia*. Si pro pupillis inſtituta ſunt, *Brephotrophia*; ſi pro ſenibus, *Gerontocomia*.

Hoſtia, placentulæ rotundæ in uſum cœnæ ſacræ: dictæ etiam *Oblata* & *Corona*.

Iconoclaſta, Iconomachi, qui imagines è templis ejiciunt: *Iconolatra*, qui eas ſuperſtitioſe venerantur.

Interdictum, quo univerſitati aut certæ ejus parti facultas exercendæ religionis adimitur, ne clerici officia celebrent.

Interim, ſuperiori ſeculo dici cœpit liber, in quo Carolus V. religionem conſignari curaverat, quam Proteſtantes obſervarent, usq; ad concilium. Inde *religio interimiſtica*.

Inveſtitura per ſceptrum, qua epiſcopis regalia conceduntur ab imperatore; *per baculum, annulum vel librum*, quo dignitas eccleſiaſtica à papa.

Labarum, militare ſignum ſeu vexillum præcipuum, quod tempore Conſtantini crucis imaginem accepit. Dictum etiam *Cantabrum*. Cujus loco poſtea *Carrocium*, de quo ſupra.

Laborantes, qui corpora mortuorum obvolvunt & obtegunt.

Laici, ſeu populares, quibus licet temporalia poſſidere, uxorem ducere.

Lapſi, qui fidem abnegarunt: quorum alii *ſacrificati*, alii *thurificati*, alii *libellatici*. Vid. quæſt. 32. ſect. 1. hujus libri. *Relapſi* dicuntur, qui in hæreſin abjuratam iterum incidunt.

Lebiton & Lebitonarium, ſeu *Leviton & Levitonarium*, idem quod colobium & dalmatica.

Libellatici, qui gentilium vexam vel tyrannidem data pecunia redimebant.

Liga, fœdus.

Litania, preces & cantus ſolemnes. Quando pompa ſacrificali cum crucibus precantes ſolenniter procedunt longo ordine ad templa per varias ſtationes, Litania nomen accipit *proceſſionum*, *rogationum*, *ſupplicationum*. *Triduana litania* fit diebus rogationum ante Aſcenſionis feſtum in der Creutz-Woche. *Litania Gregoriana* erat VII. dierum.

Litera catholica, circulares, encyclica, ad univerſam eccleſiam datæ: *Divales*

les ſacra, *aut Auguſtalia*, quæ mittebantur ab imperatore ad eccleſias: *Dimiſſoria*, quæ teſtabantur miſſos: *Clerica*, quæ dabantur ſede vacante: *Formata*, *Communicata*, *Canonica*, *Eccleſiaſtica*, *Pacifica*, ad teſtandam alicujus fidem, vel alia cauſa datæ ab epiſcopis: *Tractoria*, quæ dabantur epiſcopis ad ſynodum convocatis ab imperatore, ut viaticum undiq; acciperent: *Privata*, ad paganos aut hæreticos miſſæ, ſine ulla publicæ communicationis, ut pacis, ſalutis & benedictionis, nota. *Breves ſeu Apoſtolicæ*, à Romanis epiſcopis dari conſvetæ. Hæc ex Baronio.

Liturgia: *Officium*: *Miſſa*, celebratio ſacræ cœnæ: ſequioribus ſeculis ſacrificium Miſſaticum ſuperſtitioſum.

Liturgicus liber, *Agenda*: liber agendorum in ſacris eccleſiæ.

Luſtralis aqua, aqua benedicta, cujus aſperſione putant purgari homines, Weih-Waſſer/ q. ſanctificans aqua: ſicut Weih-Nacht / Natalitia Domini ſacra.

Maforte, *ſeu Mavorte*, *ut & Maphorium*, pallium ad tegendum collum & humeros. Iſidorus vocavit *Ricinium*.

Manſionarius & Manſionaticus, cuſtos & conſervator ædium & altarium: quorum major, *Primus Manſionarius* vocabatur.

Manſus ſeu Manſum, ager certæ menſuræ. Eſt vel *indominicatum*, quod in eccleſiæ eſt dominio; vel *Ingenuum*, quod eſt locatum manſuario; vel *ſervile*, quod datum eſt ſub ſervitii conditione.

Mantor, auguſtum pallium, quo collum pariter & humerū contexerunt.

Manus mortua, poſſeſſio immortalis, quæ nunquam ad priorem dominum revertitur. Sic ad manum mortuam dantur illa bona eccleſiæ, quæ non poſſunt reddi vel vendi.

Mappula ſeu Manipulum, linteum vel ſericum, cujus uſus in S. Synaxi eſt.

Mariæ magni privilegia, quorum fit mentio in Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 22. de relig. & c. 13. de reform. quæ nempe ab ipſo pontifice in ſolemni forma dantur.

Martyr, qui tormenta ſive morte, ſive conſtantia confeſſionis ſuperavit.

Matricula, libellus, in quo conſignantur jura eccleſiæ.

Maſſa candida, martyres igne combuſti; *Sarmentitii & Semaſſi*, qui ad ſtipitem aſſis dimidii alligati, ambitu ſarmentorum cremabantur.

Melos, *otis*, pera, pellis etiam caprina dicta.

Memoria martyrum, templa, item feſta ſanctorum.

Menſes papales, ſunt ſex in año menſes imparis numeri, ut Januarius, Martius,

tius, Maius, Julius, September, November: in quibus ſi canonicus diem obit, papa habet poteſtatem conſtituendi ſucceſſorem: ſicuti imperator in reliquis menſibus paris numeri eam obtinet, ut eſt in Concordatis principum Germaniæ cum pontifice Romano, tempore Friderici III.

Miniſterium, quo publica pietatis officia celebrantur in verbo divino legendo & explicando, ſacramentisque adminiſtrandis. Inde *presbyterium* ſeu conventus miniſtrorum, dicitur etiam miniſterium.

Mitra, pileus lineus vel ſericus albus, in album porrectus, & in duas cuſpides diviſus.

Monachus, quaſi ſolitarius, qui virtute regulæ ſolitariæ vivit in monaſterio. Cum à communi hominum conſvetudine abductus, induit cucullam, dicitur *converſus*; cum profitetur, ſe ab hominum conſortio abſcedere, dicitur *Profeſſus*.

Monaſterium, *clauſtrum*, unde Cloſter: cohabitatio monachorum.

Monſtrantia, arcula, in qua reponitur panis conſecratus.

Montes pietatis, pauperum ſublevationes.

Mortuaria, penſitatio monaſteriis facta, quam vocant Todtenfall.

Mundiburdium, *Mundium*, *Mandiburdium*, tutela.

Nacus ſeu Nacchus, pannus laneus ruber, quo equorum ſella, dum pontifex equitat, cooperitur.

Nauffum, *Noffum*, feretrum ſeu ſarcophagus ligneus.

Nomenclator, à quo cujusvis nomen & conditio cognoſci poterat. Erat genus Scribarum, quales ſunt *Regiſtratores*.

Nonna, religioſa mater, præpoſita monialium. *Nonnus*, præpoſitus monachorum. Ipſæ moniales dicuntur etiam Nonnen.

Notarius, qui res geſtas martyrum ſcribebat. Septem autem notariis olim ſeptem *Subdiaconi* fuerunt additi. Omnibus, pace eccleſiæ data, incubuit monumenta ſcriptorum colligere, & conficere: Aucto deinde Notariorum numero ſeptem illi dicti ſunt *Protonotarii vel Regionarii*; reliqui *Notarii ſimpliciter*: quibus additi ſunt XII *Scriniarii*, qui bullas & privilegia paparum ſcribebant. Horum omnium primus, *Primicerius Notariorum*, vel & *Cancellarius* dictus eſt.

Nuncius, legatus de latere.

Oblata, panis in S. cœna: item panes paſchales, Oſterfladen/ corrupte ab oblatis.

Oblationes, ſunt munera pro pauperibus & miniſtris colligi ſolita, ceu ſunt decimæ, primitiæ. *Obla-*

Oblationarii, qui oblationes ſuſcipiebant.
Offertorium, ſyndo ſericus, in quo oblationes populi reponebantur.
Officialis, vicarius epiſcopi in certa diœceſeos parte.
Orarium, faſcia ſeu ſtola, vel & velum, cui epiſcopi pallium ſuper humeros imponunt.
Oratorium, templum.
Oriflambe ſeu *Auriflamma*, vexillum S. Dionyſii, à regibus Francorum ad ejus ſepulcrum, vel etiam ab aliorum martyrum altaribus ſumi conſvetum in expeditionibus, ut felicior pugna eſſet.
Oſſarium, Beinhauß/ ubi in cœmeteriis, i. e. Kirchhöfen/ oſſa effoſſa colliguntur.
Pagani, gentiles non converſi. *Vide lib. 2. ſect. 1. q. 31.*
Pallium, indumentum illud laneum, quod à monialibus ex agni candidi lana contextum, care redimunt archiepiſcopi, & nonnulli epiſcopi.
Papa, epiſcopus: quod nomen deinde ſoli Romani ſibi vendicarunt.
Parabolani, qui ad curanda debilium corpora deputantur.
Paracellarius vel *ſubpulmentarius*, qui pauperibus diſtribuit cibos.
Paragaudæ, holoſericæ veſtes auro intertextæ.
Paramenta, ornatus & miniſteria eccleſiaſtica.
Paraphoniſta, qui in ſchola cantorum poſt Primicerium chorum regunt.
Parochia, quaſi parœcia, locus, in quo degit populus alicujus eccleſiæ. Hinc *parochianus*, qui eſt de parochia: & *parochialis eccleſia*, corrupte Pfarr.
Paſceſium. Vide *Gabella*. Tributum annuum, quod imperatori Turcorum ab eccleſiis Chriſtianorum ſolvendum eſt, dicitur etiam *paſceſium*.
Patena, vaſculum, quo panis conſecratus offertur.
Patrimonium Petri, provinciæ paparum patrimoniales.
Pelvis ad baptiſmum, qua in baptiſandis infantibus utebantur.
Periboleum, pallium.
Phanon, linteamina in vexillis: unde Fahnen.
Phrygium, mitra pretioſa epiſcoporum & paparum in modum coronæ.
Pictation, Pittſchafft.
Planeta caſula, veſtis ſeu penula ſacra, quæ uno intectu totum ambit ſacerdotem.
Platonia, Platte/ in tonſura ſacra accepta in capite, demtis per coronam crinibus.
Plebani, parochiales concionatores.

Nnn *Pæni-*

Pœnitentes, qui in ſcelus prolapſi, ab eccleſia, ſpiritualibus vinculis ſunt ligati, donec reſipiſcant. Erant illorum alii *Lugentes*, qui cum luctu & lacrymis ſtabant extra eccleſiam: alii *audientes*, qui intra porticum templi ſeu prodromum ſtantes, lectioni legis, prophetarum & evangelii intereſſe poterant: alii *ſubſtrati*, qui intra eccleſiæ ſepta poſt ambonem ſeu ſuggeſtum inter catechumenos ſtabant, ſed nondum ſacræ intererant liturgiæ, ſed cum catechumenis dimittebantur: alii *ſubſiſtentes*, qui intererant liturgiæ, ſed nondum communicabant: alii, qui expleto pœnitentiæ tempore, admittebantur cum reliquis ad S. cœnam.

Poſtilla, commentarius in textum, quaſi poſt illa.

Poſtulatus, qui regit epiſcopatum, licet non poſſit canonice eligi: quia in eo eſt vel ordinis, vel ſecularitatis, vel ætatis, vel natalium defectus.

Præbenda, eſt jus percipiendi proventus eccleſiaſticos. *Præbendarius*, qui fruitur Præbenda, alias dictus *Beneficiatus*.

Prælatura, honor ſacer, ut *Prioratus*, *Guardianatus*, *Decanatus*, *Præpoſitura*, *Abbatia*, *Commenda*.

Prælati, antiſtites eccleſiaſtici, ut ſunt *Abbates &c.*

Præſtimonium in ſeſſ. 5. Conc. Trid. cap. de Reform. Præſtanda, Stipendium; bneficium pro lectoribus theologiæ aut aliis bene meritis.

Pragmatica ſanctio, decretum, quod de conſilio procerum imperator vel rex ſtatuit pro rebus eccleſiæ vel univerſitatis.

Precaria eſt, qua res eccleſiæ datur alicui, ut ea utatur, fruatur, ea lege, ut eccleſiæ vel miniſterium exhibeat, vel certam mercedem ſolvat, & ſingulis quinquenniis contractum renovet.

Presbyterium, *chorus*, *exedra*, *camera*, *ſacrarium*, *ſanctuarium*, ἱερατεῖον, locus templi orientalior, in quo ſtant aut ſedent clerici. *Gremiũ templi*, in quo laici. *Porticus*, *Veſtibulum*, in quo pœnitentes. *Presbyterium* dicitur etiam totum miniſtrorum verbi in aliqua diœceſi collegium.

Presbyter, corrupte Prieſter/ qui ſacra adminiſtrat in templis. *Presbyter pœnitentiarius*, *confeſſionarius*, qui pœnitentum exomologeſes, ſeu confeſſiones audit.

Primas, primus inter archiepiſcopos, patriarcha.

Primicerius, primus cæterorum, conſiliarius imperatoris vel papæ: cui ſuccedunt *ſecundocerii*.

Priores & *Prioriſſæ*, dignitatis principalis in monaſteriis.

Protoſpatarius, primarius judex in aula.

Pſal.

Pſalmodia eſt cantus eccleſiaſticus choralis: in quo *Introitus* dicitur, qui concinnitur, cum templum introeunt: *Antiphona* & *Reſponſorium*, cantus in choris alternatim pſallentibus reſonans, in quo electi pueri per Antiphonam alicujus pericopes ex ſacro codice initium faciunt, & totus chorus ſacro aliquo textu, vel aliquo pſalmo Davidico reſpondet. *Intonatio*, initium pſalmi cantandi factum à pueris. *Invitatorium*, exhortatio ferialis ad devotionem cum tono: *Kyrie*, quo κύριος & SS. Trinitas ad miſerendum invitatur. *Gloria in excelſis Deo:* quam presbyter ad altare intimat. *Et in terra pax*, quam chorus ſuccinens precatur. *Collecta*, precatio cum tono. *Sequentia, Proſa*, canticum in proſa: in quo commemoratio beneficiorum in feſtis ſolemnium: cujus loco quandoque cantatur *Graduale: Hymnus*, canticum in metro, in laudes Dei: *Magnificat*, canticum virginale: *Summum, Sanctus*, quo ex Eſa. VI. τρισάγιος celebratur: *Agnus*, quo agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ad miſerendum invitatur: *Tractus*, quo ſyllabæ per varias modulationes diu trahuntur, ut in Threnis & lamentationibus Jeremiæ: *Præfationes*, gratiarum actio cum tono, pro beneficiis ante celebrationem ſacræ cœnæ: *Litania*, preces ſolemnes, quibus pueri ea, quæ precanda ſunt, proponunt; chorus votum addit, ut fiat exauditio. *Completorium*, pſalmus ante exitum è templo. *Benedicamus*, hortatorium feriale ad gratias agendas. *Halleluja*, jubilus in feſtivitatibus lætioribus.

Pſiathus, Pſiathum, teges ſeu ſtorea, cui monachi imcumbunt.

Ptochia, receptacula pauperum.

Pugillares, fiſtula, quibus vinum conſecratum ex calice exſugitur.

Pulpitum, cathedra, vel etiam repoſitorium librorum.

Quadragena, eſt pœnitentia pro peccato mortali XL. dierum.

Rebrachbatoria, ſuccinctoria & redimicula.

Regularis, i. e. monachus.

Reſidentia, perſonalis præſentia clerici in loco muneris ſeu officii.

Roſa aurea, quæ benedicta à pontifice, in Dominica Palmarum, mittitur principibus ad favorem conteſtandum, & conſtat auro, muſco & balſamo.

Roſarium, precum libellus, imprimis Divæ Mariæ virgini ſacer.

Sacellarius, qui ſtipendia operariis diſtribuit, nempe *Theſaurarius*.

Sacrivus Majalis, porcus eccleſiæ vel monachis debitus.

Sanctimoniales, virgines ſacræ.

Schiſma, ſi ſalva fide diſſilitur à fraterna charitate; *hæreſis*, ſi in fide erratur.

Scholaſteriæ, officia & dignitates Doctorum & Magiſtrorum in ſcholis.

Scolares, faces.

Secretarium, locus, quo celebrantur concilia: item locus in templo, quo conditur & promitur pompa miniſterii. Vocatur etiam *Sanctuarium* & *Sacrarium*. Item *Diaconium*, die Sacriſtey.

Septena, eſt pœnitentia ſeptem annorum, ita, ut feria I. III. V. & VII. liceat uti lacticiniis, II. jejunetur uno ferculo concernente jejunium, IV. pane & potu aliquo, VI. ſolo pane & aqua.

Simonia, eſt cupiditas emendi vel vendendi ſpiritualia. *Simoniacus*, qui vendit vel emit illa.

Sticharium, tunica alba lintea.

Suſpenſio eſt pœna, qua clericus ad tempus abſtinere jubetur ab officio. *Depoſitio* eſt perpetua remotio ab officio, ut tamen maneat ſub jurisdictione eccleſiaſtica. *Degradatio*, qua quis ſacris ordinibus exuitur, & ſeculari poteſtati traditur.

Synaxis, conventus eccleſiæ die dominico: & in ſpecie ſacra cœna. *Synagoga* eſt Judæorum; *Synaxis* Chriſtianorum.

Templum, eccleſia, oratorium, martyrium, ædes ſacra, in qua populus ad orandum & verbum audiendum, atq; ſacramenta percipienda convenit. Parvum templum dicitur *ſacellum*, quaſi ſacra cella, & *capella*; majus *Baſilica, Dominica*, unde der Thumb; *κυριακή*, unde die Kercke/die Kirche; *Monaſterium*, unde das Münſter/ i. e. collegiata eccleſia. Romæ dicta ſunt templa *Tituli, parœciæ, diaconiæ*. *Titulis* præerant Cardinales; *parœciis* ſeu *parochiis* presbyteri ſeu parochi curati; *diaconiis* diaconi.

Tituli, vid. *Templum*. *Titulus canonicus* eſt, quo epiſcopus perceptiones & fructus eccleſiæ, cui præfectus eſt, ſibi capit: ſicuti *Commenda* eſt inſpectio, adminiſtratio & cuſtodia eccleſiæ vacantis, conceſſa epiſcopo à pontifice, ut rationem deinde reddat. Sed modernis moribus paſſim, & præſertim in Galliis, Commenda habetur & eſt titulus, nec datur in utilitatem eccleſiæ, ſed in proprium *Commendatarii* commodum. Hoc mihi Joh Siethmannus J. U. D. & collega meus per diſcurſum rogatus ſuggeſſit.

Tractatores, qui ſcripturas ſacras interpretantur.

Tractatus, concio, homilia, ſermo in eccleſia.

Traditores, qui theſaurum eccleſiæ gentilibus tradiderant.

Tonſura clericalis, qua aliquis initiatur ordinibus ſacris vel monachatus. Inde *Tonſuratus*.

Treugæ, induciæ.

Turni & *Turnorum lucra*, in Conc. Trid. ſeſſ. 24, cap. 14. improbata: reditus nempe ſacri, in uſus pios non converſi, ſed Simoniacis promiſſi.

Veſtiarius, qui pontificis veſtes curat.

Vicarius, qui curam alterius in eccleſia ſuſtinet.

Vicaria, officium & reditus Vicarii.

Vicedominus, œconomus, qui epiſcopatum adminiſtrat vel res canonicorum, Vizthumb.

Vigiliæ, conventus *in diebus ſacris veſpertini*. Vocant etiam officium veſpertinum. Poſtea etiam Miſſæ & orationes pro defunctis dici cœperunt Vigiliæ.

Ne vacent pagellæ reſiduæ, vocum eccleſiaſticarum ſyllabo nonnulla ex *computo ſacro* ſubjungam, quæ ex inſtituto eccleſiæ inſerviunt tempori.

In Juliano calendario J. Cæſar, anno ante epocham Chriſtianam 45. poſt conditum mundum 3905. initium anni ad Calendas Januarias, octiduo nempe præter propter poſt ſolſtitium brumale, alligavit, & qvum annum putaret 365. dierum & 6. horarum, ſeu quadrantis diei, pro quatuor quadrantibus quarto quoquo anno integrum diem intercalavit, ut annus tunc vocaretur biſſextus ſeu biſſextilis, ein Schalt-Jahr.

Hoc Julianum Calendarium, & ab Auguſto poſtea correctum, à concilio Nicæno eſt approbatum, niſi, quod abrogatis feſtis paganis, feſtorum eccleſiaſticorum ratio juberetur haberi.

Feſti dies in eccleſia vel ſunt *hebdomatici*, vel *ſolemnes*.

Feſti dies hebdomatici ſunt omnes dies ſolis ſeu omnes feriæ primæ, ſingulis ſeptimanis recurrentes: & in calendario certa aliqua litera rubra ex ſeptem prioribus Alphabeti literis notantur: una quidem in annis communibus; duabus in bisſextilibus: hac nempe ratione, ut primus dies anni ſemper habeat A, ſecundus B, & ſic conſequenter: octavus iterum A, nonus B.

Feſti dies ſolemnes alii ſunt *fixi & immobiles*; alii *vagi ſeu mobiles*.

Feſta fixa ſeu immobilia certis certorum menſium diebus, inſignita certis lite-

literis, perpetuo incidunt, ſive id fiat die ☉ ſive ☽ ſive aliis. Sic circumciſio ſemper incidit in 1. Jan. & habet literam A. Epiphania in 6. Jan. cum litera F. Horum notitiæ inſervit *Calendarium chirometricum* ſeu *Ciſiojanus*.

Feſta mobilia & vaga dependent omnia à Paſchatis mobilitate.

Paſcha nunquam celebratur ante 22. Martii nec poſt 25. April. Et hi duo dies vocantur *Termini paſchales*, intra quos incipit, & quos nunquam excedit, juxta verſiculum:

Paſcha nec undenas Aprilis ante Calendas
i. e. ante 22. Martii,
Nec poſt ſeptenas Maji valet eſſe Calendas
i. e. poſt 25. April.

Invenitur paſcha ſecundum decretum ſynodi Nicænæ, ſi obſervatur dies Dominica, qui ſequitur 14. diem Niſan Judæorum, vel verius plenilunium ejusdem menſis. Si incidit in ipſam diem Dominicam, eligitur proximè ſequens Dominica, ne Chriſtiani eadem die cum Judæis & Quartadecimanis paſcha celebrent.

Paſcha artificioſius invenitur ex characteribus chronologicis, ceu ſunt, *Aureus numerus*, *Cyclus Solis*, *Litera Dominicalis*, *Intervallum minus & majus*: quibus adde *Epactas* & *Indictionem*.

Aureus numerus dicitur etiam *Cyclus Lunæ & cyclus decemnovalis ſeu Enneadecaeteris*, & eſt periodus 19. annorum, quibus elapſis novilunia & plenilunia in priſtinas ſedes redire dicuntur. Hic aureus numerus ſine calculo Aſtronomico *primis annis poſt concilium Nicænum* oſtendit novilunia, plenilunia, & feſtum paſchatos: & ob id per integrum annum in Calendariis appoſitus fuit illis diebus aureo colore, quibus novilunia contigerunt. Sed hic ejus uſus ad monſtranda novilunia, annis à concilio Nicæno remotioribus, exſpiravit, quia deficit & juſto minor eſt, uti diximus *l. 2. ſect. 2. q. 37. & 38.* Interim ad inveniendum paſcha adhuc utilis eſt. Sic autem invenitur; Adde 1. anno dato (*1657.*) Productum (1658) divide per 19. Reſiduum 5. eſt aureus numerus.

Cyclus ſolaris eſt periodus 28. annorum, quibus elapſis feſta immobilia in orbem redeunt. Inventus eſt propter bisſextilem annum, per quem, quarto quoquo anno incidentem, feriæ turbantur. Sic invenitur: Adde 9. anno propoſito (1657.) Productum (1666.) divide per 28. Reſiduum (13.) eſt cyclus Solis.

Lite-

Litera Dominicalis eſt una ex VII. prioribus Alphabeti literis, & denotat ferias Dominicales. Quia autem ſemper primus dies Januarii inſignitur litera A. & ſeptimus litera G. hinc fit, ut in fine ad minimum ſuperſit unus dies, quo minus ad finem circuli literarum, annus unâ terminetur. Hinc non poteſt eadem eſſe litera Dominicalis in proximo anno. Et quidem dies Dominicales in anno communi notantur una & eadem litera: ſed iidem in anno bisſextili alia litera à 1. Jan. ad 24. Febr. ſeu ad diem Matthiæ inſigniuntur: alia à 24. Febr. ad finem anni. Invenitur autem litera Dominicalis beneficio cycli ſolaris & tabella literæ Dominicalis, cum alibi, tum in meo Lexico philoſophico ſub titulo *Litera* invenienda. Juxta hanc tabulam, dato anni (1657.) cyclo ſolari (14.) ſtatim intelligitur, quod (D) ſit litera Dominicalis.

Jam ſi aureus numerus & litera Dominicalis eſt cognita, ex *Tabula paſchali*, (quæ paſſim & in meo Lexico philoſophico ſub tit. *Paſcha* invenitur) facillima opera & ipſo aſpectu deprehenditur in angulo communi, quod paſcha in 29. April. incidat, ſi aureus numerus eſt 5. & litera Dominicalis D.

Intervallum minus eſt tempus inter natalitia Chriſti, feſtum fixum, & inter Eſto mihi, feſtum mobile: nec conſtat ſemper integris ſeptimanis, ſed ſæpe præter illas habet dies aliquot ſuperſtites, quos vocant concurrentes. Hoc intervallum minus invenitur, cum per alia artificia, tum ex Tabula Intervalli minoris, quæ in Ephemeridibus & computo extat. Ex illa Tabula conſtat, quod in anno, in quo eſt aureus numerus 5. & litera Dominicalis D. Intervallum minus conſtet 6. hebdomadibus & 3. diebus concurrentibus. Jam facile paſcha invenitur, ſi à feſto natalitiorum præteriti anni (1656.) numeretur intervallum minus (6. hebd. 3. dies.) Finis enim ejus reprehenſus (8. Febr.) eſt Dominica ſeu feſtus dies Eſto mihi. Hinc ſi numerentur 7. ſeptimanæ, finis illarum (29. Mart.) eſt feſtum Paſchatos.

Intervallum majus eſt tempus inter feſtum Trinitatis & Dominicam primam Adventus. Sic invenitur: Inter diem XXVI. Nov. (olim dictum Lino; nunc Conrado) & IV. Dec. Barbaræ ſacratum, quæ litera Dominicalis incidit, oſtendit Dominicam primam Adventus: ut in anno 1657. litera D. inter diem Conradi & Barbaræ, oſtendit primam Dominicam Adventus cadere in 29. Nov. Hinc verſicu-

ſiculus: *Adventus Domini ſequitur ſolemnia Lini.* Hoc intervallum majus jam continet ſeptimanas XXII. jam XXIII; XXIV; XXV; XXVI; XXVII. prout intervallum augetur vel minuitur. Hoc enim auctiore, illud minuitur; minutiore, augetur.

Biſſextilis annus ſic invenitur: Annum datum per 4. divide. Si poſt diviſionem aliquid reſiduum eſt, non eſt biſſextilis; ſin nihil, eſt biſſextilis. In anno 1657. poſt diviſionem 4. supereſt 1. Signum igitur eſt, non eſſe biſſextum, ſed primum poſt biſſextum. Biſſextus autem eſt 1660. in quo, facta per 4. diviſione, nihil eſt reſiduum.

Epactæ ſunt 11. dies, quibus annus communis ſolaris 365. dierum, ſuperat annum lunarem 354. dierum: quarumque beneficio ætas lunæ cognoſcitur. Sunt igitur nihil aliud, quam exceſſus Solis ſupra ☽. progrediens per 11. donec incurrat in 30. & inveniuntur hoc pacto: Aureus numerus (5.) multiplicatur per 11. Qvotiens (55) dividatur per 30. Quod ſupereſt (25.) ſunt Epactæ. Unde intelligitur, quod epacta conſurgat ex acceſſione 11. dierum ad epactam anni præcedentis. Et dies illæ 11. quæ in finem ultimi menſis Lunaris conjiciuntur, vocantur *Epagomenæ.*

Indictio, der Römer Zinszahl/ eſt intervallum 15. annorum. Eſtque vel *Cæſarea*, incipiens à 24. Sept. quam obſervant Cæſarei Notarii; vel *Pontificia*, incipiens cum anno Calendis Jan. quam obſervant pontificii. Invenitur juxta verſiculum:

Si tribus adjunctis Domini diviſeris annos,
Ter tibi per quinos Induction certa patebit.

Adde 3. anno dato (1657.) Productum (1660.) divide per 15. Quod poſt diviſionem relinquitur (10.) eſt indictio Romana.

Invento paſchate, feſta mobilia reliqua facile inveniuntur. *Septimana*, proxima ante paſcha, dicitur *magna*, die Karrwoche/ dicta à Karr i. e. ſatisfactione & pœna, quia in hac ſeptimana exigebatur ſatisfactio, ein Abtrag pro admiſſis per annum peccatis: quæ ſi jejuniis ſolvebatur, dicebatur *carena* ſeu *carrina*, de qua ſupra: unde Karrwoche. In hac magna ſeptimana, quinta feria dicitur *dies viridium*, der Grüne Donnerſtag; ſexta *paraſceve*, Stiller Freytag; ſeptima *ſabbatum paſchatos*, in quo conſecrarunt cereum paſchalem. Dominica ante paſcha vocatur *Palmarum* ſeu *Paſcha floridum.* Sex ſeptimanis ante paſcha eſt *Quadrageſima.* Tempus inter feriam quartam ante Quadrageſimam, quæ dicitur dies cinerum, Aſcher-

Aſcher-Mittwoch/ inqve qva incipit *carnis privium* i. e. abſtinentia ab eſculentis & lacticiniis, & inter paſcha, dicitur *Qvadrageſimale:* dicatum jejunio, qvo Chriſti jejunium in deſerto æmulari volebant. Cum autem Clerici populum ordine præcedant, ut etiam ſanctitate præcederent, juſſi ſunt duobus ante diem cinericium diebus jejunare, & ſic facta eſt *Qvinqvageſima* ſeu *Eſto mihi.* Sed qvia non jejunabant in qvintis & primis feriis, (non in illis, propter cœnam dominicam & adſcenſionem Chriſti in cœlos; nec in his propter reſurrectionem ejusdem,) in redemtionem qvintarum, addita eſt *Sexageſima*, & in primarum *Septuageſima* : & ita ſimul voluere repræſentare LXX. annos captivitatis Babylonicæ: totoqve illo tempore intermiſſa ſunt cantica lætitiæ & laudis. Gregorius M. tandem ſeculo VII. injunxit etiam jejunium qvintis & primis feriis toto Qvadrageſimali tempore. Cæterum Dominicæ inter Qvinqvageſimam & Paſcha, ut & inter Paſcha & Pentecoſten, pleræqve ab initio Introituum, qvi in illis canuntur, nomen ſortiuntur, & dicuntur *Invocavit: Reminiſcere: Oculi: Lætare: Judica: Palmarum: PASCHA: Qvaſimodogeniti: Miſericordias domini: Jubilate: Cantate: Vocem jucunditatis: Exaudi: PENTECOSTE*: qvas omnes aliqvando comprehendi verſibus mnemonicis, ſi literæ initiales obſerventur:

In Reprobos Orcum Lex; Ignem Pœna Paravit:
Qvam Mibi Jucunda Cantica Vocis Erunt!

Ipſum *Paſcha* Germanis dicitur Oſtern qvaſi Urrſtehn i. e. Aufferſtehn; *Pentecoſte*, qvaſi qvinqvageſimus à paſchate, corrupte dicitur Pfingſten. Dominica Vocem Jucunditatis dicitur etiam *Dominica Rogationis*, die Bet-Woche in prioribus diebus. In qvintam ejus feriam incidit *feſtum Aſcenſionis.* Proxima Dominica poſt Pentecoſten eſt *feſtum Trinitatis*, in cujus feria V. ſuperſtitioſe celebratur feſtum corporis Chriſti, Fronleichnams-Tag. Fron i. e. ſummum: ſicuti Fron-Altar/Fron-Dienſt. Dominica Qvaſimodogeniti dicitur etiam *Septimana in Albis*, in qva neophyti candidis veſtimentis utebantur.

Circa initia IV. Qvartarum ſeu Qvadrantum anni, in qvibus hyems, ver, æſtas, autumnus incipit, pontificii feria IV. jejunium celebrant, qvod vocant *Qvatembrem.* Vid. Angaria.

Sed ſatis in hac turbulenta ecclеſiæ ætate verſatis, qva pontifex Romanus regimen eccleſiæ variis idolomaniis corrupit, ad illa tempora pergere placeat, in qvibus regimen politicum idem tyrannus invaſit, & Germanicos imperatores ad arbitrium & lubitum compoſuit, illis tamen, ſubinde invaſores regnorum animoſe reprimentibus.

LIBER TERTIUS,
SECTIO PRIMA
DE ECCLESIA CHRISTI Sub Impp. Germanicis, USQVE AD REFORMATIONEM LUTHERANAM.

QVÆSTIO I.
Qvænam fuit eccleſiæ in hac ætate facies?

HActenus Pontifices regimen eccleſiæ variis idolomaniis, corruptelis, & ſuperſtitionibus traditionum humanarum corruperunt. Nunc tandem cœperunt ex ſuo, tanqvam numinis cujusdam cœleſtis, nutu, non ſaltem eccleſiarum, ſed & politiarum gubernatores ſuſpendere: imperia & regna legitimis poſſeſſoribus extorqvere: & plane, veluti Monarchæ, leges in orbe Chriſtiano figere & refigere. Hanc tamen inſolentiam non ſemel imperatores caſtigarunt, ut debitam ſibi majeſtatem aſſererent, & poteſtatem conſtituendi pontificem ſibi ſuo jure repoſcerent: donec tandem tempore Henrici IV. potentia paparum converteretur in affectatam omnipotentiam. Illis enim monarchiam diu meditatam adornantibus, cum duo obſtare viderentur, verbi divini majeſtas, & legum humanarum autoritas, clauſtra utriusqve juris divini & humani technis mirandis perrupta ſunt. Qvamprimum enim Lotharius imperator, vel, ut G. Calixtus in epitome theologiæ moralis probat, Mathildis, cujus imperio magna pars Italiæ paruit, jus Romanum, opera Irnerii ſeu Werneri reparatum, in forum qvaſi poſtliminii jure reduceret: pontifex, id frenum ſuis cupiditatibus injectum eliſurus, callide *jus novum ex pontificum decretis* compilari, & ad ſta-

ſtabiliendum ſuum regnum promulgari curavit. Et *Gratianus* qvidem, monachus, ſeculo XII. ſub Eugenio III. poſt Ivonem Carnotenſem, & Burchardum Wormatienſem, ad imitationem pandectarum juris civilis, ex conciliorum decretis patrumqve ſcriptis, *opus decretorum* compoſuit, & in ordinem atqve concordiam diſcordantes canones, nullo autorum delectu, qvos allegavit, redigere tentavit. Inde etiam *Decretum Gratiani* appellari ſolet. Qvod deeſſe videbatur, *Palea*, diſcipulus Gratiani, adjecit. Majoris tamen ſunt autoritatis *qvinq; libri Decretales*, qvos Gregorius IX. ad imitationem codicis Juſtinianei, circa annũ cIↄCCXXVII. ex pontificum epiſtolis, opera Raymundi de Penna forti. promulgavit. His cum Bonifacius IIX. aliqvid deeſſe intelligeret, ſtudio Dini Mugellani, *Novellas conſtitutiones* ex ſuis ſuorumq; anteceſſorum decretis publicavit, *Sexti Decretalium* nomine. Et tandem Clemens V. & Johannes XXII. *Clementinis Conſtitutionibus & Extravagantibus* anno cIↄCCCXVII. operi faſtigium impoſuere, relicta tamen ſucceſſoribus poteſtate integra, nova ſubinde condendi decreta, ſanctiones & bullas: qvarum tanta cœpit eſſe farrago, ut Antonius Bladus vix *tribus tomis Bullarii Romani* eas comprehendere poſſet. Paulus IV. *Inſtitutiones Juris canonici* opera Lancellotti addidit, & Gregorius XIII. ſuperiori ſeculo *ſeptimum Decretalium* per Petrum Matthæi componi curavit, qvi tamen corpori Canonico nondum inſertus eſt. Hoc eſt illud *Jus Canonicum*, qvod pontificem legibus ſolvit: dominum univerſi generis humani conſtituit: imperatori, ut qvem deponere poſſit, longis paraſangis anteponit. Et, *ut Cornelius Agrippa loqvitur*, ex hujus juris canonibus & decretis didicimus, Chriſti patrimonium eſſe regna, caſtra, donationes, fundationes, allodia, opes ac poſſeſſiones: & ſacerdotium Chriſti, eccleſiæqve primatum, eſſe imperium & regnum: & gladium Chriſti eſſe jurisdictionem ac poteſtatem temporalem: & petram ac eccleſiæ fundamentum eſſe perſonam pontificis: & epiſcopos eſſe eccleſiæ non miniſtros modo, ſed & capita: & bona eccleſiæ modo non eſſe doctrinam evangelicam, ardorem, fidei, contemtum mundi, ſed vectigalia, decimas, oblationes collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum: & ſummi pontificis eſſe, gerere bella, diſſolvere fœdera, ſolvere juramenta, abſolvere ab obedientia, & domum orationis facere ſpeluncam latronum.

Heinr. Gandav. de vir. Illuſtr. cap. 49. Antonin Florent. Tit. 18. c. 6. Sabell. Enn. 9. lib. 4. pag. 368. Sigon. lib. 11. de Regno Ital. A. 1152. Aventin. lib. 6. Annal. Bojor. pag. 496. Forſter in Hiſt. Jur. lib. 3. cap. 6.

II. Stupendam pontificum audaciam enarras. Sed qvidnam illi ad verbi divini majeſtatem?

Tribechov. de Doctorib. Theologiæ Scholaſticæ. Himmel. de Theol. Scholaſt.

Hanc ut imminuerent, non ſolum theologiam cum philoſophia confundere, ſed & traditiones ſuas cũ verbo divino pares eſſe juſſere. Qvem ipſum in finem *theologia ſcholaſtica* adinventa eſt, ductu *Petri Lombardi*, Pariſienſis epiſcopi, *Magiſtri ſententiarum* cognominati, qvi circa annum cIↃCLX. theologia argutis & otioſis qvæſtionibus obſcurata, aut, *ut Trithemius ait in Petro Abelardo*, per philoſophiam ſecularem curioſitate inutili fœdata, vim ſcripturæ eliſit & labefactavit, atqve à Chriſto, à fide, à cultu DEI vero, ad tricas inutiles eccleſiam abduxit, ſermonemqve purum & proprium horrenda barbarie deformavit. Ita factum eſt, ut, libris propheticis & apoſtolicis neglectis, id tantum haberetur ratum, qvod vel magiſter ſententiarum docuiſſet, vel curia Romana probaſſet. Alligabatur eccleſia Chriſti ad arbitrium papæ: libertas evangelica ſervituti pontificiæ ſubjiciebatur: tutius habebatur à ſcriptura, qvam à decretis Romanæ ſedis decedere. Si qvibus conatus hi nefarii minus placerent, hæretici confeſtim audiebant, & vel capitis ſupplicio culpam eluebant, vel metu periculi continebantur. Qvanqvam autem Lombardus hac ratione theologiæ ſcholaſticæ chaos eccleſiæ obtruſit: viam tamen jam antea ſtraverat in Anglia *Lanfrancus*. Hunc qvi ſecuti ſunt, *Hugo de S. Victore*, *Gratianus*, & *Petrus Comeſtor*, qvi hiſtoriam ſcholaſticam compilavit, Lombardi frater, ſtrenui erant profanæ literaturæ propagatores. Imprimis *Alexander de Ales*, Anglus, qvi circa annum cIↃCCXLVII. floruit, commentariis in Magiſtrum ſententiarum editis, novum docendi modum confirmavit. Qvem ſecuti ſunt *Albertus Magnus*, epiſcopus Ratisbonenſis: *Thomas Aqvinas*, doctor ille Angelicus: *Bonaventura*: *Petrus Hiſpanus*: *Jacobus de Voragine*: *Henricus Gandavenſis*: *Johannes Duns, Scotus*, Magiſter ille ſubtilis & vere σκοτεινός: *Alanus de Inſulis*, doctor univerſalis dictus: *Nicolaus de Lyra*: *Gvilielmus Occam*, Anglus, Scaligero lima ſubtilitatis dictus, qvi præter alia dialogos adverſus Johannem XX. edidit: *Alexander de Alexandria*: *Durandus* tandem, doctor ille irrefragabilis. Poſt qvem ſcholaſtica illa theologia magis magisqve intricata, prorſus ſpinoſam induit faciem. Illam aliqvi diſtingvunt *in primam, mediam & ultimam*: qvarum *illam* incipiunt à Lanfranco; iſtam ab Alberto Magno; hanc poſt Durandum: in qva circa annum cIↃCCCXXX. *Johannes de Regno. J. Capreolus, Bernardinus Senenſis, Petrus de Aliaca, Gabriel Biel, Holcot, Bicot, Tricot*, & qvi alii hos ſecuti ſunt, *nova ſua & prophana doctrina, ut recte ſolitus eſt dicere Lutherus*, evacuarunt theologiam crucis, &, *ut Melanchthon in apologia pro Luthero recte cenſuit*,

ſuit, nihil ſalvi reliqverunt eccleſiæ, qvia evangelium obſcuratum eſt, fides extincta, recepta operum doctrina, & pro Chriſtiano populo, ne legis qvidem, ſed moralium Ariſtotelis populus extitit, & ex Chriſtianiſmo, contra omnem ſenſum Spiritus, facta eſt qvædam philoſophica vivendi ratio. *Albertus Magnus* imprimis Ariſtotelem, jam pridem in limen theologiæ à ſuperioribus introductum, in intima & adyta ejus intromiſit. Superiores patrum dicta; hic qvoqve Ariſtotelis ſcripta verbo divino æqvavit. Contemtui ſcripturæ ſacræ acceſſit ſumma lingvarum ignorantia. Græce noſſe, ſuſpectum erat; Hebraice, hæreticum. *Sententionariis, Summiſtis, Qvodlibetariis* omnia perſonabant: qvorum *illi*, more Scepticorum, in utramq; partem omnia adverſis Thomiſtarum & Scotiſtarum factionibus ventilabant: *iſti* ſummas, eclogas & epitomas decretorum, canonum, conciliorum, caſuum comportabant: *hi* tandem, oſtentandi ingenii magis, qvam veritatis inqvirendæ cauſa, in utramqve partem de qvavis qvæſtione, & ſine deciſione, diſputabant. Dicti ſint aliqvi eorum *Reales*, qvorum anteſignan, Thomas & Scotus, contendebant, res eſſe in prædicamentis; aliqvi *Nominales*, ut Occam & Marſilius, qvi nomina tantum eſſe in prædicamentis cenſebant. De omnibus audiatur *cenſura Eraſmi in compendio theologico*: Si qvis, inqvit, veteres illos theologos, Origenem, Baſilium, Chryſoſtomum, Hieronymum, cum hiſce recentioribus comparet conferatqve, videbit, *illic* aureum qvoddam ire flumen: *hic* tenues qvosdam rivulos, eosqve nec puros admodum, nec ſuo fonti reſpondentes. *Illic* tonant oracula veritatis æternæ; *hic* nuda hominum commentula, qvæ qvo propius inſpicias, hoc magis ſimilia inſomniis evaneſcunt. *Illic* ſolidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium ſurgit in altum; *hic* futilibus hominum argutiis, aut etiam adulationibus, non minus inanis, qvam immanis ſuperſtructa machina, tollitur in immenſum. *Illic* velut in feliciſſimis hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis; dum *hic* inter ſpineta ſterilia dilaceraris & torqveris. *Illic* majeſtatis plena omnia; *hic* adeo nihil ſplendidum, ut pleraqve ſordida, parumqve digeſta dignitate theologica.

III. Num autem hoc tempore, qvo anhelabat gens Chriſtiana ſub jugo pontificio, eccleſia Chriſti in gentes incredulas propagata legitur?

Pontifices, qvi totius orbis epiſcopatum & dominatum ſibi vendicaverant, non poterant non ſingulari ſtudio huic rei incumbere, ut ſub

Chriſti nomine multas ſibi gentes ſubmitterent. Interim aliæ eccleſiæ, qvæ pontificum potentiam non admittebant, propagationem cœleſtis veritatis unice qværebant. Et hanc ob cauſam ſeculo IX. *Bulgari & Ruſſi*, teſte Zonara tomo III. ſecundum ceremonias Græcas eccleſiæ initiati ſunt: illi qvidem, ut à peſte & fame liberarentur; hi verò, cum codicem Biblicum ab igne illæſum conſpexiſſent. Horum Ruſſorum epiſcopus Græcæ, non Romanæ religionis, cœpit eadem cenſeri autoritate, qva reliqvi patriarchæ: ſedesqve ejus fuit initio Kioviæ ad Boryſthenem; deinde translata eſt Moſcoviam. Carolus M. imprimis Chriſtianam fidem longe lateqve diſſeminavit: & *Chaganus, Hunnorum & Avarum rex; Wittekindus dux Saxonum*, à decupla ad idola ſua Irmenſeu, & Crodon defectione notiſſimorum; *Holſati* qvoqve *Dithmarſi, Vandali, Veneti, & Slavi*, magnam partem ad Chriſtum, prudentia & induſtria ejus, converſi, abunde teſtantur, qvantus in optimo imperatore zelus pietatis fuerit. *Biornus etiam, Gothorum & Suecorum rex*, ab eo ſacerdotes, à qvibus de religione cum ſuis doceretur, petiit & obtinuit. Mortuo verò hoc eccleſiæ nutritio, *Haroldus ſeu Harioldus, Danorum rex*, regno ſuo pulſus, cum ad filium Caroli, Ludovicum confugiens, ſui in regnum reſtitutionem peteret, animæ ſalutem impetravit: totaqve Danorum gens tractu temporis majeſtatem Chriſti agnovit. Hoc nono ſeculo ad fidem etiam converſi ſunt *Bohemi & Moravi*, ſub Borivorio, per Methodium. *In Rugia* qvoq; per monachos Corbienſes evangelium prædicatum eſt, & templum ibi in honorem S. Viti conditum: qvem Vitum poſtea Rugiani, cum exactiones decimarum, primitiarum & aliorum ſacrorum cenſuum admittere amplius nollent, ad idolorum cultum reverſi, in idolum *Soantevici* mutarunt. *Seculo X.* ad gremium eccleſiæ ſe receperunt *Poloni* ſub Micislao; *Hungari*, ad præconium Adelberti, epiſcopi Pragenſis, ſub Gaiza; *Mechlenburgenſes* ſub Bilungo; *Sileſii* item, *Norvegi & Normanni.* Et qvia hoc tempore Henricus I. imperator, marchiones paſſim in limitibus imperii conſtituit, doctoribus, eccleſiarum ubiqve data eſt occaſio idola deſtruendi. *Seculum XI.* pene totum à papis transactum eſt in majeſtate imperatorum infringenda, & hæreſi Hildebrandina, cujus telam exorſus eſt Gregorius VII. alias Hildebrandus dictus, propaganda. Illo tamen exeunte, cum cruciata ſeu ſacra expeditio ad recuperandam terram ſanctam ſuſciperetur, multa paſſim in oriente templa reſtaurata ſunt, antea à Saracenis everſa. *Seculo XII.* in *noſtra Pomerania* lux veritatis per Ottonem, epiſcopum Bambergenſem, accenſa eſt. *Livonia* etiam per mercatores

Alſted. in Chronol. Converſionis Gentium.

tores

tores Bremenſes detecta, & per Mainardum, Canonicum Segebergenſem primum, poſtea Livonorum epiſcopum, converſa eſt. *Boruſſi* etiam ſeu *Pruteni* partim per regem Poloniæ, partim per Teutonicos milites idolis ſubtracti ſunt: *Carelii* item per Petrum, Aroſienſem epiſcopum, baptiſati. *Seculo XIII.* rex Svecorum *Finlandos* ad fidem amplexandam compulit: & *Jazyges* à Boleslao pudico, Polonorum rege, Chriſto ſunt acqviſiti. *Mangoni* etiam, *magno Tartarorum Chamo*, rex Armeniæ ſacra noſtra perſvaſit: ſed poſtea Tartari aut ad Saraceniſmum, aut ad paganiſmum rediere. *Seculo XIV. Raymundus Lullus* ter in Africam trajecit, & publice impietatem Saracenorum damnavit, eosqve ad fidem Chriſti invitavit, ſed fruſtra: Martyrio tamen eſt coronatus. *Jagello* interim, magnus dux Lithvaniæ, rex Polonorum electus, ſacra ſuſcepit Chriſtiana. *Seculo* XV. *Samogitæ*, in confinio Lithvaniæ, Boruſſiæ & Poloniæ, Jagellonis cura ad Chriſtum pertracti ſunt. *Regnum etiam Congi in Æthiopia per Luſitanos Chriſto acqviri cœpit, operam piam Johanne rege navante.* Qva tandem ratione religio Chriſtiana, fermento tamen pontificio depravata, *in novas orbis partes, à Luſitanis & aliis detectas*, tranſierit, ſeqventi eccleſiæ ætate explicandum ſuſcipiemus.

IV. Interim enarra doctores hujus ætatis celebriores.

Id qvidem ita faciam, ut in unoqvoqve ſeculo eos diſtingvam in *ſcriptores celebriores*, & in *teſtes veritatis*, qvi papæ impietatem abominati, teſtimonium veritati dederunt. *Inter viros igitur doctos ſeculi* IX. *Nicephorus*, epiſcopus Conſtantinopolitanus, Chronologiam, & qvatuor opuſcula contra iconomachos conſcripſit. *Anaſtaſius*, Romanus abbas & bibliothecarius, acta ſynodi Conſtantinopolitanæ & vitas Sanctorum conſignavit, & alia nonnulla in ſermonem Romanum tranſtulit. Hiſtoriæ conſuluerunt *Freculphus* Lexovienſis in chronico univerſali: *Walafridus Strabo* in libro de rebus eccleſiaſticis: *Hippolytus*, Thebanus, & *Ado* Vienenſis in chronicis: *Petrus Siculus* in hiſtoria de hæreſi Manichæorum: *Simeon Metaphraſtes* in vitis Patrum: *Photius*, epiſcopus Conſtantinopolitanus, bis patriarchatu depoſitus, in Nomocanone & Bibliotheca: *Johannes diaconus* de vita Gregorii Magni: *Aimonius*, monachus Gallus, de rebus geſtis Francorum: *Nithardus*, Caroli Magni ex Bertha filius, in libris IV. de diſſidio Ludovici Pii: *Turpinus*, epiſcopus Remenſis, in duobus libris de geſtis Caroli M. *Eulogius*, Toletanus in Memoriali martyrum, ubi tribus libris deſcripſit martyria Cordubenſium tempore perſecutionis Saracenorum in Hiſpania: *Idiota*, Italus, de amore divino, de Maria vir-

Gerhard. in Patrol. Olear. in Abaco Patrolog.

virgine, de vera pœnitentia, de continuo conflictu carnis & animæ, de innocentia perdita, de morte, libros edidit. *Lupus*, abbas Ferrariæ, ſcriptis de libero arbitrio, prædeſtinatione, & ſangvine Chriſti inclaruit: cujus epiſtolæ, uno volumine comprehenſæ, Pariſiis editæ ſunt. *Anſegiſus*, epiſcopus Senonenſis, eccleſiaſtica & politica ſtatuta Caroli & Ludovici conſignavit. *Jonas*, epiſcopus Aurelianenſis, contra orthodoxum Claudium Taurinenſem jam defunctum, calamum ſtrinxit ſuperſtitioſum, in qvæſtione de cultu imaginum & interceſſione Sanctorum. Qvam etiam materiam tractarunt *Theodorus Studites*, cujus ſermones catechetici CXXXIV. è Græco adhuc extant: & *Dungalus*, cujus liber reſponſionum adverſus Claudii Turinenſis ſententias ad Ludovicum imperatorem in Bibliotheca Patrum legitur. *Notherus*, Germanus, philoſophus, poeta, muſicus, aſtronomus & theologus, hymnos ad miſſas decantandos modulatus eſt. *Franco* antiphona & reſponſoria concinnavit. *Rabanus Maurus*, Germanus natione, profeſſor Pariſienſis primum, deinde abbas Fuldenſis, & archiepiſcopus Moguntinus, in univerſam S. Scripturam commentarios edidit, & de plerisqve fidei articulis luculenter ſcripſit. *Aymo* vel *Haymo*, epiſcopus Halberſtadenſis, Caroli M. præceptor in univerſam Scripturam & ipſe commentatus eſt, & homilias, aliosqve tractatus reliqvit. Commentati etiam ſunt hoc ſeculo *Aponius* in Canticum canticorum; *Angelomus*, monachus Luxovienſis in IV. libros Regum & in Canticum; *Chriſtianus Druthmarus*, Grammaticus, Aqvitanicus in Matthæum, Lucam & Johannem; *Ambroſius Ansbertus* in Pſalmos, Canticum & Apocalypſin; *Remigius Altiſiodorenſis*, in XI. poſteriores prophetas & pſalmos, ut & in Matthæum & Pauli epiſtolas; *Paſchaſius Ratbertus*, abbas Corbejenſis, in Threnos & Matthæum: qvi ipſe etiam in negotio cœnæ Dominicæ, contra Bertramum defendendo, copioſus fuit. *Halitgarius Cameracenſis* de vitiis & virtutibus pœnitentum libros V; *Amalarius Fortunatus Trevirenſis* & *Valafridus Arabus*, libros de eccleſiaſticis officiis & ritibus ediderunt. *Strabus* cœpit Gloſſam ordinariam in Biblia ex commentariis contexere. *Agobardus* præter alia opera adverſus Judæos ſcripſit: qvos etiam & Saracenos egregiis ingenii ſagaciſſimi monumentis confutavit *Theodorus Abucara*, Cariæ epiſcopus. *Otfridus* Wiſſemburgenſis, diſcipulus Rabani, hiſtoriam evangelicam, qvinqve libris antiqvo idiomate Germanico, qvod vix hoc noſtro ſeculo intelligas, rhytmice deſcripſit. Ipſe etiam Ludovicus Pius imperator præcepit *cuidam de gente Saxonum*, qvi apud ſuos non ignobilis habebatur, & cui jam ante

in

in ſomnis, dum adhuc artis hujus ignarus eſſet, idem præceptum erat, ut ſacras hiſtorias & leges ad cantilenam Germanicæ lingvæ coaptaret, ut eſt apud Drogonem Metenſem libro IX. *Ansgarius*, epiſcopus Bremenſis, vitæ ſanctimonia clarus, fidem in Saxones, Danos. & Svecos propagavit, & epiſtolis variis piam eruditionem poſteris commendavit. Qvem imitati ſunt ſucceſſores, *Rembertus* & *Adalgarius*.

V. Qvosnam in ſeculo IX. contra Papæ impietatem teſtes veritatis producere potes?

Qvi ex imperatoribus, tyrannide pontificia preſſis, teſtes veritatis fuerint, eos in hoc catalogo non recenſebo, reſervaturus eos ipſi pontificum hiſtoriæ. Interim in hoc nono eccleſiæ ſeculo *Bertramus* contra transſubſtantiationem docuit: ſic tamen, ut multis videatur abſentiam corporis Chriſti in cœna ſtatuere: de qvo plura *qvæſtione 30. ſubſeqvente*. *Johannes Erigena*, Scotus cognominatus, Græce, Arabice & Chaldaice doctus, profeſſor Oxonienſis, cum multis philoſophicis & theologicis ſcriptis acumen ingenii ſatis demonſtraſſet, & præterea Miſſam pro vivis & mortuis ſacrificium eſſe negaſſet: ſtylis diſcipulorũ, qvorum vitia taxaverat, monachorum impulſu, anno IↃCCCXXCIV. confoſſus periit. Extat in Bibliotheca Patrum adverſus eum liber eccleſiæ Lugdunenſis de prædeſtinatione & præſcientia divina, deq; vera humani arbitrii libertate. Præter hunc *Hulldericus*, epiſcopus Auguſtanus, homo vere pius, & zelo DEI præditus, acerrime conjugium ſacerdotum contra Nicolaum papam defendit, novem uſus argumentis, *qvæ vide in Centuria Magdeburgenſium IX. & in Catalogo Teſtium Veritatis* Nota eſt ejus epiſtola, lectu digniſſima, qvanqvam novitii antiqvitatis expurgatores ei parum tribuunt: qvæ teſtatur, Gregorium Papam, cum die qvadam è vivario piſces afferri juſſiſſet, allata inde multa infantum capita vidiſſe, &, cœlibatu damnato, apoſtoli dictum probaſſe, melius eſſe nubere, qvam uri. Eadem ratione *Claudius Antiſiodorenſis*, qvi ipſe videtur vocari *Cl. Taurinenſis*, inſtaurator ſcholæ Pariſienſis, qviqve commentatus eſt in epiſtolam ad Galatas, Caroli M. tempore, Bonifacio, Germanorum, ceu dicebatur, apoſtolo, (qvia ſub jugum pontificis eccleſias Germanicas traxit) animoſe reſtitit, reliqviarum & imaginum cultum oppugnavit, cœlibatũ ſacerdotum improbavit, & ob id hæreſeos notam incurrit. *Methodius Illyricus*, circa annum IↃCCCLX. *teſte Aventino libro IV. annalium Bavariæ*, Dalmatas, aliosqve Illyricos impulit, ut, abolita lingva latina, qvam obtruſerant

Matth. Flacius in Catal. Teſt. Veritatis.

Romanenſes, vulgari in ſacris myſteriis peragendis uterentur, & multum ſuperſtitionis ritibus detraherent: qvem ipſum etiam in finem ſacras Scripturas in lingvam Vandalicam converti curavit. Et hic eſt, qvi *cum Cyrillo* primus in Bohemiam & Moraviam fidem propagavit. Idem Aventinus teſtatur, epiſcopum Colonienſem *Güntherum*, & Trevirenſem *Thetgandum* ſic Papæ Nicolao, reſcripſiſſe: *Tu pontificis qvidem perſonam præ te fers; at tyrannum agis. Sub habitu & cultu paſtoris lupum ſentimus. Titulus parentem mentitur: Tu te factis Jovem oſtendis. Cum ſis ſervus ſervorum, dominus dominorum eſſe contendis. Fucus es factus Chriſtianis.* Confer hæc ex *Catalogo teſtium veritatis epiſtolam Luitperti*, archiepiſcopi Moguntini, qva judicat, graviter errare papam, & ipſum imperatorem, ut eum caſtiget, hortatur. Qvam egregiam etiam reformationem Spiritualium (cœperunt enim eccleſiaſtici ſic vocari) *Ludovicus Imperator* inſtituerit in comitiis Aqvisgranenſibus, paſſim apud hiſtoricos legere eſt. Cum hoc imperatore *Drogo*, filius Caroli M. ex pellice, epiſcopus Metenſis, & *Hincmarus*, archiepiſcopus Remenſis, poeta & theologus inſignis, adverſus Papam ſenſerunt. Et *Johannes*, archiepiſcopus Ravennæ, ſuis noluit concedere, ut Romam viſitarent, aut ad pontificem provocarent. Ideoqve excommunicatus qvidem eſt: ſed ille nihilo remiſſior, voce & ſcriptis papam vocavit Antichriſtum.

VI. Hoccine jam tum contra papam auſi fuerunt aſſerere? Sed qvinam fuerunt viri docti & teſtes veritatis in ſeculo X.

Hoc ſeculum meruit, ut à Genebrardo dicatur infelix, exhauſtum hominibus ingenio & doctrina claris. Inveniuntur tamen nonnulli præ reliqvis celebriores: inter qvos *Theophylactus*, epiſcopus Bulgarorum, qvem tamen Baronius collocat in ſeculum ſubſeqvens, enarrationes in qvatuor evangelia, omnes epiſtolas, & aliqvot prophetas minores conſcripſit: *Luitprandus*, hiſtoricus, libros VI. rerum per Europam geſtarum edidit: *Ratbbodus*, epiſcopus Ultrajectenſis, præter homilias, Sanctorum nonnullorum laudes conſignavit. *Ratherius* de corpore & ſangvine Chriſti, deqve Anthropomorphitarum hæreſi & aliis rebus commentarios reliqvit, deqve ſeipſo hoc fudit monoſtichon:

Veronæ præſul, ſed ter Ratherius exul.

Radulphus Flaviacenſis, hiſtoricus, præter alia opuſcula, XX. libros in Leviticum concinnavit. Adde his *Wittichindum*, monachum Corbejenſem,

Sa-

Saxonum hiſtoricum: *Reginonem*, Abbatem, hiſtoricum Francorum: *Frodoardum*, Abbatem, chronologum Remenſium: *Dunſtanum*, *Odonem*, *Giſelbertum & Smaragdum*, abbatem Poſtillatorem, Anglos: *Vitellionem*, Opticum; *Roſvindam* deniqve virginem, qvæ latino ſermone VI. comœdias ſcripſit,& prætereа panegyricum de geſtis Ottonum, aliaq; opuſcula, poſteritati commendaſſe dicitur. Scripſerunt etiam *Stephanus Eduenſis* de ſacramento altaris,& *Moſes Barcepha Syrus* de paradiſo. Inter *teſtes veritatis* hoc ſeculo *Serlo Anglus* contra monachorum libidines & cœnobitarum ſordes acrem & aculeatum librum edidit,& *Arnulphus Aurelianenſis* in ſynodo Remenſi audacter Papam nominavit Antichriſtum. Verba ejus inter alia hæc ſunt: *Qvid hunc in ſublimi ſolio reſidentem? qvid hunc, inqvam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaq; ſcientia inflatur & extollitur, Antichriſtus eſt, in templo Dei ſedens, & ſeſe oſtendens, qvaſi ſit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo DEI tanqvam idolum eſt.* Ipſe imperator *Otto I.* papas & monachos hoc tempore ſatis duriter ac ſevere caſtigavit, & in ordinem redegit, ut *ex Theodorico à Niem*, *Luitprando*, *Urſpergenſi & Cranzio Illyricus teſtatur.*

VII. A qvibusnam ſeculum XI. exornatum eſt?

Gerh. in Patrolog. & Olear. in Abaco Patrol.

Hoc ſeculum ob malorum excreſcentiam Dithmarus vocavit ferreum. In eo claruere *Bruno*, epiſcopus Herbipolenſis, pſalterii,& ſymboli Athanaſiani enarrator, tandem, uti genius ejus malus prædixerat, *teſte Aventino libro V. annalium*, ruina oppreſſus: *Algerus Belga*, trium de ſacramento altaris librorum autor: *Fulbertus Carnotenſis*, ex epiſtolis, ſermonibus,& hymnis notus: *Humbertus Cardinalis*, qvi de azymo & jejunio ſabbati contra Græcos ſcripſit: *Lanfrancus* Papienſis, archiepiſcopus Cantuariæ, qvi ſeſe Berengario oppoſuit: ejusqve diſcipulus & ſucceſſor, *Anshelmus*, commentariis in evangelia & epiſtolas, aliisq; opuſculis profundam eruditionem ſpirantibus, celebris. Berengarium præter Lanfrancum hoc tempore oppugnaverunt *Albericus*, monachus Caſſinenſis: *Adelmannus*, Brixienſis, Fulberti diſcipulus: *Gvitmundus* Averſanus. *Rabbi Samuel Marochianus*, è Judæo Chriſtianus, de adventu Meſſiæ præterito egregium opus contexuit, *Olympiodorus* in eccleſiaſten commentatus eſt: *Johannes Sapiens Cypariſſiotus* de theologia & natura Dei volumen è Patribus collegit. Iis ſuccenturiati ſunt *Hermannus Contractus*, Scotus, ob morbum corporis ita dictus, muſicus, aſtronomus, hiſtoricus, Græcæ, Latinæ & Arabicæ lingvæ peritiſſimus; *Johannes Garlandus*, poeta; *Ivo*, doctor Canonum, Carnutenſis epiſcopus: *Avicenna*, medicus: *Cam-*

panus & Michael Pſellus, philoſophi: *Lambertus Schaffnaburgenſis*, autor chronici Hirsfeldenſis; *Georgius Cedrenus*; *Glaber Rodolphus*; *Johannes Curopalates*; *Bertoldus Conſtantienſis*; *Ingulphus Anglus*; *Marianus Scotus & Xiphilinus*, hiſtorici: *Gvido Aretinus*, muſicus, qvi excogitavit novam rationem cantus, qvam vocamus Solmiſationem. *Hilpericus*, qvi ſcripſit de muſica & computo, omnesqve illi philoſophi, aſtronomi & medici, qvos *Jacobus Almanſor*, Afrorum, Granatenſium, & Luſitanorum princeps, circa hæc tempora in academiam Afrorum Marozenam accivit, *Albagtenius*, *Arziel*, *Almæon*, *Averroes*. *Ad conteſtandam vero veritatem contra pontificem* prodierunt *ſacerdotes Germanorum* & *Nicetas Græcus*: qvi voce, facto, & ſcriptis conjugium ſacerdotum defenderunt: uti & *Benno Cardinalis*, qvi ſpurciſſimam Gregorii VII. vitam deſcripſit: *Conradus*, epiſcopus Trajectenſis, *Gugo Candidus*, tragœdus, & alii, qvi Henricum IV. adverſus Hildebrandum ſtrenue defenderunt. Præter hos *Petrus Damianus*, epiſcopus Oſtienſis, vir in proſa & ligata expeditus, inter alia libellum, titulo Gonorrhæi, de correctione epiſcoporum & papæ conſcripſit, qvo tetram cleri libidinem & horrenda flagitia inſectatus, de remedio Leonem IX. interpellavit. *Haymo*, archidiaconus Cantuarienſis, qvæſtuoſis papæ traditionibus, qvibus pii, ſemel à Chriſto Judaica ſervitute liberati, iterum captivi mancipantur, reſtitit. *Petrus vero de Bruis*, crucium & imaginum adorationem, miſſasqve pro mortuis improbans tantos in ſuperflua templa & altaria ſumtus impendi, vera interim eccleſia & miſeris Chriſtianis neglectis, indoluit. Extat eruditus & cordatus *liber de unitate eccleſiæ* contra Gregorium VII. hoc ſeculo ſcriptus, autore forte *Valtramo*, epiſcopo Niemburgenſi, qvem Trithemius teſtatur contra papam ſcripſiſſe.

IIX. *Adverſus inſolentiam curiæ Romanæ cordate tandem inſurrexiſſe doctores intelligo. Num id etiam in ſeculo XII. auſi fuere?*

Iid. ib. VVolfſius qvoq; in Lectionib. Memorab.

Floruerunt in eo præter *Fridericum Barbaroſſam* imperatorem, malleum illum pontificiæ ſuperbiæ, doctores & ſcriptores eccleſiaſtici: *Bruno*, epiſcopus Signinus: *Zacharias* Chryſopolitanus: *Goffridus* abbas: *Euthymius Zigabenus*: *Simon Thurvajus*, ob jactantiam ſuæ perfectionis, tandem omni ſcientia privatus & elingvis factus: *Petrus Cluniacenſis*: *Gilbertus Porretanus*, epiſcopus Pictavienſis, in ſuſpicionem hæreſeos poſtea vocatus & à Bernhardo confutatus. *Rupertus Tuitienſis*: *Hugo & Richar-*

chardus de S. Victore: *Petrus Alſonſus*, Judæus converſus: *Petrus Cantor* Pariſienſis: *Becketus*, *Ricardus*, *Balduinus*, *Gilbertus*, *Alphretus*, omnes è Britannia: qvæ hoc imprimis ſeculo in libris promulgandis præ aliis aſſidua fuit. Item *Anshelmus Laudunenſis*, cognomento Scholaſticus, gloſſæ interlinearis autor. Hiſtorici huius ſeculi fuere, *Sigebertus*, monachus Gemblacenſis, *Richardus Cluniacenſis*: *Dudechinus*: *Robertus Montenſis*: *Leo Oſtienſis*: *Johannes Zonaras*: *Wilhelmus Malmesbērienſis*: *Potho presbyter*, *Henricus Ucidonienſis*, *Gvilielmus Neubrigenſis*, *Rogerius*, *Angli*: *Gviliemus Tyrius*: *Otto Friſingenſis*: *Helmoldus*: *Gothfridus Viterbienſis*: *Honorius Auguſtodunenſis*, qvi præter ſummam hiſtoriarum, ſeu Chronicon magnum, commentarios in libros Salomonis edidit. *Joachimus Abbas*, Calaber, imprimis vaticiniis, qvibus ſubinde Antichriſtum detegebat, clarus fuit: cujus tamen libri, qvos multo numero edidit, poſtea animadverſionem pontificum incurrerunt, ut qvi occaſionem *Æterno Evangelio* dederant, qvo de poſtea. Alii tamen ideo dicunt eum indignationem pontificis incurriſſe, qvod contra Petrum Lombardum calamum ſtrinxiſſet. Indemnem tamen præſtitit Honorius, qvem Innocentius III. hæreſeos inſimulaverat. Eminuit inter omnes *D. BERNHARDUS*, Burgundus, Claravallenſis abbas, cujus vita, certamina & miracula prolixe deſcripta extant. Fuiſſe eum qvidem virum longe pientiſſimum, Scripturæqve ſacræ cognitione celeberrimum, & laude humilitatis beneficentiæ & patientiæ excelluiſſe, non negamus, ejusqve in tenebris eccleſiæ jam ſuffuſis puriorem theologiam miramur, dignum, cui detur titulus melliflui doctoris: ſed qvod ſtipulas tritico admiſcuit, hoc communibus ſeculi illius erroribus damus. *Petrus Lombardus*, de qvo jam ſupra nonnihil diximus, huc pertinet, *Magiſter ſententiarum*, qvi, utut optime de eccleſia Romanenſium meritus, anno cIↃCLXIX. in concilio Romano ab Alexandro III. hæreſeos damnatus eſt ob nonnulta dogmata de Chriſto, qvem, ut hominem, non eſſe aliqvid docuiſſe dicebatur, a pontifice minus rectè intellectus. Eum etiam hoc nomine Joachimus abbas incuſavit, qvaſi non Trinitatem, ſed Qvaternitatem in Deo ſtatuiſſet, dum docuerat, eſſentiam Dei non eſſe generantem, nec generatam, nec procedentem. Damnationi XXXVI. annos ſubjacuit Lombardus, donec ab Innocentio III. famæ reſtitueretur. Ejus frater nothus, dictus eſt *Petrus Comeſtor*, qvod Biblica dicta ita memoriter proferret, qvaſi ea in ventrem memoriæ eſu condidiſſet, *ut loqvitur Tritbemius*. Epitaphium ejus, qvod legitur in Faſciculo temporum, dignum eſt viſum, qvod adſcriberetur:

Goutfried Monach. Claravallenſ. in vita Bernhardi lib. 3. cap 5. Heinr. Gandav. de v. r. Illuſtr. cap. 9. Anton. Florentin. Vol. 2. Tit. 17 cap. 1. & 5. per tot.

Petrus eram, quem petra tegit, dictusq; Comeſtor,
Nunc comedor. Vivus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, ut diſcat, qvi me videt incineratum.
Qvod ſumus, iſte fuit: erimus qvandoqve, qvod hic eſt.
Petra Petri carnem tenet hæc: animam Petra Chriſtus,
Sic ſibi diviſit utraq; petra Petrum.

Veritas hoc ſeculo tam illuſtris erupit, ut inter ipſiſſimos Papatus propugnatores inventi ſint, qvi ei teſtimonium dixere. Hinc *Hugonis de S. Victore, Saxonis* & *Abbatis Pariſienſis*, illa qverela extitit: *Legem neſciunt, nec diſcunt clerici, ſed vanitates: otio, comeſſationibus, ebrietatibus ſtudent: terrena capiunt, cœleſtia negligunt: aſſidui in plateis, raro in eccleſiis. Ii ſunt, qvorum thalamus ornatior, qvam altaria, ſcyphus pulcrior calice, eqvus carior, qvam miſſale.* Bernhardus libro II. de conſideratione ad Eugenium: *Apoſtolis*, inqvit, *interdicitur dominatu: I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis.* Item libro III. ſubſeqvente: *Murmur loqvor & qverimoniam communem eccleſiarum. Truncari ſe clamitant.* Et libro IV. *Inter hæc tu paſtor procedis, multo & pretioſo circumdatus ornatu. Si auderem dicere: Dæmonum magis, qvam ovium paſcua hæc.* Item in ſermone VI. ad Pſalmum XCI. *Ipſa eccleſiaſtica dignitatis officia in turpem qvæſtum & tenebrarum negotium tranſivere: nec in his ſalus animarum, ſed luxus qværitur divitiarum. Supereſt, ut reveletur homo peccati, filius perditionis.*

IX. Parrheſiam magnam! Sed num habes plures ſeculi XII. teſtes veritatis?

VVolfius in Lect. Memorab. Flacius in Catal. Teſtium Veritatis.

Ipſe *Joachimus abbas*, cujus jam mentionem injecimus, á rege Richardo de Antichriſto interrogatus, reſpondit, *Romæ jamdiu fuiſſe natum, & jam maxime regnare, ſeq; exaltare ſuper omne, qvod dicitur Deus.* Intendit enim vir prudens digitum in ea, qvæ facta noverat per Alexandrum III. in Fridericum I. & per Cœleſtinum II. in Henricum VI. Hinc recte cecinit *Hildebertus epiſcopus Cenomanenſis*:

Urbs felix, ſi vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis eſſet turpe, carere fide.

Et *Theodorus*, abbas Leodienſis:

Malleus argenti confringit ovilia Chriſti.

Item: *Res nimis injuſta, ſit numis præſul & abba. Bernhardus etiam Cluniacenſis:*

Roma

Roma nocens nocet, atq; viam docet ipſa nocendi,
Jura relinquere, lucra reqvirere, pallia vendi.

Item; *Roma qvid exeqvar? imo qvid eloqvar? aut tibi promam?*
Uncia te rotat: unciatenotat, haud fore Romam.

Et ſcitum eſt illud *Nigelli Cantuarienſis*:

Burſa referta reos ſolvit, peccata relaxat,
Quæ non peccantes evacuata ligat.

Inveniuntur hoc tempore plura carmina ad genium ſeculi ſatis ingenioſa, qvibus in pontificis iniqvitatem ſalſe luditur; qvale eſt illud *Gualteri Mapes*, Henrici II. Anglorum regis amici:

Roma mundi caput eſt, ſed nil capit mundum,
Qvod pendet à capite totum eſt immundum;
Trahit enim vitium primum & ſecundum,
Et de fundo redolet, quod eſt juxta fundum.
Roma capit ſingulos & res ſingulorum.
Romanorum curia non eſt niſi forum &c.

Et illud *Johannis monachi*:

Curia vult marcas, burſas exhaurit & arcas,
Si burſa parcas, fuge papas & patriarchas.
Si dederis marcas & eis impleveris arcas,
Culpa ſolveris, qvacunq; ligatus eris.
Intus qvis? tu qvis? ego ſum: Qvid qværis? Ut intrem,
Fers aliqvid? non. Sta foris. Fero qvid. Satis: Intra.

Item: *Roma manus rodit, qvod rodere non valet, odit.*
Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.

Addatur his *Johannes Saresberienſis*, epiſcopus Carnotenſis, qvi in ſuo Polycratico ſic inqvit: *Pontifex magnus omnibus gravis ac pene intolerabilis. Ita debacchentur ejus legati, ac ſi ad eccleſiam flagellandam egreſſus ſit Satan à facie Domini.* Et paulo poſt: *Manifeſtet ergo ſeipſum Chriſtus, & palam faciat viam, qva nobis ſit incedendum. Petrus Bleſenſis* clerum in libris ſuis Syriam, Edom, vitulos Bethel, idola Ægypti, judices qvi condant leges iniqvas, vocat, & emphatice dicit: *Epiſcopi domo, ut cum familia dominum comprehendam, nihil eſt damnabilius ad meritum, nihil inhoneſtius ad mores, nihil ſordidius ad conſcientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniicioſius ad exemplum. Hildegardis* qvoqve abbatiſſa in diœceſi Moguntina, & *Eliſabetha virgo*, utraqve Germanica, & prophetiæ dono conſpicua, vehementes fuerunt in accuſanda curia Romana. Imo *epiſcopus*

Elxen-

Fluentinus ſeu Florentinus circa annum cIↃCXIX. qvo tempore Paſchalis in Italia armis graſſabatur, auſus eſt profiteri publice, *Antichriſtum adveniſſe*: & Romam evocatus cauſam dixit, ut habet *Platina in vita Paſchalis II. & Sabellicus Enneade IX. lib. IV. Honorius Auguſtodunenſis* in Flore temporum circa id tempus: *Intuere*, inqvit, *damnatæ civitatis principes & judices. Ecce poſita eſt in iis Beſtiæ ſedes. Omni tempore ad malum ſunt intenti. Semper negotiis iniqvitatis inexplebiliter occupati, flagitia non ſolum faciunt, ſed & alios facere inſtruunt. Sancta vendunt: ſcelera emunt: totis viribus laborant, ne ſoli ad tartara veniant.* Confer prolixum carmen *Ganfredi* de ſtatu curiæ Romanæ, qvod integrum legitur *apud Wolfium ad A.C.* cIↃCXLIX. ut & feſtivam apocalypſin *Goliæ* ad annum. cIↃCC. Baronius etiam meminit ad annum. cIↃCL. *Arnoldi cujusdam*, qvi, qvod omnes ſacerdotes eſſe ſub magiſtratu politico, & à rebus civilibus pontificem abſtinere debere docuerat, atqve Romanis de ſenatu ad antiqvam formam reformando occaſionem dederat, vivus combuſtus eſt. Etſi autem hæc teſtimonia omnia corruptiſſimum Romanenſium ſtatum ſatis ſuperqve arguunt, non tamen acrius ſe qvisqvam papæ oppoſuit, qvam *WALDENSES*, qvi non vitam ſolum, ſed ipſam imprimis doctrinam pontificiam animoſe reprehenderunt.

X. Qvinam qvæſo ſunt illi Waldenſes, qvorum ſæpius ſcio in hiſtoricis mentionem fieri?

Roleſ. in Faſcic. Temp. A. Hiſt. Ang. Bocha in Concil. Lateran. An. 1179. Guido Perpinian. de hæreſ. pag. 79. Concil. Lateran. ſub Alex. III § Baron. A. 1179 § 3. Sigon. de Regno Ital. lib. 14. Anno dicto. Vignier Hiſt. Eccleſ. A. 1107. Paul. Æmil. lib. 6. de

Cum Lugduni in Gallia circa annum cIↃCLX. ſubitanea morte qvidam corrueret *Petrus Waldus*, mercator doctus & prædives, in ſeriam pœnitentiam actus, ſacras literas aliis explicare, easqve in vernaculam lingvam Gallicam transferre, Patrumq; teſtimoniis veritatem communire, atqve ita errores ac ſuperſtitiones papæ reprehendere cœpit. Cum ſectatores facile inveniret, totus Prælatorum & epiſcoporum ordo inſurgens, confeſſores hos fidei carceribus, igne, ferro, exilio perſeqvebatur. Vulgo vocabant eos *Pauperes de Lugduno*: *Leoniſtas ſeu Leoninos*, à Leone imperatore orientis, qvi imagines è templis ſuſtulit, vel potius ab urbe Lugduno, qvæ etiam vocatur Lion vel Leon: *Inſabbatos*. In Bohemia, in qvam Petrus Waldus ex Picardia venerat, nominabant *Picardos, Arnoldiſtas, Eſperoniſtas* & *Juſepinos*, ab Arnoldo, Eſperono & Joſepho, P. Waldi ſociis: item *Albigeos, Albigenſes, Albanenſes*, partim ab alba Auguſta in Septimania; partim ab Albiga, civitate Aqvitaniæ: *Gazaros* (Keßer) à Gazaro pravæ doctrinæ à pontificibus inſimulato: *Paſſagenos*, qvaſi viatores

tores: *Lollardos* à Lollardo, doctore in Anglia: *Patarenos* ſive ab urbe Dalmatiæ Patara ſive à paſſionibus: *Turilupinos* qvaſi cum lupis inhoſpita colentes: *Fratricellos.* Lugduno expulſi per varias mundi plagas, & imprimis per Narbonenſem Galliæ provinciam & Longobardiam, veritatis lucem diſpergebant. Et licet multis modis in illos ſæviretur: perſtiterunt tamen & ad Lutheri usqve tempora circa Maſſiliam ſuperfuerunt: in templis publicis conciones, ſacramenta, & ceremonias ſuo more publice peregerunt: ſua dialecto Biblia eleganter imprimi curarunt. Qva ratione autem, *Merindolo* exciſo, rex Galliæ eos graviſſime & plusqvam barbarica truculentia aſſlixerit, *Sleidanus & Thuanus eleganter*, ut omnia, *ad annum XLV. L. & LX. narrant.* Qvam porro aleam reliqvi Waldenſes, qvi in Longobardiam Lugduno conceſſerant, ſubierint, *Illyricus explicat in catalogo Teſtium veritatis. Per totam*, inqvit, *Italiam, usq; in Siciliam ſuum dogma ſparſerunt, ut Fridericus II. Imp. in ſuo contra ipſos mandato teſtatur. Inde etiam in Germaniam, præſertim in Alſatiam & circa Rhenum: item in Bohemiam: unde porro in Saxoniam, Sileſiam, Moraviam & Poloniam ea doctrina eſt diſſeminata. Fuerunt enim in Longobardia veluti ſcholæ ſeu Academiæ qvædam hujus veræ Chriſti theologiæ, ad qvas Waldenſes diſcendi cauſa proficiſcebantur, nihil morati papæ & epiſcoporum ſævitiam, qvi nonnunqvam centum eorum una die interfecerunt.* Et hæc omnia Illyricus ex inqviſitionum libris & aliis minime obſcuris teſtimoniis ſe probare poſſe ait. Hunc lege, qvæſo, ut, qvos articulos defenderint, & qvam dura paſſi ſint, intelligas: inqve eum finem *Thuani librum ſextum*, ſi placet, conferto. Imprimis conſulito *Pauli Perrini*, Lugdunenſis, hiſtoriam de Waldenſibus III. libris conſcriptam.

geſt. Franc. lib. 6. Reg. 41. Joh. Paul. Perrin. in Chron. VVald. 1488. Adde Joach. Heſterberg de Eccleſ. VValdenſ. Balth. Lydium in Tom. 3. de Conſerv. Eccleſ. ap. VValdenſ. Sam. Mareſii Diſſert. Hiſtor. Theolog. de VValdenſ. Ægid. Strauch. de VValdenſib.

XI. Dic jam, per qvosnam ſeculum XIII. inclaruerit.

Inter eos eminuerunt *Ægidius* Romanus, è gente Columna, archiepiſcopus Bituricenſis, ob doctrinæ conſtantiam Fundatiſſimus, proræ etiam & puppis theologorum appellatus, philoſophus & theologus inſignis: *Albertus M.* archiepiſcopus Ratisbonenſis, natione Svevus, ob ſingularem eruditionem admirandus & Varro ſui ſeculi: Ejus diſcipulus, operibus ſtupendis, XVII. tomis, comprehenſis clarus, *Thomas Aqvinas*, è familia comitum Aqvini oriundus, theologiæ ſcholaſticæ princeps: *Bonaventura* Italus, Cardinalis, doctor Seraphicus dictus, in qvo præceptori Alexandro de Ales Adam non viſus eſt peccare. Hic *Alexander de Ales ſeu Alanus*, natione Anglus profeſſor fuit Pariſienſis, Fons vitæ & irrefragabilis ob ſolidam cognitionem divinæ ſcientiæ & doctor univerſalis vul-

Olear. in Abaco Patr. Gerhard. in Patrol. Trithem. de Scriptor. Eccleſ.

Thomam Aqvinatem Confeſſorem veritatis edidit Dorſchæus.

vulgo nominatus, qvi præter multos alios libros nobilē theologiæ Summam & Poſtillam ſuper totam Bibliam (ſic enim fert inſcriptio) edidit. Præter qvos inveniuntur *Hugolinus* eremita: *Antonius de Padua: Jacobus à Vitriaco*: *Meffretus*: *Jacobus de Voragine*, autor hiſtoriæ Lombardicæ ſeu Aureæ Legendæ: omnes homiliis clari. Item *Hugo Cardinalis & Stephanus Cantuarienſis*, primi Concordantiarum autores, & univerſorum S. Scripturæ librorum commentatores, & *Adamus de Mariſco*, doctor illuſtris cognominatus. Addantur his ICti, *Irnerius* Romæ & Bononiæ clarus, lucerna juris dictus, & *Azo* Bononienſis, commentariis in Digeſta & Codicem clarus: ejusqve diſcipulus *Accurſius Florentinus*: *Ægolius Foſcamres*, itidem Bononienſis, libris V. de ordine Judiciorum celebris. Qvibus acceſſerunt peſtes religionis purioris nocentiſſimæ, ſi fœtum, qvem excluſerunt, reſpicias, *Franciſcus & Dominicus*: de qvibus in Catalogo ordinum religioſorum. *Hiſtoriam* hoc ſeculo exornarunt, *Guntherus*, Monachus Pariſienſis, qvi de Conſtantinopoli, à Latinis tempore Balduini Flandri capta, ſcripſit. *Helinandus* monachus qvi in Gallia XLIIX. libros univerſalis Chronici edidit: *Nicetas Choniates ſeu Acominatus*, qvi ab ann. cIↄCXIIX. usq; ad annum cIↄCCV. res imperatorum geſtas perſecutus eſt. Præter hos *Conradus*, *Urſpergenſis abbas*, Chronicon ad tempora usqve Friderici II. ab orbe condito extendit: *Matthaus Pariſienſis*, Anglus, ad annum cIↄLXVII. res Anglorum per CLXXXIII. annos deſcripſit, curiæ Romanæ minus gratus; *Martinus Polonus* res geſtas pontificum & imperatorum breviter in Chronico depinxit. Idem fecit *Albertus*, abbas Stadenſis. *Rodericus Ximenius*, archiepiſcopus Toletanus, hiſtoriam ſuæ gentis conſignavit. *Vincentius Bellovacenſis*, præter doctrinale, nturale & morale ſpeculum, ſpeculum etiam hiſtoriale ſcripſit. *Henricus Stero* à Friderico I. usqve ad Rudolphum Habspurgicum, Chronicon continuavit. Id inprimis hoc tempore perplurimi egerunt, ut omnes ingenii nervos in explicandis qvatuor libris Magiſtri ſententiarū, Summa theologiæ, & Decretalibus intenderent, interqve eos præcipui, *Gvilielmus Antiſiodorenſis*, *Raymundus de Penna forti*, *Henricus Cardinalis*, *Guido Groſſus*, *Petrus Tarantaſienſis*, *Udalricus Argentinenſis*, *Rupertus de Ruſſia*, *Gvilielmus Durantes*, *Richardus de Media Villa*, *Henricus Gandavenſis*, diſputator ſubtilis dictus, *Johannes Pariſienſis*, *D nus Mugelanus*. *Alexander de villa Dei* carmine leonino Doctrinale puerorum i. e. Grammaticam edidit: cujus uſus in ſcholis per CCC. annos fuit. Philoſophia imprimis Ariſtotelis excolebatur, & effata ejus omnia habebantur pro oraculis.

Emi-

Eminuere præ aliis in illa, *Haymo de Feverſhan* Anglus, qvem Ariſtotelicorum Ariſtoteliſſimum vocabant; *Stephanus Langtonus*, cui diſtinctio librorum Biblicorum in capita tribuitur, & *alii*. In mathematicis excellebant *Robertus Baconus*, *Thomas Burgey*, *Michael Scotus*, *Johannes de Sacro Buſto*, *Alphonſus rex Caſtellæ*. TESTES VERITATIS qvod attinet, *Robertus Lincolmenſis* hoc elogium à Matthæo Pariſienſi meritus eſt, qvod fuerit pius ſui regis monitor, terrificus papæ redargutor, manifeſtus & audax prælatorum reprehenſor, monachorum corrector. Eſt enim ille, qvi à papa injuſte damnatus, ad Chriſtum appellavit, & ſacerdotes, hominum mandata docentes, Satanæ miniſtros, Antichriſtos, fures nocturnos, latrones diurnos vocavit. Qvem imitatus *Sevaldo*, epiſcopus Eboracenſis, à conſveta tyrannide papam breviloqvio qvodam dehortatus eſt: & *Aurifaber quidam Wilhelmus* aperte docuit, papam eſſe Antichriſtum; Romam Babylonem, & prælatos membra Antichriſti, ut ex Cæſario refert Illyricus. Idem fecit *comes qvidam de Hohenſtein Eglanus nomine*, ut Wolfius habet ad annum cIↃCCXXIIX. Cœperat enim Roma pro Babylone etiam in vulgus haberi. Memorabile qvoqve eſt, qvod ferunt de *Richardo rege Angliæ*, qvi, monitus a viro qvodam ſancto, ut tres ſuas filias peſſimas, avaritiam, ſuperbiam & luxuriam nuptui daret, ne à Deo gravius puniretur, ſuperbiam dedit Templariis & Hoſpitalariis, avaritiam monachis, luxuriam eccleſiaſticis prælatis. Memorabile & hoc eſt, *Arnoldum de nova Villa*, medicum Hiſpanum, variarum lingvarum, philoſophiæ item & theologiæ peritiſſimum, auſum fuiſſe defendere, qvod diabolus totum cœtum Chriſtianum fecerit aberrare à veritate Jeſu Chriſti; qvod fides, qvam ſua ætate haberent Chriſtiani, ſit talis, qvalis dæmonum; qvod omnes clauſtrales monachi ſint extra caritatem & damnentur; qvod Miſſæ deniqve non ſint celebrandæ, nec pro mortuis ſacrificandum. Sed vir optimus hæreſeos eſt damnatus, & aſſeclæ ejus, *Arnoldiſtæ*, tanqvam hæretici atrociſſime habiti ſunt. Idem accidit *Gvilielmo de S. amore*, qvi contra Mendicantes ſcribens, hæreſeos damnatus eſt. Hoc ipſo etiam tempore ingentes fuerunt contentiones *ſcholæ Pariſienſi* cum monachis, qvi & ſcholam premebant, & novum qvendam erroribus refertiſſimum librum, cui nomen *Æterni Evangelii* præſcriptum erat, ediderant. Monachi qvidem coram papa à ſcholaſticis, veritati hac in re prioribus, convicti ſunt: ſed errores Æterni Evangelii publice non ſunt condemnati, ne utiliſſimi pontificis ſatellites vileſcerent. Refero qvoqve inter teſtes veritatis, præter multos alios ICtos *Petrum*

de Vineis, Cancellarium Friderici II. qvi ſuum imperatorem magna cum fiducia adverſus papam defendit, ut & *Nicolaum de Bibrach* Erfurtenſem, cujus epitaphium de Martino IV. ſuo loco vide. Imprimis memorabile eſt, qvod teſte Matth. Pariſienſi, *Conſtantinopolitanus & Antiochenus patriarcha* papam Romanum excommunicarit cum tota ejus ecclesia, qvia negarat, Petrum omnium primo Antiochenam erexiſſe. *Græci* ſane tantopere Latinos abominari cœperunt, at ab illis baptiſatos rebaptiſarent. Horribile eſt, qvod Spondanus ad annum 1248. §. 15. refert, cum *clericus* in concione plurium epiſcoporum Romæ ſermonem habiturus, anguſtiaretur, qvi poſſet expectationi eorum ſatisfacere, dæmonem ad eum juſſu divino, ut dicebat, accedentem, hoc tantum prædicare juſſiſſe: *Principes infernalium tenebrarum, principes eccleſiæ ſalutant. Læti omnes nos gratias iisdem referimus, qvia cum ipſis, eorum nobis afferuntur ſubditi, & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter mundus*: maxillamqve clerici hæſitantis, ad faciendam fidem, tactu nigram reddidiſſe.

XII. Atq; ita, qvos in ipſisſimis tenebris pontificiis commendavit eruditio, video faſtum & errores paparum reprehendiſſe. Sed qvosnam Deus ſeculo XIV. excitavit?

Geth. In Patrol. Olear. in Abaco Patrol. Trithem. de Scriptor. Eccleſ.

Hiſtoriam hoc ſeculo excoluerunt *Siffridus*, presbyter Miſnenſis, in Epitome ab anno cIↃLIIX. ad annum cIↃCCCVII. *Eberhardus*, archidiaconus Ratisbonenſis, in Chronico ab anno cIↃCCLXXIII. ad annum cIↃCCCV. *Nicephorus Calliſtus*, Græcus, in hiſtoria à nativitate Chriſti ad annum IↃCXXIII: *Nicephorus Gregoras*, itidem Græcus, in libris XI. rerum orientalium, ab anno cIↃCC. ad ann. cIↃCCCXLIV. *Georg. Pachymeres*, qvi Michaelis Palæologi & Andronici ſenioris geſta deſcripſit. *Johannes Villanus*, Florentinus, in hiſtoria univerſali: *Johannes Froſſardus*: *Theodoricus à Niem*: *Guilhelmus Paradinus*, annalium Burgundiæ autor: *Henricus de Erfordia*: *Saxo Grammaticus*, hiſtoricus Danorum: *Johannes Boccatius*, Florentinus, pontificiarum epiſtolarum magiſter, multis præclaris voluminibus, & inprimis de Genealogia Deorum, de hæreſibus Bohemorum, de bellis imperatorum, celebris. In *Scholaſticam theologiam* commentati ſunt, *Johannes Duns*, Scotus, σκοτεινὸς qvaſi tenebricoſus dictus, ob obſcuram & inexplicabilem in ſcrutando ſubtilitatem, vivus ſepultus, qvia apoplecticum pro mortuo extulerant: *Auguſtinus*

Anco-

Anconitanus: *Petrus Aureolus*, archiepiſcopus Aqvenſis: *Antonius Andrea* Arragonius: *Franciſcus Mayronis Scotus*: *Guillielmus Occam*. Anglus à qvo Nominales, ſicuti à Scoto Reales defluxerunt: *Herveus Natalis*, Anglus: *Monaldus Dalmata*, archiepiſcopus Beneventi: *Petrus Paludanus*, Burgundus: *Aſteſanus*, Aſtenſis: *Adam Goddamus*: Anglus: *Bartholomaus Piſanus*: *Johannes de Bacco*: *Thomas Argentinenſis*: *Richardus Armachanus*: *Simon de Caſſia*: *Henricus de Haſſia*: *Alexander de Alexandria*: *Alphonſus Vargas*, Hiſpanus: *Nicolaus Gorram*. Præterea *Nicolaus Lyranus*, ex Judæo factus Chriſtianus, inſignem commentarium in univerſa Biblia edidit: *Alexander*, archiepiſcopus Ravennæ, de jurisdictione imperii & autoritate pontificis ſcripſit: *Raymundus Lullus*, ex inſula Majorica oriundus, ex arte magna & parva ſeu encyclopædia & ex multis aliis tractatibus, immortalitatem nominis conſecutus eſt. Hujus qvidem famam arroſit *Raymundus Eimericus*, qvi in directione inqviſitorum refert, ejus ſcripta plusqvam trecentorum errorum fuiſſe accuſata; Sed inventi ſunt, qvi famam viri graviter vindicarunt. Extat *Caroli Bovilli*, viri CL. epiſtola ad Raymundum Boucherium de vita Raymundi Lullii: unde intelligitur, eum nobili loco natum, & in aula regis Majoricarum ad morem ſeculi educatum, dignitatem Seneſcalli obtinuiſſe, & inſano fœminæ cujusdam, qva faciem qvidem venuſtæ, & qva mores pudicæ, ſed occulto cancri morbo laborantis, amore exardeſcentem, non potuiſſe prius à turpi affectu liberari, qvam à matrona illi pectus, ut erat gangræna exeſum, & teterrimo odore ſqvalebat, nudaretur, ipſeqve, ut Chriſto animum cautius dicaret, admoneretur. Hinc illum orationibus vacaſſe, &, cum ſæpius per ſomnum juſſus eſſet, ut crucifixum ſeqveretur, id unice in votis habuiſſe, ut contra Saracenorum ſuperſtitionem utilem poſſet operam navare, à qvibus omnis pene Hiſpania premebatur. Didiciſſe igitur qvadrageſimo ætatis anno lingvam Latinam, & poſtea à ſervo Saracenico emtitio Arabicam, & ſingulari numinis gratia tantum ſapientiæ brevi tempore acqviſiviſſe, ut Pariſios, Montempeſſulanum, Neapolin, Romam, Genuam, Lugdunum, Piſas, nova ſua arte Lulliana in ſtuporem raperet, & innumera pene opuſcula, atqve imprimis aureum illud de divina contemplatione ederet: hinc ter in Africam trajeciſſe, & per plateas more Jonæ clamaſſe, qvod lex Saracenorum erronea; Chriſtianorum vera ſit: & id coram regibus & antiſtite Machometanæ religionis conſtanter propugnaviſſe: nihil autem, niſi carceres, plagas, vulnera, toxica, ipſam deniqve mortem, Tuneti, u-

ti, ubi lapidibus obrutus eſt a Saracenis, meruiſſe. Tria imprimis à pontificibus & regibus petiit: *ut varia paſſim exſtruerentur monaſteria & ſcholæ, in qvibus ii, qvi pro Chriſto mori non reformidarent, variarum lingvarum ſcientia imbuerentur, & in fines orbis terræ ſic inſtructi mitterentur, ad prædicandum incredulis evangelium: ut non niſi unus religioſorum militum ordo eſſet, qvi trans mare aſſiduis bellis Saracenos laceſſeret: ne libri Averrois & aliorum Arabum, ut, in qvibus multæ contra fidem Chriſtianam blaſphemiæ & occulti errores continentur, in ſcholis prælegerentur.* Hoc ſeculo etiam *Guido Carmelita* volumen de omnibus hæreſibus; *Landolphus Saxo* commentaria in Pſalmos; *Lupoldus Bambergenſis* librum de Juribus imperii edidit. *Joh. Cantacuzenus* qvatuor Græcas orationes contra Machometanos habuit, qvas Rod. Gualterus latine reddidit. Floruerunt præterea *Gvilielmus Varignava: Matthæus Silvaticus: Cynus: Petrus Aponenſis, magus: Guido Cauliaco;* medici. *Bartolus de Saxo fermto: Baldus Peruſinus, ejus auditor,* de qvo Latomus:

Qvi Baldum juri negat accendiſſe lucernam,
Ille poteſt medio ſole negare diem.

Matth. Flacius Illyr. in Catal. Teſt. Verit. VVolfius in Lectionib. Memorab.

Johannes Andreæ Bononienſis: Johannes Calderinus: duo Raphaeles, Albericus, JCti. Inter *TESTES VERITATIS* imperator *Ludovicus V.* hic primas tenet, qvi, conſtitutione promulgata, papæ poteſtatem gladii penitus detraxit; Verba inter alia hæc ſunt: *De conſilio & conſenſu electorum & aliorum principum imperii declaramus, qvod imperialis dignitas & poteſtas eſt immediate à ſolo DEO, & qvod de jure & conſvetudine imperii antiqvitus approbata eſt, poſtqvam aliqvis eligitur in imperatorem ſive regem ab electoribus imperii concorditer, vel majori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt verus rex & imperator Romanus cenſendus, nec papæ ſive ſedis apoſtolicæ, aut alicujus alterius, approbatione, confirmatione, autoritate indiget vel conſenſu. Marſilius Patavinus* in defenſore pacis, libro erudito, & huic adhuc ſeculo legendo; *Johannes de Janduno; Dantes Aligerius,* Florentinus, magni nominis JCtus & poeta; *Johannes Gandunenſis; Luitpoldus de Babenberg,* & alii, pro imperatore Ludovico ſcripſere, & papam errare, nec poteſtatem in imperatores & reges habere, invictis argumentis demonſtrarunt. Qvod ipſum etiam fecit *Johannes Petrus,* Ferrarienſis JCtus circa annum cIɔCCCC. Item *Joh. Vitoduranus,* Franciſcanus, qvi diſſenſionem imperatorum & pontificum deteſtatus, culpam potiſſimum in papam conjecit. Ex verſibus ejus plurimis memorabiles ſunt de papa:

Ex-

Extingvit cultum Domini, fidei quoq; lumen:
Devotos animos indurans, reddit ineptos:
Suſcitat ac hæreſes improbitate ſua.

Item *Barlamus*, monachus, qvi animoſe adverſus affectatum imperium papæ œcumenicum ſcripſit. Præter hos *Franciſcus Petrarcha*, Florentinus, primus pene bonarum artium reparator, natus anno cIↃCCCIV. cujus opera duobus tomis comprehenſa extant, epiſtola qvadam appellat Papæ curiam Babylonem & meretricem Babylonicam ſuper aqvas ſedentem, matrem omnium idololatriarum & ſcortationum, aſylum hæreſium & errorum. Ejusdem & hoc eſt Romæ encomium:

Impiorum ſedes, omnisq; doloris origo,
Mater es erroris, dogmata falſa docens.
Roma tibi nomen, ſed nunc Babylonia vere es &c.

Eberh. archiep. Salisb. in oratione qvadam in conſeſſu Statuum imperii dixit: *Flamines illi Babyloniæ ſoli regnare cupiunt: Ferre parem non poſſunt: Non deſiſtent, donec omnia pedibus conculcarint, atq; in templo DEI ſedeant, extollanturq; ſuper omne id, quod colitur. Fames opum, ſitis honorum inexplebilis eſt. Quo plura avido conceſſeris, eo plura appetit. Porrige digitum, & manum concupiſcet. Licentia omnes ſumus deteriores. Servus ſervorum eſt dominus dominorum, ac, ſi DEus foret, eſſe cupit. Leges commutat. Suas ſancit. Contaminat, dirigit, ſpoliat, fraudat, occidit perditus homo ille, quem Antichriſtum appellare ſolent: in cujus fronte blaſphemiæ nomen ſcriptum eſt: DEUS ſum: ERRARE NON POSSUM.* Conſule *Aventinum libro VII.* qvi & ipſe eſt autor, *Imperatorem Fridericum III.* ſcripſiſſe ad Ottonem Bavariæ ducem, multos Antichriſtos ineſſe Romanenſibus. Qvam ob cauſam *Johannes Taulerus*, Colonienſis, eccleſiaſtes Argentinenſis, ſubinde in ore id habuit, *eccleſiam egere gravi qvadam reformatione.* Huic ob teſtimonium veritati datum *Johannes Eccius* dicam hæreſeos ſcripſit: ſed *Ludovicus Bloſius* eum viriliter defendit. *Johannes Wicleff*, Anglus, anno cIↃCCCLX. acerrimus papæ, tanqvam Antichriſti, oppugnator, ultra ſesqvicentum ſcripta, teſte Balæo, edidit, &, protegente eum Deo adverſus crudelitatem Romanenſium, ſatur dierum mortuus eſt: annis tamen poſt ſepultum XL. elapſis, tanqvam hæreſiarcha crematus. Wicleſum audiebat, protegebat & fovebat *Eduardus III. rex Angliæ*, qvi ademit Romano pontifici creandorum in Anglia epiſcoporum jus & poteſtatem imperandi ſacrorum proventuum decimas ac Petri denarios. Scriptis etiam & voce eum defendebant diſcipuli, *Philippus Repingtor* (apoſtata

tan-

tandem propter acceptum epiſcopatum factus) *Thomas Netter*, autor Faſciculi Zizaniorum, *Treviſſa, Oldecaſtel, Gvilhelmus Vithe*, & multi alii, *Wiclephiſtæ* dicti. Qvibus cum locum dare nollent pontifices, in ipſo eorum ſinu qvidam ad confitendam veritatem excitati ſunt. *Robertus*, Lieienſis monachus, in præſentia Papæ & Cardinalium ſuggeſtum conſcendens, nihil aliud, qvam: *VAH TE*, dixit, *S. Petrum! Vah te S. Paulum!* Jam jam autem abripiendus in carcerem, *mirari ſe dixit frugalitatem apoſtolorum, qui ſibi ſordeant, qvia poteſtate clavium ad vitam baſilice agendam tam belle uti non noviſſent, ut eorum ſucceſſores. Michael Ceſenas*, Minoritarum Generalis, duas eſſe dixit eccleſias, alteram impiorum florentem, in qva Papa Antichriſtus regnet; afflictam eorum alteram. Et qvanqvam damnatus & dignitate privatus, non tamen deſtiit tyrannidem & errores Pontificum inſectari. *Nilus Theſſalonicenſis*, & *Humpertus de Romania*, prolixo libro culpam diſſidii inter orientalem & occidentalem eccleſiam in papam rejecerunt, & majoris pietatis teſtimonium dederunt orienti, qvam occidenti. *Johann. à Rupe ſciſſa* Franciſcanus monachus, apologum propheticum contra eccleſiaſticos ſcripſit, qvi adhuc apud Froſſardum legitur: & ob id diuturna captivitate afflictus eſt. Eandem ſortem ſubiit *Hajobaldus*, & ipſe monachus, ſpiritu fatidico in pontificum tyrannidem invectus. *M. Conradus Hager*, circa annum cIↃCCCXL. confeſſus eſt, ſe annis XXIV. ſenſiſſe ac docuiſſe. Miſſam, nullo modo eſſe ſacrificium, nec cuiqvam prodeſſe: & ob id in carcerem conjectus eſt. Adde *Planctum eccleſiæ* ab *Alvaro Pelagio* Hiſpano editum; *Lacrimam eccleſiæ à Gerhardo Riddero* fuſam: *Somnium item Viridarii*, à Carolo V. Sapiente, rege Galliarum, contra totum regnum pontificium edi curatum: *Concionem Nicolai Oremi*, totam à Wolfio & Illyrico exſcriptam: *Planctum metricum Bernhardi Weſterodii*, qvi integer legitur apud Wolfium: *Librum propheticum* de magnis tribulationibus in proximo futuris, *à Theleſphoro de Cuſentia* compilatum, qvi itidem legitur apud Wolfium: *Revelationes Brigittæ Suecicæ* cœleſtes ad annum cIↃCCCLXX. *Revelationes Catharinæ Senenſis* ad annum cIↃCCCLXXIX. Integrum item *libellum de ætatibus eccleſiæ*, qvem lege in catalogo teſtium veritatis. His omnibus in ſubſidium venerunt *Rupertus Holcot*, Dominicanus: *Petrus de Aquila, Gabriel Biel*, Germanus, profeſſor Tubingæ: qvi cultum imaginum atq; crucis idololatricũ vocaverunt & damnarunt. *Petrus Johannes Pirirenſis*, Minorita, papam vocavit Antichriſtum, Romanamqve ſynagogam Babylonem magnam. Hunc cum vivum neqviiſſent, mortuum vexarunt: & oſſa

ejus

ejus à Clemente VI. effoſſa & combuſta ſunt. *Schola etiam Pariſienſis*, cum papa circa anum cIↃCCCLXXX. largiſſimas profunderet indulgentias, tubis, campanis, & aliis publicis teſtimoniis illas damnavit. Confer hiſtoriam *Milizii* concionatoris, qui juſſus à Spiritu, anno cIↃCCCLXVI. publice Romæ concionatus eſt, Antichriſtum veniſſe. Præter hos omnes *M. Johan. Munziger*, Rector ſcholæ Ulmenſis, anno cIↃCCCLXXXIV. panis conſecrati adorationem improbavit, & *Gregorius Ariminenſis*, Doctor Pariſienſis, adeo diſſenſit a Scholaſticis, ut eos Pelagianis deteriores aſſereret, recteque nobiscum de libero arbitrio & gratia contra ſophiſtas & papiſtas ſentiret. Vide & teſtimonium, quod *Durandus*, omnis divini humanique juris conſultiſſimus, Gallus, epiſcopus Meldenſis, circa annum cIↃCCC. veritati dedit apud Flacium: ut & apud eundem, & in lectionibus memorabilium Wolfii, vaticinia *Roberti, nobilis Galli, Gamaleonis varii, Jacobi de Theramo*, aliorum. Nota, quod hoc ſeculo *Flavius Melfenſis* uſum acus magneticæ invenerit.

XIII. Magnam doctorum animoſitatem in faſtu & erroribus curiæ Romanæ redarguendis prodidit ſeculum XIV. Sed ad XV. quod Lutherum proxime præceſſit, accedamus.

Floruerunt in eo doctores in omni genere ſcientiarum. In *ſcholaſticam theologiam* commentati ſunt, *Johannes Capreolus: Petrus ab Alliaco: Thomas Valdenſis*, qui Doctrinale fidei antiquæ tribus tomis diſtinctum edidit: *Auguſtinus de Roma: Johannes Baſſolius: Marſilius ab Ingen*, Germanus, profeſſor Heidelbergæ: *Franciſcus Ferrarienſis: Jacobus Almainus*, Pariſienſis: *Johannes Major*, Scotus: *Franciſcus Lychetus: Conrad Kallin*, Germanus. *Homiliis* inclaruerunt, *Sanctus Vincentius; Bernhardinus Senenſis; Thomas de Kempis*, quatuor inſignibus libris de imitatione Chriſti clarus, Belga; *Gregorius Scholarius*, Græcus; *Henricus Harphius*, Berga; *Paulus Burgenſis*, è Judæo Chriſtianus, archiepiſcopus, ſcripſit additiones ad poſtillam Nicolai Lyrani, dictus alias Paulus de Maria; *Dionyſius Carthuſianus à Rykel* in omnes; *Alphonſus Toſtatus* & *Thomas de Vio, Cajetanus* in pleroſque libros Biblicos; *Jacobus Sadoletus* in epiſtolam ad Romanos & aliquot Pſalmos; *Jacobus de Valentia* in Pſalmos & Cantica commentati ſunt. *Johannes de Capiſtrano*, Italus: *Nicolaus de Cuſa*, Germanus; *Laurentius Juſtinianus*, Venetus, variis opuſculis theologicis famam meruere. *Paulus Corteſius* purioribus verbis theologiam conſignavit. *Pa-*

Joh. Gerh. in Patrolog. Olearius in Abaco Patrolog.

cificus, Angelus, Clavaſius, Baptiſta Travamala, Joh. Tabienſis, de caſibus conſcientiæ commentarios ediderent. *Finus Hadrianus* Ferrarienſis, Flagellum in Judæos IX. voluminibus compoſuit. *In Jure enucleando* occupati fuere, *Paulus de Baſtro, Gvilhelmus Budæus, Petrus Anchoranus* Florentinus, *Philippus Decius* & *Jaſon Magnus* Mediolanenſes *Antonius de Butrio, Franciſcus Zabarella, Nicolaus Panormitanus, Andreas Barbatius, Felinus, Sandeus, Huldaricus Zaſius* Conſtantienſis, *Johannes de Imola* Bononienſis, *Alexander Tartagnus, Johannes de Turrecremata, Johannes Schneidewin, Johannes Franciſcus Poggius* Florentinus, acerrimus *Franciſci Philelphi* & *Laurentii Vallæ* hoſtis: quorum *ille* egregius fuit poëta, philoſophus, & orator; *hic*, cum eſſet ſenator Romanus, & vir raræ eloquentiæ, atque, ut Lutherus eum nominavit, primitivæ eccleſiæ vel reliqua ſcintilla, vel nonnullus fomes, à theologis reliquis & pontificibus damnatus eſt. Sed beneficio regis Alphonſi illud ſupplicium evaſit, & tantum ſcopis cæſus eſt. Adde his *Rudolphum Agricolam*, Groningenſem Friſium, Profeſſorem Heidelbergenſem, qui Philippo Electori Palatino autor fuit bibliothecæ condendæ, *Johannem Jovianum Pontanum Italum*; *Angelum Politianum*, Hetruſcum, in cujus obitu tota Italia ſplendorem ſuum ſe amiſiſſe rata eſt; *Philippum Beroaldum*; *Petrum Bembum* Venetum, Cardinalem; *Cælium Rhodiginum*; *Petrum Crinitum*; *Raphaelem Maſſerum* Volaterranum; *Marſilium Ficinum*, Platonicum, Florentinum; *Polydorum Virgilium*; *Paulum Soncinatem*: lumina ſane, in philoſophia & eloquentia illuſtranda, nullis antiquorum ſcriptorum quicquam concedentia. Quis *Hermolaus Barbarus*, Venetus archiepiſcopus Aquilejenſis, circa hæc tempora fuerit, ejus epitaphium Romæ poſitum prodit:

Barbariem Hermolaus Latio qui depulit omnem
Barbarus, hic ſitus eſt. Utraq; lingva gemit.
Urbs Venetum vitam; mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci nobilius ve mori.

Ante illum *Georgius Trapezuntius*, è Creta Romam veniens, primus omnium Græcas literas docuit, Secretarius apoſtolicus tandem factus. Eodem pene tempore *Beſſarion*, patria Trapezuntinus, in Italiam venit, furores Turcorum fugiens: & Cardinalis, imo & Patriarcha Conſtantinopolitanus titularis à papa factus, Venetiis erexit bibliothecam, libris Græcis & Latinis inſtructiſſimam, præfecitque ei *Marcum Antonium Coccium Sabellicum*, hiſtoricum & philologum immortalitate dignum: ipſeque plurima in theologia, philoſophia & hiſtoria ſcripſit. Tertium, è Græ-

è Græcia ſe his adjunxit *Theodorus Gaza*, Theſſalonicus, Græcæ lingvæ in Italia doctor: & cum eo *Emanuel Chryſoloras*, Byzantinus, qui Græcæ Grammaticæ theoremata ſcripſit, & *Johannes Argyropylus*. Quibus adde *Johannem Trithemium*, abbatem Spanheimenſem: *Laonicum Chalcondylam, Matthæum & Matthiam Palmerios, Wernerum Weſtphalum, Jacobum Philippum Bergomenſem, Antonium Bonfinium, Robertum Gagvinum, Hectorem Boëthium, Philippum Cominæum, Johannem Aventinum, Pomponium Lætum, Baptiſtam Egnatium, Albertum Crantzium, Leonardum Aretinum, Flavium Blondum Forolivienſem, Paulum Jovium Novocomenſem, Æneam Silvium Tuſcum*, poſtea Pontificem Pium II. dictum, *Antonium Florentinum, archiepiſcopum, Johannem Nauclerum præpoſitum Tubingenſem, Jacobum Wimphelingium Spirenſem*, qui præter alios uberis ingenii fœtus, *hiſtorias* imprimis elucidarunt. Præter illos *Bartholomæus Platina*, abbreviator apoſtolicus, cum, quod vitia Pauli II. ferre non poſſet, beneficio eccleſiaſtico & omnibus bonis ſpoliatus, inque carcerem conjectus, & tormentis pene ad mortem excarnificatus eſſet, extincto Paulo, à Sixto IV. vinculis liberatus, & Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, vitas pontificum deſcribendas ſuſcepit. Nec *Aſtronomi* defuerunt huic ſeculo: quod vel *Nicolaus Copernicus*, & *Johannes Regiomontanus*, & *Paulus Middelburgius*, teſtatum faciunt. Sed nec *poëtarum* elegantia deſtituit hæc tempora, inter quos eminuerunt *Baptiſta Mantuanus*, monachus Carmelita: *Sebaſtianus Brand*, Argentinenſis: *Hieronymus Fracaſtorius*, Veronenſis: *Accius Sincerus*, alio nomine *Jacobus Sannazarius* dictus, Neapolitanus: *Marcus Hieronymus Vidas*, Cremonenſis, epiſcopus Albæ: *Huldaricus Hüttenus*, eques. Quid dicam de *Johanne & Johanne Franciſco Picis*, Mirandulæ Dominis & Concordiæ Comitibus? quorum *ille*, phœnix vulgo vocatus, Romæ nongentas concluſiones, profundum in variis ſcientiis acumen prodentes, propoſuit diſputandas, & invictum ſe & omnibus admirabilem, quamdiu vixit, præſtitit, Heptaplo de opere ſex dierum Geneſeos & aliis libris, divinum viri ingenium adhuc teſtantibus, poſteritati relictis: *hic* patrui inſtitutus exemplo (fuit enim Galeoti Pici, quem Johannes Picus fratrem habuit, filius) ſummam etiam in omnium rerum cognitione laudem obtinuit, & ſtupendum pene ingenium multis monumentis nobis commendavit. Quid dicam de *Deſiderio Eraſmo Roterodamo*, Batavo, quem non immerito Jovius Varronem ſui ſeculi, & Ciceronem Germaniæ; Lutherus autem, quia in religione non ſatis ſibi conſtabat, arietem cornibus in vepribus hærentem nominavit?

navit? Opera ejus fere infinita IX. tomis comprehenſa, quantum rei literariæ decus conciliaverint, abunde teſtantur. Quid de *Jacobo Fabro Stapulenſi*, quem Pariſienſes graviter exagitarunt, quia, *dicente Sleidano libro V. commentariorum*, inſcitiam ſuam videbant à viro docto deſpectam?

Eraſm. in Colloq. in Apotheoſi Reuchlini.

Quid dicam de *Johanne Capnione ſeu Reuchlino*, cujus inſignem operam adverſus *Pfefferkornium*, è Judæo Chriſtianum, in conſervandis Judæorum libris Hebraicis, Sleidanus libro II. luculenter deſcribit? Fuit ille Phorcenſis, Svevus, anno cIↃCCCCLV. in hanc lucem editus, & in aula Badenſi cum marchione Badenſi enutritus: cum quo etiam Pariſios miſſus, rudimenta Græcæ lingvæ à *Gregorio Typhernate* hauſit: poſt Baſileæ à *Weſſelo*, luce illa mundi, Hebraicam lingvam addidicit, & Pictavii doctoris juris titulum promeruit. Inde ex aula Eberhardi, principis Würtenbergici, ad papam, & mox ad imperatorem Fridericum miſſus, in hoc itinere magis magisque in divina lingva à Judæo Jehiel Löans fundatus, & codice Hebræo Bibliorum, qui tunc temporis CCC. aureis emi non potuiſſet, ab imperatore donatus eſt. Hinc invidia monachi, in quem poſtea Sergium comœdiam compoſuit, preſſus, aulam Würtenbergicam deſeruit, & in aula Palatina aliquandiu inter viros doctiſſimos converſatus, Romam denuo miſſus, à Judæo Cæſenate, *Abdia*, omnes Hebraicæ lingvæ ſubtilitates per integrum annum exquiſivit, pro ſingulis horis διδάκτρον ſingulos pactus aureos.

Camerar. in Vita Melancht.

Reverſus hinc in aulam Würtebergicam ad otium literarium, totum ſe Hebraicis deliciis mancipavit, & ſæpius Phorcen veniens, *Philippum Melanchthonem*, quem, ut agnatum, ſoror Capnionis domi ſuæ enutriebat, variis muneribus ad verum literarum amorem incitavit, eiq; autor fuit, ut ſeſe Luthero adjungeret. Interea *Hogoſtratus*, inquiſitor hæreticæ pravitatis Colonienſis, id egit, ut Judæorum libri omnes præter Biblia comburerentur: & edictũ adverſus illos ab imperatore impetraverat. Judæi contra per patronos ſuos in aula imperatoris eo rem deduxerant, ut ille ſciſcitaretur judicia doctorum. Capnio, quid ſentiret, etiam expoſuit. His motus imperator, Judæis libros ſuos permiſit. Id ægre ferens Hogoſtratꝰ, Capnionem hæreſeos accuſavit, & Moguntiæ librum ejus combuſſit. Capnio, luculenta ad imperatorem oratione edita, factaq; ad judicia legitima & ad pontificem provocatione, ſeſe defendit. Inde epiſcopo Spirenſi mandabatur cauſæ cognitio: qui delegit judices ſapientes & eruditos, à quibus ſecundum Capnionem pronunciatum eſt. Sententia Romæ confirmabatur, fruſtra renitentibus monachis; pro Capnione autem *Petro Gala-*

Gala-

Palatino, Eraſmo, Jacobo Queſtenbergio & Huldarico Hutteno ſollicitis. Inter libros, quos edidit Capnio, præcipua ſunt μικρὰ παιδεία, ſeu Grammatica Græca & Hebræa, Breviloqvus Sergius, & adhuc alia Comœdia, Dialogus de Verbo Mirifico, tres libri de arte Cabbaliſtica, Speculum oculare. Etſi autem non pauci præmemoratorum virorum *locupletiſſimum veritati teſtimonium* dederunt, præ aliis tamen in parrheſia excelluit & primas obtinuit *JOH. HUSS*, Bohemus, duobus ſcriptorum voluminibus Noribergæ editis clarus, qui Waldenſium dogmata amplexus, & Wiclefi ſcriptis adjutus, in concilio Conſtantienſi, contra datam fidem, anno cIↃCCCC. exuſtus eſt, cum prius de cygno centum revolutis annis venturo, ipſe anſer (nam Huss Bohemice anſerem ſignificat) prædixiſſet. Suſtulit etiam tyrannis *Hieronymum Pragenſem*, ſocium Johannis Huſſii: qui, etſi metu mortis non ſolum Conſtantia, ubi literas pro Huſſio ad templi valvas affixerat, incognitus aufugerat ſed & deinde ad formulam præſcriptam palinodiam cecinerat: cum tamen nihilominus, revocatione facta, in carcere detineretur; & ad ſupplicium ignis tandem duceretur, animoſum ſe præſtitit Chriſti confeſſorem, ſuosque adverſarios ad cauſam coram tribunali Dei poſt centum annos reddendam provocavit. Poſt illa tempora ſecuta eſt miſera diſtractio Bohemicarum eccleſiarum: nonnullis Papæ autoritatem defendentibus; reliquis, quos *Taboritas* vocarunt, *Ziſcam* (qui eſt *Johannes de Troſonaco*) ſequentibus, & adverſus Maximilianum imperatorem non unam victoriam obtinentibus, ſeque in multas eccleſias diſſeminantibus. Varii inde tumultus. *Albertus*, imperator & Bohemiæ rex, cum obiiſſet, uxorem reliquerat gravidam. Cum illa eſſet *Uladislaum* enixa, tutelam poſthumi ſuſcepit *Fridericus imperator*. Ejus conſenſu duo gubernatores regni ſunt conſtituti: alter *pontificius Meinbardus*; alter *Huſſita Praſecius*, & poſt eum *Podiebracius*; ſub quibus in interregno libertas religionis eſt decreta. Ita *duæ Bohemicæ confeſſiones ſunt* conſcriptæ: quarum *una* dicitur *Pragenſis & Rokezaniana*, conſcripta *a Rokezano* archiepiſcopo, pontificia in cæteris, quanquam à Papa non confirmata, ſed admittens ſumtionem cœnæ ſub utraq; ſpecie, unde etiam *Calixtina* à calicis ſumtione dicta eſt: *altera Taboritana*, in qua abominationes Papæ rejectæ ſunt. Tam Rokezanos ſeu Calixtinos, quam Taboritas pontificii vocabant *Utraquiſtas*, & eos oppugnabant, ipſi ab illis dicti *Unaquiſtæ*. Podiebracius, Rokezanianæ confeſſionis, rex tandem factus, Taboritis ſe quidem oppoſuit, & eos maximam partem exſcidit; reliquos disjecit:

Poggius in Epiſt. de Concil. Conſtantienſi ad Leonh. Aretin. Æneas Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 36. Concil. Conſtant. Seſſ. XVI. Anton. Florent. part. III. Tit. 22. c. 6. §. 3. Naucler. Vol. 2. Gener. 48. pag. 1045. & 1069 Gobel. in Coſmod. 2. Ætat. 6. c. 95 Sabell. Enn. 6. lib. 9. ad fin. Joh. Fox in Hiſt. Eccl. lib. 1. pag. 61. & ſeqq.

Confeſſio Huſſitarum oblata Imperatori A. 1535. & Apologia ſcripta 1538. & oblata Georgio March. Brandeb.

jecit: ſed nec ſic Papæ placuit, quia ob utramque cœnæ ſpeciem admiſſam, ut hæreticus, cenſuris pontificiis ſubjacebat. Factum tandem eſt, ut, Taboritis jam ad exiguum numerum redactis; Calixtinis autem propemodum jam pontifici conſentientibus, circa annum CIↃCCCCL. Pragæ & paſſim per Bohemiam, quidam ex reliquiis Huſſitarum peculiarem cœtum inſtituerunt, ſeque *fratres Bohemicos* vocarent, qui nec prælia ſpirabant, nec bona ſeculi captabant, de ſola animarum ſalute ſolliciti. Hi, omiſſis ſacrificulis, priſca eccleſiæ conſvetudine novum eccleſiaſticum ordinem inchoarunt, doctrinam à fermento pontificio repurgarunt, veterem diſciplinam revocarunt. Convenere LXX. viri in pago Lhota, & tribus ex ſeſe electis commiſere rerum ſacrarum curam. Anno autem dicti ſeculi LXVII. viginti ex ſe viros integræ conſcientiæ ſegregaverunt, & novē ex illis ſorti commiſerunt, ut tres ex iisdem ſeligerentur, qui eſſent eccleſiæ rectores. Sic per ſortitionem conſtituti ſunt *Matth. Corvaldenſis; Thomas Prelautius & El. Krenovius:* quos deinde Stephanus, Waldenſium in Gallia epiſcopus, confirmavit, & illis poteſtatem alios paſtores confirmandi dedit. Cumque conſilia agitarentur de eccleſia fratrum Bohemicorum & fratrum in Gallia Waldenſium unienda, diſplicuit Bohemicis, *quod* Waldenſes, periculorum metu, clanculum, non palam, veritatem faterentur; *quod* fana pontificiorum, quorum Papam haberent pro Antichriſto, frequentarent; *quod* tandem eorum presbyteri opes ſibi congererent ex ſacris pecuniis. Nec tentata unio proceſſit, quia minis pontificiorum territi Waldenſes, retracti ſunt. Succeſſu temporis, cum Vladiſlaus rex eos, qui ſub utraque ſpecie cœnam ſumunt, à nomine & accuſatione hæreſeos liberaſſet, fratrum Bohemicorum conſtituti ſunt *IV. Epiſcopi ſeu Superintendentes: unus* in Bohemia; *alter* in Polonia; *duo* in Moravia. Legebantur illi *ex ſenioribus ſeu archipresbyteris duodecim*, qui erant epiſcoporum adjutores: ſicuti ſeniores ex *paſtoribus ſeu miniſtris;* paſtores ex *diaconis*, qui paſtoribus ſuccenturiantur in concionando, baptiſando, poculo ſacro adminiſtrando; diaconi ex *acoluthis ſeu miniſtrorum diſcipulis;* acoluthi ex *adoleſcentulis bonæ indolis.* Hi fratres in tantum numerum excrevere, ut ſub uno epiſcopo quandoque in Moravia circiter quingenti miniſtri confluxerint. Plurimi Barones & nobiles illis nomen dedere. Papam habebant pro Antichriſto, idque publicè aſſerebant: ex ſola ſcriptura omnes de fide quæſtiones metiebantur: magiſtratum dividebant *in eccleſiaſticum presbyterium*, in quo tractabantur negotia ad religionem, ſalutem & conſcientias pertinentia: *& in*

poli-

politicos populi ſen ores, quibus ſolis relinquebant gladium. Memorabile eſt, quod hi fratres Bohemici contra Taboritas decretum jam anno cIↃCCCCXCIX. & cIↃIↃIIX. in publicis ſynodis condiderint de cœna Domini, quod nempe phraſis illa: *Hoc eſt corpus meum:* non ſit figurata: quodque panis non ſit ſignum corporis Chriſti, ſed quod, juxta doctrinam orthodoxam J. Huſſi, ſit corpus Chriſti naturale vere, & non in ſigno, ſicuti typi veteres, ſed in veritate & re præſenti. Unde etiam *in confeſſione, quam anno* cIↃIↃXXXV. *Cæſari Viennæ obtulerunt, quamque Lutherus commendaverat, & Wittebergæ imprimi curaverat*, profeſſi ſunt, ſe ſimpliciter verbis Chriſti inhærere. Poſt bellum Smalkaldicum, cum Lutherani paſtores è Bohemia ejicerentur, Fratres quoque inde proſcripti ſunt, tanquam eorum ſocii, multis tamen relictis in Moravia ex ſuis. Illi catervatim, animæ amplius mille, ſe contulere in Poloniam, unde rejecti, in Boruſſia conſedere, ſub protectione Alberti ducis, relictis nonnullis poſt ſe in Polonia novis plantatis eccleſiis. Anno tandem LXXV. *Sendomiriæ in Lithvania* in ſynodo, ſyncretiſmus trium religionum, Auguſtanæ, Bohemiæ & Helveticæ factus eſt, cui tamen Evangelici Auguſtanæ confeſſionis ſe *in ſynodo Vilnenſi* oppoſuere. Et ſic Bohemi in partes Helveticas inclinavere, quas aliqui eorum poſt Zwinglianiſmum exortum non occulte foverant. Anno hujus ſeculi XX. evangelicis è Bohemia juſſis exulare, cum alii in Germania refugium quærerent; alii in Polonia: fratribus Bohemis præcipue *Leſna* aſylum præbuit: quæ, exiguis antea terminis circumſcripta, ſubito ſic pomœria per novos colonos dilatarat, ut, præter plebejos incolas quam plurimos, bis mille civium albo inſcripti reperirentur, inter qvos pauciſſimi ſacris pontificiis erant addicti. Nova urbis evangelicæ incrementa ſudes fuere pontificis in oculis. Perſtitit tamen, donec poſt regis Sveciæ cum exercitu in Poloniam anno ſeculi LV. adventum, exercitus Polonici, qui à partibus pontificis Romani ſtabant, in perniciem illius conjurarent. Tunc non tantum intra menſem in ſola Polonia minore ſupra CXX. familiæ miſerabili laniena ſublatæ ſunt, viris & fœminis, ſenibus & juvenibus indiſcriminatim, niſi nomen vellent dare pontifici, cæſis aut ſuffocatis: ſed & Leſna, unde præ metu plerique cives per paludoſas ſilvas diffugerant, tota in cineres eſt redacta. Cæterum inter Huſſitas, qui ſeſe papæ oppoſuere, præcipui fuerunt *Hermannus Ried: Volquinus: Alanus Charterius: Aulici* (ſic vocat librum ſuum dialogiſticum) *ſcriptor: Gregorius* Morgenſtern: *Nicolaus Clemangiæ: Petrus Dresdenſis*, qui primus Pragæ mutationem cœnæ Dominicæ impu- Jac. Thomaſ. Diſſert. pecul. de Petro Dresd.

impugnavit, inque Miſniam veniens, ſcholas, Miſnenſem, Chemnicenſem & Zviccavienſem, adornavit, autor hymnorum: *In dulci jubilo:* &: *Puer natus in Bethlehem.* Quin & in ipſo concilio Baſilienſi multi ſatis libere contra Romanum papam diſſeruerunt: interque eos non poſtremus, *Thomas de Corſellis & Johannes Gerſon*, theologus & Cancellarius Pariſienſis, cujus opera tribus tomis continentur. Hic, quod in concilio emendationem eccleſiæ plurimis rationibus propoſuiſſet, à papa Martino IV. tandem dignitatibus exutus, Lugduni conſenuit. Nihil tamen ominus Sorbona Pariſienſis opinionem Gerſonis ad hoc usque tempus retinet, & papam concilio inferiorem eſſe adhuc defendit. Liber ejus de periculis eccleſiæ, & Speculum aureum Papæ, ejus curiæ, prælatorum & ſpiritualium, ſatis teſtantur, quo affectu gemens ſub onere eccleſia jugum pontificis tolerarit. Ex paucis Speculi dicti verbis reliqua æſtimato: *Tota Romana curia à planta pedis usque ad verticem capitis potenter excæcata eſt erroribus, ipſaque errorum ſuorum veneno inebriavit omnes fere mundi partes.* Et poſtea: *Reformet ipſe unigenitus Dei filius ſuam eccleſiam.* Plerique JCti, ut *Petrus Ferrarienſis*, quem jam ſuperiori ſeculo allegavimus, *Gregorius Haymburgenſis, Martinus Meyer*, Cancellarius archiepiſcopi Moguntini, acerrimi fuerunt primatus, vel potius tyrannidis & impietatis papalis, impugnatores.

Æn. Sylv. & Dubrav. in Hiſt. Bohem.

Ipſe *Æneas Sylvius*, antequam in ſedem beſtiæ eveheretur, concilium ſupra papam eſſe ſuis libris confeſſus eſt, & Germanos, qui pontificem oppugnabant, laudavit. Papa factus, ſic amplius ſentire non potuit. Quod ipſum quoque de *Nicolao Cuſano* legimus, qui factus Cardinalis tueri papam cœpit, cujus errores & crimina antea reprehenderat.

VVolff. in Lect. Memorab. & Hotting. in Hiſt. Eccleſ.

Imprimis notandum eſt, quod ineunte ſeculo XIV. *presbyter quidam*, ex Alpibus deſcendens, per anni trientem, decem pene millibus hominum congregatis, omnes veſtibus lineis albis veſtiri, facieq; & capite velato prodire juſſerit, & ſub dio cum comitatu manens, tota fere Italia peragrata, ſtatum eccleſiæ deplorarit, ejus emendationem depoſcens. Quam tamen *Albatorum ſectam* (ſic enim vocabatur) Bonifacius IX. ſuo regno metuens, presbytero capto & exuſto, diſſolvit protinus. *Germanica* etiam *theologia*, cujus autor creditur *Eblendus* hiſtoricus, circa hæc tempora Francofurti ſcripta, & præfatione à Luthero exornata, typisque promulgata, teſtis eſt. quam nihil multi Germanorum, quibus acetum in corde fuit, ſuperſtitiones pontificias curarint. Inter illos præ aliis eminuit *Johannes de Weſalia*, ſeu *Weſſelus*, ſeu *Baſilius*, Groningenſis, vir tantæ eruditionis & exiſtimationis, ut ſuo tempore ab omnibus *Lux mun-*

mundi, & quia omnia theologorum effata, quocunqve venit, ad trutinam veritatis revocabat, *Magiſter contradictionis* vocaretur, Græcæ & orientalium linguarum peritiſsimus, profeſſor aliquamdiu Heidelbergenſis; poſt concionator Wormatienſis. Lutherus eum in epiſtola, quibusdam opuſculis ejus præfixa, vocat virum admirabilis ingenii, rari & magni ſpiritus, theodidactum. unde ipſe, ſi forte eum ante legiſſet, quam ſeſe pontificiæ ſuperſtitioni oppoſuit, potuiſſet videri omnia hauſiſſe. Habuit, *teſte Eraſmo Roterodamo in libello de pſeudo-evangelicis*, multa cum Luthero communia, & ſua dogmata Chriſtiane & modeſte propoſuit. *In paralipomenis ad Urſpergenſis Chronicon* vocatur in fide electorum DEI, & agnitione veritatis judicio ſano præditus. Defendit, papam errare, peſſime reditus eccleſiæ diſpenſare, regnum cœlorum potius claudere, quam aperire: pluris eſſe exiſtimandam ſententiam hominis pii & docti, qvam papæ: modis omnibus ei reſiſtendum eſſe: purgatorium, quo peccata igne affligente eluantur, nihil eſſe; nihil eſſe indulgentias. Plures edidit libros rara eruditione conſcriptos, ſed à monachis exuſtos, præter illos, qui flammis ſubrepti adhuc leguntur. Teſte *Noviomago, ad Joh. Oeſtendorpium*, juvenem adhuc, dixit ſenex: *Studioſe adoleſcens, ad eum vives diem, quo doctrina Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejusdem farinæ recentiorum & contentioſorum theologorum, ab omnibus vere Chriſtianis theologis explodetur.* Sæpe illud in ore habuit: Es iſt nunmehr ſchwer / Chriſten zu ſeyn. Animoſe etiam faſtui & impietati curiæ Romanæ & erroribus Prælatorum eccleſiæ ſeſe oppoſuere, *Dominicus Calderinus*, qvi ad Miſſas iturus dicere ſolebat: *Eamus ad communes errores*: *Stephanus Brulifer*, Pariſienſis: *Paulus Scriptoris*, Tubingenſis: *Conradus Celtes*: *Hieronymus Savonarola*: qvi gratis per fidem in Chriſtum omnes ſalvari, liberumqve arbitrium, & primatum papæ, & traditiones humanas nihil eſſe confeſſi, reformationem errorum prophetico ſpiritu prædixerunt. Paulo enim ante Lutheri tempora permulti extiterunt, qui venturum quendam, divinitus excitatum, à quo inſtauraretur corrupta religio, præviderunt; ceu præter jam nominatos fuere *Johannes Geyler Keiſersbergius*, *Johannes Syringus*, & *D. Sebaſtianus*: *ille* Argentinenſis, autor naviculæ ſtultiferæ & pœnitentiæ; *iſte* Erphordienſis; *hic* Magdeburgenſis concionator. Quibus adde *Johannem Hiltenium, Fleckium, Andream Prolen, Tilemannum Spangenbergium.* Debebant enim Chriſtiani, ſub jugo pontificio ingemiſcentes, ad jamjam annunciandam veritatem præparari, ut eo ala-

criores in illa ſuſpicienda invenirentur. Imprimis *Andreas*, *archiepiſcopus Craynenſis & Cardinalis*, qui concilio Baſilienſi interfuerat, pronunciator illius ab imperatore conſtitutus nullum non movit lapidem, ut reformatio eccleſiarum communi omnium conſenſu ſuſciperetur. Inſtituti ſui præter multos alios habuit fautores *Bernenſes* & *Baſilienſes*: publicisque literis miſero eccleſiæ ſtatu deplorato, apoſtaſiam Papæ graphice depinxit, conſuluitqve, *ut in concilio generali Papæ poteſtas reſtringeretur, & doctrina fidei repurgaretur.* Cum ſe eidem opponeret *Henricus Inſtitoris*, *Inquiſitor*, totum monachorum ordinem hypocriſeos incuſavit. Sed pius ejus conatus tyrannide curiæ Romanæ eſt impeditus: ipſeque Baſileæ, juſſu Imperatoris Friderici III. volente ita Papa Sixto, in carcerem conjectus, &, *ut ex Stumpfio catalogus teſtium veritatis refert*, laqveo ſuffocatus periit. *Edidit nuper integra acta Joh. Henr. Hottingerus in hiſt. eccleſ. ſec. XV.* Teſtibus veritatis *univerſam Græcam eccleſiam* merito denuo accenſemus: quæ etſi ipſa ab omni errore non eſt immunis, plurimis tamen ſeculis contradixit primatui Papæ, purgatorio, privatis Miſſis, vigiliis pro mortuis, indulgentiis lucripetis, communioni ſub una, & pluribus aliis erroribus, qui in Romanenſi eccleſia defenduntur.

XIV. Gratum eſt, inter doctores eccleſiarum, teſtes veritatis cognoviſſe. Recenſe jam illos, contra qvos illi fidei confeſſores teſtati ſunt, & ſeriem Pontificum Romanorum adjunge.

Anni Chriſti *Anni ſedis.*

Bergomenſ. f. 816. XCIX. *Stephanus* (V) IV. *Martini F. Romanus ſedit* annos ½

260. Bar. A. 816. [Largitionibus defuncto Leoni ſuffectus eſt non expectato conſen-

p. 45 ſeq. Bin. ſu imperatoris Ludovici, cui electio pontificis, decreto Adriani & Leonis,

Tom 3. Concil. debebatur. Imperator quidem, etſi Romam adhuc ſibi vendicabat,

part. 2. ſect. 2. juris ſui non admodum fuit tenax, præſertim cum pontifex in Gallias,

pag. 207. *ut Anglicana hiſtoria ait*, ſeſe excuſaturus excurreret, & coronis Roma adductis Ludovicum cum imperatrice Remis inauguraret. Reverſus igitur Romam ſuos Stephanus docuit, paulatim eſſe infringendam illam imperatoris poteſtatem, ac licere pontificem ſine ejus autoritate eligi, ſed electum non oportere conſecrari ſine illius aſſenſu & legatorum ejus præſentia. *Helmoldus teſtatur*, Ludovicum ſic evexiſſe circa hæc tempora epiſcopos, ut regni principes eos legeret: ſed magno cum ſuo malo.

Cum

Cum enim eorum luxum & faſtum poſtea vellet coercere, tantum eorum odium incurrit, ut ad illum pervertendum omnibus nervis contenderent, ipſis ejus filiis ad illud ſcelus uſi, ut in altero hiſtoriarum politicarum ſyntagmate diximus]

817. C. *Paſchalis I. Romanus, Bonoſi F. efferus & violentus.* 7¼

[Cum & hic absq; imperatoris conſenſu eligeretur, Ludovicus ægerrime id ferens, contra majeſtatem ſuam hoc fieri dixit. Sed purgavit ſe Paſchalis literis & nunciis, & placato imperatore, qui, artibus faſcinatus, jus eligendorum pontificum, ab imperatoribus hactenꝰ uſurpatum, clero, ſenatui & populo Romano conceſſit, illo tamen pacto, ut electus & conſecratus pontifex, conciliandæ amicitiæ cauſa legatos ad imperatorem mitteret. *Theodorum* primicerium, & *Leonem* Nomenclatorem, ejus generum, jus imperatoris defendentes, oculis & vita, ſubornatis ſicariis, privavit: ſeqve ſynodo convocata jurejurando purgavit, & nihilominꝰ percuſſores abſolvit, & viros jure cæſos eſſe pronunciavit. Sub hoc Conſtantinopolis iterum gravi obſidione preſſa eſt à Saracenis.]

Plat. p. 111 Simonet. l. 5. c. 4 p. 95. Bar. A. 817. p 650. Bucell. l. 5. Menol. Ben. p. 353 Binn. T. 3. Concil. part. 1 lect. 1. p. 259.

824. CI. *Eugenius II. Romanus, ex patre Bœmundo.* 3½ | *Zizimus Rom. presbyter Cardinalis, in ſchiſmate XI. electus.*

Avent. l. 4. Annal. Bojor. p. 292 Plat. p. 115. Simonet. l. 5. c. 5 f. 96 Binn. loc. cit. lect. 2. p 261

[Ludovicus, moleſte ferens duos pontifices in ſchiſmate electos turbis novis in urbe cauſas ſuppeditare, Lotharium filium Romam miſit, qui Eugenii electione confirmata magiſtratum delegit, qui populo Romano jus diceret, eo qvod libertate nimis abuterentur. Eugenius autem à ſuis tandem oculis, & neſcio ob qvam cauſam vita privatus eſt.]

827. CII. *Valentinus, Petri F. Romanus.*

[Cum magna in eo felicioris gubernationis eſſet expectatio, poſt dies XL. è vivis exceſſit.] Plat. p. 114.

828. CIII. *Gregorius IV. Johannis F. Romanus.* 16

[Aliorum periculis cautior, noluit prius pontificatum ſuſcipere, quam electionem imperator approbaſſet. Approbatus, *Ansgarium*, Hamburgenſibus archiepiſcopum, & in omnia regna Aqvilonis legatum pontificium deſtinavit, ut eccleſias illas ſuæ tyrannidi ſubjiceret, *ut teſtatur Cranzius in Metropoli lib. I. cap. XX.* Feſtum omnium Sanctorum à XII. Maji ad calendas Novembris tranſtulit. Bello à filiis contra patrē Ludovicum imperatorem moto, pro concordia ſancienda miſſus, diſſidia parricidialia non anniſus eſt componere, ſed contra datam imperatori fidem ad caſtra filiorum tranſiens, incertos rumores de Ludovico excommunicato ſpargi curavit, Ideoq; optimus imperator capitur, cuſto-

Volat. l. 22. p 503. Baron. A. 829. pag 788. Binn. loc. cit. 277. Sabell. 9. Enn. 1. col. 621.

Plat. p. 120. Bar. T. 10. p. 147. Egnat. l. 3. exempl. p. 118 Sab. Enn. 1. col. 626. Blondell. in Proleg. Pſeud-Iſid. c. 19. p. 90. ſeqq. 110. & ſeqq Avent 4. Annal p. 328. ſeqq. Naucler. fol. 132.

quidem præſente Ludovico imperatore. Confirmatus verò non erubuit, ſe equitem ab imperatore pedite & ſtratore per mille paſſus in caſtra perduci. Præterea eccleſiam Ravennatem, cujus archiepiſcopi hactenus poteſtatem conſecrandi epiſcopos habuerant, in perpetuam ſervitutem redegit: Bremenſem Hamburgenſi conjunxit: ſe & ſucceſſores ſuos tanquam *ἀνόμους* a nullo judicari voluit; regem Lotharingiæ, *Lotharium*, Ludovici II imperatoris fratrem, ob *Waldradam*, Guntharii, archiepiſcopi Colonienſis ſororem, quam uxore *Teutberga* repudiata duxerat, admodum vexavit. Cauſabatur Lotharius, Teutbergam ſibi inviſo à patre obtruſam, & adulterii convictam. Et in concilio Aquisgranenſi & Metenſi epiſcopi probaverant divortium. Sed papa non tantum Waldradam, ſed & epiſcopos, qui ſecundum illam dixerant ſententiam, excommunicationis fulmine petiit, & præterea ſacerdotes ad cœlibatum legibus durioribus damnavit, ob id epiſtola qvadam Uldarici epiſcopi Auguſtani graviter increpatus. Idem in Photium, Patriarcham Conſtantinopolitanũ, qui arguebatur non recte Ignatio ſucceſſiſſe, graves cenſuras ſtrinxit: ſed ab eodem peculiari libro confutatus, & ſimili cenſura notatus. Præterea, cum Slavi, Moravi & Bulgari circa hoc tempus ad Chriſti fidẽ redirent, quam circa annum 10. à Scythica quadam gente debellati ejuraverant, grave certamen cum patriarcha Conſtantinopolitano ſibi fuit, utrinam Bulgari ſubjici deberent. Et initio qvidem Romano pontifici ceſſerunt ampliſſimæ hæ eccleſiæ: paulo tamen poſt ad jus Conſtantinopolitanum redierunt. Hic eſt ille papa, ad qvem *Belgarum epiſcopi* ſcripſere: *Quæ beneficia tu veluti latro intercipis: templo Dei præripis & in te transfers, His factis fucus ovibus abuteris: vivos occidis: fortes ſuperis detrahis &c.*]

867. CIX. *Hadrianus II. Romanus, Talari epiſcopi F.*

Bar. T. 10. p. 391 & ſeqq. item p. 415. ſeqq. Busſier l. 6 Hiſtor. Franc. c. 10 pag. 429. & 431. Bochell. Decret. Eccleſ. Gall. l. 2. cap. 2 p. 317.

[Etſi ſine ſuffragiis imperatoris erat deſignatus, tranquillitatis tamen gratia in ejus electionem conſenſum eſt. In ſynodo Conſtantinopolitana imaginum cultum eccleſiis Græcorum obtrudere conatus eſt: ducatum Spoletanum, duce Lamperto, ob Romam eo tempore, qvo pontifex eligendus erat, direptam excommunicato, armis Francorum ſibi ſubjecit: Lothario fratri imperatoris, Romam venienti, talem cœnam adminiſtravit, ut ipſe paulo poſt in reditu moreretur, & omnes ejus ſatellites intra annum extinguerentur, ut *ex Sigeberto, Regino ne & Faſciculo temporum* conſtat. Bulgari & Dalmatæ hoc tempore, Latinis presbyteris expulſis, Græcæ ſe junxerunt eccleſiæ. Extat in conſtitutionibus imperialibus apud Goldaſtum *epiſtola Caroli Calvi, regis Galliæ & poſtea imperato-*

ratoris, ad Hadrianum II. qua expoſtulat de contumelioſis illius literis, & negat, clericos a ſeculari poteſtate damnatos Romam appellare poſſe, qvum una cum ipſo papa regibus ſubſint, ab illis judicandi: legesq; Papæ, quas urget, ſint iniquæ & diabolicæ.]

872. CX. *Johannes IX. (IIX.) Romanus.* 10

[Caroli Calvi partes contra Ludovici filios defendit, eoque ex potione venenata defuncto, cum vellet Caroli filium, Ludovicum Balbum imperatorem deſignare, à proceribus in vincula conjectꝰ eſt. Sed ex illis elapſus, & in Gallias fugiens, Ludovicum & poſtea Carolum Craſſum, qui Romam interea occupaverat, diademate cinxit, & Saracenos ex Italia armis principum Chriſtianorum ejecit. Epiſtolæ, qvas ad reges, principes & epiſcopos ſcripſit, leguntur in tomis conciliorum Binii CCIIX, Pro Photio fecit, contra quem Nicolaus & Hadrianus fulmen excommunicationis fuerant ejaculati.]

Aimon de geſt. Franc. l. 5. c. 29. fin. Mart. Pol. in vita Formoſ. col. 158. Cottō. Inſt. I. p. 250. Cranz 5. Metr. 1. p. 116 Sangefol. in An. VVeſtph. l. 2. p. 156. Bar. T. 10. A. p. 577. 582. ſeqq.

882. CXI. *Martinus II. (ab Onuphrio Martinus I. vocatus,) Gallus, malis artibus pontificatum adeptus. Baleus eum facit filium Palumbi necromantici.* 2

[Autor Faſciculi temporum de hujus & ſequentium pontificum temporibus ſic ſcribit: *Charitas refriguit valde circa iſta tempora in omni ſtatu, & iniquitas plus ſolito cœpit abundare. Heu heu heu, Domine Deus, quomodo obſcuratum eſt aurum! Mutatus eſt color optimus! Qualia contigiſſe circa hæc tempora etiam in ſancta ſede apoſtolica legimus ſcandala, quam usq; huc tanto zelo cuſtodiviſti! Quales contentiones, æmulationes, ſectæ, invidiæ, ambitiones, intruſiones, perſecutiones! O tempus peſſimum, in quo defecit ſanctus, & deminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Eia quis conventus, quæ congregatio, quis homo jam ſecurus erit, ſi ſic defecit ſanctitas primitiva?* Adde, quæ *Gilbertus Genebrardi*, hoſtis alioquin proteſtantium maledicentiſſimus, *IV. libro chronographiæ* de pontificibus horum temporum commentatus eſt: *Per annos:* inquit, *fere CL. pontifices circiter L. à Johanne ſcilicet IIX. qui Nicolao I. & Hadriano II. ſucceſſit, ad Leonem IX usq; à virtute majorum prorſus defecerunt, apotactici apoſtaticive potius, quam apoſtolici.* Hic pontifex acta anteceſſoris in cauſa Photii reſcidit.]

Plat. p. 124. Simonet. l. 5. c. 14. fol. 102. Bar. T. 10. p. 58[illegible]. ſeqq. [illegible] S[illegible] de [illegible]g Ital. p. 337. Cranz 5 Metr. 1. p. 126 Aventin. l. 4. p. 353.

884. CXII. *Hadrianus III. quem aliqui nominant Agapetum, Romanus.* ¼

[*Carolo Craſſo* imperatore bello Normanico occupato, cum ſenatu populoque Romano decretum condidit, ne, ſi Carolus Craſſus ſine filiis decederet, in creando pontifice autoritas imperatoris exſpectaretur, ſed

Bar. T. 10 p. 59. Cranz. 5. Metr. n. 3 pag. 1. 16. Sab. 6. Enn. 1. col. 610. Plat. de vit. Pont. p. 124. Simon. l. 5 c. 15. f. 102. S[illegible]g circa

ciſicus, Angelus, Clavaſius, Baptiſta Travamala, Joh. Tabienſis, de caſibus conſcientiæ commentarios edidere. *Finus Hadrianus* Ferrarienſis, Flagellum in Judæos IX. voluminibus compoſuit. *In Jure enucleando* occupati fuere, *Paulus de Baſtro, Gvilhelmus Budæus, Petrus Anchoranus* Florentinus, *Philippus Decius* & *Jaſon Magnus* Mediolanenſes *Antonius de Butrio, Franciſcus Zabarella, Nicolaus Panormitanus, Andreas Barbatius, Felinus, Sandeus, Huldaricus Ziſius* Conſtantienſis, *Johannes de Imola* Bononienſis, *Alexander Tartagnus, Johannes de Turrecremata, Johannes Schneidewin, Johannes Franciſcus Poggius* Florentinus, acerrimus *Franciſci Philelphi* & *Laurentii Vallæ* hoſtis: quorum *ille* egregius fuit poëta, philoſophus, & orator; *hic*, cum eſſet ſenator Romanus, & vir raræ eloquentiæ, atque, ut Lutherus eum nominavit, primitivæ eccleſiæ vel reliqua ſcintilla, vel nonnullus fomes, à theologis reliquis & pontificibus damnatus eſt. Sed beneficio regis Alphonſi illud ſupplicium evaſit, & tantum ſcopis cæſus eſt. Adde his *Rudolphum Agricolam*, Groningenſem Friſium, Profeſſorem Heidelbergenſem, qui Philippo Electori Palatino autor fuit bibliothecæ condendæ, *Johannem Jovianum Pontanum Italum*; *Angelum Politianum*, Hetruſcum, in cujus obitu tota Italia ſplendorem ſuum ſe amiſiſſe rata eſt; *Philippum Beroaldum*; *Petrum Bembum* Venetum, Cardinalem; *Cœlium Rhodiginum*; *Petrum Crinitum*; *Raphaelem Maſſerum* Volaterranum; *Marſilium Ficinum*, Platonicum, Florentinum; *Polydorum Virgilium*; *Paulum Soncinatem*: lumina ſane, in philoſophia & eloquentia illuſtranda, nullis antiquorum ſcriptorum quicquam concedentia. Quis *Hermolaus Barbarus*, Venetus archiepiſcopus Aquilejenſis, circa hæc tempora fuerit, ejus epitaphium Romæ poſitum prodit:

Barbariem Hermolaus Latio qui depulit omnem
Barbarus, hic ſitus eſt. Utraq; lingva gemit.
Urbs Venetum vitam; mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci nobiliusve mori.

Ante illum *Georgius Trapezuntius*, è Creta Romam veniens, primus omnium Græcas literas docuit, Secretarius apoſtolicus tandem factus. Eodem pene tempore *Beſſarion*, patria Trapezuntinus, in Italiam venit, furores Turcorum fugiens: & Cardinalis, imo & Patriarcha Conſtantinopolitanus titularis à papa factus, Venetiis erexit bibliothecam, libris Græcis & Latinis inſtructiſſimam, præfecitque ei *Marcum Antonium Coccium Sabellicum*, hiſtoricum & philologum immortalitate dignum: ipſeque plurima in theologia, philoſophia & hiſtoria ſcripſit. Tertium, è Græ-

è Græcia ſe his adjunxit *Theodorus Gaza*, Theſſalonicus, Græcæ lingvæ in Italia doctor: & cum eo *Emanuel Chryſoloras*, Byzantinus, qui Græcæ Grammaticæ theoremata ſcripſit, & *Johannes Argyropylus*. Quibus adde *Johannem Trithemium*, abbatem Spanheimenſem: *Laonicum Chalcondylam, Matthæum & Matthiam Palmerios, Wernerum Weſtphalum, Jacobum Philippum Bergomenſem, Antonium Bonfinium, Robertum Gagvinum, Hectorem Boëthium, Philippum Cominæum, Johannem Aventinum, Pomponium Lætum, Baptiſtam Egnatium, Albertum Crantzium, Leonardum Aretinum, Flavium Blondum Forolivienſem, Paulum Jovium Novocomenſem, Æneam Silvium Tuſcum*, poſtea Pontificem Pium II. dictum, *Antonium Florentinum, archiepiſcopum, Johannem Nauclerum præpoſitum Tubingenſem, Jacobum Wimphelingium Spirenſem*, qui præter alios uberis ingenii fœtus, *hiſtorias* imprimis elucidarunt. Præter illos *Bartholomæus Platina*, abbreviator apoſtolicus, cum, quod vitia Pauli II. ferre non poſſet, beneficio eccleſiaſtico & omnibus bonis ſpoliatus, inque carcerem conjectus, & tormentis pene ad mortem excarnificatus eſſet, extincto Paulo, à Sixto IV. vinculis liberatus, & Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, vitas pontificum deſcribendas ſuſcepit. Nec *Aſtronomi* defuerunt huic ſeculo: quod vel *Nicolaus Copernicus*, & *Johannes Regiomontanus*, & *Paulus Middelburgius*, teſtatum faciunt. Sed nec *poëtarum* elegantia deſtituit hæc tempora, inter quos eminuerunt *Baptiſta Mantuanus*, monachus Carmelita: *Sebaſtianus Brand*, Argentinenſis: *Hieronymus Fracaſtorius*, Veronenſis: *Accius Sincerus*, alio nomine *Jacobus Sannazarius* dictus, Neapolitanus: *Marcus Hieronymus Vidas*, Cremonenſis, epiſcopus Albæ: *Huldaricus Huttenus*, eques. Quid dicam de *Johanne & Johanne Franciſco Picis*, Mirandulæ Dominis & Concordiæ Comitibus? quorum *ille*, phœnix vulgo vocatus, Romæ nongentas concluſiones, profundum in variis ſcientiis acumen prodentes, propoſuit diſputandas, & invictum ſe & omnibus admirabilem, quamdiu vixit, præſtitit, Heptaplo de opere ſex dierum Geneſeos & aliis libris, divinum viri ingenium adhuc teſtantibus, poſteritati relictis: *hic* patrui inſtitutus exemplo (fuit enim Galeoti Pici, quem Johannes Picus fratrem habuit, filius) ſummam etiam in omnium rerum cognitione laudem obtinuit, & ſtupendum pene ingenium multis monumentis nobis commendavit. Quid dicam de *Deſiderio Eraſmo Roterodamo*, Batavo, quem non immerito Jovius Varronem ſui ſeculi, & Ciceronem Germaniæ; Lutherus autem, quia in religione non ſatis ſibi conſtabat, arietem cornibus in vepribus hærentem nominavit?

 navit?

navit? Opera ejus fere infinita IX. tomis comprehenſa, quantum rei literariæ decus conciliaverint, abunde teſtantur. Quid de *Jacobo Fabro Stapulenſi*, quem Pariſienſes graviter exagitarunt, quia, *dicente Sleidano libro V. commentariorum*, inſcitiam ſuam videbant à viro docto deſpectam? Quid dicam de *Johanne Capnione ſeu Reuchlino*, cujus inſignem operam adverſus *Pfefferkornium*, è Judæo Chriſtianum, in conſervandis Judæorum libris Hebraicis, Sleidanus libro II. luculenter deſcribit? Fuit ille Phorcenſis, Svevus, anno clↃCCCCLV. in hanc lucem editus, & in aula Badenſi cum marchione Badenſi enutritus: cum quo etiam Pariſios miſſus, rudimenta Græcæ lingvæ à *Gregorio Typhernate* hauſit: poſt Baſileæ à *Weſſelo*, luce illa mundi, Hebraicam lingvam addidicit, & Pictavii doctoris juris titulum promeruit. Inde ex aula Eberhardi, principis Würtenbergici, ad papam, & mox ad imperatorem Fridericum miſſus, in hoc itinere magis magisque in divina lingva à Judæo Jehiel Löans fundatus, & codice Hebræo Bibliorum, qui tunc temporis CCC. aureis emi non potuiſſet, ab imperatore donatus eſt. Hinc invidia monachi, in quem poſtea Sergium comœdiam compoſuit, preſſus, aulam Würtenbergicam deſeruit, & in aula Palatina aliquandiu inter viros doctiſſimos converſatus, Romam denuo miſſus, à Judæo Cæſenate, *Abdia*, omnes Hebraicæ lingvæ ſubtilitates per integrum annum exquiſivit, pro ſingulis horis *διδακτρων* ſingulos pactus aureos. Reverſus hinc in aulam Würtebergicam ad otium literarium, totum ſe Hebraicis deliciis mancipavit, & ſæpius Phorcen veniens, *Philippum Melanchthonem*, quem, ut agnatum, ſoror Capnionis domi ſuæ enutriebat, variis muneribus ad verum literarum amorem incitavit, eiq; autor fuit, ut ſeſe Luthero adjungeret. Interea *Hogoſtratus*, inquiſitor hæreticæ pravitatis Colonienſis, id egit, ut Judæorum libri omnes præter Biblia comburerentur: & edictũ adverſus illos ab imperatore impetraverat. Judæi contra per patronos ſuos in aula imperatoris eo rem deduxerant, ut ille ſciſcitaretur judicia doctorum. Capnio, quid ſentiret, etiam expoſuit. His motus imperator, Judæis libros ſuos permiſit. Id ægre ferens Hogoſtrat9, Capnionem hæreſeos accuſavit, & Moguntiæ librum ejus combuſſit. Capnio, luculenta ad imperatorem oratione edita, factaq; ad judicia legitima & ad pontificem provocatione, ſeſe defendit. Inde epiſcopo Spirenſi mandabatur cauſæ cognitio: qui delegit judices ſapientes & eruditos, à quibus ſecundum Capnionem pronunciatum eſt. Sententia Romæ confirmabatur, fruſtra renitentibus monachis; pro Capnione autem *Petro* *Gala-*

Eraſm. in Colloq. in Apotheoſi Reuchlini.

Camerar. in Vita Melanchs.

Galatino, Erasmo, Jacobo Queſtenbergio & Haldarico Hutteno ſollicitis. Inter libros, quos edidit Capnio, præcipua ſunt μικρο παιδεία, ſeu Grammatica Græca & Hebræa, Breviloqvus Sergius, & adhuc alia Comœdia, Dialogus de Verbo Mirifico, tres libri de arte Cabbaliſtica, Speculum oculare. Etſi autem non pauci præmemoratorum virorum *locupletiſſimum veritati teſtimonium* dederunt; præ aliis tamen in parrheſia excelluit & primas obtinuit *JOH. HUSS*, Bohemus, duobus ſcriptorum voluminibus Norimbergæ editis clarus, qui Waldenſium dogmata amplexus, & Wiclefi ſcriptis adjutus, in concilio Conſtantienſi, contra datam fidem, anno cIↃCCCC. exuſtus eſt, cum prius de cygno centum revolutis annis venturo, ipſe anſer (nam Huss Bohemice anſerem ſignificat) prædixiſſet. Suſtulit etiam tyrannis *Hieronymum Pragenſem*, ſocium Johannis Huſſii: qui, etſi metu mortis non ſolum Conſtantia, ubi literas pro Huſſio ad templi valvas affixerat, incognitus aufugerat, ſed & deinde ad formulam præſcriptam palinodiam cecinerat: cum tamen nihilominus, revocatione facta, in carcere detineretur; & ad ſupplicium ignis tandem duceretur, animoſum ſe præſtitit Chriſti confeſſorem, ſuosque adverſarios ad cauſam coram tribunali Dei poſt centum annos reddendam provocavit. Poſt illa tempora ſecuta eſt miſera diſtractio Bohemicarum eccleſiarum: nonnullis Papæ autoritatem defendentibus; reliquis, quos *Taboritas* vocarunt, *Ziſcam* (qui eſt *Johannes de Troſenaco*) ſequentibus, & adverſus Maximilianum imperatorem non unam victoriam obtinentibus, ſeque in multas eccleſias diſſeminantibus. Varii inde tumultus. *Albertus*, imperator & Bohemiæ rex, cum obiiſſet, uxorem reliquerat gravidam. Cum illa eſſet *Uladislaum* enixa, tutelam poſthumi ſuſcepit *Fridericus imperator*. Ejus conſenſu duo gubernatores regni ſunt conſtituti: alter *pontificius Meinhardus*; alter *Huſſita Praſecius*, & poſt eum *Podiebracius*: ſub quibus in interregno libertas religionis eſt decreta. Ita *duæ Bohemicæ confeſſiones ſunt* conſcriptæ: quarum *una* dicitur *Pragenſis & Rokezaniana*, conſcripta *a Rokezano* archiepiſcopo, pontificia in cæteris, quanquam à Papa non confirmata, ſed admittens ſumtionem cœnæ ſub utraq; ſpecie, unde etiam *Calixtina* à calicis ſumtione dicta eſt: *altera Taboritana*, in qua abominationes Papæ rejectæ ſunt. Tam Rokezanos ſeu Calixtinos, quam Taboritas pontificii vocabant *Utraquiſtas*, & eos oppugnabant, ipſi ab illis dicti *Unaquiſtæ*. Podiebracius, Rokezanianæ confeſſionis, rex tandem factus, Taboritis ſe quidem oppoſuit, & eos maximam partem exſcidit; reliquos disjecit:

Poggius in Epiſt. de Concil. Conſtantienſi ad Leonh. Aretin. Æneas Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 36. Concil. Conſtant. Seſſ. XVI. Anton. Florent. part. III. Tit. 22. c. 6. §. 3. Naucler. Vol. 2. Gener. 48. pag. 1045. & 1069 Gobel. in Coſmod. 2. Ætat. 6. c. 95 Sabell. Enn. 6. lib. 9. ad fin. Joh. Fox in Hiſt. Eccl. lib. 1. pag. 61. & ſeqq.

Confeſſio Huſſitarum oblata Imperatori A. 1535. & Apologia ſcripta 1538. & oblata Georgio March. Brandeb.

jecit: ſed nec ſic Papæ placuit, quia ob utramque cœnæ ſpeciem admiſſam, ut hæreticus, cenſuris pontificiis ſubjacebat. Factum tandem eſt, ut, Taboritis jam ad exiguum numerum redactis; Calixtinis autem propemodum jam pontifici conſentientibus, circa annum cIↄCCCCL. Pragæ & paſſim per Bohemiam, quidam ex reliquiis Huſſitarum peculiarem cœtum inſtituerunt, ſeque *fratres Bohemicos* vocarent, qui nec prælia ſpirabant, nec bona ſeculi captabant, de ſola animarum ſalute ſolliciti. Hi, omiſſis ſacrificulis, priſca eccleſiæ conſvetudine novum eccleſiaſticum ordinem inchoarunt, doctrinam à fermento pontificio repurgarunt, veterem diſciplinam revocarunt. Convenere LXX. viri in pago Lhota, & tribus ex ſeſe electis commiſere rerum ſacrarum curam. Anno autem dicti ſeculi LXVII. viginti ex ſe viros integræ conſcientiæ ſegregaverunt, & novē ex illis ſorti commiſerunt, ut tres ex iisdem ſeligerentur, qui eſſent eccleſiæ rectores. Sic per ſortitionem conſtituti ſunt *Matth. Corvaldenſis; Thomas Prelautius & El. Krenovius:* quos deinde Stephanus, Waldenſium in Gallia epiſcopus, confirmavit, & illis poteſtatem alios paſtores confirmandi dedit. Cumque conſilia agitarentur de eccleſia fratrum Bohemicorum & fratrum in Gallia Waldenſium unienda, diſplicuit Bohemicis, *quod* Waldenſes, periculorum metu, clanculum, non palam, veritatem faterentur; *quod* fana pontificiorum, quorum Papam haberent pro Antichriſto, frequentarent; *quod* tandem eorum presbyteri opes ſibi congererent ex ſacris pecuniis. Nec tentata unio proceſſit, quia minis pontificiorum territi Waldenſes, retracti ſunt. Succeſſu temporis, cum Vladislaus rex eos, qui ſub utraque ſpecie cœnam ſumunt, à nomine & accuſatione hæreſeos liberaſſet, fratrum Bohemicorum conſtituti ſunt *IV. Epiſcopi ſeu Superintendentes: unus* in Bohemia; *alter* in Polonia; *duo* in Moravia. Legebantur illi *ex ſenioribus ſeu archipresbyteris duodecim*, qui erant epiſcoporum adjutores: ſicuti ſeniores ex *paſtoribus ſeu miniſtris*; paſtores ex *diaconis*, qui paſtoribus ſuccenturiantur in concionando, baptiſando, poculo ſacro adminiſtrando; diaconi ex *acoluthis ſeu miniſtrorum diſcipulis*; acoluthi ex *adoleſcentulis bonæ indolis*. Hi fratres in tantum numerum excrevere, ut ſub uno epiſcopo quandoque in Moravia circiter quingenti miniſtri confluxerint. Plurimi Barones & nobiles illis nomen dedere. Papam habebant pro Antichriſto, idque publice aſſerebant: ex ſola ſcriptura omnes de fide quæſtiones metiebantur: magiſtratum dividebant *in eccleſiaſticum presbyterium*, in quo tractabantur negotia ad religionem, ſalutem & conſcientias pertinentia: *& in poli-*

politicos populi ſeniores, quibus ſolis relinquebant gladium. Memorabile eſt, quod hi fratres Bohemici contra Taboritas decretum jam anno cIↄCCCCXCIX. & cIↄIↄIIX. in publicis ſynodis condiderint de cœna Domini, quod nempe phraſis illa: *Hoc eſt corpus meum*: non ſit figurata: quodque panis non ſit ſignum corporis Chriſti, ſed quod, juxta doctrinam orthodoxam J. Huſſi, ſit corpus Chriſti naturale vere, & non in ſigno, ſicuti typi veteres, ſed in veritate & re præſenti. Unde etiam *in confeſſione, quam anno* cIↄIↄXXXV. *Cæſari Viennæ obtulerunt, quamque Lutherus commendaverat, & Wittebergæ imprimi curaverat*, profeſſi ſunt, ſe ſimpliciter verbis Chriſti inhærere. Poſt bellum Smalkaldicum, cum Lutherani paſtores è Bohemia ejicerentur, Fratres quoque inde proſcripti ſunt, tanquam eorum ſocii, multis tamen relictis in Moravia ex ſuis. Illi catervatim, animæ amplius mille, ſe contulere in Poloniam, unde rejecti, in Boruſſia conſedere, ſub protectione Alberti ducis, relictis nonnullis poſt ſe in Polonia novis plantatis eccleſiis. Anno tandem LXXV. *Sendomiriæ in Lithvania* in ſynodo, ſyncretiſmus trium religionum, Auguſtanæ, Bohemiæ & Helveticæ factus eſt, cui tamen Evangelici Auguſtanæ confeſſionis ſe *in ſynodo Vilnenſi* oppoſuere. Et ſic Bohemi in partes Helveticas inclinavere, quas aliqui eorum poſt Zwinglianiſmum exortum non occulte foverant. Anno hujus ſeculi XX. evangelicis è Bohemia juſſis exulare, cum alii in Germania refugium quærerent; alii in Polonia: fratribus Bohemis præcipue *Leſna* aſylum præbuit: quæ, exiguis antea terminis circumſcripta, ſubito ſic pomœria per novos colonos dilatarat, ut, præter plebejos incolas quam plurimos, bis mille civium albo inſcripti reperirentur, inter quos pauciſſimi ſacris pontificiis erant addicti. Nova urbis evangelicæ incrementa ſudes fuere pontificis in oculis. Perſtitit tamen, donec poſt regis Sveciæ cum exercitu in Poloniam anno ſeculi LV. adventum, exercitus Polonici, qui à partibus pontificis Romani ſtabant, in perniciem illius conjurarent. Tunc non tantum intra menſem in ſola Polonia minore ſupra CXX. familiæ miſerabili laniena ſublatæ ſunt, viris & fœminis, ſenibus & juvenibus indiſcriminatim, niſi nomen vellent dare pontifici, cæſis aut ſuffocatis: ſed & Leſna, unde præ metu plerique cives per paludoſas ſilvas diffugerant, tota in cineres eſt redacta. Cæterum inter Huſſitas, qui ſeſe papæ oppoſuere, præcipui fuerunt *Hermannus Ried*: *Volquinus*: *Alanus Charterius*: *Aulici* (ſic vocat librum ſuum dialogiſticum) *ſcriptor*: *Gregorius* Morgenſtern: *Nicolaus Clemangis*: *Petrus Dresdenſis*, qui primus Pragæ mutationem cœnæ Dominicæ impu- Jac. Thomaſ. Diſſert. pecul. de Petro Dresd.

impugnavit, inque Miſniam veniens, ſcholas, Miſnenſem, Chemnicenſem & Zviccavienſem, adornavit, autor hymnorum: *In dulci jubilo:* & : *Puer natus in Bethlehem.* Quin & in ipſo concilio Baſilienſi multi ſatis libere contra Romanum papam diſſeruerunt: interque eos non poſtremus, *Thomas de Corſellis & Johannes Gerſon*, theologus & Cancellarius Pariſienſis, cujus opera tribus tomis continentur. Hic, quod in concilio emendationem eccleſiæ plurimis rationibus propoſuiſſet, à papa Martino IV. tandem dignitatibus exutus, Lugduni conſenuit. Nihil tamen ominus Sorbona Pariſienſis opinionem Gerſonis ad hoc usque tempus retinet, & papam concilio inferiorem eſſe adhuc defendit. Liber ejus de periculis eccleſiæ, & Speculum aureum Papæ, ejus curiæ, prælatorum & ſpiritualium, ſatis teſtantur, quo affectu gemens ſub onere eccleſia jugum pontificis tolerarit. Ex paucis Speculi dicti verbis reliqua æſtimato: *Tota Romana curia à planta pedis usque ad verticem capitis potenter excæcata eſt erroribus, ipſaque errorum ſuorum veneno inebriavit omnes fere mundi partes.* Et poſtea: *Reformet ipſe unigenitus Dei filius ſuam eccleſiam.* Plerique JCti, ut *Petrus Ferrarienſis*, quem jam ſuperiori ſeculo allegavimus, *Gregorius Haymburgenſis*, *Martinus Meyer*, Cancellarius archiepiſcopi Moguntini, acerrimi fuerunt primatus, vel potius tyrannidis & impietatis papalis, impugnatores. Ipſe *Æneas Sylvius*, antequam in ſedem beſtiæ eveheretur, concilium ſupra papam eſſe ſuis libris confeſſus eſt, & Germanos, qui pontificem oppugnabant, laudavit. Papa factus, ſic amplius ſentire non potuit. Quod ipſum quoque de *Nicolao Cuſano* legimus, qui factus Cardinalis tueri papam cœpit, cujus errores & crimina antea reprehenderat. Imprimis notandum eſt, quod ineunte ſeculo XIV. *presbyter quidam*, ex Alpibus deſcendens, per anni trientem, decem pene millibus hominum congregatis, omnes veſtibus lineis albis veſtiri, facieq; & capite velato prodire juſſerit, & ſub dio cum comitatu manens, tota fere Italia peragrata, ſtatum eccleſiæ deplorarit, ejus emendationem depoſcens. Quam tamen *Albatorum ſectam* (ſic enim vocabatur) Bonifacius IX. ſuo regno metuens, presbytero capto & exuſto, diſſolvit protinus. *Germanica* etiam *theologia*, cujus autor creditur *Eblendus* hiſtoricus, circa hæc tempora Francofurti ſcripta, & præfatione à Luthero exornata, typisque promulgata, teſtis eſt, quam nihil multi Germanorum, quibus acetum in corde fuit, ſuperſtitiones pontificias curarint. Inter illos præ aliis eminuit *Johannes de Veſalia*, ſeu *Weſſelus*, ſeu *Baſilius*, Groningenſis, vir tantæ eruditionis & exiſtimationis, ut ſuo tempore ab omnibus *Lux* mun-

Æn. Sylv. & Dubrav. in Hiſt. Bohem.

VVolff. in Lect. Memorab. & Hotting. in Hiſt. Eccleſ.

mundi, & quia omnia theologorum effata, quocunqve venit, ad trutinam veritatis revocabat, *Magiſter contradictionis* vocaretur, Græcæ & orientalium linguarum peritiſſimus, profeſſor aliquamdiu Heidelbergenſis; poſt concionator Wormatienſis. Lutherus eum in epiſtola, quibusdam opuſculis ejus præfixa, vocat virum admirabilis ingenii, rari & magni ſpiritus, theodidactum. unde ipſe, ſi forte eum ante legiſſet, quam ſeſe pontificiæ ſuperſtitioni oppoſuit, potuiſſet videri omnia hauſiſſe. Habuit, *teſte Eraſmo Roterodamo in libello de pſeudo-evangelicis*, multa cum Luthero communia, & ſua dogmata Chriſtiane & modeſte propoſuit. *In paralipomenis ad Urſpergenſis Chronicon* vocatur in fide electorum DEI, & agnitione veritatis judicio ſano præditus. Defendit, papam errare, peſſime reditus eccleſiæ diſpenſare, regnum cœlorum potius claudere, quam aperire: pluris eſſe exiſtimandam ſententiam hominis pii & docti, qvam papæ: modis omnibus ei reſiſtendum eſſe: purgatorium, quo peccata igne affligente eluantur, nihil eſſe; nihil eſſe indulgentias. Plures edidit libros rara eruditione conſcriptos, ſed à monachis exuſtos, præter illos, qui flammis ſubrepti adhuc leguntur. Teſte *Noviomago, ad Job. Oeſtendorpium*, juvenem adhuc, dixit ſenex; *Studioſe adoleſcens, ad eum vives diem, qvo doctrina Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejusdem farinæ recentiorum & contentioſorum theologorum, ab omnibus vere Chriſtianis theologis explodetur.* Sæpe illud in ore habuit: Es iſt nunmehr ſchwer / Chriſten zu ſeyn. Animoſe etiam faſtui & impietati curiæ Romanæ & erroribus Prælatorum eccleſiæ ſeſe oppoſuere, *Dominicus Calderinus*, qvi ad Miſſas iturus dicere ſolebat; *Eamus ad communes errores*: *Stephanus Brulifer*, Pariſienſis: *Paulus Scriptoris*, Tubingenſis: *Conradus Celtes*: *Hieronymus Savonarola*: qvi gratis per fidem in Chriſtum omnes ſalvari, liberumqve arbitrium, & primatum papæ, & traditiones humanas nihil eſſe confeſſi, reformationem errorum prophetico ſpiritu prædixerunt. Paulo enim ante Lutheri tempora permulti extiterunt, qui venturum quendam, divinitus excitatum, à quo inſtauraretur corrupta religio, prævīderunt, ceu præter jam nominatos fuere *Johannes Geyler Keiſersbergius*, *Johannes Syringus*, & *D. Sebaſtianus*: *ille* Argentinenſis, autor naviculæ ſtultiferæ & pœnitentiæ; *iſte* Erphordienſis; *hic* Magdeburgenſis concionator. Quibus adde *Johannem Hiltenium*, *Fleckium*, *Andream Prolen*, *Tilemannum Spangenbergium*. Debebant enim Chriſtiani, ſub jugo pontificio ingemiſcentes, ad jamjam annunciandam veritatem præparari, ut eo alacrio-

criores in illa ſuſpicienda invenirentur. Imprimis *Andreas, archiepiſcopus Craynenſis & Cardinalis*, qui concilio Baſilienſi interfuerat, pronunciator illius ab imperatore conſtitutus nullum non movit lapidem, ut reformatio eccleſiarum communi omnium conſenſu ſuſciperetur. Inſtituti ſui præter multos alios habuit fautores *Bernenſes* & *Baſilienſes*: publicisque literis miſero eccleſiæ ſtatu deplorato, apoſtaſiam Papæ graphice depinxit, conſuluitqve, *ut in concilio generali Papæ poteſtas reſtringeretur, & doctrina fidei repurgaretur.* Cum ſe eidem opponeret *Henricus Inſtitoris, Inquiſitor*, totum monachorum ordinem hypocriſeos incuſavit. Sed pius ejus conatus tyrannide curiæ Romanæ eſt impeditus: ipſeque Baſileæ, juſſu Imperatoris Friderici III. volente ita Papa Sixto, in carcerem conjectus, &, *ut ex Stumpfio catalogus teſtium veritatis refert*, laqveo ſuffocatus periit. *Edidit nuper integra acta Joh. Henr. Hottingerus in hiſt. eccleſ. ſec. XV.* Teſtibus veritatis *univerſam Græcam eccleſiam* merito denuo accenſemus: quæ etſi ipſa ab omni errore non eſt immunis, plurimis tamen ſeculis contradixit primatui Papæ, purgatorio, privatis Miſſis, vigiliis pro mortuis, indulgentiis lucripetis, communioni ſub una, & pluribus aliis erroribus, qui in Romanenſi eccleſia defenduntur.

XIV. Gratum eſt, inter doctores eccleſiarum, teſtes veritatis cognoviſſe. Recenſe jam illos, contra qvos illi fidei confeſſores teſtati ſunt, & ſeriem Pontificum Romanorum adjunge.

Anni Chriſti | *Anni ſedis.*

Bergomenſ. f. 260. Bar. A. 816. p. 648 ſeq. Bin. Tom. 3. Concil. part. 1. ſect. 2. pag. 207.

816. XCIX. *Stephanus* (V) IV. *Martini F. Romanus ſedit* annos ½

[Largitionibus defuncto Leoni ſuffectus eſt non expectato conſenſu imperatoris Ludovici, cui electio pontificis, decreto Adriani & Leonis, debebatur. Imperator quidem, etſi Romam adhuc ſibi vendicabat, juris ſui non admodum fuit tenax, præſertim cum pontifex in Gallias, *ut Anglicana hiſtoria ait*, ſeſe excuſaturus excurreret, & coronis Roma adductis Ludovicum cum imperatrice Remis inauguraret. Reverſus igitur Romam ſuos Stephanus docuit, paulatim eſſe infringendam illā imperatoris poteſtatem, ac licere pontificem ſine ejus autoritate eligi, ſed electum non oportere conſecrari ſine illius aſſenſu & legatorum ejus præſentia. *Helmoldus teſtatur*, Ludovicum ſic evexiſſe circa hæc tempora epiſcopos, ut regni principes eos legeret: ſed magno cum ſuo malo.

Cum

Cum enim eorum luxum & faſtum poſtea vellet coercere, tantum eorum odium incurrit, ut ad illum pervertendum omnibus nervis contenderent, ipſis ejus filiis ad illud ſcelus uſi, ut in altero hiſtoriarum politicarum ſyntagmate diximus.]

817. C. *Paſchalis I. Romanus, Bonoſi F. efferus & violentus.* $7\frac{1}{4}$

[Cum & hic abſq; imperatoris conſenſu eligeretur, Ludovicus ægerrime id ferens, contra majeſtatem ſuam hoc fieri dixit. Sed purgavit ſe Paſchalis literis & nunciis, & placato imperatore, qui, artibus faſcinatus, jus eligendorum pontificum, ab imperatoribus hactenꝰ uſurpatum, clero, ſenatui & populo Romano conceſſit, illo tamen pacto, ut electus & conſecratus pontifex, conciliandæ amicitiæ cauſa legatos ad imperatorem mitteret. *Theodorum* primicerium, & *Leonem* Nomenclatorem, ejus generum, jus imperatoris defendentes, oculis & vita, ſubornatis ſicariis, privavit: ſeqve ſynodo convocata jurejurando purgavit, & nihilominꝰ percuſſores abſolvit, & viros jure cæſos eſſe pronunciavit. Sub hoc Conſtantinopolis iterum gravi obſidione preſſa eſt à Saracenis.]

Plat. p. 121 Simonet. l. 5. c. 4 p. 95. Bar. A. 817. p. 650. Bucell. l. 5. Menol. Ben. p. 353 Binn. T. 3. Concil. part. 1 lect. 2. p. 259.

824. CI. *Eugenius II. Romanus, ex patre Bœmundo.* $5\frac{1}{2}$ | *Zizimus Rom. presbyter Cardinalis, in ſchiſmate XI. electus.*

Avent. l. 4. Annal. Bojor. p. 292 Plat. p. 115. Simonet. l. 5. c. 5 f. 96. Binn. loc. cit. lect. 2 p. 261

[Ludovicus, moleſte ferens duos pontifices in ſchiſmate electos turbis novis in urbe cauſas ſuppeditare, Lotharium filium Romam miſit, qui Eugenii electione confirmata magiſtratum delegit, qui populo Romano jus diceret, eo qvod libertate nimis abuterentur. Eugenius autem à ſuis tandem oculis, & neſcio ob qvam cauſam vita privatus eſt.]

827. CII. *Valentinus, Petri F. Romanus.*

[Cum magna in eo felicioris gubernationis eſſet expectatio, poſt dies XL. è vivis exceſſit.] Plat. p. 114.

828. CIII. *Gregorius IV. Johannis F. Romanus.* *16*

[Aliorum periculis cautior, noluit prius pontificatum ſuſcipere, quam electionem imperator approbaſſet. Approbatus, *Ansgarium*, Hamburgenſibus archiepiſcopum, & in omnia regna Aquilonis legatum pontificium deſtinavit, ut eccleſias illas ſuæ tyrannidi ſubjiceret, *ut teſtatur Cranzius in Metropoli lib. I. cap. XX.* Feſtum omnium Sanctorum à XII. Maji ad calendas Novembris tranſtulit. Bello à filiis contra patrē Ludovicum imperatorem moto, pro concordia ſancienda miſſus, diſſidia parricidialia non anniſus eſt componere, ſed contra datam imperatori fidem ad caſtra filiorum tranſiens, incertos rumores de Ludovico excommunicato ſpargi curavit, Ideoq; optimus imperator capitur, cuſto-

Volat. l. 22. p. 503. Baron. A. 829. pag 788. Binn. loc. cit. 277. Sabell. 9. Enn. 1, col. 621.

diæ mancipatur, in monaſterium truditur. Eodem dignitati voluntate procerum reſtituto, pontifex vafer ad potentiores partes, relictis filiis, ſeſe inclinavit. Ejus tempore Saraceni in Italiam impetu facto, ferro & igne omnia, Romamqve ipſam devaſtarunt.

Sabell. 9 Enn. 1. col. 62: Volaterr l. 12. p 503. Simoneta l. 5. c. 8. f. 99. Carrier. pag. 49.

844. CIV. *Sergius, Servii F. II. Romanus, à Platina quidem laudatus, ſed ab aliis ob avaritiam & ambitionem valde incuſatus.* 3

[Cum Sergius antea *Bucca* ſeu *Os porci* dictus mutata nominis turpitudine, & data ſucceſſoribus nominum abnegatorum occaſione (*quod tamen alii Sergio IV. adſcribunt*) non exſpectato Lotharii imperatoris conſenſu, ſe paſſus eſſet ordinari; filium ille ſuum Ludovicum cum exercitu Romam miſit. Et ſic Romani fidelitatem imperatori jurabant. Sergius vero, poſt multas contentiones in ſede confirmatus, inunxit Ludovicũ, regem Longobardorum. Paulo ante ejus obitum, zelo Dei exardeſcente, Saracenorum exercitus denuo in Italia omnia rapinis & cædibus miſcuerunt, ſuburbia Romæ diripuerunt, templa exſpoliarunt.]

847. CV. *Leo IV. Rodoaldi F. Romanus, eruditionis, & ſanctitatis nomine celebris.*

Plat p 113. Volat. l. 22. P. 503. Sigon. 5. R. Ital. p. 125. Bucell. Menol. Bened. pag. 501.

[Saracenos, exercitu conſcripto & indulgentiis armato Italia expulit: & ſola oratione (niſi fabulis fallimur) baſiliſcum ex cavernis extractum necavit; incendio metam crucis ſigno præfixit: Saracenorum naves in mari ſubmerſit. Præterea Ethelvvolfum monachum, ex regia ſtirpe oriundum, pontificia diſpenſatione ſacro vinculo ſolutum, ut rex Angliæ eſſe poſſet, illuc adegit, ut in remunerationem ſibi qvotannis ex ſingulis ædibus numum argenteum, qvem numum Petri vocabant, numeraret. Qvindecim propugnacula ſeu turres ad prohibendum Saracenis acceſſum extruxit: Vaticanum etiam mœnibus ſepſit, urbisque mœnia & portas vetuſtate collapſas reſtituit, & urbem Leoninam vocavit.]

VVolff. Lect. Mem. Cent. 9. p. 225. usque ad 237. Gerh. in Conf. Cathol l. 2. part. ſpec. 1. c. 4. p. 629. Conr. Decker. lib. pecul. Oppenheimii divulgato 1612. Georg. Calixt. de

855. CVI. *JOHANNA IIX* (*Johannes octavus*) *antea Gilberta dicta.* 2

[Nolite indignari, Aventine, Onuphri, Raymunde, Bellarmine, Baroni Bini, Florimunde, qvod veſtram audaciam in negando muliebri hoc pontificatu nihil curans, veritatem rei profero ex *Rudolpho Flaviacenſi*, monacho Benedictino qui vixit circa annum IↃCCCXX. ex *Mariano S. oto*, qvi natus anno CIↃXXIIX. ex vetuſtiſſimis cœnobiorum codicibꝰ Chronicon ſuũ collegit: ex *S g berto*, qvi floruit an. CIↃCX. & *reliqvis*, qvi longo ordine ſeqvuntur, *Ottone Fryſingenſi, Gotfrido, Viterbienſi, Martino Polono, Laonico Chalcondyla, Guilielmo Occamo, Martino Minorita, Antonino,*

co, Volaterrano, Faſciculo Temporum, Petrarcha, Boccatio, Platina. Quos & innumeros alios *in lectionibus memorabilibus Wolffii, in catalogo teſtium veritatis, in centuriis Magdeburgenſibus, in tractatu Calixti de conjugio Clericorum,* in jure publico Limnæi lib.2.cap.2. *& alibi* legite, nec porro hiſtoriam, de cujus veritate per octingentos pene annos in ipſomet pontificio regno non dubitatum eſt, negate. Ea autem hæc eſt. *Gilberta,* nata Moguntiæ ex ſcorto, quod imprægnatum ſacrificulus qvidam ex Anglia ſecum illuc duxerat, qvum virili ingenio eſſet prædita, ſexum mentita, cum monacho quodam amatore, primum Fuldenſe cœnobium; deinde Græciam ingreſſa eſt, & linguarum uſu diſputandique ſolertia ſibi comparata, Romæ tandem docuit, ac ſua eruditione omnium benevolentiam ſibi conciliavit, adeo ut Leoni mortuo imperatoris conſenſu ſubſtitueretur. Deinde ſive a Cardinali domeſtico ſive à ſervo, *ut Platina habet,* imprægnata, cum uterum occultaret, in ſolenni proceſſione, doloribus partus obortis, enixa eſt ſobolem & ſtatim defuncta. Hinc cautum eſt, ne pontifex per illam plateam, in qua ſtatua marmorea in rei memoriam erecta eſt, in Lateranenſem baſilicam eat, & ut in ſella teſticulari ſeu ſede ſtercoraria ſedenti novi pontificis virilia à diacono explorentur attactu cum exclamatione: *HABET. HABET.* Hæc Johanna etiam *à Balæo* dicitur de necromantia librum ſcripſiſſe: & *Martinus Minorita in Floribus temporum* teſtatur, eam, dæmoniacum qvendam adjuraturam, hoc reſponſi tuliſſe:

Papa Pater Patrum, Papiſſæ Pandito Partum,
Et tibi tunc edam, de corpore qvando recedam.

Qvo pertinet antiqvus ille verſiculus:

Papa pater Patriæ peperit Papiſſa Papellam.]

Conjug. Cler. à p. 338. ad 358. Philip. Mornæus in Myſter. Iniq. à p. 363 ad 376. VVittaker de Rom. Pontif. Cent. 4. quæſt. 5 à p. 719. ad 723 Andr. VVilletus de AntiChriſt. à p. 164 ad 170. Mares contra Blond. ſcripto pecul. Megerlin in Comment. Chron. ad Theat. div. Regim. c. 13 p. 100. ubi ex ipſis pontificiis teſtes Francos, Italos, Hiſpanos, Anglos, Scotos, Belgas, Germanos; quin Græcos tandem & Judæos citat, quibus addimus Lancell. Templ Jud lib. 2. c. 1. de Pont. n. 9. 10. f. 120 Leand. Italiam p. 187. Sab. 9. Enn. col. 625. Cornel. Agripp de Vanit. Scient cap. 62. p. 151. Conſ Rud. Capelle Diſſert de Jo. Papiſſ habit. Gieſſæ præſ. J. C Diederico. Bar. T. 10. p. 129 ſeq. & A. 853. p. 93. it. A 855. & 866. Sigon. 5. de R. Ital p. 124

857. CVII. *Benedictus III. Petri F. Romanus* 2	*Anaſtaſius Romanus, in ſchiſmate XIII.*

[Benedictus, Johanna in partu mortua, invitus quidem factus eſt pontifex, anno nempe IↃCCCLVII. ut hac vice *Chronologiam Mariani* ſequar: ſed cum legati imperatoris, cujus conſenſus in ejus electione non fuerat exſpectatus, Anaſtaſium ſubſtituerent, cedere noluit: & tandem populo Anaſtaſium, tanquam à Leone olim excommunicatum, deteſtante legatos ſuæ electioni conſentientes habuit.]

860. C IX. *Nicolaus, Theodori F. Romanus.* 7

[Hunc nolentem, *inquit Platina,* in ſolio Apoſtolico collocarunt, & qui-

Plat.p.120.Bar. T.10.p.147.Egnar.l.3.exempl. p.118 Sab.Enn 1.col.626 Blondell.in Proleg. Pſeud-Iſid.c.19. p.90.ſeqq.110. & ſeqq Avent 4.Annal p.328. ſeqq. Naucler. fol.132.

quidem præſente Ludovico imperatore. Confirmatus verò non erubuit, ſe equitem ab imperatore pedite & ſtratore per mille paſſus in caſtra perduci. Præterea eccleſiam Ravennatem, cujus archiepiſcopi hactenus poteſtatem conſecrandi epiſcopos habuerant, in perpetuam ſervitutem redegit: Bremenſem Hamburgenſi conjunxit: ſe & ſucceſſores ſuos tanquam *ἀνόμους* a nullo judicari voluit; regem Lotharingiæ, *Lotharium*, Ludovici II imperatoris fratrem, ob *Waldradam*, Guntharii, archiepiſcopi Colonienſis ſororem, quam uxore *Teutberga* repudiata duxerat, admodum vexavit. Cauſabatur Lotharius, Teutbergam ſibi inviſo a patre obtruſam, & adulterii convictam. Et in concilio Aquisgranenſi & Metenſi epiſcopi probaverant divortium. Sed papa non tantum Waldradam, ſed & epiſcopos, qui ſecundum illam dixerant ſententiam, excommunicationis fulmine petiit, & præterea ſacerdotes ad cœlibatum legibus durioribus damnavit, ob id epiſtola qvadam Uldarici epiſcopi Auguſtani graviter increpatus. Idem in Photium, Patriarcham Conſtantinopolitanũ, qui arguebatur non recte Ignatio ſucceſſiſſe, graves cenſuras ſtrinxit: ſed ab eodem peculiari libro confutatus, & ſimili cenſura notatus. Præterea, cum Slavi, Moravi & Bulgari circa hoc tempus ad Chriſti fidẽ redirent, quam circa annum Ↄↄ. à Scythica quadam gente debellati ejurarant, grave certamen cum patriarcha Conſtantinopolitano ſubiit, utrinam Bulgari ſubjici deberent. Et initio qvidem Romano pontifici ceſſerunt ampliſſimæ hæ eccleſiæ: paulo tamen poſt ad jus Conſtantinopolitanum redierunt Hic eſt ille papa, ad qvem *Belgarum epiſcopi* ſcripſere: *Quæ beneficia tu veluti latro intercipis: templo Dei præripis & in te transfers, his factis fucus ovibus abuteris: vivos occidis: fortes ſuperis detrahis &c.*]

867. CIX. *Hadrianus II. Romanus, Talari epiſcopi F.*

Bar.T.10.p 391 & ſeqq. item p. 415. ſeqq. Buſſier l. 6 Hiſtor. Franc.c.10 pag. 429. & 432. Bicheil. Decret. Eccleſ Gall. l. 2. cap. 2 p. 317.

[Etſi ſine ſuffragiis imperatoris erat deſignatus, tranquillitatis tamen gratia in ejus electionem conſenſum eſt. In ſynodo Conſtantinopolitana imaginum cultum eccleſiis Græcorum obtrudere conatus eſt: ducatum Spoletanum, duce Lamperto, ob Romam eo tempore, qvo pontifex eligendus erat, direptam excommunicato, armis Francorum ſibi ſubjecit: Lothario fratri imperatoris, Romam venienti, talem cœnam adminiſtravit, ut ipſe paulo poſt in reditu moreretur, & omnes ejus ſatellites intra annum extinguerentur, ut *ex Sigeberto, Reginone & Faſciculo temporum* conſtat. Bulgari & Dalmatæ hoc tempore, Latinis presbyterio expulſis, Græcæ ſe junxerunt eccleſiæ. Extat in conſtitutionibus imperialibus apud Goldaſtum *epiſtola Caroli Calvi, regis Galliæ & poſtea imperato-*

ratoris, ad Hadrianum II. qua expoſtulat de contumelioſis illius literis, & negat clericos a ſeculari poteſtate damnatos Romam appellare poſſe, qvum una cum ipſo papa regibus ſubſint, ab illis judicandi: legesq; Papæ, quas urget, ſint iniquæ & diabolicæ.]

872. CX. *Johannes IX.* (*IIX.*) *Romanus.* 10

[Caroli Calvi partes contra Ludovici filios defendit, eoque ex potione venenata defuncto, cum vellet Caroli filium, Ludovicum Balbum imperatorem deſignare, à proceribus in vincula conjectꝰ eſt. Sed ex illis elapſus, & in Gallias fugiens, Ludovicum & poſtea Carolum Craſſum, qui Romam interea occupaverat, diademate cinxit, & Saracenos ex Italia armis principum Chriſtianorum ejecit. Epiſtolæ, qvas ad reges, principes & epiſcopos ſcripſit, leguntur in tomis conciliorum Binii CCIIX, Pro Photio fecit, contra quem Nicolaus & Hadrianus fulmen excommunicationis fuerant ejaculati.]

Aimon de geſt. Franc. l.5. c. 29. fin. Mart. Pol. in vita Formoſ. col. 158. Cottõ. Inſt. I; p. 150. Cranz 5. Metr. 1 p. 115 Singefol. in An. V Veſthp. l. 2. p. 156. Bar. T. 10. A. p. 577. 582. ſeqq.

882. CXI. *Martinus II.* (*ab Onuphrio Martinus I. vocatus,*) *Gallus, malis artibus pontificatum adeptus. Baleus eum facit filium Palumbi necromantici.* 2

[Autor Faſciculi temporum de hujus & ſequentium pontificum temporibus ſic ſcribit: *Charitas refriguit valde circa iſta tempora in omni ſtatu, & iniquitas plus ſolito cœpit abundare. Heu heu heu, Domine Deus, quomodo obſcuratum eſt aurum! Mutatus eſt color optimus! Qualia contigiſſe circa hæc tempora etiam in ſancta ſede apoſtolica legimus ſcandala, quam usq; huc tanto zelo cuſtodiviſti! Quales contentiones, æmulationes, ſectæ, invidiæ, ambitiones, intruſiones, perſecutiones! O tempus peſſimum, in quo defecit ſanctus, & deminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Eia quis conventus, quæ congregatio, quis homo jam ſecurus erit, ſi ſic defecit ſanctitas primitiva?* Adde, quæ *Gilbertus Genebrardi*, hoſtis alioquin proteſtantium maledicentiſſimus, *IV. libro chronographiæ*, de pontificibus horum temporum commentatus eſt: *Per annos:* inquit, *fere CL. pontifices circiter L. à Johanne ſcilicet IIX. qui Nicolao I. & Hadriano II. ſucceſſit, ad Leonem IX usq; à virtute majorum prorſus defecerunt, apotactici apoſtaticive potius, quam apoſtolici.* Hic pontifex acta anteceſſoris in cauſa Photii reſcidit.]

Plat. p. 124. Simonet. l. 5. c. 14. fol. 102. Bar. T. 10. p. 582. ſeqq. 586. Simon. 5 de Reg. It. l. 6. 137. Cranz. 3. Metr. 1. p. 126 Aventin. l. 4. p. 353.

884. CXII. *Hadrianus III. quem aliqui nominant Agapetum, Romanus.* 1/4

[*Carolo Craſſo* imperatore bello Normanico occupato, cum ſenatu populoque Romano decretum condidit, ne, ſi Carolus Craſſus ſine filiis decederet, in creando pontifice autoritas imperatoris exſpectaretur, ſed

Bar. T. 10 p. 59. Cranz. 5. Metr. n. 1 pag. 1. 16. Sab. 6. Enn. 1. col. 610. Plat. de vit. Pont. p. 124. Simon. l. 5 c. 15. f. 102. Sig. circa

ſin.l.5.deRegn. Ital.p.138.conf l. 6.p.144.

ſed Romæ ſemper libera eſſent cleri & populi ſuffragia, ſed regnum Italicis principibus una cum titulo imperii redderetur. Et propterea cum Carolus Craſſus eſſet defunctus, *Berengarius* dux Forojulienſis, & *Guido* Spoletanus regnum Italiæ adverſis factionibus ſibi vendicabant. Sic imperatoribus jus omne in pontificem, impio decreto ademptum eſt. Photium & ipſe eſt execratus.]

Bar. Tom. 10. 599. 901. 606. Carrier.p.44.

885. CXIII *Stephanus (VI.) V. Romanus, qui videtur etiam Baſilius dici, Hadriani F.* 6

[Et hic Photii cauſam damnavit.]

Cranz.5 Metr. 2.p.116. Jul Marius de ſchiſm. 2.p.629. Baron T.10.p.627. Sigon. 6.Regn.Ital.p.143. ſeq.

891. CXIV. Formoſus I. *Romanus, Portuenſis epiſcopus* 4 | *Sergius III. Diaconus in ſchiſmate XIV. aliis dictus Lando.* 1

[Qvia inter eos fuerat Formoſus, qvi Johannem IX. ut jam diximus, in vincula conjecerant, à pontifice liberato omni dignitate privatus, profana indumenta, juramento interpoſito, ſe nunqvam poſtea vel Romam, vel ad epiſcopatum reverſurum, adſumſit. Sed non ſolum à Martino I. dignitati epiſcopali eſt reſtitutus, ſed &, qui erat religione morum, integritate atqve doctrina laudatiſſimus, Stephano defuncto, cum Sergius jam eſſet ordinandus, à ſuis in templum introductus, illo ab altari remoto, conſecratus, & ab Arnulpho imperatore, Romam cum exercitu tumultuario advolante, adverſus factionem Sergianam defenſatus eſt. Paulo poſt cum à Saracenis urgeretur, & ab Arnulpho imperatore defendi non poſſet, Gvidonem, ducem Spoletanum, qui antea adverſus Berengarium à nonnullis rex Italiæ ſalutatus fuerat, imperatorem pontificium creavit. Sed mox cum præſidium Romanis Gvido imponeret, deficiens ab eo, Arnulphum imperatorem evocavit, à qvo etiam Gvido fugatus periit. Roma in his tumultibus occupata eſt à militib9 Arnulphi, leporem ad urbem fugientem inſeqventibus: quo facto Arnulphus, à Papa coronatus, Romanos in ſua verba juſſit jurare. Hic pontifex ipſum qvidem Photium damnavit: ſed laicos, qui illi adhæſerant, & epiſcopos qvos ordinaverat, non damnavit.]

Bar, Tom.10.p. 640.&659.Plat pag.116.

895. CXV. *Bonifacius VI. Tuſcus*, invaſor ſedis, præfuit ſaltem 16. diebus.

Carrier.Digeſt. Chron. Papal. p.44.Bar.T.10. Ann. 900.pag. 648. Simon

896. CXVI. *Stephanus VII. (VI.) Romanus antea Nicolaus.* 1

[Omnia decreta Formoſi, qvem ex animo hactenus, homo, ipſo Baronio teſte, ſceleſtiſſimus, oderat, qvia contra jusjurandum Romam & ſacerdotium repetiiſſet, & Arnulphum coronaſſet, irrita fecit: omnes ab

eo

eo ordinatos exauctoravit: ipſius cadaver effodi, pontificalibus indui, & accuſatum damnatumqve omnibus ornamentis ſpoliari, amputatisq; tribus digitis & in Tiberim abjectis, ſepulturæ laicorum mandari curavit. Pro Arnulpho autem Lambertum, Gvidonis filium, dixit imperatorem: Ipſe tandem ſede pulſus, & in carcerem conjectus, periit ſtrangulatus. Hoc ſcilicet tempore, *ait Baronius*, ad pontificatum pervenere homines monſtroſi, vita turpiſſimi, moribus perditiſſimi, & undiquaqve fœdiſſimi: &, *ut Stella ait*, omnis virtus tam in capite, quam in membris, ex hominum ignavia conſumta fuit. Interim marchiones Tuſciæ Romam ſibi vendicabant, & ex mole Hadriani jus dicebant Romanis.] neta. l. 2. c. 19. f. 103. Avent. l. 6. p. 144. Plat. p. 126. Egn. 9 Exempl. illuſtr. p. 294.

897. CXVII. *Romanus I. quem alii Galleſianum; alii & nomine & patria Romanum faciunt.* Bar. Tom. 10. p. 649. Sigon. 6. Reg. Ital. p. 144 Plat. p. 126.

[Formoſi cauſam iterum approbans, anteceſſoris decreta reſcidit. Hi enim pontifices, *ut recte ait Onuphrius*, nihil aliud cogitabant, quam & nomen & dignitatem majorum ſuorum extingvere.]

897. CXIX. *Theodorus II. Photii F. Romanus, diebus XX.* Plat. p. 127. Simon l. 5. c. 21. fol. 105.

[Et hic Formoſi cauſam egit.]

---

897. CXIX Johannes X (IX.) *Romanus, monachus S. Benedicti, Rompoaldi F.* 2

Sergius III. iterum in ſchiſmate XV. quod per quinqvennium duravit. Sig. l. 6. R. Ital. p. 144. ſeq. Carrier. in Chron. p. 44. ſeq. Bar. T. 10. p. 651. & 664

[Johannes Formoſi acta in integrum reſtituturus, ſeditioni maximæ cauſam præbuit, & inimicos fugiens, Ravennam ſe contulit, ubi concilio LXXIV. epiſcoporum coacto, Formoſi decreta rata eſſe cenſuit: decretis Stephani igni traditis.]

899. CXX. *Benedictus IV. Romanus, Mamminuli F.* 3 Sigon. ad A. 898 p. 148. & 9. de R. Ital. p. 150.

902. CXXI. *Leo V. Ardeatinus.*

[In carcerem poſt XL. dies detruſus à ſucceſſore.]

902. CXXII. *Chriſtophorus I. Romanus,* ½ Simonet. l. 5. c. 25. f. 106. Sigon 6. de R. Ital. pag. 151.

[A ſucceſſore armata manu Romam occupante, in monachum detonſus, & in carcere mortuus.]

903. CXXIII. *Sergius III. qui jam bis ſede pulſus erat* 7 Bar. A. 908. p. 667. Simon. l. 5. cap. 26. fol. 107. Cranz. 5. Metr. 1. p. 117. Plat. p. 128 129. Luitpr. l. 3. c. 12. p. 125.

[Hic Baronio dictus omnium facinoroſiſſimus, Caroli Simplicis, Francorum regis & Adelberti Tuſcorum marchionis auxilio, ſede pontificis potitus, anteceſſore in fœdum carcerem conjecto, Formoſi cadaver, quod ante IIX. annos terræ mandatum erat, denuo è ſepulcro extraxit,

xit, & digitos, ex ſuperiori mutilatione reliquos amputatos. ipſum quoque ejus cadaver in Tiberim projecit, tanquam ſepultura indignum, omniaque ejus acta improbavit. Pater eſt Johannis XII. (XI.) Maroziæ ſeu Mariæ & Theodoræ, de quibus poſtea. In Purificationis feſto, *teſte Baleo*, candelas ferri præcepit, ne eum ceremonias minus curaviſſe exiſtimes.]

Cranz ſ. Metr. 2. p. 117. Sigon. 6 R Ital. p. 152. Naucl. Gen. 31. f. 136. Plat. pag. 119.

911. CXXIV. *Anaſtaſius III. Romanus, Luciani F.*

913. CXXV. *Lando I. Sabinus, Trani F.*

[Hiſce temporibus *Platina* dicit, *cum ipſis opibus laſcivire cœpiſſe eccleſiam, verſis ejus cultoribus à ſeveritate ad laſciviam: nullo principe flagitia hominum tunc coercente, licentiam peccandi peperiſſe PORTENTA, à quibus ambitione & largitione ſanctiſſima ſedes Petri ſit occupata potius, quam poſſeſſa.*]

Sigon. 6. R. Ital p. 125. Luitpr. 2. Hiſt. 13. p. 11. Baron. T. 10 An. 908. n 7. Stangef 2. A. VVeſtphal. p. 171 Platin. p. 129 Marius Schiſm. 2. p. 630. Carrier. Chron. Pont p. 45.

913. CXXVI *Johannes XI. (X.) Ravennas, Sergii III. & Marozia F. quo Baronius dicit neminem fuiſſe turpiorem.*

[*Theodora*, fœmina illuſtris & potens, ex Ludovico II. atq; adeo ex Carolo M. genus ducens, duas enutrierat filias, *Theodoram* & *Maroziam* ſeu *Mariam*. Theodora ex *Adelberto* Tuſciæ marchione ſuſceperat *Albericum ſeniorem*, qui hoc tempore urbis Romæ principatum uſurpabat; altera *Marozia*, quæ ſe, ut jam diximus, Sergio pontifici proſtituit, ex eo *Johannem XII.* ſuſtulit, & eo defuncto, *Guidoni*, potentiſſimo principi & marchioni Tuſciæ nupſit, & ex eo *Albericum juniorem* ſuſcepit. Ipſa vero mater Theodora perdite amavit *Johannem XI.* presbyterum Ravennatem, eumque per *Landonem* pontificem I. curavit epiſcopum Bononienſem, & paulo poſt archiepiſcopum Ravennatem creari, quin &, Landone jam defuncto, quia in urbe propter filias omnia poterat, eum in ſedem pontificiam evexit: ne, *quod dicit Luitprandus*, amaſii ducentorum miliarium interpoſitione, quibus Ravenna ſequeſtratur a Roma, rariſſimo concubitu potiretur. Hic pontifex *Alberici marchionis*, qui illum per varia adulteria jam arcta affinitate attingebat, & *Berengarii* opera, egregiam adverſus Saracenos reportavit victoriam, atq; ad referendam Berengario gratiam eum anno IↃCCCCXV. imperatorem inunxit. Non parem gratiam Alberico retulit, ſed quoqvo modo ei odium & invidiam conciliavit: eaque re fecit, ut non ſolum Hungaris, ſed & Saracenis Italia proſtitueretur divexanda. Guido igitur marchio, Maroziæ maritus, rei bellicæ per Italiam præfectus, omnem culpam pontifici imputans, eum in carcerem conjici, & cervicali in os conjecto ſuffoca-

ſocari, ſuumque per adulterium Sergii pontificis & Maroziæ privignum Johannem XII. (XI.) ſurrogari curavit, inter pontifices nunc nondum numeratum, quia & vi ſedem occupavit, & ſtatim à populo atque clero dejectus eſt.]

928. CXXVII. *Leo VI. Romanus, Chriſtophori primicerii F.*

[Dejecto Johanne XI. cleri & populi Romani ſuffragiis electus, poſt ſeptimum menſem in carcerem detruſus, & veneno per Maroziam ſublatus eſt. Extat egregia hujus Leonis epiſtola ad regem Saracenorum de fidei Chriſtianæ veritate, ut & orationes nonnullæ.]

Naucl. Gen. 32. f. 138 b. Cranz. 5. Metr. 1 p. 117. Plat. p 130.

928. CXXI'X. *Stephanus IIX. (VII.) Romanus, Theudemundi F. itidem venenato poculo periit.* 2

Cranz. 5. Metr. 1. p 117. Simon. lib. 5. c. 3. f. 109.

930. CXXIX *Johannes XII. (XI.) Sergii III. Pontificis ex Marozia ſcorto filius.* 5

[Leone & Stephano ſublatis, à matre adultera *Marozia* pontificatum adeptus eſt. Illa interea, *Guidone* marito defuncto, fratrem illius Hugonem, regem ſeu imperatorem Italiæ, per nuncios ad inceſtuoſum torum & occupandam urbem invitavit. Qui nihil cunctatus, & inceſtu fratriæ fœdatus, adeptus jam urbis dominium, privignum Albericum juniorem, Maroziæ & Guidonis marchionis filium, quod aquam ſibi minus civiliter affuderat, pugno percusſit: & hoc facto tantum civium odium incurrit, ut Albericum eligerent dominum. Et ſic Albericus urbe potitus eſt, eo ipſo tempore, quo ejus frater Johannes ſedem occupaverat papalem: quem tamen una cum matre Marozia tamdiu in cuſtodia detinuit, donec extremum diem obiret, tandemqve cum Hugone, qui Romam obſidere cœperat, in pacis conditiones deſcendit, filia ejus Alda in uxorem adſcita. Ut inceſtus & adulteria paparum, marchionum & ſcortorum rectius pateant, ſchema ſequens ſubjungemus,

Luitpr. l. 2. c. 13. p. 111 Bar. A 931 p. 705. Sabell. 9. Bnn 1. col. 645. Marc. Ant. de Dominis 4. de Rep. Eccleſ. 7. pag. 636.

SCHEMA INCESTUUM ET ADULTERIORUM PAPARUM.

Lotharius, *rex Lotharing. Lotharii Imp. F. Ludovici I. Imp. N. Caroli M. Pronepos.*

Theodora, *quæ ex Ludovico II. Imp. Lotharii regis Lotharing. fratre putatur ſangvinem ducere. Ejus concubinarius Johannes XI. (X.)*

Lotharius *Arelatenſis Com. Provinciæ.* — Adelbertus, *marchio Tuſciæ, dux Romæ* — Theodora, *uxor Adelberti*

Gvido, *marchio Tuſciæ* — Hugo, *marchio Tuſciæ & Imp. Italiæ*

ambo Maroziæ *mariti*

Albericus ſenior, *marchio Tuſciæ, dux Romæ*

Marozia, *ex qva*

& Sergio III — Johannes *XII. (XI.)*

& Gvidone *march. Tuſc.* — Albericus junior

& Hugone *Gvidonis fratre l. alia Imper.* — Alda

Johannes *XIII. (XII.)* *monſtrum horrendum.*

Avent. 4. Ann. p. 381. ſeqq. Baron T. 10. p. 711. Bar. T. 10. A. 940. p. 718 Plat. de vita Pont. p. 113. Mollinkr. de Archi. Can. lib. 2. c. 2. p. 139. Cranz. 5. Metr. 2 p. 118. Sab. 9. Enn. 2. col. 642. Sabell. l. cit. col 642. Bar A 946 p. 734 Ad. Bremenſ l. 1. c. 2. Simonet. l. 5. c 35. fol. 10. Cranz. 3. Metr. cap 17. pa.

935. CXXX. *Leo VII. Romanus.* 4

939. CXXXI *Stephanus IX. primus ſecundum Platinam & Stellam ex Germanis ſub Ottone Magno.* 3

[Pontificatum iniens, *inquit Platina*, ita ab Alberico & Romanis per ſeditionem vexatus eſt, ut nil memoria dignum ab eo geri potuerit. In illa ſeditione mutilatus, turpiter aliquandiu vitam duxit, cum ob deformitatem cicatricum in publicum prodire erubeſceret.]

942. CXXXII. *Marius III. Romanus, aliis Marinus II.* $3\frac{1}{2}$

[A manſvetudine commendatur Platinæ]

946. CXXXIII. *Agapetus II. Romanus.* 9

[Hujus & ſuperiorum paparum tempore in Italia factiones *Berengarii II.* ejusqve filii *Alberti* ſeu *Adelberti*, adverſus *Hugonem*, comitem Arelatenſem, ejusqve filium *Lotharium*, invaluerunt; quorum uterqve ſeſe regem & imperatorem Italiæ nominabat. Evocavit igitur Agapetus *Ottonem I Imperatorem* adverſus Berengarium: qui, epiſcopis peſſime tractatis, ipſi pontifici infeſtus erat, & Lotharii veneno necati viduam Adelheidam obſidione gravi premebat. Miſit autem Otto filium *Ludolphum*, eoqve nihil memoria dignum gerente, ipſe adfuit, ductaqve Adelheida, Berengarium regno ejecit.]

956.

956. CXXXIV. *Johannes XIII.(XII.) antea Octavianus, Romanus Guidonis & Marozia nepos, Alberici filius, monſtrum horrendum, immane, ingens.*

[Cum multis modis affligeretur Italia non ſaltem à tyrannide Berengarii II ſed & à luxu pontificis hujus, ab adoleſcentia, *ut Platina habet*, omnibus probris ac turpitudine contaminati: duo Cardinales (qvorum alteri naſus, alteri manus poſtea abſciſſa eſt) opem Ottonis I. magnopere proceres implorarunt. Ille Italiam cum exercitu L. millium militum ingreſſus, Berengario II & filio ejus Adelberto in poteſtatem redacto, Romam properans pontificem ad vitam ſaniorem admonitum, & juramento obſtrictum, ingentibus muneribus honoravit. Ille tamen, imperatore diſcedente, ad ganeam, ſcortationes, veneficia, aliaqve flagitia mox rediit; nec ſaltem filium Berengarii, Adelbertum, contra datum jusjurandum, evocavit, ſed & Conſtantinopolitanos adverſus Ottonem incitavit. Advolavit Otto Romam, unde aufugerat Johannes, & tam faciles invenit cives, ut & fidelitatem jurarent, & ſe præter conſenſum imperatoris nunquam electuros pontificem promitterent. Quin & concilio coacto, cujus acta in imperialibus conſtitutionibus Goldaſti exſtant, depoſuit Johannem, ut qui eſſet ſacrilegus, adulter, duarum ſororum inceſtuoſus corruptor, quiqve enſe & lorica armatus in publicum prodiiſſet, in cacodæmonis amorem vinum bibiſſet, in aleæ ludo Veneris, Jovis, aliorumque dæmonum opem expetiiſſet. *Sanctitas*, inqvit Wernerus Rolevincius in Faſciculo temporum, *Papas dimiſit, & ad Imperatores acceſſit hoc tempore.* Otto nunc demum regnum Italiæ titulo imperatorio obtinuit.]

Plat. pag. 132. Cranz l. 4 Sax. c. 8 p. 8; Marig l. de Schiſm. 3. p. 631. Sabell. 9. Enn. 1. col. 644. Stangefol. 2. Ann VVeſtph. p. 190. Luitpr. 6. Hiſt. 6. p. 154. Carrier. p. 47.

963. CXXXV. *Leo IIX. Romanus.*

964. CXXXVI. *Benedictus (V.) IV. Romanus, in XVI. ſchiſmate.*

[Etſi Otto, concilio coacto, Leonem IIX elegerat, & Leo, *dicente Platina*, Romanorum conſtantiam pertæſus, omnem autoritatem eligendi pontificis ad imperatorem tranſtulerat: Johannes tamen in latibulis ſuis, non ſaltem ipſum concilium excommunicavit, ſed & populo Romano per nuncios, promiſſis eccleſiæ theſauris, perſvaſit, ut in imperatorem, qvi potiſſimam exercitus partem, ne Romanis oneri eſſet, dimiſerat, impetum facerent. Sed fuſis illis & turpiter fugatis, atqve indiſcretim cæſis, Otto perfidiam tantam execratus, Spoletum abiit. Ideoqve Johannes, artibus ſcortorum ſuorum in urbem regreſſus, Leonem ejecit,

Platin. p. 133. & ſeq. Avent. l. 5. Ann p. 394 Simoner. l. 5. c. 39. f. 112. Anton. Tr. 16. p. 16 Genebrard. lib. 2. Chronogr. f. 27 Bar. A. 964. T. 10. pag. 774.

& pau-

& paulo poſt cum quadam nocte illicita frueretur Venere, aut à dæmone percuſſus obiit, *ut Luitprandus habet*, aut à marito adulteræ transfoſſus eſt, *ut Platina & Balæus annotant*. In ejus locum Romani elegerunt *Benedictum V.* Hos tamen imperator ferro & flammis adegit, ut, Benedicto dedito & Leone recepto, nil ſe earum rerum immutaturos jurarent, qvas ipſe imperator in re pontificia conſtituiſſet. Et Leo pontifex, Benedicto jam Hamburgum relegato, ut turbis occurreret, quæ in eligendis pontificibus concitari ſolent, imperio ad exemplum Hadriani reddidit, quæcunqve ab eo abalienata fuerant, decretoqve ſynodali poteſtatem eligendi pontificem, populo & clero Romano ademtam, ad imperatorem tranſtulit, atqve ob id à recentioribus numero paparum, tanqvam hæreticus, exemtus eſt. *Bullæ Leonis VII.* in conſtitutionibus Goldaſti Imperialibus extant, *quibus jus imperatorum in eligendo ſummo pontifice, inque inveſtiendis epiſcopis confirmat, & omnia temporalia imperio Romano reſtituit.*]

Platina p. 134. Simoneta l. 5. c. 40. ſ. 11 Avent. l. 5. p. 394.

965. CXXXVII. *Johannes XIV. (XIII.) Romanus, Johannis epiſcopi F.* 7

[Romani, Jurisjurandi memores, de novo papa creando miſerant ad imperatorem, & obtinuerant hunc Johannem: qui cum non placeret, in vinculis integro fere anno detinebatur. Aderat autem Otto, & pontifice in priſtinam dignitatem reſtituto, in ſeditionis autores graviter animadvertebat. Circa hoc tempus Hatto, Moguntinenſis epiſcopus, fertur à muribus eſſe conſumtus. Polonia in duos archiepiſcopatus Gneſnenſem & Uratislavienſem, eſt diviſa.]

Plat. pag. 135. Cranz. 5. Metr. 4. p. 118.

972. CXXXIIX. *Donus vel Domnus II. Romanus.*

[Hunc aliqui ponunt poſt Benedictum, ut Ant. Marcellus & Balæus.]

Avent. l. 5. pag. 395. Panvin. p. 241. Sigon 7. de R. Ital. p. 179. Sabell. 9. Enn. 2. col. 648. Mallincr. de Archi-Canc. R. I. p. 55.

973. CXXXIX. *Benedictus (VI.) V. Romanus Hildebrandi F.* 1	974. CXL. *Bonifacius VII. Ferrutii F. antea Franco, ex Albericorum familia, in XVII. ſchiſmate.* 1

[Benedictum Bonifacius, quem Baronius vocat ſceleſtiſſimum, alii Malefacium, opera Cincii ſeu Quintii, civis in urbe potentis, violenta manu captum, in carcerem compegit & ſtrangulavit. Sed odiis omnium in eum exardeſcentibus, fugere coactus eſt. Spoliata igitur omnibus theſauris eccleſia, Conſtantinopolin abiit, & poſt decennium, animis Romanorum magna vi auri expugnatis, rediit, & Johanne XV. (XIV.) fame enecato, & inſepulto abjecto, ſcelerum conſcientia excruciatus, ſubi-

ſubitanea morte corruit. Clerici fune pedibus ejus injecto, protraxerunt eum in viam publicam, ubi lanceis & aculeis eſt confoſſus, tandemque tanquam quisquam ex laicis ſepulturæ traditus.]

975. CXLI. *Benedictus (VII.) VI. Romanus.* 9

[Pro Ottone III. eligendo admodum ſollicitus fuit.]

98?. CXLII. *Johannes XV. (XIV.) Papienſis epiſcopus.* 3/4

[In carcere à Bonifacio VII. poſtquam pontificatum per IV. menſes recuperaverat, & paulo poſt repente expiraverat, necatus.]

CXLIII. *Johannes XVI. (XV.) Romanus.* 1/4

[Hunc Baronius cum ſequenti Johanne confundit & forſan non ſine cauſa. Nos ſimpliciter ſeriem Platinæ in numerandis Pontificibus ſecuti hactenus ſumus, & porro ſequemur. Eſt autem hic Johannes in carcerem ob diſtracta in propinquos eccleſiæ bona à clero conjectus, in qvo fame periit.]

985. CXLIV. *Johannes XVII. (XVI.) Romanus.* 10

[Religionis negotia majori cura, quam anteceſſores, tractavit: ſed Creſcentius conſul, urbis dominio affectato, multis eum afflixit modis, ut tandem in Hetruriam exulatum abiret. Cum vero Otto imp. inſtaret, eum revocatum fœdo pedum oſculo Creſcentius honoravit.]

Panv. pag. 142. Cranz. 5. Metr. 1. p. 118. Plat. p. 136. ſeq. Bar. Tom. 10. p. 855. Genebr. 2. Chronogr. An. 975. p. 28. Plat. p. 137. Sabell. 9. Enn. 2. col. 651. Cranz. 5. Metr. 1. pag. 144. Plat. l. c. Stella in vit. Pont. p. 140. Volat. l. 22. p. 504. Cranz. 5. Metr. 1. p. 145.

995. CXLV. *Gregorius V. antea Bruno dux Sveviæ.*

996. CXLVI. *Johannes XIIX. (XVII.) Græcus, in ſchiſmate XIIX.*

[In Ottonis gratiam, non reluctante Creſcentio, Bruno, cognatus ejus, Papa ordinatus eſt. Sed poſt diſceſſum Cæſaris, cum Itali ægre ferrent, Germanum eccleſiæ Romanæ præeſſe, pulſo Germano, Græculum quendam, conditione ſervum, epiſcopum Placentinum, hominem ambitioſum & iniqvum, à quo magnum auri pondus Creſcentius acceperat, in ſedem pontificiam evexere, & Johannem XIIX nominavere. Cinxit igitur Otto urbem longa obſidione, & intromiſſus, invaſori ſedis oculos eruit, digitos amputavit, eumqve ſordidis indutum veſtimentis, atqve aſino impoſitum è monte Tarpejo præcipitem dedit. Creſcentium deinde vili jumento, ad caudam vultu verſo naſoqve cum auribus abſciſſo, impoſitum in patibulo cum XII. ſociis ſuſpendit, & Silveſtrum II. ſuum quondam magiſtrum, elegit pontificem, eiqve VII. comitatus donavit eaqve ipſo fictas Conſtantini & Caroli Calvi donationes pronunciavit, quia, quod nunc demum eſt papæ donatum, antea ab eo non fuit poſſeſſum.]

Cranz. 4. Sax. 24. pag. 93. & 5. Metr. 1. p. 119. Stella p. 141. Sigon. 7. Reg. Ital. p. 183. Trithem. Chron. Hirſaug. pag. 41. Blond. Dec. 2. l. 3. pag. 158.

998.

Sigon. 7. R. Ital. p. 185. Avent. l. 5 p. 400. Blond. Dec. 2. lib. 3. p. 189 Naucl. part. 1 Vol 2. p. 144. Malmesb de gest. Reg. Angl. 2. cap. 10. Marc. Ant. de Dominis 4. Rep. Eccl. 8. n. 46. p. 663.

993. CXLVII. *Silveſter II. antea Gerbertus, Belga, Ravennas archiepiſcopus.* 4

[Monachum à teneris egit, & in Hiſpaniam ſtudiorum cauſa profectus, incidit in librum magicum, fædereque cum Satana, hac conditione, ut ad ſummas dignitates perveniret, inito, (*hoc enim, quicquid obloquatur Onuphrius, præter Brunonem Cardinalem plures hiſtorici teſtantur*) cum omnium admiratione juventutem ſibi commiſſam, & inter alios, Ottonem III. atqve Robertum, regem Franciæ, artes liberales docuit, & per æneum caput, quod domi clam habuit, à ſpiritu maligno reſponſa accepit. Præfectus primo eſt archiepiſcopatui Remenſi; deinde Ravennati; tandemqve Romanus præſul conſtitutus, hunc de ſe verſiculum ipſe compoſuit:

Scandit ab R Gerbertus in R: poſt Papa viget R.

Conſuluit aliqvando cacodæmonem de felicitatis ſuæ diuturnitate, & hoc reſponſi accepit, *finiendam eam eſſe Hieroſolymis.* Quo nomine cum templum aliquod Romæ vocetur: illud Silveſter ingreſſus, dæmonum audivit ſtrepitum, & morbo lethali correptus, ſcelus deploravit, juſſitq; corpus ſuum diſſectum bigis imponi, & ibi ſepeliri, ubi equi nemine agente ſubſiſterent. Sic cadaver (*qvo putas auriga?*) ad Lateranenſem eccleſiam deportatum, dicitur ab eo tempore, colliſione oſſium & ſudore per ſepulcrum emiſſo, pontificum mortem prædixiſſe, *ut inter alios annotavit Platina.* Hic eſt, qui primus belli ſacri ſvaſor extitit *ſecundum Baronium.*]

Plat. p. 139 Stella p. 142. Cranz. 5. Metr. 1. p. 119.

1003. CXLIIX. *Johannes XIX. (XIIX.) Romanus, cognomento Siccus.* ½

[A marchionibus Tuſciæ, abſente imperatore, creatus populum à Pontificis electione excluſit, ſoli clero illa conceſſa: venenata potione à ſucceſſore ſublatus.]

Cranz. 5. Metr. 1. Sabell 9. En. 2 col. 607. Plat. p. 140. Bar. T. 11. pag. 39.

1003 CXLIX. *Johannes XX. (XIX.) Romanus, cognomento Faſanus, infamis de magia.* 5¼

1009. CL. Sergius IV. *Romanus, ſanctiſſima vita ſecundum Platinam, antea Petrus.* 3

1012. CLI. *Benedictus (IIX.) VII. Tuſculanus, pellitur quidem, ſed mox reſtituitur* 12	*Gregorius in XIX. ſchiſmate.*

[*Imperator Henricus II.* illi confirmavit donationes eccleſiæ Romanæ ab anteceſſoribus factas: ſed hac conditione, *ut ſalva ſit in omnes ejus pro-*

provincias imperatoris poteſtas, nec pontifex ſine ejuſdem confirmatione conſecretur, ut apud Goldaſtum legi poteſt. Idem imperator Bambergæ cathedralem baſilicam per Benedictum conſecrari curavit, utque inde quotannis pontifici Romano, præter eqvum album phaleratum, centũ marcæ argenti penderentur, conſtituit. Hic pontifex, *ceu Platina & alii dicunt*, poſt obitum epiſcopo cuidam apparuit, nigro inſidens equo, juſſitq;, ut pecunias, quas aliis detractas occultaverat, pro ſe multis tormentis afflicto pauperibus erogaret. Credat *Baronius*, ex cruciatibus infernalibus eum exiiſſe; *Noſtra fides eſt* ex inferno non dari liberationem. Fuit Gregorii Portuenſis epiſcopi filius, patruus Benedicti IX. Hungaria ſub eo diviſa eſt in Strigonienſem archiepiſcopatum.]

Plat. p. 141. Bar. A. 1012. p. 41. & Ann. ſeq. p. 45. Petrus Damianus in vita Odilonis p. 47. 48. Carrier. in Digeſt. Chron. p. 49 Simoneta l. 5. c. 56. fol. 118.

1024. CLII. *Johannes XXI. (XX.) Romanus, Gregorii Portuenſis epiſcopi F. frater Benedicti VII.* 9¾

[Hunc & anteceſſorem ſimul atqve ſucceſſorem, duos videlicet Benedictos, *Magdeburgenſes Benno & Balæus*, dicunt artibus magicis ad Romanam ſedem conſcendiſſe.]

Glaber l. 4 c. 1. p. 41. Baron. A. 1024. pag 80. Cranz 5. Metr. l. p. 119.

1033. CLIII. *Benedictus IX. Tuſculanus, antea Theophylactus dictus.* 12	1044. CLIV. *Silveſter III. Romanus, in XX. ſchiſmate.*	CLV. *Gregorius IV. antea Gratianus dictus.* 12

[Tres hos papas Platina vocat *tria monſtra*; alii *tricipitem beſtiam & homines ſceleſtiſſimos*. *Benedictus*, puer IX annorum, Benedicti VII. & Johannis XXI. ex fratre nepos, à patre Alberico, comite Tuſculano, intruſus, fœminas undequaque ſuis incantationibus, quas à Silveſtro II. & Laurentio archiepiſcopo Amalphitano (quem magorum principem vocat Benno Cardinalis) didicerat, cœpit in turpes trahere amplexus: & mortuo Conrado imperatore Henricum III. ejus filium, ſucceſſione imperii exturbare conatus, miſit coronam Petro, regi Hungariæ, cum hac inſcriptione:

Petra dedit Romam Petro; tibi Papa coronam.

Sed victo Petro, Henricus imperator Romam properabat, quam tres papæ in diverſum ſcindebant. Nam *Benedictus* ob ſcelera ejectus fuerat à *Silveſtro*, Sabinenſi epiſcopo. Rediens vero, papatum complici ſuo, archipresbytero *Gregorio VI.* antea Gratiano dicto, rudi literarum, magus mago *ut Benno ait*, libris mille quingentis vendiderat. Ideoque imperator, tribus illis loco motis, ſubſtituit *Clementem II.* Ferunt nonnulli, Caſimirum, Principem Poloniæ, è monaſterio Cluniacenſi indultu Benedicti

Volaterr. l. 22. 505. Benno in vita Hildebr. Plat. 141. Glaber. Rodolph. l. 4. c. 5. p. 46. & l. 5. c. 5. p. 59. Baron. A. 1041. p. 139 Uſſer. de Chriſt. Eccleſ. ſucceſſ. c. 4. p. 117.

dicti

dicti IX. emiſſum ad ſeculum & regni gubernacula rediiſſe iſta lege, ut de quolibet capite nobilium uſualem numum, numum nempe Petri, ſingulis annis ſolvant Poloni; comam barbaro more non nutriant; inſtar religioſorum tonſuratum caput geſtent, & in præcipuis feſtivitatibus panno linteo albo, in ſtolæ modum dependente, cervicem exornent.]

1046. CLVI *Clemens. II. Saxo, epiſcopus Bambergenſis, antea Suidgerus.* 1

Adam Bremenſ. l. 3. c. 8. Simonet. l. 5. c. 59. f. 119. Baron. A. 1047. p. 151. Serrar. 5. Rer. Mogunt. p. 740

[Hunc in ſchiſmaticorum paparum locum ſubſtituit Henricus III. & Romanos conceptis verbis jurare juſſit, nullum ſe deinceps pontificem vel electuros vel conſecraturos, niſi quem imperator dediſſet. Hac de cauſa Baronius impingit Henrico *hæreſin*, qvam vocant *Henricianam*: quæ tamen nihil aliud eſt, qvam juſta jurium imperialium aſſertio adverſus *hæreſin* paparum, dictam *Hildebrandinam*, a Gregorio VII. alias Hiltebrando vocato. Clemens, cum imperatorem comitatus rediret in Germaniam, non ſine ſuſpicione veneni eſt mortuus. Ideoq; *Benedictus XI.* reverſus, ſedem per IIX. menſes occupavit.]

1048. CLVII. *Damaſus II. Bavarus, antea Poppo, ſeu, ut alii dicunt, Stephanus Bagniarius dictus, epiſcopus Brixienſis, ab imperatore datus, XXIII. diebus.*

Sabell. 9. Enn. 2. col. 664 Plat. p. 143. Volat. l. 22. pag. 504. Sigon. 8. Ital. pag. 204.

[Hunc veneno ſuſtulit *Benedictus IX.* qui jam quarto invaſit ſedem, eamq; VII. menſibus obtinuit, tandemq; *ſecundum Bennonem & Baroniū* in ſilvis a dæmone ſuffocatus, eremitæ ſub ſpecie urſi, capite atq; cauda aſinina apparuit: ſe hac ſpecie oberrare indicans, quia in vita ſine ratione & lege vixiſſet, & plus feritatis, quam humanitatis habuiſſet.]

1048. CLIIX. *Leo IX. antea Bruno, Dagsburgi in Alſatia comes, epiſcopus Tullenſis: itidem datus ab imperatore.* 7

Lamb. Schaffn. p. 261. Avent. l. 5. Ann. B j r. p. 421 Platina p. 144 Simoneta l. 5. c. 61. f. 119.

[In numero Sanctorum, qui miraculis claruere, *à Platina* habetur. Synodo Vercellis coacta, Berengarium damnavit: *Michaëlem*, patriarcham Conſtantinopolitanum, excommunicavit ob mota diſſidia: ſed viciſſim ab eo excommunicatus eſt. Cum *Normanni* Beneventum, pontificiam urbem, quam Henricus III. Leoni IX. conceſſerat, ut ſine onere totum haberet epiſcopatum Bambergenſem, invaderent, arma corripuit novo exemplo: & proditus ab *Hiltebrando* monacho quem Cardinalem creaverat, captus eſt. E captivitate vix redux factus, diem obiit extremum.]

Vacat ſedes ultra annum.

1055.

1055. CLIX. *Victor II. Batavus, antea Gebhardus, epiſcopus Aiſtatenſis, ab imperatore conſtitutus* Sigon. 8. R. Ital. p. 207.

1057. CLX. *Stephanus IX. Lotharingus, frater Gothofredi, ducis Tuſciæ, abbas Caſſinenſis, antea Fridericus dictus.* Trithem. Chronic. Hirſ. p. 54. Cranz. 5. Metr. 1. p. 120.

[Eccleſiam Mediolanenſem, quæ à temporibus apoſtolorum libera fuerat, ſub jugum ſuum redegit.]

1059 CLXI. *Benedictus X. Campanus, à Nicolao ejectus in ſchiſmate XXI.* | 1059. CLXII. *Nicolaus II. Allobrox, antea Gerhardus, ep. Florentinus.* Plat. p. 146. Simonet. l. 5. c. 64 f. 120. Sibell. 9. E in 3. col. 667. Brunner. 10. A. Bojor. 6. p. 938. Palmer. in Chron. f. 119.

[*Robertum Guiſcardum Normanum*, qui agnatis comitatum Apuliæ eripuerat; urbem etiam Trojam, quæ Romanæ erat ditionis, invaſerat, *Nicolaus II.* diris initio petiit: poſtea, cum à Romanis per tumultum premeretur, in ſubſidiũ illum vocavit, & nomine comitatus Apuliæ & Calabriæ in ducatum commutato, eum eccleſiæ præfectum conſtituit, hac conditione, ut Beneventum, Trojam in Apulia, & quicqvid ad ſedem pontificiam pertinebat, & ab eo paulo ante occupatum erat, reſtitueret: auxilia etiam mitteret quoties pontifici opus eſſent. Scribunt nonnulli, qvod Gviſcardus pontifici, juramento fidelitatis præſtito, annuum duorum boum & aliquot denariorum cenſum promiſerit: quodq; hinc primum Romanæ eccleſiæ jus in regnum Neapolitanum ſit enatum. Sed aliis videtur eſſe fabula. Id certum eſt, quod poſt hoc tempus Guiſcardi frater, *Rogerius Buſſus*, Siciliam Saracenis eripuerit, diu ab illis detentam, & ita primus titulum comitis Siciliæ meruerit, ſicuti ejus filius *Rogerius II.* ſe regem Siciliæ conſtituit, & nepos *Guilielmus* demum ſe regem Neapolitanum, in utraqve Sicilia, dixit. Interim pontifices novis viribus freti, ſic cœpere Romanos domare, ut toti ab eorum nutu dependerent. Hic imprimis pontifex electionem papæ ad ſolos Cardinales reſtrinxit (qvod tamen Onuphrius Alexandro III. adſcribit:) uxores ſacerdotum primus concubinas nominavit: concilium in Laterano convocavit, in qvo Berengarius errorem revocavit.] Cranz. 5 Metr. p. I. o. Blond. l. 3. Dec. 2. & Ital. illuſtr. p. 390.

1061. CLXIII. *Alexander II. Mediolanenſis, à Cardinalibus electus, antea Anshelmus dictus, epiſcopus Lucenſis.* 12 | *Honorius II. antea Cadalous, ab imperatore & Longobardis in ſchiſmate XXII. electus.* Bar. Tom. II. p. 279. 281. 347. 353. 363. 399. Nierenberg 1. Doctr. Aſceticæ p. 28

[*Honorius* quidem caſtra ad urbem movit, & prima vice feliciter adverſus *Alexandrum* pugnavit. Sed caſtris exutus, ad eccleſiam ſuam Parmen- Mar. 3. ſchiſm. 6 p. 635 Baron. T. II. p. 281. 391

menſem rediit, ex ſententia concilii Mantuæ habiti, cujus autoritate ſchiſma ſublatum eſt.]

1073. CLXIV. *Gregorius VII. Tuſcus, monachus Cluniacenſis, antea Hiltebrandus, fabri cujusdam filius ſecundum Cranzium, qui primus imperium pontificium, ſic dicente Aventino, condidit* 12

1080. *Clemens III. antea Guibertus, Ravennas epiſcopus, ab imperatore in ſchiſmate XXIII. electus, per annos XI. adverſus IV. alios Papas ſubſtitit, & caſtellum S. Angeli obtinuit.*

Avent. l. 5. An. Bojor. p. 447. fin. Bar. Tom. II. p. 471. 530. ſeq. Auc. tit. 16. c. 1. § 2. fol. 238. Sigon. 9 de Reg. Ital. pag. 217. Marc. Ant. de Domin. de Re-publ. Eccl. l. 4. c. 3 n. 29. p. 567.

[*Hiltebrandi vitam* hiſtorici ex Bennone & aliis ita deſcribunt, ut dicant, eũ monaſticen primo profeſſum, deinde Romam profectũ, à Laurentio, archiepiſcopo Amalphitano, & Gratiano archipresbytero, poſtea Gregorio VI ſedis invaſore, magiam didiciſſe: nonnunqvam artibꝰ illicitis ex manticis ſcintillam excusſiſſe: è pane myſtico igni injecto divinationes & reſponſa quæſiviſſe: cum Gregorio VI. familiaritate contracta, per veneficia Gerhardi Brazuti ſex pontifices, *Clementem II. Damaſum II. Leonem IX.* (à quo Cardinalium cœtui inſcriptus fuerat) *Victorem II. Stephanum IX. & Nicolaum II.* ſuſtuliſſe: nec manus ab ipſo *Alexandro II.* abſtinuiſſe: tandem pontificatum ſine aſſenſu cleri & populi per milites adeptum, magno cum orbis Chriſtiani luctu, *conjugium ſacerdotum*, quod antea *Siricius* papa XL. tentaverat, ſed non plane perfecerat, penitus abrogaſſe: ne quis epiſcopatum aut aliud officium eccleſiaſticum ab imperatore vel rege accipere poſſit, decreviſſe: è regni Hiſpaniæ & Hungariæ tanquam ſibi & D. Petro in feudum traditis, cenſum poſtulaviſſe: vim ſibi imperia dandi & auferendi adſcripſiſſe: reges atque imperatorem, ut precario regnantes, flocciſeciſſe. Interim *Henricus IV.* (qui ægre quidem tulerat, quod Hiltebrandus, ſe inſcio, ſedem invaſiſſet: ſed humili audito hypocritæ reſponſo, ratum ejus pontificatum fecerat) difficillimis Saxonum bellis implicitus, coram papa ab epiſcopis Saxonicis multorum ſcelerum, ac imprimis Simoniæ, quia eccleſiaſtica beneficia laicis conferret, eſt accuſatus. Commodum id accidit Hiltebrando: qui totus in eo fuit, ut, dominio imperatoris excuſſo, ſibi eum ſubjiceret. Ideoq; cum non ignoraret, imperatorem ampliſſimam petere *Mathildis* hereditatem, quam illa teſtamento deſtinabat eccleſiæ Romanæ, ut adderetur *patrimonio Petri*, omnibus nervis in ejus incubuit perniciem. *Mathildis*, Bonifacii III. marchionis Eſtenſis, dominique Parmæ, Lucæ & Ferrariæ filia, nata illi ex Beatrice, Conradi II. Imp.

filia

filia, Henrici III. Imp. ſorore, erat Henrici IV. Imp. amita. Et quia unicus illius frater *Bonifacius* in annis pueritiæ defunctus fuerat, omnem parentis hereditatem adiit. Nupſit primum *Gothofredo* duci Lotharingiæ, ſuo comprivigno, filio Gozelonis ducis Lotharingiæ, qui Beatricem, defuncto Bonifacio, duxerat. Nupſit altera vice *Azoni IV. Eſtenſi*, quem autoritate Gregorii VII repudiavit, cauſata neſcio quam conſanguinitatem. Nupſit tandem *Guelpho V. Bavaro*, eumque ſtatim poſt nuptias ob frigiditatem è toro ejecit, cum ſe illi nudam ad ſolem oſtendiſſet totam, nec in eo potentiam Veneris inveniſſet: ut vel hinc videas, quam frigidum ſit, *quod Baronius prodit*, Mathildin perpetuam voviſſe virginitatem, quanquam in complexibus trium maritorum ſterilis fuit, *teſte etiam Lamberto* fornicationis inſimulata cum ipſo pontifice Gregorio VII. Cum anno CIↃCXV. decederet, *imperator Henricus V.* duplici nomine ejus hereditatem petiit, cum quia pater Henricus IV. eam habuiſſet amitam, tum quia imperator eſſet, ad quem jure feudi jam vacui totus ille tractus rediret, qui à Pisſia amne & S. Qvirino agri Senenſis porrigitur usque ad Ceperanum inter Apenninum & mare, una cum Ferraria. Sed parum profecere imperatores adverſus injurias pontificum. Gregorius VII. epiſcopos omnes qui dignitatem ab Henrico acceperant, deponit, ipſum imperatorem ad cauſam dicendam evocat, & electionem pontificis eſſe beneficium imperatoris pernegat. Mittit ille legatos: ſed in carcerem conjecti, urbe tandem expelluntur. Wormatiæ igitur concilium ex Teutonicis epiſcopis cogitur: & Hiltebrandus ſede pontificia indignus judicatur. Sententiam concilii, ſynodali epiſtola comprehenſam, Romam epiſcopi miſerunt hujus tenoris: *Quia introitus tuus tantis perjuriis eſt initiatus, & eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam atq; converſationem tuam tam multiplici infamia deboneſtaſti, ſcandalumqve imminere gravisſimum conſpicimus, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos renuntiamus. Et quia nemo noſtrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit epiſcopus, tu quoque nulli noſtrum a modo eris apoſtolicus. Vale.* Cincius interim ſeu Quintius urbis præfectus, papam ab eccleſia raptum in poteſtatem redegit, ſed cum populus tumultuaretur, iterum dimiſit. Ille econtra furori omnes laxans habenas, in conciliabulo ſuo Romæ (in quo ipſa pontificis ſedilia per prodigium in plures partes fracta diſſiluerunt, *teſte Bennone*) Henricum excommunicat, proſcribit, regno ſpoliat, ordinesque univerſos ſacramenti religione, nova hæreſi, *ceu vocat Sigebertus Gemblacenſis*, ſolvit. Principes, vana ſuperſtitione dementati, nè

Henricus veniam à pontifice ante diem anniverſarium peteret, minitantur defectionem. Ille igitur cum uxore & parvulo filio hyeme aſperrima laneis indutus veſtibus Italiam ingreditur, Hiltebrandi ludibria, in ſuburbio Canuſii nudis pedibus, lacrimabili afflictione perfert triduum: quarto die imperialem coronam (pudeat !) pontificiæ poteſtati tradit: eo redactus ab homine iniquitatis, ut ſi regnum reciperet, poſthac ſe ſubditum pontifici & ejus dicto obtemperantem fore promitteret. Abſolvitur qvidem ab anathemate; ſed integro anno jubetur Roma non diſcedere. Cum interim cognitio cauſæ in aliud tempus rejiceretur, ingrato Henrici ſororio, Rudolpho, Sveviæ duci, quem Saxones imperatorem elegerant, corona aurea cum hac inſcriptione mittitur:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Sic bello in Germania conflato, cum Henricus, Roma clam dilapſus, axioma imperii contra Rudolphum, qui in poteſtate ſe Papæ fore receperat, defenderet, eumq; dextra in prælio truncatum manu cæſum conſpiceret, denuo diris obſtrictus eſt. Ideoque in comitiis Wormatienſibus & Brixienſibus Hiltebrandum, tanquam ſedis pontificiæ invaſorem, ſacrilegum, ſomniorum ac præſtigiarum obſervatorem, qui malis artibus Chriſti religionem contaminaret, & apud exteros ſua improbitate infamem redderet, prout hæc & alia ejus ſcelera ab ipſis epiſcopis notantur à Goldaſto, dignitate exuit, & Clementem III ſubſtituit, Romam invita Mathilde, quæ ei exercitum oppoſuerat, contendit, Papam depoſitum in mole Adriani obſedit, & Clementem habitu pontificali in templum S. Petri introduxit. Ille nihil non machinatus, novos imperatori hoſtes, *Hermannum*, Lotharingiæ ducem, à femina paulo poſt molari ſaxo è turri dejecto occiſum, & *Egbertum*, marchionem Miſniæ, brevi etiam in molendino, quo ſomni cauſa ſe receperat, peremtum excitat, atq; ex inſidiis etiam lapides ſupra trabes templi conſtituit, ut in orantis imperatoris caput devolverentur. Sed miniſter ſceleris pondere lapidis, quem juſſu Hiltebrandi ſuper trabes aptaturus erat, tractus decidit & periit. Fugit tandem homo peccati Salernum ad Normannos & in comitiis pontificalibus abdicatus, ſive conſcientia ſcelerum, ſive mœrore, aris & focis extorris deceſſit: & moriturus, teſte Matthæo Pariſienſi, confeſſus eſt, *ſe valde peccaſſe in cura paſtorali, &, ſvadente diabolo, contra humanum genus iram Dei & odium concitaſſe:* homo, quicqvid adulatores papæ dicant, immanis, qvi non ſaltem in Henricum, ſed & in Nicephorum, imperatorem Orientis, & in regem Poloniæ, fulmine excommunicationis

nis impetuoſe deſævit, & libertatem matrimonii ſacerdotibus in Germania & Gallia hactenus uſurpatam prorſus ademit: eo rigore, ut etiam jam contracta conjugia diſſolveret. Ab hoc pontifice *hæreſis illa Hiltebrandina*, ſic ab Aventino vocata emanavit, qvæ totius eccleſiæ veteris doctrinæ praxiqve repugnat, orbem Chriſtianum bellis & rebellionibus implet, majeſtatem regum & imperatorum proſundat. Ea enim aſſeritur *pontificem eſſe ἀνυπεύθυνον in docendo, & in vita ἀναμάρτητον: poteſtati ejus ſubeſſe regna & imperia orbis: illam reges & principes excommunicare, excommunicatos omni poteſtate exuere, & populos à jurata fide abſolvere poſſe: ſubditis licere, imo incumbere, excommunicato à pontifice imperatori & regi rebellare, & obedientiam fidemque renunciare.* Hanc hæreſin cum etiam noſtro tempore præter alios *Bellarminus in libro de poteſtate pontificis in temporalibus adverſus Gulielmum Barclajum, & Antonius Sanctarellus Jeſuita in tractatu qvodam* incruſtarent, utriusque liber in Gallias delatus, novæ, falſæ, erroneæ & verbo Dei contrariæ doctrinæ damnatus eſt: illius quidem à ſuprema curia Pariſienſi: hujus à facultate theologica & Sorbona.]

1086. CLXV. *Victor III. Beneventani ducis filius, Clementi III. oppoſitus, brevi poſt conſecrationem mortuus.*

Baron. T. 11. A. 1057. pag. 240. & 579. 585. Bucell. in Menol. Bened. l. 9. pag. 646.

[Ante pontificatum dictus fuerat *Dauferitus*. Poſtea, cum inſciis parentibus, ſponſa neglecta, monaſterium ingrederetur, *Deſiderius* vocabatur: abbas tandem montis Caſſinatis & Cardinalis. Veneno in calicem ſacrum injecto eum ab Henrico IV. imperatore necatum eſſe Platina ex Martino ſcribit. Sed Chronicon Caſſinenſe, ibi editum, ubi Victor ultra annos XXIX. abbatem egerat, & Vincentius, contradicunt.]

1088. CLXVI. *Urbanus II. antea Otto, epiſcopus Oſtienſis, Clementi oppoſitus, & ob turbas datas Turbanus dictus.* II

[A factione Hiltebrandina, Mathilde & Normannis in pontificatum intruſus, inque numerum impiorum ab imperatore & majori procerum parte relatus, diu ſine lare & grege oberravit. Unde verſiculus:

Diceris Urbanus, cum ſis projectus ab urbe,
Vel muta nomen, vel regrediaris in urbem.

Sed paulatim telam ab Hiltebrando inchoatam tam artificioſe pertexuit, ut magiſtrum fere ſuperaret. Filio Henrici imperatoris, Conrado in patrem denuo excommunicatum excitato, imperium & diadema promiſit, ſi in legem de inveſtituris clericorum à principibus politicis non accipiendis, conſentiret, & Clementem urbe pelleret. Regem etiam Gal-

Chron. Caſſinenſe l. 4. c. 1. & inde Baron. ad A. 1088. p. 593. Bucell. l. cit. p. 528. Antonin. Tit. 16. c. 1. §. 23. f. l. 139. Sabell. 9. Enn. 3. col. 681.

Galliæ ob pellicem, & regem Dalmatiæ ob epiſcopum in carcerem conjectum, bruto fulmine percusſit. Hic eſt ille, qvi Chriſtianos principes *ad bellum ſacrum* ſeu *expeditionem cruciatam* pro recuperandis Hieroſolymis incendit, & illis, qvi in militiam vellent proficiſci, indulgentias plena manu cum expiatione omnium delictorum conceſſit. In indulgentiis impertiendis ab hoc tempore ſolertes fuere pontifices. Conſilium Urbani bellicum qvantis malis humanum genus involverit, ſatis dici non poteſt. *Aventinus* recte ait libro V. annalium: *Plerique omnes boni, aperti, juſti, ingenui, ſimplices, tum imperium Antichriſti cœpiſſe, quod ea, quæ Chriſtus Servator noſter tot annis ante nobis prædixit, eveniſſe, eo tempore cernebant, literis prodidere. Orbis terrarum tunc à cardine bellorum procellis jactatus eſt. Genus humanum undique turbine armorum involutum eſt. Videatur alterum noſtrum ſyntagma hiſtoricum lib. 2. ſect. 5. qv. 11.* ubi ſacrum hoc bellum accuratius deſcribitur. Anno cIↄ XCVI expeditio primum octo exercitibus ſuſcepta eſt: & *Gothofredus Bullioneus*, primus Hieroſolymorum rex poſt triennium eſt renunciatus. Hunc pontificem aliqvi ferunt inventorem eſſe globulorum ſeu ſphærarum precatoriarum, qvas *Pater noſter* vocant. Alii earum inventionem referunt ad Petrum eremitam Ambienſem, tempore Benedicti. VII.]

1099. CLXVII *Paſchalis II. Hetruſcus, antea vel Raynerus vel Reginerus, monachus.* 18	1001. *Albertus Attellanus durante adhuc XXIII. ſchiſmate poſt Clementem III. electus, à militibus Paſchalis captus, & abdicatus.*
	Theodoricus Romanus, & ipſe captus & abdicatus. 1/4
	Sylveſter IV, itidem poſt paucos menſes pulſus.

Plat. p. 157. 159. Baron. T. 12. p. 2. 76. 93. Onuphr. Chron. Rom. Pont p. 264. Cartier. Dig. Pontif. p. 55 Marc Anton de Domin. 2. de Republ. Eccl. 11. n. 21. ſeq. p. 498. Ant. Tit. 17. c. 1. f. 265.

[Continua *Paſchali* concertatio fuit cum tribus antipapis, ut vocantur: qvos etiam ſtricto gladio compeſcuit. Henricum IV. & ipſe excommunicavit: &, ut Urbanus olim majorem imperatoris natu filium, qvem paulo poſt exheredatum à patre præmatura mors rapuit: ſic ille minorem ejus filium Henricum V. in patrem armavit. Sic tandem animoſus imperator ex inſidiis capitur, auguſtalibus & dignitate imperiali exuitur, & in Leodienſi cuſtodia moritur. Quin & cadaver ejus Leodii humatum, poſtea erutum, toto qvinqvennio ſepulturæ honore caruit.

Sic, qui perfidiam Latii, qui vicerat hoſtes,
Perfidiam cleri vincere non poterat.

Interim Paſchalis Henrico V. Romam venienti diadema promiſſum renuit

nuit imponere ob uſurpatas Clericorum inveſtituras. Capitur igitur, & cuſtodiæ mandatur, donec dignitatem antiquam imperatorum in inveſtitura ſacerdotum, tam per annulum, quam per virgam adminiſtranda, redderet. Apud Goldaſtum leguntur documenta, quibus Paſchalis Henrico V. reſignavit omnes ſecularium. Bonorum donationes, omniaq; regalia, quibus hactenus clerus, neglecto ſacro munere, abuſi fuerant, hac tamen conditione, ut, quia eccleſiæ decimis & oblationibus velint contentæ eſſe, imperator inveſtituris clericorum cederet: Sed conditionem non accepit imperator. Illo vix ex Italia regreſſo, Paſchalis contra pacta, ipſa cœnæ dominicæ uſurpatione corroborata, Gregorii VII. ſeu Hildebrandi decreta confirmavit: Henricum excommunicavit: oſſa Clementis III. exhumata in flumen projecit. Orto aliquando in ipſum vehemente factioſorum tumultu, quod Petrum, Petri urbis præfecti filium decennem, quem Romani, patre defuncto, ad præfecturæ munus evexerant, confirmare nollet, Roma excedere coactus eſt: quas tamen turbas qvoquo modo ſedavit.]

1118. CLXIIX. *Gelaſius II. antea Johannes, patria Cajetanus.*	*Gregorius IIX. antea Mauritius Burdinus, Barcharenſis archiepiſcopus, ab Imp. Henrico V. in ſchiſmate XXIV. treatus.* 3

Baron. Tom. 11. A. 1118. p. 122. & A. 1121. pag. 144 Ant. Tit. 17 c. 1. §. 1. fol. 267. Volaterr. l. 22. p. 506. Simoneta l. 5. c. 71. f. 123 Sabell. 9 Enn. 4. col. 694.

[Cum Cardinales, inſcio imperatore, crearent *Gelaſium* pontificem, Cincius Frangepanis, vir patricii ordinis eos diſturbavit: & licet Gelaſius nihilominus, nomine pontificis uſurpato, Henricum V. diris devoveret, adfuit tamen ille cum exercitu, & Gregorio IIX. in ſedem evecto Gelaſium Roma expulit, qui in Galliam fugiens, ſequenti ibi anno eſt mortuus.]

1119. CLXIX. *Calixtus II. antea Gvido, ex principibus Burgundiæ, Viennenſis epiſcopus.* 5 1/4

[Gregorium IIX. copiis contractis cepit, inqve camelo averſum per urbem duxit, & imperatorem Henricum V. ob clericorum inveſtituras diris denuo innodavit. nec prius eum exſolvit, qvam inveſtituris cederet, quæ per annulum fiunt & baculum, & regalia tantum epiſcopis Germanorum per ſceptrum concederet. Hæc Henrici V. jugo pontificio collum ſubmittentis ſive lenitas, ſive ignavia, omnis calamitatis & tyrannidis eccleſiaſticæ fundus eſt. De Calixto ſacerdotum conjugia improbante, extant vetuſta ſcriptoris cujusdam Anglici carmina:

Bar. A. 1109. p. 131. ſeq 142. ſeq. Anton. tit. 17. §. 2. fol. 276. Otto Friſing. l. 7. c. 16 fol. 79. Blondus Ital. Illuſt. p. 395.

O bone Calixte, nunc omnis clerus odit te.
Quondam presbyteri poterant uxoribus uti:
Hoc deſtruxiſti, poſtquam tu Papa fuiſti.
Ergo tuum merito nomen habent odio.
Priſciani regula penitus caſſatur:
Sacerdos per hic & hæc olim declinatur,
Sed per hic ſolummodo nunc articulatur,
Cum per noſtrum Præſulem hæc amoveatur.

Guilielmus, tertius dux Apuliæ & Calabriæ, cum matrimonii contrahendi cauſa Conſtantinopolin abiiſſet, illi provinciarum adminiſtrationem commiſerat. Id ægre ferens *Rogerius II.* comes Siciliæ, proximus ducis agnatus, Apuliam & Calabriam armis in poteſtatem redactam poſt immaturum Guilielmi obitum, aſſumto regio nomine, jure hæreditatis detinuit, fruſtra contradicente Calixto II. & ejus binis ſucceſſoribus.]

1125. CLXX *Honorius II. in agro Imolenſi obſcuro loco natus, antea Lampertus epiſcopus Oſtienſis.* 5 | *Cæleſtinus, antea Theobaldus, in XXV. ſchiſmate, Cardinalibus in diverſum abeuntibus, ſedit unum diem.*

Sigon. de Epiſc. Bonon. p. 77. Panvin. in Cat. Pont. p. 174 Baron. Tom. 12. p. 160. 181. ſeq. Caranz. ſumma Concil. p. 355.

☞ [Honorii tempore *epiſcopatus Julienſis*, ſvaſu Ottonis epiſcopi Bambergenſis, qui Pomeranos ad Chriſtum quidem, ſed per ceremonias pontificias converterat, anno CIↃCXXVII fundatus eſt. *Johannes de Temporibus*, armiger Caroli M. qui annum ætatis CCCLXI. attigerat, diem obiit. De imperio certabant *Conradus Suevus*, nepos Henrici V. ex ſorore, & *Lotharius Saxo*. Honorius adhæſit Lothario, quia oppreſſam familiam Henrici cupiit, & Anſelmum archiepiſcopum Mediolanenſem, qui Conrado diadema impoſuerat, una cum Conrado anathemate perculit.]

Bar. A. 1130. p. 184. A. 1138 pag. 265. Mar. 2. de ſchiſm. 10. pag. 608. Sigon. l. 11. Ital. p. 265. Cruſi9 part. 2. Ann. Svev. c. 18. p. 363 Simonet. l. 5. c. 74. f. 125.

1130. CLXXI. *Innocentius I. Romanus, antea Gregorius.* 13 | *Anacletus II. in ſchiſmate XXVI.* 8 | *Victor (IV.)* 1/2

[Cum *Innocentius & Anacletus*, Cardinalibus denuo disſidentibus, electi eſſent: hic illum urbe expulit & ut haberet, à quo defenderetur, Rogericum II. qui jam regium Siciliæ titulum cœperat uſurpare, in auxilium evocavit, eique regiam dignitatem confirmavit, & multa in eccleſias jura concesſit. Fugit Innocentius in Galliam, & conciliis paſſim celebratis, Lotharium imperatorem, ut ſui patrocinium ſuſciperet,

ret, permovit: reductusq; diadema ei impoſuit. In cujus rei memoriam deinde pictura in palatio Lateranenſi cum hac ignominioſa inſcriptione poſita eſt, qua poſtea Fridericus Barbaroſſa eſt oſtenſus, quia ceremoniam benedictionis vidit in jus collecturæ beneficiariæ converſam:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Poſt HOMO fit Papæ, ſumit qvo dante coronam.

Cum autem Innocentius ab imperatore Romam reductus, Anacletum munitiora urbis loca videret occupaſſe, poſt abitum Cæſaris & ipſe Piſas conceſſit. Rogerius interea, capitalis Lotharii Imperatoris hoſtis, Italiam admodum turbavit: & Rainulphus, quem imperator & papa ducem Apuliæ conſtituerant, Anacleto antipapa mortuo, & ejus ſucceſſore Victore abdicato, Innocentium, à qvo fuerat excommunicatus, cepit, nec prius dimiſit, quam ſe regem utriusq; Siciliæ; filium autem ſuum, ducem Calabriæ & Apuliæ pronunciaret, & urbem Neapolin ſibi concederet. Quod quanqvam in præjudicium imperii factum erat: ab imperatore tamen, aliis rebus occupato, vindicari non potuit, factionibus *Gibellinorum* pro imperatore; & *Guelphorum* pro papa circa hæc tempora, cum magno publici boni incommodo, diſſidere incipientibus. *Feſtum conceptionis Mariæ* hoc tempore celebrari ceptum: & Conradus imperator cum Ludovico rege Galliæ alteram ex occidente in orientem expeditionem cruciatam in ſacro bello ſuſcepit.]

1143. CLXXII *Cæleſtinus Tuſcus, antea Guido de Caſtello.* f

1144. CLXXIII. *Lucius II. Bononienſis, ante Gerardus.*

[Sub hoc & ſuperioribus duobus papis Romani, ſenatu ad antiquam formam reformato, patricium Jordanum ducis loco crearunt, & pontificem ſacra tractare, & more majorum decimis & oblationib9 contentum vivere juſſerunt. Lucius, cum ex inſidiis ſenatum eſſet oppreſſurus, incerto ictu, in ſeditione coorta, lapide percuſſus obiit. Petierat ſenatum populumque Romanum anathemate. Cum itaque obiiſſet, hæc anathematis ſententia obſtitit, qvo minus populus aut ſenatus electioni novi pontificis intereſſet. Nec ab hoc tempore amplius illi interfuit, uſu pro lege introducto. Clerus inſuper, ejusque primores, tractu temporis itidem ab electione pontificis ſunt remoti, ut penes ſolos Cardinales tandem poteſtas eligendi conſiſteret.]

f Baron. T. 12. p. 299. Panv. Cat. Pont p. 289. Joh. Bapt. Sign. de ortu & ſtatu Canonicor. c. 6. à p. 69. ad 69. Ott. Friſing. l. 7. c. 27. f. 83. Simonet. l. 1. c. 76 f. 125. Antonin. Tit. 7. §. 6. fol. 279.

1145. CLXXIV. *Eugenius III. antea Bernhardus, Piſanus, abbas S. Anaſtaſii.* g

[Romanos armis, ſed non ſine inſigni difficultate, in ordinem rede-

g Otto Friſ. l. 7. c. 31. f. 84. Sabel. 9 Enn. 4. col. 706 Baron Tom. 12. p. 306.

Antonin. Tit. 17 §.7. fol. 279. Bar. T. 12. p. 319. 331. 340. Simoneta l. 5. c. 77. f. 126.

redegit, ut, patriciatus principatu abolito, ſuum præfectum ſuo loco reſtituerent, ſenatumqve ex ſua autoritate eligerent. Conradum imperatorem Ludovicum Galliæ, & Ericum Daniæ reges, cruce, ut loqvuntur, ſignatos incitavit, ut expeditionem ſacram ſuſciperent: illi quidem in terram ſanctam ad Hieroſolymitanum regnum amplificandum; hic vero cum aliis ducibus adverſus Mauros in Hiſpania, & Vandalos in Slavonia, hoſtes Chriſtianis graviſſimos. *Gratianus* monachus opus Decretorum ex conciliorum decretis & Patrum ſcriptis compilavit: cui qvod deerat, deinde Palea adjecit. *In Norwegia* archiepiſcopatus Nidroſiæ ſeu Drunthemi eſt conſtitutus. *Hibernia* etiam in quatuor archiepiſcopatus diſtincta.]

Panvin. in Catal. p. 297 Otto Friſing. l. 2. c. 20. f. l. 25.

1153. CLXXV. *Anaſtaſius IV. Romanus, antea Conradus de Subura* 1

1154. CLXXVI. *Adrianus IV. Anglus, antea Nicolaus, qui ſub Eugenio III. in Norwegiam ad fidem Chriſti convertendam profectus fuerat.* 5

Otto Friſ. l. cit. c. 20. f. 31. Sab. 9. Enn. 4. col. 708. Bonif. Simoneta l. 5. c. 78 f. 126. Balæg l. 5. p. 257. Volaterr. l. 22. p. 507.

[Antequam papa eſſet creatus, ſub Eugenio III. in Norvegiam ad fidem Chriſti convertendam eſt profectus: & *Johanni Sarisburienſi*, qvi Objurgatorium cleri ſcripſit, in colloqvio familiari faſſus eſt, *teſte Balæo*: qvod *ambire pontificatum nihil ſit aliud, quam ſuccedere Romulo in parricidiis; non Petro in paſcendis ovibus*. Factus Pontifex, Romanis denuo poſt obitum Anaſtaſii libertatem eligendi ſenatus repetentibus, ſtatim detonuit conſvetis excommunicationis armis in eos, qui libertatem urbi procurabant, coegitqve conſules ſe abdicare magiſtratu, & pontifici relinqvere liberam urbis adminiſtrationem. Friderico autem Italiam ingreſſo graviter ſuccenſuit, aut quod ſtratoris officio defunctus ſiniſtram ſellæ pontificiæ ſtrepam ſeu ſtapedam attrectaſſet, cum dexteram debuiſſet, aut qvod prorſus ab hoc ſervili opere abſtinuiſſet, *ut Baronius habet*. Inſervit igitur imperator libidini papali, & hac conditione corona eſt donatus, ut Apuliam, quæ tamen juris imperii erat, ſedē peſtilentiæ, qvam pontificiam nominant, acquireret, Guilielmo Siculorum regi, cenſura jam eccleſiaſtica notato, ademptam. Poſt autem cum verſiculorum, Romæ ad imaginem Lotharii pictorum, quibꝰ imperator *Homo* i.e. vaſallus *Papæ* nuncupabatur, injuriam ſibi ad animum revocaret, & ægre ferret, non ſaltem ſuperiores papas jus inveſtituræ clericorum Cæſaribus eripuiſſe, ſed & hunc Adrianum, fœdere cum Guilielmo, Siciliæ rege, ſibi reconciliato & cum aliis inito, ſemina bellorum paſſim ſpargere, & nomen ſuum imperatorio in literis præponi velle: jus ſuum animoſe adverſus injurias papæ tutatus eſt, prout in literis ejus

ad

ad papam paſſim proſtantibus legere eſt. Juramentum igitur fidelitatis ab omnibus Germaniæ epiſcopis exegit, eosque ad Pontificem appellare vel proficiſci vetuit, Lundenſemque qvendam edicti imperatorii contemtorem in cuſtodiam conjecit. Papa legato miſſo, *à ſe imperium Teutonicum voce*, ut imperator poſtea ad ordines ſcripſit, *nefanda & omni veritati vacua, dependere aſſeruit.* Id proceres, interqve eos Otto Palatinus de Wittelsbach, rati injuriam, legatum confodiſſent, niſi fuiſſent ab imperatore ipſo prohibiti. Ille Romaniſtis regno Teutonico interdixit, literisque ad Ordines promulgatis, per electionem principum à ſolo Deo imperium ſuum, cujus honorē papa violaret, dependere demonſtravit, & Cardinales pontificis, quibus eccleſias clauſerat, in literis *non prædicatores vocavit, ſed prædatores; non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores; non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores.* Advolavit etiam cum exercitu in Italiam, & cum literas papæ, ſibi metuentis, ſupplices videret, quibus declaravit, ſe per beneficii collationem nihil aliud, qvā imperialem coronationem, eiq; impertitam conſecrationem intellexiſſe, eum ſibi reconciliari paſſus eſt. Sed in filio perditionis quis fidem experiretur? Cum paulo poſt civitates Italiæ in imperatorem conſpirarent, papa ſe illis adjunxit, & imperatorem diris devovit. Sed tantus gigas, cum animi recreandi ergo exſpaciatus (qvi enim tot exſpuit diras, qvot putas ipſum fuiſſe vexatum?) aqvam ex fonte hauſiſſet, à muſca in os involante, *teſte Urſpergenſi*, ſuffocatus eſt. Imperator autem, qvem variis inſidiis, veneno, & ſicariis petierat, incolumis perſtitit, & virum robuſtum ſub ſpecie morionis ad ſeſe trucidandum emiſſum, viriliter excepit, donec à cubiculariis ſupervenientibus ſicarius ſceleſtiſſimus percuteretur.]

1159. CLXXVII. *Alexander III. Mediolanenſis, antea Rolandus à XXIV. Cardinalibus electus.* 22	*Victor IV. Romanus, antea Octavianus, in ſchiſmate XXVII. prior, quam Alexander, ſed à paucioribus electus.* 5 *Paſchalis III. antea Guido, Cremonenſis epiſcopus.* 5 *Calixtus III. Hungarus.* 7 *Innocentius III. antea Lando, qui, cum Alexandri potentia nimia eſſet, ſe abdicavit.*

Baron. Tom. 12 An p. 420. 431. 444. 450. 580. 666. 672. Radevic. 2. Hiſt. à c. 54. ad c. 70. f. 71 Plat p. 178. Panvin. Cat. p. 316.

[*Alexandro III. & Victori* in ſchiſmate electis & conſecratis, *Fridericus* imperator interpellatus Papiæ concilium L. epiſcoporum & plurimorum

rum abbatum, coram quo uterqve papa cauſam diceret, convocavit: & ſubterfugiente judicium Alexandro, papamqve à nemine judicari debere dicente, Victorem legitimum pronunciavit & electum confirmavit. Quam ob cauſam Alexander, imperatore excommunicato, à Guilhelmo Siciliæ rege adjutus, in Gallias contendit: inqve ſuas partes Philippum regem traxit, & multis turbis concitatis, cum, mortuo Victore, ab omnibus fere Germanis *Paſchalem III.* electum eſſe intelligeret, ut Romanos in fide retineret, miſſis legatis, poteſtatem conſules & ſenatum conſtituendi illis conceſſit. & rediens Romam, ad rebellionem & defectionem univerſam concitavit Italiam. Fridericus, etſi deficere à ſe videret, præter alios, Henricum Leonem, potentiſſimum in Germania ducem, nihil animo fractus, magno cum exercitu anno cIↃCLX hoſtes invaſit. Sed (*quod tamen in dubium nonnulli vocant; Magdeburgenſes vero & Sibardus ex Nauclero, Chronico Colonienſi, Baleo & Sabellico affirmant*) ab Hartmanno epiſcopo mitigatus, copias per Hungariam & Thraciam in Aſiam duxit, & Soldano à pontifice, picta ejus effigie transmiſſa, proditus, liber evaſit, & copiis denuo collectis Romam petiit. Alexander inde fugiens, Venetiis delituit, donec agnitus à civibus indueretur pontificalibus. & Otto filius imperatoris, qui claſſe armata papam ſibi reddi petierat, caperetur. Quam ob cauſam paci Fridericus imperator animum adjecit, & eam primum cum Longobardis & rege Siciliæ; deinde cum ipſo Papa ſancivit; à qvo, cum ſe ad pedes ejus projeciſſet, his verbis: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*; calcatum dicunt reſpondiſſe: *Non tibi, ſed Petro:* & reſponſum Papæ ſuperbum tuliſſe: *Et mihi & Petro.* Hic Alexander III. poſt bellum inteſtinum, qvod Romanus populus cum Tuſculanis geſſerat, perfecit, ut mutua conventione promitteretur, conſules poſthac à populo creari debere, ſed non prius ad rempublicam admittendos eſſe, quam ad pontificis pedes jurejurando ſe obſtrinxiſſent, rem pontificis & eccleſiæ ex fide ſe geſturos. Hic ille papa, ſub quo qvæſtio illa acerba inter Thomam Cantuarienſem archiepiſcopum & regem Angliæ agitata eſt: *An Clericus homicida civili magiſtratui tradendus:* adeoque, an pontifici *jura ſint in regno Angliæ?* Illa cum nimium extenderet Thomas, ſubinde expulſus & tandem necatus, atque in numerum martyrum relatus eſt.]

Otto de S. Blaſio c.13. Chron. p.201. Onuphr. ad Plat. p. 182. Tyr. l. 22. Belli ſacr. cap 7.

118. CLXXIIX. *Lucius III. Lucenſis, antea Ubaldus.* 1

[Hic conſulum nomen Romæ aboliturus, urbe pulſus, Veronam conceſſit, ibique extremum diem obiit, Epitaphium memorabile meruit:

Luca

Luca dedit lucem tibi, Luci; pontificatum
Oſtia; Papatum Roma: Verona mori.
Imo Verona dedit verum tibi vivere; Roma
Exitium; curas Oſtia; Luca mori.

Caranz. fol. 356. Simonetta l.5.c.8.f.127. Ant. Tit.17.c.5. §.1.f.181.

1185. CLXXIX. *Urbanus III. Mediolanenſis, è gente Crivella.*

[Dictus & hic eſt *Turbanus*, teſte Urſpergenſi, quia, imperatore machionatum Mathildis & jura inveſtituræ repetente, turbas non parvas dedit in imperio, & niſi morte fuiſſet impeditus, ipſum imperatorem diris devoviſſet. Hujus tempore recepta eſt à Saracenis Hieroſolyma, Saladino paſſim per Aſiam contra Chriſtianos triumphos agente. Chriſtiani autem tertiam expeditionem ſub Friderico Barbaroſſa in orientem ſuſceperunt: ſed fruſtra]

Bar. Tom 12. A. 1168. pag. 7[illegible]5. Lehm. in Chronic. Spir. l. 7. c. 36. f. 141. Crantz 6. Sax 50. & 52. p. 170. Plat. pag. 180.

1187. CXXC. *Gregorius IIX. Beneventanus.* 1

Plat. l.c. Panv. pag. [illegible]

1188. CXXCI. *Clemens III. Romanus.* 3

Otto à S. Blaſio c.30.31. p. 212.

[Edicto de expeditione adverſus Saracenos pro recuperanda Hieroſolyma propoſito præter Fridericum imperatorem, Philippum regē Galliæ, Richardum regem Angliæ, & multos alios ex Germania & Dania, ad arma Aſiæ inferenda compulit, ſed ſucceſſu parum felici. Hoc tempore ſine herede legitimo deceſſit *Guilielmus II. rex Siciliæ tertius.* Illud igitur regnum, tanquam vacuum, Clemens ad Romanæ eccleſiæ jus trahere conabatur. Sed proceres *Tancredum*, Rogerii II. primi regis Siciliæ nothum, ſubſtituerunt. Inde varia bella. Hic pontifex conſulibus confirmatis, priſcum præfecti dignitatem penitus abolevit: ſic tamen ut Romani eodem jure dominationis, qvo prius, in ſua oppida uterentur.]

Cromer. lib 6. Rer. Pol. p. 171. Platina p. 181.

1191. CXXCII. Cœleſtinus III antea Hyacinthus, Romanus. 7

[*Henricum VI. portentoſo & inſano ritu coronavit.* Sedit enim in cathedra ſublimis, ut teſtatur Baronius ex Rogerio: & cum imperator, ejusque uxor, inclinato capite coronam ad pedes ejus repoſitam recepiſſent, eam pede percuſſam in terram dejecit, ut oſtenderet, imperii auferendi poteſtatem penes ſe eſſe. Cardinales autem coronam ſtatim arreptam capiti imperatoris impoſuere. Henrico huic Papa virginem, Deo dicatam, Conſtantiam, Rogerii regis Siciliæ legitimi filiam, per diſpenſationem in torum conceſſerat, ut Tancredum Rogerii hoſtem Sicilia ejiceret: & hanc conditionem adjecerat, *ut annuum eccleſiæ cenſum ex regno Siciliæ erogaret.* Sed paulo poſt eum excommunicavit, qvod ſævitiam in Siculos exercuiſſe ferebatur. Cum hoc papa *Baronius* finit ſuos annales: quos porro continuant *Bzovius & Spondanus,*]

Bar. Tom. XII. p. 849. 860. ſeq. Plat. p. 183. Simonet. lib 5. c. 85. f. 128. Hummel. in Anti-Hunn Diſp. 13. fol. 133.

1198

Onuphr. Panvin. in Chronol Pont. pag. 324. Stella p. 184. Innocent. ipſe operum Tom. 1. p. 1. Epiſt ad Patriarch Hieroſolym. pag. 60. Cuſpin. in Philippo p. 412. Monach Paduan p. 582. Paul Perrinus in Hiſtor. VValdenſ l. 1. c. 2. Cæſar 5. Hiſt. n. 21. pag. 380. Anton. 3 Hiſt. tit. 19. c 1 § 6.

1198. CXX III. *Innocentius III. Campanus, antea Lotharius, ex comitibus Signiæ.* 18

[*Henrico VI* Imperatore & rege Siciliæ mortuo, ne ejus frater *Philippus* imperio præeſſet manibus pedibusque allaboravit: cumque juraſſet, *aut ſe Philippo diadema ablaturum, aut ſuum amiſſurum, Bertholdum* ducem Zaringiæ illi primum; poſt *Ottonem Saxonem*, Henrici Leonis filium, curavit opponi. Ottonem ipſum ſtatim quoque excommunicavit, quia libidini ejus non aſſurrexerat in omnibus: & *Fridericum II.* Siciliæ regem curavit ſurrogari. Hac ratione infinitis calamitatibus Germaniam obruit, ipſaque hac occaſione tantas divitias corraſit, ut recte *Abbas Urſpergenſis exclamet: Gaude, mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur Cataractæ theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jocundare ſuper adjutrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod ſemper ſitiiſti. Decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem viciſti.* Hic Innocentius Johannem regem Angliæ, qui intruſum archiepiſcopum Cantuarienſem recipere dedignabatur, eccleſiæ hoſtem pronunciavit, nec prius diris exſolvit, quam ad obedientiam pontificis rediret, & ſe, perpetuo tributo promiſſo, ejus beneficiarium agnoſceret. Idem transmutationis dogma ſtabilivit: laicis calicem in euchariſtia prohibuit: miniſtrorum eccleſiæ conjugia damnavit in Lateranenſi concilio. Extant opera ejus duobus Tomis comprehenſa. Quia ejus tempore Conſtantinopolis à Balduino Flandriæ comite, in ſacra expeditione expugnata, ceſſit Latinis, voluit ſacrum imperium, ut hactenus in occidentem, ita jam in orientem extendere & ad Lateranenſe concilium orientis epiſcopos, & imprimis patriarcham Conſtantinopolitanum, *Thomam Maurocenum*, evocavit. Sed quia exiguo tempore urbs illa regia ſub Flandris erat, affectata etiam poteſtas Papæ in orientales eccleſias ultro concidit. Quam ſcelerate & contra divina atque humana jura *Innocentius III.* ejusq; ſucceſſor *Honorius III.* & *Gregorius IX.* & *Innocentius IV. Fridericum II.* pientiſſimum imperatorem & Siciliæ regem multis annis exagitarint, copioſe recenſuimus in altero ſyntagmate *lib. 2. ſect. 5. q. 14.* Hic ipſe pontifex *crucem adverſus Albingenſes prædicari juſſit.* Sed cum magnus cruciatorum militum i.e. cruce ſignatorum numerus coiret, centum eorum millia cæſa ſunt. Hoc ipſo tempore *Dominicus inſtituit preces Roſarii ſeu pſalte-*

rium

rium beatæ virginis: in quo illa colitur ſalutatione angelica centies & quinquagesies repetita, & oratione dominica ad qvamlibet decimam, cum certis meditationibus vitæ Jeſu Chriſti, compoſita. Forte ex omnibus his patet, quænam ſint *tria illa peccata*, ob qvæ, teſte ipſo Spandano, *Luthardi ſanctæ virgini*, in viſione poſt mortem apparens, dixit: *ſe atrociſſimis pœnis juſtiſſime addictum uſq; ad diem judicii*: & cuidam abbati itidem apparens, viſus eſt confugere ad Dominum, in excelſo throno ſedentem, ingenti dracone ipſum perſequente, & his verbis alta voce ſupplicare: *Miſerere mihi miſero, miſericordisſime Deus*: dracone ex adverſo clamante: *Juſte judica, juſtisſime judex.*]

1216. CXXCIV. *Honorius III. Romanus, antea Cincius, è gente Sabella, Haymerici F.* 11

[Friderici II. hoſtes fovit, ipſumq; ob jus ſuum in Siciliæ & Apuliæ regno uſurpatum quod ſuæ ſedi qværebat ſacro telo, toties hactenus ab aliis vibrato, petiit. Secundum Matthæum Pariſienſem ſpirituali hydrope laborans per ſuum legatum evacuavit clericorum & clauſtralium loculos. Panem conſecratum ſeponi jusſit in ſacrario] Stella pag. 186 Plat. 188. Cironio in Decret. Honorii. p. 23. Petej Chronol. Pont. p. 82.

1227. CXXCV *Gregorins IX. Campanus, Innocenti: II. nepos, antea Hugolinus, epiſcopus Hoſtienſis, ex comitibus Signiæ.* 14

[Fulmen infernale in Fridericum II. pium imperatorem, nec auditum nec convictum, acrius ſtrinxit, addita cauſa, qvod votum Hieroſolymitanæ peregrinationis non ſolveret. Sed ſuberat alia, quam prodit Aventinus. Apud illum ingenue fatetur hic pontifex, *videri ſibi imperium Germanorum magis florere, quam ſibi utile foret: placuiſſe igitur id contundere, atq; diſcordia non ſolum debilitare, ſed in cineres quoq; & favillas redigere, & Fridericum faſtigio rerum humanarum deturbare.* Abit interim imperator in Aſiam. Sed, dum abeſt, inſidias ſibi apud Sultanum ab ipſo papa ſtrui, & ab eo Apuliam ſuam occupari audit. Revertitur, &, ut pacem à patre diſcordiarum impetret, ſuum Siciliæ regnum, tanqvam feudatarius eccleſiæ Romanæ, accipit, magna vi pecuniæ promiſſa. Iterum tamen diris devovetur, & crux, ut loqvuntur, contra eum, tanquā infidelem Saracenum aut Turcum, datur. Ille primum apologiis per Petrum de Vineis rem egit: poſtea copias ad urbem duxit, & in eos, quos adverſus ſe cruce ſignatos deprehendit, victor factus, ſevere animadvertit. Fatidicum carmen tunc circumferebatur ſecundum Pariſienſem, quod etiam ferunt Fridericum Romam miſiſſe: Volat. lib. 22 p. 588. Platina p. 188. Blond. l. 7. Dec. 2. pag. 283. Bzuo. ad An. 1234. §. 4. Alb. Stad. Chron. fol. 37. Cranz. 8 Sax. c. 4. p. 104 & 7. Metr. 45. p. 194.

Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Huj9 pontificis tempore, cum Peruſii moras traheret, Romani cœperant, conſulibus abrogatis ſenatores quotannis creare, qui jus populo dicebant, & urbis cuſtodiendæ curam ſuſcipiebant. Pontifex quidem aſſenſerat novæ huic reip. formæ. Sed cum dicti ſenatores reditus urbis & finitimarum regionum in reip bonis reponere vellent, Pontifex Germanos milites, qui ad recuperandam terram ſanctam conſcripti erant, adverſus Romanos eduxit eorumque ope victor evaſit. Senatores nihilominus invaluerunt: & adhuc tempore Innocentii IV. duo orum quotannis eligebantur, qui non ſinebant pontificem Romæ dominari, ſibi ipſis regia pene poteſtate adſcripta. Id continuatum eſt tempore Alexandri IV. & Urbani IV. Hanc ſenatoris dignitatem accepit etiam Carolus Andegavenſis, Galliarum regis frater, ſed non annuam, verùm perpetuam: eamque geſſit usque ad Nicolaum III. Ultimis hujus pontificis annis *Tartari*, duce *Batto*, Poloniam & Hungariam cædibus & incendiis implent. Secundum Urſpergenſem edixit, ut ad Euchariſtiæ conſecrationem & ſalutationem angelicam *campanæ* pulſentur. *Qvi & libros decretales* ex epiſtolis pontificum Decreto Gratiani *opera Raymundi de Penna forti ſeu Peniaforti* addidit.]

Plat. p. 190. Simonet l. 5. c. 89 f. 130. Stella p. 189.

1241. CXXCVI. *Cœleſtinus IV. antea Gaufredus Caſtillio, Mediolanenſis, XVII. diebus.*

[Cœleſtino defuncto, vacat ſedes anno & octo menſibus, quia Fridericus II Imp. aliqvot Cardinales in vincula conjecerat.]

Vacat ſedes 1$\frac{2}{3}$

Panv. part. 2. p. 318. Plat. p. 191. Simonet. l. 6. c. 1. f. 133. Bucell. 12. Menol. p. 831. Bzov. ad A. 1245 §. 1. Matth. Pariſ. in Heinr. 3. A. 1253.

1243. CXXCVII. *Innocentius IV. Genuenſis, antea Sinibaldus de Fliſco, ex amico Cæſaris mox hoſtis factus.* 18

[In Gallias enim abit, &, concilio Lugduni indicto, Fridericum falſo blaſphemiæ, perjurii, ſacrilegii incuſatum excommunicat: imperiali dignitate privat: Cæſares ei *Henricum Landgravium*, & eo extincto, *Wilhelmum Hollandiæ comitem* opponit: bellorum maximorum autor, in ſumtus ad opprimendum imperatorem, ex tota Europa qvintam partem redituum eccleſiaſticorum petit. Et quanqvam imperator omnia ſibi objecta ſatis confutabat, omnibus tamen viribus, ſicariis etiam immiſſis, magnus heros oppugnatus eſt, donec anno ↀCCL. defunctus, imperium per XXII. annos capite vero deſtitutum relinqueret. Hic pontifex

tifex ſcripſit *apparatum ſuper Decretales*: Cardinales *rubris galeris & eqvis phaleratis* ornavit: cum meditaretur bellator expeditionem in regnum Neapolitanum, quod Siculis ademtum ſibi cupiebat, occubuit:&, ſi Balæo credimus, ea nocte vox in curia Papæ audita eſt: *Veni, miſer, in judicium.* Et hic ille pontifex, cui Conradini infantis, regis Siciliæ, tutela à patre Conrado erat commiſſa. Sed exercitu conſcripto, Siciliam ſibi vindicabat.]

1254. CXXCIIX. *Alexander IV. antea Reinaldus aut Robaldus, Campanus, ex comitibus Signiæ.* 6

[Bellum ab anteceſſore inchoatum continuavit, quo *Manfredum*, Siciliæ regem, Friderici II. nothum, Conradini patruum, ejusque ſocium *Ecelinum*. hoſtiliter invaſit: & contra omnia jura regnum Siciliæ in feudum dedit Edmundo regi Angliæ. Sed victus, gladium excommunicationis ſtrinxit, & decimas, in ſubſidium terræ ſanctæ conceſſas, in Apuliam contra Chriſtianos transtulit, ut inqvit Matthæus Pariſienſis.]

Stella. p. 192. Plat p. 193. ſeq. conf. p. 195 Cromer. lib. 9. Hiſt. Polon. p. 235. Blond. Dec. 2. l. 8. pag. 310.

1261. CXXCIX. *Urbanus IV. antea Jacobus Pantaleo, Gallus, ex patre ſutore veteramentario: antea patriarcha Hieroſolymitanus.* 3

[Cum Alexander IV. eſſet defunctus, Romani iterum tumultuati ſunt, ut ſibi antiquam dignitatē conciliarent. Ideoq; Cardinales, Viterbii ſubito coeuntes, elegere *Urbanum IV.* Ille *feſtum corporis* Chriſti imperavit: poſtea à Clemente V. confirmatum. Contra *Manfredum*, milite cruce ſignato ex Gallia evocato, *Carolum, Andegaviæ comitem*, Ludovici regis Galliæ fratrem, utriusque Siciliæ regem pronunciavit, ut Manfredum pelleret, & ſedi Romanæ qvotannis XLIIX. millia aureorū penderet, & tertio quoque anno album eqvum Romam mitteret.]

Onuphr. Panv. ap Platinam p. 203. Bzcell. in Menolog. p. 683 Simoneta. l. 6. c. 3. f. 135. Blond. Dec. 2. l. 8 p. 313 Schedel. Chron. æt 6. fol. 239.

1265. CXC. *Clemens IV. Narbonenſis, antea Gvido Groſſus, Fulcodii F. archiepiſcopus Narbonenſis.* 4

[Concinnavit & hic bella Sicula, & *Carolum Andegaviæ comitem* diademate Siciliæ inſignivit: atque, *Manfredo* à Carolo in pugna trucidato, *Conradinum*, Manfredi ex fratre Conrado, Friderici II. filio, nepotem, ultimum ex Svevica familia, regnum paternum infelici bello repetentem, prodidit, juſſitqve Carolum, ut ſi ſalvus eſſe velit, eum gladio ſubjiceret. Notum eſt ejus reſponſum: *Vita Conradini, mors Caroli; Mors Conradini, vita Caroli.* Mediolanenſes fulmine excommunicationis petiit, cum Ottonem archiepiſcopum, per vim antea ab Urbano IV. intruſum, nollent recipere. Dum adhuc erat in minoribus, plurima ſcripſit ad jus ciuile & cano-

Chron. Magno-Belg. p. 255 Platina p. 197. Simoneta l. 6. c. 4. f. 135. Modio. Pandect. Triumphal. 4. c. 5. f. 146.

canonicum pertinentia & nomen Luminis juris meruit. Poſt eum vacat ſedes annis duobus & novem menſibus, ob Cardinalium diſcordiam: aliquos tecto cameræ, in qua de electione papæ diſputabatur, non diſcooperto Spiritus S. ingredi nequiit, ut, *teſte Onuphrio, Johannes episcopus Cardinalis Portuenſis, publice dixit.*]

Felix. Fab. 1. Hiſt. Suev. 13. p. 112 Stella p. 96 Simonet. l. 6. c. 5. f. 135 Blond. 2 Dec. 10. p. 320 Volaterr. l. 22. p. 510.

Vacat ſedes in interpontificio 2¾

1271. CXCI *Gregorius X. Vicecomes Mediolanenſis, patria Placentinus, antea Theobaldus dictus, in Syria abſens electus, cum non eſſet Cardinalis.* 4¾

[De hac electione ſic cecinit Johannes Portuenſis:

Papatus munus tulit archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

In concilio Lugdunenſi, curam belli & utriusque reipublicæ (ſacræ puta & profanæ) adminiſtrationem ad epiſcopos & antiſtites ſpectare ſanxit: & pollicitus, ſe arma adverſus Saracenos expediturum, & Græcos in ordinem redacturum, decimarum ſolutionem per ſexennium omnium rerum eccleſiaſticarum impetravit. In hoc concilio ſanxit: *ut Cardinales in electione papæ conclavi incluſi non egrederentur, antequam conſenſiſſent.* Oſſa ejus faciunt miraculis clarentia.]

Blond. 2. Dec. 8. p. 323. Sigon. 20. de R. Ital. p. 114.

1276. CXCII *Innocentius V. Burgundus, antea Petrus de Tarantaſia, ex ordine fratrum Prædicatorum primus.*

[In libros IV. ſententiarum & epiſtolas Pauli commentarium ſcripſit.]

Simonet. l. 6. c. 7 f. 136 Blond. 2. Dec. 8. p. 323. Rolef. in Faſc. pag. 82.

1276. CXCIII *Hadrianus V. Genuenſis, antea Joh. Othobonus Fliſcus, XL. die mortuus, Innocentii V. nepos.*

[Sæpe dixiſſe fertur, *nullum ſe ab hoſte ſuo majus ſupplicium optare, quam ut ſummum pontificatum aſſequeretur.*]

Mart. Pol. col. 226. Trith. in Chron Hirſaug A. 1172. p. 196.

1278. CXCIV; *Johannes XXII. (XXI.) Ulyxibonenſis Luſitanus, antea Petrus, Juliani F.*

[Ruina palatii eſt oppreſſus, cum noctu dormiret in lecto: notus ex opere Logico.]

Naucl. 2. Gen. 43. f. 235. ſeq. Blond. 2. Dec. 8. p. 324. Simoneta l. 6. c. 9. f. 137.

1279. CXCV. *Nicolaus III. Romanus, antea Johannes Cajetanus, cognomento compoſitus, ex familia Urſinorum.* 3

[Romandiolam & exarchatum Ravennatem Rudolphus imperator ei conceſſit, ut ſuis ſumtibus bellum Palæſtinū gereret. Sed nihil minus ille egit, ſeq; ſenatorem Romæ (quæ dignitas tum temporis erat regalis) novo exemplo conſtituit, Carolo Siciliæ rege ab iſta dignitate excluſo.

cluſo. Quem etiam ex regno Neapolitano, opera Petri Arragoniæ Regis ejicere eſt conatus, tandem apoplexia mortuus.]

1281 CXCVI. *Martinus IV. Turonenſis Gallus, antea Simon de Bris.* 4

[Sub hoc, anno cIↃCCLXXXII autore Johanne de Prochita, *Siculæ veſpræ* Galli IIX. M. excidium attulere, & ab eo tempore Petrus III rex Arragoniæ, Manfredi gener, regnum Siciliæ occupavit. *Carolus* autem regnum Neapolitanum ſibi retinuit. Hunc Martinus IV. anteceſſori admodum diſſimilis, fovit, & ſenatoria urbis Romæ dignitate regali illi conceſſa *Petrum regem Arragoniæ* excommunicavit, ejusque regnum, tanto jure ſibi rapto, donavit *Carolo.* Ejus tempore *Michael Palæologus,* imperator Conſtantinopolitanus, ab eccleſia Romana contra hoſtes quos validos habuit, petiit auxilia: & ejus fidem confeſſus, Græcos ſubmiſit pontifici Romano. Sed epiſcopi Græcorum nihil horum ratum habuere: ipſeque imperator antea promiſſa fecit irrita, & ob id fulmine papali petitus eſt, ſine tamen noxa. Hunc pontificem *Nicolaus de Bibrach* in libello ſuo, quem *Occultum* nominat, teſtatur, *optaſſe, ut tota Germania unum ſtagnum eſſet:* ejusque hoc epitaphium recitat:

Hic jacet ante chorum ſubmerſor Teutonicorum,
Paſtor Martinus, extra qui totus ovinus,
Et lupus interſus: cui nulla redemtio prorſus.
Sed ſit ad inferna detruſus ab arce ſuperna.]

Nauclr. gen. 43 f. 236. Blond. 2. Dec. 8. pag. 325. Simonet. l. 6. c. 10. f. 138. Ant. Marcell. de Jure Secul. Rom. Pont. c. 1. p. 107 Antonin in Chron. part. 3. tit. 20. §, f. 70. b.

1285. CXCVII. *Honorius IV. Romanus, è gente Sabella, antea Jacobus, Lucæ F.* 2

[Et ipſe Gallos fovit, excommunicato Petro Arragonio. Eo defuncto, vacavit ſedes X menſibus ob Cardinales electores morbo repentino correptos.]

Vacat ſedes pene annum.

Simonet. l. 6. c. 11. f. 129. Sabell. 6. Enn. 7. col. 779. Stella pag. 103. Blond. 2. Dec. 8. p. 328.

1288. CXCIIX. *Nicolaus IV. Aſculanus, antea Hieronymus, primus è Franciſcanis ſeu Minoritis, quorum Generalis hactenus fuerat.* 4

[Sub hoc tandem Arragoniæ rex & Carolus Gallus, qui de regno Siciliæ aliquamdiu cruentum bellum geſſerant, pace facta, litem compoſuerunt, ſed non niſi inſigni papæ quæſtu. Carolo Siciliæ regnum, tanquam feudi dominus poſſidendum tradidit, & poteſtatem exigendi decimas à ſacerdotibus per ſex annos impetravit. Poſt eum denuo ſedes vacavit biennium. Hoc tempore *ſacrum bellum*, quod binis ſeculis cum maxima Chriſtianorum clade erat geſtum, *finem accepit*, cum Ptolemais, Sidon, Berytus, vi receptæ, & omnes Chriſtiani ex Palæſtina & Syria eje-

Naucler. 2. Gen. 44. f. 138. Simonet. l. 6. c. 12. f. 140. Cranz. 8. Sax. 35. p. 224. Blond. 2. Dec. 8. p. 332. Avent. 7. Annal. Boj. p. 577.

ſti ſunt. Reliquiæ eorum vocatæ ſunt *Truſci*, qui *Maronitis*, à quodam ſancto viro ſic dictis, & montem Libanum ſub peculiari patriarcha accolentibus, initio permixti, tandem Saracenis in plerisque acceſſerunt, niſi quod non circumcidantur, nec vini potu abſtineant. Sub hoc papa fingitur *domus Nazarethana Mariæ virginis*, in formam templi qvondam redacta, & nunc à fundamentis avulſa, ab angelo in Dalmatiam per ingentes terrarum marisqve tractus transportata: qua ipſa fabula etiam narratur, quod eadem domus, poſt triennium ſub Cœleſtino V. ſit è Dalmatia ab angelis in Picenum Italiæ in ſilvā Lauretæ matronæ translata, & inde nomen *Lauretanæ ædis* acceperit: item qvod ab iisdem poſt octavum menſem & illinc, cum per latrones ſemitæ ſilvarum obſiderentur, per ſublime in collis propinqvi verticem, mille fere paſſibus à priori loco diſtantem, deportata ſit: brevi etiam poſt, cum duo fratres, qvibus collis erat hereditarius, auro beatæ Mariæ inhiarent, & inter ſe diſſiderent, ex illo colle ad jactum ſagittæ in proximum collem verſus mare per manus angelorum ſubmota ſit, & ibi tandem qvieverit. Egregia ſuperſtitionis materia deceptis mortalibus ſuggeſta.]

Vacat ſedes 2

1294. CX IX *Cœleſtinus V. eremita, ante Petrus de Murrhone, patria Eſernienſis, prope Sulmonem.* 1/2

Avent 7 Ann. pag 577. & 582. Lang. in Chron. Citiz. p 817. Naucl. Gen. 44. f 240. Blond. Dec. 2. lib. 9 p. 333. Plat. p. 210. Stella p. 206. Sabell. Enn. 7. 60. 783.

[Cum non poſſent in eligendo pontifice conſentire Cardinales: hunc tandem, etſi literarum ignarus erat, ob inſignem pietatem, quam in eremo præ ſe ferebat, in ſedem pontificiam collocaverunt. Sed cum ſub diſciplinam eccleſiaſticos videretur revocaturus, & pompam atque faſtum curiæ Romanæ imminuturus, tanquam delirus ſenex odium incurrit omnium, atqve à ſucceſſore, vocem per canalem ad ejus aures noctu immittente, dementatus, cum putaret, ſe divina voce admoniri, ut locum cederet alteri, ſponte abdicavit ſeſe, indignus, cujus ſimplicitas pia in tam peſtilenti ſede exerceretur. Clemens V. eum in numerum Sanctorum retulit.]

1294. CC. *Bonifacius IIX. Campanus ex Anagnia, antea Benedictus Cajetanus, Linifredi F.* [illegible] 9

Rolef. Faſc. Tempor. pag. 83. Lang. in Chron. A. 1294 p 815. A. 1295. p. 819. Plat. p. 213. Naucl. Gen. 49. p. 242. Bzov. ad Ann. 1300. §. 1. Cranz. 8. Sax. 36. p. 225.

[Hic eſt, quem Pariſienſes publice nominarunt Epicuræum, homicidam & hæreticum, quiqve *intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.* Nam, ut diximus ex Platina, per ſubornatos noctu immiſſos qvaſi divina voce, perſuaſit Cœleſtino, ut, ſi ſalvus eſſe vellet, pontificatu abiret. Sic igitur vulpina aſtutia evectus, leonina tyrannide præeſſe cœpit.

pit. Nam in cuſtodiam Cœleſtinum nihil quicquam meritum conjecit: diſcordias paſſim aluit: ſe in ſpiritualibus ſimul & temporalibus dominum mundi prædicavit. *Sextum Decretalium librum* promulgavit: *ut Papa à nemine judicaretur, etiamſi innumerabiles animas ſecum in incipio gehennæ traderet*, ſanxit: Galliæ etiam regem, Philippum IV. miris modis propter decimas è regno negatas, vexatum & exagitatum, à ſe, tanquam feudi domino, regnum petere juſſit, eumq;, cum bullam papalem combureret, excommunicavit. Scripſerat ad illum admodum ſuperbe: *Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes &c.* Sed falſe reſpondit: *Philippus, DEI gratia Francorum rex, Bonifacio IIX. ſe gerenti pro ſummo pontifice ſalutem modicam ſive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe: eccleſiarum & præbendarum collationem ad nos jure regio pertinere: ſecus autem credentes fatuos & dementes reputamus.* Hic pontifex Cardinalibus purpuram conceſſit: & ab hoc tempore purpurati patres dicti ſunt. *Annum Jubilæum* ad obſoletum imperatorum priſcorum morem, omnium peccatorum indulgentia, ſub conditione ſancti denarii numerandi promiſſa, tanquam in locuplete meſſe argentaria, celebravit: primoqve die in pontificalibus inceſſit; altero paludamento imperatorio indutꝰ, nonnullis gladium evaginatum præferentibus, acclamari juſſit: *Ecce duo gladii hic.* Cum Albertus I. coronationem ab eo peteret, *magnanimus hic ſacerdotum tyrannus*, ut à nonnemine hiſtoricorum vocatur, reſpondit, indignum illum eſſe imperio: & tenens coronam in capite, atqve ſpatum ad latus, dixit: *Ego ſum Cæſar.* Tandem à Wilhelmo de Rogareto conſciis Columnenſibus Cardinalibus, quos, quia Gibellinæ factionis erant, graviter vexaverat, proditus, & omni theſauro, quem in Jubilæo anno corraſerat, ſpoliatus, abducitur, & paulo poſt animi mœrore furenti ſimilis, ut ait Spondanus, moritur. Ejus memoriam *Philippus, rex Galliæ*, in concilio Viennenſi aboleri voluit ob impietatem & hæreſin. Et meruerat. Sed patres dignitati pontificiæ magis conſuluere, quam juſtiſſimæ in impium vindictæ. Acta tamen ejꝰ adverſus Philippum in concilio reſciſſa ſunt.]

1303. CCI *Benedictus XI. Tarviſinus Lombardus, antea Nicolaus Bocalinꝰ, patre opilione natus.* ¾ Naucl. Gen. 44 f. 243. Platin. p. 418. Matius l. 2. Schiſm. 20. p. 618.

[Philippum Galliæ regem & Columnenſes Cardinales reſtituit: & Bonifacii IIX acta in Francos improbavit. Veneno obiit.]

Vacat ſedes decem menſibus

Onuphr. Panvin. Chronol. Pont. p. 379. Volat. l. 22 p. 512. Simoneta l. 6. c. 15. f. 142. Naucler. Gen. 44. f. 243. Marius 2. Schism. 20. p. 619. Ant. Marcell. de Jure Secul. Pont. c. 11 p. 107 Val. Forſter. 2 de Jurisd. Rom. pag. 456. Lang. in Chron Citiz. p. 816.

1305. CCII *Clemens V. Vaſco, Gallus, antea Bertrandus Gotto, Clementinarum ſeu ſeptimi Decretalium autor.* 9

[Cum conſecraretur, & pompa duceretur per urbem, murus onere ſuperſtantis multitudinis procumbens, multos ſuppreſſit. Ipſe Pontifex in turbam præceps prolapſus, lapidem pretioſum mitræ ex capite decuſſæ amiſit. Conſtans erat Philippi Gallorum regis amicus, etſi à Bonifacio IIX excommunicati: utqve Burdegalenſis archiepiſcopatus, quem hactenus geſſerat, reditibus frueretur, ſedem pontificiam tranſtulit Avenionem in Gallias, ubi per annos LXXII. permanſit, Roma interim per tres Cardinales ſenatoria poteſtate adminiſtrata. Hinc etſi Henricus VII imperator jusjurandum tale, qvo fe. lis pontificiæ jugum jubebatur recipere, præſtare noluit: formulam tamen juramenti ſolennis ipſi propoſitam Clemens promulgavit, & Clementinis ſuis inſeruit. Sic qvi antea Cæſares agnoſcebant dominos, inqve verba eorum jurare cogebantur, nunc inverſo ordine eorum ſe dominos jactitabant. Venetos, qvod quædam ad Ferrariam pertinentia occupaſſent, ut & Florentinos & Lucenſes, ob legatum violatum, ſacris prohibuit & Concilio Viennenſi ad inſtantiam Philippi regis Galliarum celebrato, *Templarios* publicatis eorum bonis ferro & igne exſcindi curavit, imputatis toti ordini ſceleribus, quorum pauci forte rei erant. A plurimis eorum ad tribunal ſuperum citatus, paulo plus anno obiit. Idem fatum contigit Philippo, contra qvem appellatio talis non vana fuit. Bzovius de eo: *Vitio homini dabatur, quod ſumtuoſiſſime vixiſſet, propinquos ditaſſet, inq; ſacrum ſenatum quosdam, nulla lubricæ ætatis habita ratione, & in his aliquot pene pueros, magno eccleſiæ probro creaſſet: cum hi diſciplinæ eccleſiaſticæ non addicti, ſacram purpuram inceſtis libidinibus fœdarent.* In illo etiam apud Antoninum & Joh. Villanium libido ac rerum eccleſiaſticarum venundatio & curioſa per malam artem inveſtigatio ſtatus animæ nepotis ſui defuncti culpatur. Henricus VII (quem Papa ante foverat, deinde, cum fidelitatis juramentum præſtare nollet, odiſſe cœperat) hoc tempore à Bernhardo, monacho Dominicano, pane conſecrato toxico oblito, atq; polline adamantino ſacræ potioni indito, extinctus eſt. Hinc verſus:

Concidit à monacho, qui myſtica libra miniſtrat,
Pro vita mortem toxica ſæva dedit.

Vacat ſedes 2 ¾

1327. CCIII. *Job. XXII. (XXI.) Gallus, antea Jacobus Oſſa de Cadurco, Aquitanenſis.* $18\frac{1}{4}$ | *Nicolaus V. ante, Petrus Cornarius, ex familia Columnenſium, in XXIIX. ſchiſmate electus.* 3

Anton. 3. part. ſumm. Hiſt. tit. 21. c. 4. Platina p. 219. Volater. p. 513. Stella p. 215. Ro'ef Faſc. Temp. pag. 84. Naucler. Gen. 45. f. 248 Polyd. Verg. l. 6. de Invent. rer. 12. pag. 535.

[Cum de imperio diſputarent *Ludovicus V. Bavarus & Fridericus Auſtriacus*: Fridericum primo Johannes reprobavit, mox ſovit, & Ludovicum, tanquam qui injuſſu papæ imperium ſuſcepiſſet, eccleſiæ rebellem, ſchiſmaticum, & hæreticum, ipſe turpis hæreticus, declaravit. Convocat ille ordines imperii Ratisbonam, illorumque ſuffragiis decernit, jus pontifici in imperatorem nullum eſſe, & à Romanis (qui fruſtra Johannem rogaverant, ut Gallia relicta ſecum eſſet) evocatus, à Johanne diadema petit. Denegatur. Ideoqve in Italiam profectus, à Gratiano, epiſcopo Aretino, & Romæ à Stephano de Columna & Nicolao, ſenatoribus, coronatur, & cum totius populi & cleri conſenſu depoſito ob varia ſcelera Johanne, Petrum Cornarium, nomine novo dictum *Nicolaum V.* in ſedem pontificiam evehit: qui novis creatis Cardinalibus ſimulacrum Johannis effictum, aſtante Cæſare, cremat, ipſumque hæreticum, ut qui negabat, *animas corpore exutas ante extremum diem videre Deum*, tyrannum, & eccleſiæ pacisque publicæ perturbatorem declarat. Cumq; viciſſim Johannes Imperatorem diris devoviſſet, & Antipapam captum abdicaſſet, mortuus eſt Avenione. Huic pontifici, cum ſe etiam caput eccleſiarum Græcarum venditaret, Græci Laconice reſpondebant: *Potentiam tuam ſummam erga tuos ſubditos credimus firmiter. Superbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus. Avaritiam ſatiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Contra eum pro imperatore docte & graviter ſcripſere *Gv. Occam, Marſilius Patavinus, Dantes Aligerius, Jandunus Peruſinus, Michael Caſenas* & alii. In theſauris reliquit XIIX. milliones auri per annatas & alias artes corraſos. Jus canonicum *Extravagantibus* auxit; & cum edictum propoſuiſſet, quo hæreſin vocabat, ſi quis aſſereret, *Chriſtum & apoſtolos nihil habuiſſe in proprio*, gravem tumultum monachi excitarunt: qui ipſum pontificem pronunciabant hæreticum.]

1334. CCIV. *Benedictus XII. Toloſanus Gallus, antea Jacobus de Furno, Guilielmi molitoris F.* [illegible] 7

Bzovio, Menol. Bened. p. 301. ſeq. Volat. p. 513. Simonet. l. 6. c. 17. f. 143.

[Cum electus eſſet, quia verebatur, ne impar foret muneri, dixit, *aſinum eſſe electum*, teſte Bzovio. Cenſuras in imperatorem ab Johanne factas confirmavit, ſeque vicarium imperii eſſe contendens, *Ludovicum* per excommunicationem eſſe depoſitum arbitrabatur. Ille, principibus

bus diverſo tempore diverſis in locis convocatis, ſe orthodoxum, quantum illa ſecula permiſerunt, demonſtrabat: novis antiquas leges corroborabat: *electum Romanorum regem, contra Romanæ ſedis confirmationem, eſſe imperatorem, & jura imperii exercere debere edicebat: à pontifice tamen, aut, ſi ille recuſet, à quovis alio antiſtite, ceremonia adventitia ungendum & proclamandum eſſe judicabat: ita ut non juramentum fidelitatis præſtet, ſed fidelem eccleſiæ Romanæ defenſionem recompromittat.* Præterea per vacationem imperii jus ad Papam revolvi negabat, quam Palatinus & Saxo id tamdiu adminiſtrare debeant: & concilium ſupra papam eſſe, decernebat. Epitaphium hoc meruit:

Hic ſitus eſt Nero, laicis mors, vipera clero,
Devius à vero, cupa repleta mero.]

1342. CCV. *Clemens VI. Lemovicenſis Gallus, antea Petrus Möſtrius, Rogerii F.* 10

Plat. p. 224. Volaterr. p. 513. Stella p. 118. Simonet. l. 6. c. 19. f. 143. Bzov. ad Ann. 1351, §. 16. Alb. Argentin. p. 156. Bucell. l. 21. Menol. p. 830.

[Mulierum, honoris, & potentiæ legitur fuiſſe cupidiſſimus. Ab eo ſtatim per oratores imperator abſolutionem petiit, & formulæ etiam iniquiori, cumqve perpetua turpitudine conjunctæ, ſubſcripſit, ſeqve & filios ſuos, & omnia bona, in manum ac voluntatem pontificis repoſuit. Cum autem ordines imperii, Francofurti congregati, formulam illam intolerabilem cenſerent, pontifex curavit legi *Carolum IV.* regem Bohemiæ: qui tamen, vivente *Ludovico*, à paucis principibus ſuſceptus, poſtea, defuncto illo, reip. Germanicæ præfuit. Papa interim, cum principes Ludovicum ſecuti, ab excommunicatione ſolvendi eſſent, ægre id fecit, utqve anteqvam abſolverentur, electionem imperatoris à ſua confirmatione dependere faterentur, voluit. Id qvanquam principes eccleſiaſtici probabant: reliqui tamen acriter repugnarunt. Hic Clemens VI. Romanis efflagitantibus indulſit, ut *Jubilæum*, non centeſimo, ſed quinqvageſimo quoqvo celebrarent. Quam gratiam ut ei rependerent, aſſenſere, ut pontifex Avenione in Galliis, quam à Johanna regina coemerat, ſubſiſtens, IV. Cardinales nominaret, qui rebus Romanis præeſſent. Quo facto, Cardinales illi dignitatem regalem ſenatoriam urbi reddiderunt. Sed Fr. Baroncellus, ſenatoribus expulſis, conſulis & tribuni nomen adſumſit. Eum tamen pontifex facile repreſſit, ſenatore ſexto quoqvo menſe conſtituto, qui jus populo diceret. Tandem Bonifacius IX. totius urbis imperium lenta unus prehendit manu. Et ita, magna rerum viciſſitudine, Roma poſt longā annorum ſeriem in ponti-

ficis

poteſtatem eſt delapſa. Peſtis illa ſævisſima ſub eo graſſata eſt, qvæ tertiam hominum partem dicitur abſumſiſſe.]

1352. CCVI. *Innocentius VI. Lemovicenſis Gallus, antea Stephanus Alberti, J. U. D. & cauſarum patronus.* 10

[Sub hoc bella inter Gallos & Anglos ita exarſerunt, ut ipſe rex Galliæ Johannes cum filio caperetur. Romæ iterum, abſente adhuc pontifice in Galliis, vigent ſeditiones, in quibus XVII viri creati ſunt cum ſumma poteſtate, quos *Reformatores* appellarunt]

Albert. Arg. in Chron. p. 156. Plat. p. 127. Simonet. l. 6. c. 20 f. 144. Volat. p. 513. Biond. 2. Dec. 10. p. 369.

1362. CCVII. *Urbanus V. Gallus, antea Guilielmus Grimoaldus de Griſaco.* 8

[Primus *tiaram triplicis coronamenti* geſtavit, ſicut Bonifacius IIX. *duplicis*, cum ſuperiorum pontificum, teſte Spondano ex Nicolao Alemanno, *unici* fuiſſet, *inſtar galeæ circulo aureo concinnata.* Cœpit tentare unionem cum Græcis eccleſiis, ſed fruſtra. Sub eo floruit in Anglia *Wiclefus & ordo Jeſuitarum* Senis in Italia cœpit. Bzovius refert, eum tres particulas ceræ benedictæ, *Agnos DEI* communiter nominatas, miſiſſe Palæologo imperatori cum his verſiculis:

Balſamus & munda cera, cum chriſmatis unda,
Conficiunt agnum: qvod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Chriſti ſangvis, & angit:
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur.
Dona confert dignis: virtutem deſtruit ignis:
Portatus munde, de fluctibus eripit unda.]

Sab. 9. Enn. 9. col. 821. Volat. p. 513 Bucell. lib. 12. Men. p. 865. Polyd. Verg. 7. Inv. R. 4 p. 582.

1370. CCIIX. *Gregorius XI. Lemovicenſis Gallus, antea Petrus Rogerius Belfortius.* $7\frac{1}{4}$

[Fuit Baldi diſcipulus & Clementis VI. frater. Feſtum præſentationis, ut & nativitatis B. virginis, & officium S. Crucis inſtituit. Catharinæ Senenſis, aut ut alii volunt, Brigittæ monitu, ſedem pontificiam è Galliis Romæ reddidit, & Florentinis ſacra interdixit, qvia aliqua oppida, quæ ad pontificem ſpectabant, occuparant.]

Vita ejus edita per Franciſc. Bocqvier. è Bibliotb. Fuxenſi Simonet. l. 6 c. 22. f. 144. Cranz. 9. Metr. 1. p. 236 Volat. l. 22. p. 513. Egnat. l. 1. exempl. p. 17.

Marius. de ſchiſm. c. 13. p. 645 Niem Tractat. 6. Union. c. 19. p. 514 & de ſchiſm. 1. c. 5. p. 7 c. 45. p. 49 c. 50. p. 56. c. 51. p. 57. c. 52. p. 58 Platina p. 237. Cranzij 9. Metrop. 1. p. 237. Stella p. 129. Simoneta l. 6. c. 24 f. 146. Baptiſta Signio l. 2. Congreg. c. 2 à pag. 117. ad 188. Blond. Ital. illuſtr. p. 367.

ROMÆ.

1378. CCIX. *Urbanus VI. Neapolitanus, antea Bartholomæus.* 11

1389. CCX *Bonifacius IX. Neapol. antea Petrus Tomacellus, genere Cibo.* 15

1404. CCXI *Innocentius VII. Sulmonenſis, antea Coſmatus Melioratus* 2

1406. CCXII. *Gregorius XII. Venetus, antea Angelus Corrarius, in concilio Piſano abdicatus, quanqvam non paruit.* 3

1409. CCXIII *Alexander V. antea Petrus Philargus, Cretenſis, contra Gregorium XII. & Benedictum XIII. electus, obſcuri generis, ſed literatiſſimus.* 1

1410. CCXIV. *Joh. XXIII. (XXII.) Neapolitanus, antea Balthaſar Coſſa, in concilio Conſtantienſi depoſitus.* 5

Vacat ſedes Romæ $2\frac{1}{2}$

1417. CCXV. *Martinus V. Romanus, antea Otto Columna.* $13\frac{1}{4}$

AVENIONE IN GALLIIS in XXIX ſchiſmate quadragenario.

1375. *Clemens VII. Gebennenſis, Cardinalis, Gallus, antea Robertus.* 16

1394. *Benedictus XIII. antea Petrus de Luna, Hiſpanus ex Arragonia, bis pontificatu depoſitus in Conciliis Piſano & Conſtantienſi, retinuit tamen dignitatem usque ad obitum* 3

1424. *Clemens IIX. Hiſp. antea Ægidius Munio, qui tandem poſt quadriennium anno cIↄCCCCXIIX. Papatu reſignato factus eſt epiſcopus.* 4

[Hoc ſchiſma fuit omnium peſſimum & maxime diuturnum, ut qvod totos L. annos duravit Nam *Urbanus VI.* rogatu populi electus à Cardinalibus, Romæ curiam habuit. Sed paulo poſt iidem Cardinales, cum nimiam ejus ſeveritatem improbarent, uno excepto, Fundis congregati, cauſabantur, ſe *Urbanum VI.* ob metum Romanorum elegiſſe: & eligebant *Clementem VII.* Illi quidem, cum novum XXIX. Cardinalium collegium inſtituiſſet, adhæſerunt Itali, Germani, Angli, Hungari, Poloni; *huic* Galli, Scoti & Neapolitani. Hiſpani in partes ibant. Ita autem diſſedere duo illi papæ, ut non tantum armis confligerent, ſed & totius orbis reges bellis cruentis implicarentur. Urbanus auſus eſt regnum Neapolitanum Carolo Dyrrachino duci excluſa Johanna I. ejusque herede & filio adoptato Ludovico Andegavenſi, quia Clementi favebant, concedere, ſub XL. millium aureorum annuorum promiſſione. Unde aſpera bella. Idem Urbanus feſtum viſitationis Mariæ inſtituit, Jubilæum ad XXXIII. annum reduxit & Cardinales, quos Clementi favere arbitrabatur, ſaccis inſutos, inque mare demerſos Neptuno ſacri-

crucificavit, & indulgentiis, itaq; æterna promiſſa, Anglos ad oppugnandos Gallos Gallorumqve papam excitavit. Clemens vero ipſos imperatoris Wenceslai, cum Urbano ſentientis, legatos magnis cruciatibus inclementer enecavit. *Illi ſurrogatur Bonifacius IX. huic Benedictus XIII.* Univerſitas interim Pariſienſis ad tollendū ſchiſma tres vias unionis eccleſiæ in prolixa epiſtola à Nicolao de Clemangiis propoſuit, nempe *vel* ceſſionis & renunciationis plenariæ utriusqve contendentis, *vel* compromiſſionis mutuæ in aliquos deligendos, *vel* determinationis concilii generalis. Via ceſſionis præ aliis placuit: & tamen neuter papa, ut promiſſum, cedere dignabatur. Hoc tempore *Huſſi doctrina* ſpargi cœpit, qvi nundinationib9 Jubilæorum & luxu immodico & ſuperbia Clericorum offenſus, papæ ſe oppoſuit: præſertim cum, *ut Platina inquit*, indulgentiæ, & quidem plenariæ, ita paſſim venderentur, ut jam vileſceret clavium & literarum apoſtolicarum autoritas. Bis enim Bonifacius IX. *Jubilæum* celebravit: primum quidem (qvi alioqvin tertius dicitur) anno cIɔCCCXC. quovis triceſimo tertio anno recurrentem; alterum (qui alioqvin quartus numero habetur) centeſimum anno cIɔCCCC. Idem annatas etiam beneficiorum vacantium, ſeu penſiones primi anni ex beneficiis eccleſiaſticis, quibus novus poſſeſſor conſtituitur, ad ſe rapuit, hoc conſilio, ut pontifices porro non in urbe tantum, ſed & in toto orbe Chriſtiano dominium adipiſcerentur. Illas annatas ſtatim negavit Anglus; paulo etiam poſt Gallus. Mole quoque Adriana, arcis inſtar, & Capitolinis ædibus munitis, pontificium dominatum ſtabilivit. Succeſſit Bonifacio *Innocentius VII.* ſævus admodum in coercendis Romanis tumultuantibus, quorum XI. necatis, Viterbium aufugit, & ſua atq; aulicorum bona populo diripienda reliquit. Huic defuncto *Gregorius XII.* hac lege ſuffectus eſt, ut, ſi ex uſu foret eccleſiæ, à ſchiſmate diuturno liberandæ, pontificatu ſeſe abdicaret. Sed cum & ei & Benedicto XIII. abſentibus, in concilio Piſano, à Cardinalibus anno cIɔCCCCIX. ſine autoritate papali indicto, papalis dignitas, *Alexandro V.* ſubſtituto, abrogaretur: ipſe Ariminum fugiens; Benedictus autem Hiſpaniam petens, nomen papæ, *jam pro triplici diademate triplex*, una cum Alexandro, uſurparunt. Alexander autem Bononiæ conſedit, tam munificus ſecundum Onuphrium & Platinam, ut dicere ſolitus ſit, *ſe divitem epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, & mendicum pontificem.* Platina dicit, *plus in eo ferociæ, audaciæ & ſecularitatis fuiſſe, quam ejus profeſſio requirebat.* Tandem venenato pharmaco à ſucceſſore eſt ſublatus. Ille fuit *Johannes*

XXIII. (*XXI.*) armis aptior, qvam religioni: in temporalibus magnus, in ſpiritualibus nullus: qui, Bononia relicta, Romam reverſus, mox inde à Ladislao, rege Neapolitano (contra quem fœdus cum rege Siciliæ pepigerat) fugatus, crucem adverſus hoſtem prædicare juſſit, & Bohemos ob Johannis Huſſi doctrinam excommunicavit, atque tandem, concilio generali ſesquitriennali Conſtantienſi, anno cIↃCCCCXIV. celebrato, multorum ſcelerum, Simoniæ, adulterii, inceſtus, hæreſeos, perjurii, crudelitatis, incuſatus, fugit, & retractus in caſtrum quoddam, tanquam in carcerem eſt conjectus. Unde tandem liberatus, Florentiæ obiit. Accuſatus etiam eſt, *ipſo Bzovio teſte*, qvod aſſeruerit, dogmatizaverit & adſtruxerit, *vitam æternam non eſſe, neq; aliam poſt hanc; animam hominis cum corpore humano mori adinſtar brutorum; mortuum ſemel, non eſſe reſurrecturum.* Benedictus XIII. etiam poſt pontificatu exutus. *Gregorius XII* faſces ſacros ſponte depoſuit. Concilium autem, damnata Wiclefi doctrina, & Huſſo atqve Hieronymo Pragenſi exuſtis, *Martinum V.* elegit, quem Platina prudentisſimum nominat, & ſua æquitate Clementem IIX. eo deduxiſſe dicit, ut pontificalibus depoſitis, epiſcopatu contentus, qvinqvagenario ſchiſmati finem imponeret. Martinus V. annum Jubilæum qvintum qvovis trigeſimo tertio anno recurrentem celebravit. Vix infulam capiti aptaverat, cum *Brachius Peruſinus*, nomine Johannis XXIII. (XXII.) depoſiti Romam oppugnaret, caperet, & magnam partem pontificiæ ditionis diriperet. *Sfortia* autem, exercitu educto, Brachium in ordinem redegit. Pontifex interim non tantum cruciatam contra Bohemos indixit, ſed & contra Bononienſes rebelles exercitum eduxit: bellis quoq; ſeſe immiſcuit, quæ Alphonſus rex Arragoniæ, & Ludovicus, regis Siciliæ filius, de regno Neapolitano, ut & Florentini & Mediolanenſes inter ſe, geſſerunt. Edidit edictum de concilio ſingulis decenniis habendo.]

Stella pag. 244. Plat. p. 261. ſqq. Volat. p. 516. Simonet. l. 6. c. 30. p. 149. Sab. Enn. 10. l. 2. col. 879. Jac. Spigel. Schol. ad Æn. Sylv. Par. p. 242. Fulgoſ. l. 8. c. 15. Egnat. l. 8. exempl. p. 284.

1431. CCXVI. *Eugenius IV. Venetus, antea Gabriel Condelmerius.* 16	1439. *Felix V. dux primus Sabaudiæ, antea Amadeus IIX. poſt eremita, in XXX. ſchiſmate: qui tandem ultro ceſſit Nicolao V.* 10

[Eugenium, cum inſolentius cœpiſſet agere, ſtatim excepere tanto impetu tumultuantes Romani, ad libertatem denuo adſpirantes, ut, ſumto habitu monachali, civibus jam lapidibus rem agentibus, confugeret Hoſtiam. Poſtea conſenſit in concilium *Baſilienſe*, quod ultra annos XI. duravit. Cum autem reformationem eccleſiarum in eo inſtitui, annatas damna-

damnari & aboleri, exactiones, quibus papæ Germanicas eccleſias exſugebant, minui. Bohemis communionem ſub utraq; ſpecie concedi, *Pragmaticam promulgari ſanctionem* de limitata dignitate eccleſiaſtica in conferendis ſacerdotiis, & ſe qvoqve, ut reſponderet, tanqvam concilio inferior, citari animadverteret, jactitans ſe concilio ſuperiorem, concilio alio *Ferrariæ* indicto, atque inde ob graſſantem peſtem *Florentiam* translato, Baſilienſis concilii autoritatem omnibus viribus infringere conatꝰ eſt. Sed anno CIↃIↃXXXIX. eſt depoſitus, & Felix V. ſubſtitutus: cui tamen cedere, donec vixit, dedignatus eſt. Hic pontifex Eugenius *Uladislaum Hungariæ regem* per legatum compulit, ut fidem Turcis datam frangeret, & arma contra fœderatum corriperet. Sed hujus perjurii pœnas rex ſtatim luit. Quid item hic pontifex *in concilio Florentino* cum Græcis epiſcopis egerit, dicetur, cum de conciliis agendum eſt. Beſſarionem & Iſidorum doctiſsimos in Græcia epiſcopos, ſed nunc exules, in numerum Cardinalium legit.]

1447. CCXVII. *Nicolaus V. (VI.) patre chirurgo, antea Thomas Sarzanenſis, ex agro Lucano.* 8 Platin. p. 287. Sabell. 10. Enn. 6. col. 950. Gualth Chron. p. 718. Simoner. l. 6. c. 31. f. 149. Volat. pag. 517. Donat. 4. Rom. 9. p. 366.

[Convenit cum imperatore Friderico & principibus Germaniæ in quædam capita, quæ *Concordata* vocantur, inq; qvibus conſtitutum eſt, qnidnam in qvibus eccleſiis & monaſteriis ratione annatarum ſit pontifici expectandum. *Jubilæum VI. quinquagenarium*, in qvo ultra IↃLX. homines in ponte S. Angeli confracto contriti ſunt, celebravit: tumultuantes Romanos compeſcuit: bibliothecam Vaticanam ter mille voluminibus & urbem præclaris ædificiis auxit & ornavit. Sub hoc papa primum Athenæ, deinde Conſtantinopolis, Chriſtianis ereptæ ſunt. Turcorum tamen imperator, audita Chriſtianorum confeſsione, juſsit Conſtantinopolitanos in eccleſiis convenire & patriarcham ſibi, quemcunq; vellent, eligere: qui etiam, hac poteſtate accepta, elegerunt *Gennadium*. Huic ad ſe in regiam vocato Machomet imperator ſuis manibus paſtorale pedum magni pretii, & certam aureorum ſummam dedit, his additis verbis: *Quod felix ac fauſtum ſit, eſto Patriarcha, & utere noſtra amicitia, in quibus rebus voles. Salva tibi ſunto omnia jura & privilegia, ſicuti fuere ſuperioribus ante te patriarchis. Hab: qvoq; templum S. apoſtolorum domicilii loco.* Hoc tamen templum patriarcha poſtea cum templo Pammacariſtæ ſeu beatiſſimæ virginis commutavit. Interim pontifex Romanus titulum patriarchæ Conſtantinopolitani dedit Beſſarioni.

Bzov. Tom. 17. p. 216. Simonet. l. 6. c. 31. f. 150. Sabell. 10. Enn. 6. col. 951. Iov. Pontan. 1 Hiſt. p. 416.

1455. CCXIIX *Calixtus III. Valentinus Hiſpanus, antea Alphonſus Borgia, Patruus Alexandri VI.* 3½

[Turcum oppugnaturus, Lesbum qvidem cepit: ſed claſſem paulo poſt perdidit: inſtituitqve, ut campanæ in meridie pulſarentur, & omnes ad preces adverſus Turcum fundendas & numos conferendos admonerentur. Feſtum transfigurationis Chriſti inſtituit.]

1459. CCXIX. *Pius II. antea Æneas Silvius Picolhomineus, multis libris clarus.* 6

Volater. l. 22. p. 518 Opmeer. in Chron. p. 428. Sab. 10. Enn. 6. col. 958. Bzov. A. 1460. p. 317. 331. 341. 363. 375.

[Fuerat ſcriba & abbreviator in concilio Baſilienſi: idque probaverat. Poſtea ex Secretario imperatoris epiſcopus, cardinalis, & tandem papa factꝰ concilium olim probatum publica recantatione improbavit. Hinc proverbium: *Quod Æneas probavit, Pius damnavit.* In Mantuano conventu, in qvo agebatur in præſentia multorum regum, principum & legatorum, de bello contra Turcos ſuſcipiendo, edixit, ne cui licitum eſſet, à pontifice ad concilium generale provocare. Cumque Sigismundus, Auſtriæ dux, ne ſuæ ditionis homines Romaniſtarum rapacitati eſſent expoſiti, Nicolaum Cuſanum cardinalem, Roma ad deglubendum epiſcopatum Brixienſem profectum, in vincula conjeciſſet, eum, utut ad concilium provocarat, diris exſecrationibus devovit, & multos Germaniæ proceres magnis bellorum incendiis implicuit. Ludovico etiam Gallorum regi, ob pragmaticam ſanctionem, qua cleri libertates in regno minutæ videbantur, gravis extitit adverſarius. Epiſcopum Moguntinum non recte de fide ſentientem dignitate ſpoliavit. Catharinam Senenſem inter Sanctas retulit. Hic eſt ille Papa, qvi, teſte Platina & Sabellico, *matrimonium cenſuit ſacerdotibus magna ratione eſſe ademtum, ſed majori reſtituendum.* Ipſe ſcilicet de ſe, ceu alicubi dicit, fecit conjecturam, quem amor in mille pericula miſit, faſſus ultro in epiſtola quadam ad parentem ſuum, ſe è ſcortatione ſuſcepiſſe filium. Verſus noti ſunt:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus. 7

Sab. 10. Enn. 6. col. 966. Bzov. A. 1464. Tom. 17.

Epiſtolam catecheticam ad imperatorem Turcorum miſit, an ſic ad fidem Chriſti amplectendam poſſet permoveri: quæ legitur apud Bzovium. Profecturus tandem in bellum adverſus Turcos, deceſſit.]

1464. CCXX. *Paulus II. Venetus, ante Petrus Barbus.*

[Vir ſævus & inconſideratus, nec literis nec moribus clarus, voluptati, luxui, & ludis magis, quam rebus arduis deditus, ut Innocentiꝰ IV. pileo rubro, ita veſte coccinea & inſigni cucullo, purpuratos cardinales

nales inſignivit: Pomponium Lætum & Platinam in carcerem conjectos tormentis ſubjecit ſed innoxios: crucem contra Bohemos, infandis pollicitationibus additis, prædicare juſſit, ſed fruſtra: decimas ex eccleſiaſticis bonis per totam Germaniam poſtulavit: ſed, quia Fridericus III. imperator ſe in publicis comitiis ſtrenue oppoſuit, irrito conatu. Jubilæum ad annum XXV. retraxit. Sub eo rex Poloniæ Boruſſiam regiam ademit Cruciferis. Janus Pannonius ſic luſit in ejus cœlibatum:

Annal. p. 529. Plat. p. 305. 307. Lancell. Templ. Jud. l. 2. c. 2. n. 3. f. 141. Opmeer in Chronol. p. 422.

Pontificis Pauli teſtes ne, Roma, requiras:
Filia, quam genuit, ſat docet eſſe marem.
Sanctum non poſſum patrem te dicere; poſſum;
Cum video natam, Paule ſecunde, tuam.

His ſcommatibus motus, cum pulcram, ſed illegitime natam filiam ante oculos ſibi cerneret verſari, dicitur de acerbitate legis cælibatus cum amicis expoſtulaſſe, & de conjugio ſacerdotibus reſtituendo conſilia agitaſſe: quæ tamen, morte per apoplexiam præventus, exeqvi non potuit.]

1481. CCXXI. *Sixtus IV. Ligur antea Franciſcus Ruvereus vel Ruerius, Ordinis Minorum, piſcatoris F.* *13*

[Viſus eſt Romam ex lutea lateritiam reliquiſſe, & Jubilæum ſeptimum celebravit. Bella geſſit plurima contra Turcos, Volateranos in Hetruria, Nicolaum Tifernatem, Ferdinandum regem Siciliæ, Venetos, Florentinos, quorum ducibus Medicæis excommunicatis ſicarios immiſit, archiepiſcopum Piſanum, Poggium, & alios, qvorum nonnulli, è feneſtris ſuſpenſi, laqveo ſuffocati ſunt. Bibliothecam Vaticanam annuis proventibus dotavit: Bonaventuram canoniſavit: variis ædificiis Romam exornavit: Fridericum, ex ſtemmate dominorum de Montfeltrio, primum Urbini ducem proclamavit: munera ſeu officia, quæ antea piis & doctis viris gratis tribuebantur, pecunia vendidit. Cum controverſia de immaculata B. virginis conceptione multis ab annis inter Dominicanos & Franciſcanos eſſet agitata, qvam hi ex Scoto affirmabant, & patres Baſilienſes nuper etiam in concilio aſſeruerant; illi ex Thoma negabant: huic rei libere diſceptandæ licentiam utrinqve permiſit. Platina illi vitas pontificum dedicavit. Sub eo, anno cIↃCCCCLXXIIX *inqviſitio Hiſpanica* inſtituitur contra Mauros & Judæos, ſe pro Chriſtianis in Hiſpania gerentes. Cornelius Agrippa & Weſſelus Groningenſis ſcribunt, eum Sodomiam ſeu maſculam Venerem tribus menſibus æſtivis conceſſiſſe Cardinalibus, & lupanaria erexiſſe. Noti ſunt de eo verſus Johannis Sapidi:

Onuphr. Panv. p. 532. Bzov. T. 18. An. init. Polyd. Vergil. l. 8. de Invent. pag. 612 Sabell. cap. 10. Enn. 7. col. 985. 991. Egnat. l. 6. exempl. p. 203.

Sixte, jaces tandem: deflent tua buſta cynædi,
Scortaq; lenones, alea, vina, Venus.

Alter filiorum Petro Cardinalitiam dignitatem; alteri Hieronymo Forum-Julium donavit, expulſo inde legitimo domino.]

1484. CCXX I. *Innocentius IIX. Genuenſis, antea Johannes Baptiſta Cybo.* 8

Volat. l. 22. p. 520. Bergom. l. 16. f. 427. Panv. Append. ad Plat. p. 327. Opmeer. Chron. p. 452. Bzov. ad A. 1486. p. 280. & A. 1492. n. 15. ſeqq. p. 359.

[Omnibus blandus, nemini liberalis, vita publicis rebus, *ut Guicciardinus ait*, inutili: ſub quo Urſinorum cum Columnenſibus bella cœperunt. Ipſe autem, Ferdinando rege oppugnato & excommunicato, inhiavit regno Neapolitano: cui tamen Florentini ſuppetias miſerunt, ut pontifici facile reſiſteret. Marullus de eo ſic luſit:

Octo nocens pueros genuit, totidemq; puellas.
Hunc merito poterit dicere Roma patrem.
Spurcities, gula, avaritia atq; ignavia deſes,
Hoc, Octave, jacent, quo tegeris, tumulo.

Sannazarius ſic de eo lib I. Epigrammatum:

Innocuo priſcos æquum eſt debere Quirites:
Progenie exhauſtam reſtituit patriam.

Tempore ejus ex Hiſpania octingenta millia Judæorum edicto regio pulſa ſunt, auro & gemmis relictis. Filio Franciſco, oppidis nonnullis ditato, virginem Medicæanam; filiæ Theodorinæ civem qvendam Genuenſem opulentum matrimonio junxit. Cum ærarium per ſumtus bellicos eſſet exhauſtum, ut pecuniam colligeret, plumbatores bullarum, Secretariorum collegium, præſidentes Ripæ inſtituit, qvæſtus gratia, venditis ſingulis certo pretio, *dicente Spondano ad ann. 1485.* Hoc tempore *Johannes Picus Mirandulanus*, juvenis XXIV. annorum, nongentas concluſiones de humanis divinisqve rebus, diſputandas publice, propoſuit: quarum aliqvas cum Innocentius damnaret, ipſe eas prolixa apologia defendit, ut legere eſt in ejus operibus. Hic papa Carolo, regi Galliarum, poteſtatem divortii cum uxore deſponſata, Margareta, filia Maximiliani dedit, & ejusdem raptum, qvo ſponſam ejusdem Maximiliani Annam Britannicam vi rapuit, probavit.]

Bzov. Tom. 18. An. p. 559. usq; 564. Volat. pag. 521. ſeq. Sabell. 10. Enn. 9. col. 1069. Rubæus 7. Hiſt. Raven. p. 402. Machi-

1492. CCXXIII *Alexander VI. Valentinus Hiſpanus, antea Rodericus Borgia, Calixti III. nepos ex fratre.* 11

[Ante Alexandri VI. tempora, principes & civitates Italiæ, dicente Machiavello, pontificis autoritatem in profanis parvi æſtimarant. Et ſi enim in multis jam provinciis, quas partim Pipini & Caroli M. partim

tim Mathildis dono tenebat, potentiam ſibi ſtabilierat, in imperatores etiam & alios reges ſubinde iniquis cenſuris ſævierat, nimiumque juris ſibi in illos, quaſi eccleſiæ beneficio gubernarent, vindicarat, urbisqve Romæ dominium tandem ad ſe rapuerat: proceres tamen Romani, in duas factiones *Urſinorum & Columniorum* ſcisſi, quicquid pontifices ante Alexandrum VI. conati fuerant, armis inter ſeſe mutuo confligantes, impediere, & remp pontificiam in Italia infirmam reddidere. Hic autem pontifex artibus Machiavelliſticis exacte imbutus, unus omnium, qui unqvam fuerunt pontifices, oſtendit, quantum reſpublica ſacerdotum, pecuniarum & virium potentia valeret. *Quatuor filios & filiam in Cardinalatu genuerat.* Primum *Petrum* conſtituit ducem Gandiæ, quem auro redemerat. Illi defuncto ſubſtituit tertium *Johannem*, eiq; nuptias cum Maria Arragonia, Alphonſi II. regis Neapolitani filia notha, conciliavit: Qvartum *Gothofredum* curavit ab eodem Alphonſo II. generum, per alteram filiam, nothum per notham adſciſci, & principatu Sqvilatii donari. Filiam *Lucretiam Hiſpano cuidam* dederat in matrimonium. Sed illi ereptam elocavit primum *Joh. Sfortiæ*, Piſaurienſi principi: deinde, ne nothis fœminis nothi viri ex iisdem adulteris deeſſent, *Aloyſio Arragonio*, Alphonſi II. filio illegitimo eadem elocavit. Hoc à Cæſare Borgia, leviro, interfecto, filiam quartis nuptiis *Alphonſo Eſtenſi*, Ferrariæ duci, in torum ſociavit. *Cæſar ille Borgia* erat filius Alexandri VI. ſecundo genitus. Sed pater eum falſis teſtibus legitimum alterius filium comprobatum, in numerum purpuratorum recepit. Eum deinde rex Galliæ, voluntate patris, data illi uxore Carlota, Johannis Navarræ ſorore, in Delphinatu ducem Valentinum creavit. Unde apud hiſtoricos plerumque nomine *Valentini* venit. Hunc diſcupiebat ſacer pater majori aliqva potentia ita auctum, ut à neminis nutu penderet. Omnes igitur Ordines Italiæ turbandi, & res omnium confundendæ erant. Antea Hiſpano, Venetis & reliquis Italiæ principibus ſociatus, Carolo IIX. regi Gallorum impedimento fuerat, ne occuparet regnum Neapolitanum: ſed eo adactus, ut poſt Romam in Gallorum poteſtatem redactam certis ſe illi conditionibus obligaret, filio poſtea ejus Ludovico XII. autor fuit, ut Italiam armis repeteret. Hac occaſione Cæſar Borgia Columnios Urſinorum armis attrivit: Urſinos deinde ipſos potentia exuit: Urbinatium potentiam occupavit: Flaminiam armis etiam ſibi peperit: omnium, quos diſpoliarat, nobilium totam ſtirpem, ne noceret, paucis elapſis, exſcidit: & jam totius Hetruriæ principatum affectabat. Jam Peru-

Avell. de Principe c. 18. Onuphr. Panvin. Append. ad Plat. p. 331. Thuan. l. 36. p. 304.

ſini cum Trajano portu in ejus ditionem conceſſerant. Jam Piſani Lucenſes & Senenſes in fidem & clientelam ejus ſeſe contulerant. Nec jam ullus erat Florentinis elabendi locus. Sed, cum in portu ſe putaret navigare pontifex pater, ſubito in fata concesſit: filius Borgia autem, qui nondum ſatis probe imperium firmarat, cum jam ſimul Gallos & Hiſpanos, patris etiam in pontificatu ſucceſſorem, haberet infeſtos, omnibus fortunis dejectus eſt: dignus, quem Machiavellus ab egregiis artibus Machiavelliſticis *in libro de principe cap. 7. & 11.* tanquam exemplar commendat. Cæterum Alexander III. ante omnia hoc egit, *ut nunquam aurum deeſſet.* Annum igitur Jubilæum, octavo indictum, in alterum annum prorogavit, & ex his ſacris nundinis CCC. millia coronatorum collegit: quia & ſi qvi Romam venire non potuere, illis concesſit, ut alibi per commiſſarios, Fratres ordinis Minorum, venia delictorū impetraretur. Tributum quoqve ſacrum in expeditionem contra Turcas impetravit, ſub fraudulenta indulgentiarum promisſione. Nec Judæi, nec clerus ab hac rapina exemti fuere. Hic ad decimas ſolvendas; illi ad ſubſidia damnabantur. Interim Borgia, cum aliquando centena amplius millia luſu aleæ perdidiſſet, jocari poterat, *Germanorum peccata ſe perdidiſſe.* Durante adhuc Jubilæo, inter ipſa ſacra corporis Chriſti pontifex apoplexia eſt caſtigatus, & paulo poſt, tubo vaporario ſupra cœnaculum vehementi procella everſo, lethaliter ſauciatus; alii ad ejus pedes exanimati. Vindicavit ſcilicet DEUS impietatem hominis, qui peccatorū indulgentias aliis impertiit, & ipſe ſe variis inqvinavit ſceleribus. Cardinales, quos, ut eligeretur, auro & ſacerdotiis repromisſis corruperat, poſtea miris modis vexavit: Zizymū, regem Turcorum, à fratre Bajazethe pulſum, ſibiqve à Rhodienſibus, ut à furore fratris eſſet tutior, commiſſum ingenti auri pondere, cum perpetuo nominis Chriſtiani opprobrio, eodem die vivum & mortuum vendidit: Navarram à Gallo in Hiſpanum tranſtulit: Ferdinandum Hiſpaniarum regem, principem catholicum, quaſi nemo aliorum regum eſſet catholicus, eſſe jusſit: novum orbem, ſed non ſuum, eidem donavit: Hieronymum Savanorolam, celebrem à donis extraordinariis concionatorem, quia ſcelera ipſius publice reprehenderat, ad rogum damnavit. Wolfius ex multis chronicis in Memorabilibus ſuis teſtatur, hunc eſſe illum magum, cui cacodæmon, arte magica evocatus, XIIX. annos papatus promiſerat, & deinde anno XI. primum papæ, deinde veredarii habitu apparens, horam mortis ipſi inſtare nunciavit: *homo,* ut Onuphrius teſtatur, *ad exi-*

timo

tium Italiæ natus, perfidia plusquam Punica, ſævitia immani, avaritia immenſa, mulieribus maxime addictus. & ut Jovius ait, *in religionis cauſa probroſus. Non ſinceritas in homine,* inqvit Guicciardinus, *non pudor, non veritas, non fides, non RELIGIO, ſed inſatiabilis avaritia, ambitio immoderata, crudelitas plusquam barbara, & ſitis ardentisſima ſuos, qui non pauci erant, filios quoqvo jure, qvaqva injuria, evehendi.* Non igitur ſine cauſa meruit hoc elogium:

Vendit Alexander ſacramenta, altaria, Chriſtum.
Emerat ille prius: vendere jure poteſt.
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Conſentit Sannazarius lib. 1. Epigrammatum:

Pollicitus cœlum Romanus ad aſtra ſacerdos,
Per ſcelera & cædes ad Styga pandit iter.

Idem in Alexandrum & Lucretiam lib. II. ſic luſit:

Ergo te ſemper cupiet, Lucretia, Sextus?
O fatum diri nominis! Hic pater eſt?

Joh. Jovian. Pontanus hunc tumulum condidit Lucretiæ:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thaïs, Alexandri filia, nupta, nurus.

Tandem immanis homo, qvem aſinus Papaſinus in Tiberi inventus graphice repræſentavit, cum opulentisſimum quemq; in aula ſacerdotem, & in his aliquos Cardinales cæteris ditiores veneno tollere conſtituiſſet, ut eorum opibus in fiſcum redactis potiretur, fatali pincernæ errore, ſibi mortem acceleravit. Filius ejus Borgia venenum eodem errore una biberat: ſed incluſus mulæ, recens exenteratæ, ſervatus defuncto patre Alexandro VI. agmen duodecim millium armatorum coegit, & conclave, in quo Patres de novo pontifice creando conſultabant, ut ad ſuum arbitrium novi papæ electionem revocaret, obſedit. Sed tumultu populi ob id exorto, urbe exceſſit, & paulo poſt à Pio II. cuſtodiæ mancipatus eſt: unde tamen eum poſtea Julius II. dimiſit. Poſt hoc tempus in Hiſpania glande trajectus periit.]

1503. CCXXIV. *Pius III. Senenſis, antea Franciſcus Piccolhomineus, Pii II. ex ſorore nepos.* Volat. l. 22. fin. p. 524. Guicciard l 6. Hiſt. Ital. p. 202. usq; 204 Bzov Tom 18. Ann. p. 618.

[Jam ſenio debilitatus, conſcendit thronum, & poſt XXVI. diem ex ulcere cruris obiit.]

Lang. in Chron Citiz. 889. Chaſſan. Catal. glor. Mundi Conſ. 54. p. 126. Egnat. 1. Ex. p. 14. Binius 4. Concil. 2. à p. 2. usq; ad p. 134. Goldaſt. Tom. 1. p. 421. Spigel. Schol ad lib. 3. Æn. Sylvii Parall. pag. 284.

1503. CCXXV. *Julius II. Ligur, Sixti IV. ex fratre nepos, antea Julianus Ruerius ſeu Ruvereus.* 9¼

1512. *Martinus contra Julium, multorum facinorum reum, in concilio Piſano, in XXXI. ſchiſmate electus.*

[Quia jam, Alexandri VI fraude & artibus, Romæ partim extincti, partim attriti erant, qui obſtare poterant, nempe Urſini & Columnii: reſpublica interim pontificia Flaminiam, qvam Borgia ſibi armis pepererat, *Petri Patrimonio adjecerat*, & ita mirum in modum evecta erat: majora jam animo agitavit pontifex, Bononiam ſacro imperio adjungere, Venetos delere, Gallos Italia excludere conatus. *Guicciardinus* vocat eum ſuſcitatorem actionum extinctarum, ebrioſum, deliciis voluptatibusque innutritum. Totum orbem terrarum implicuit bellis, miles alioqvin infelix. Ravennam tamen & alia loca à Venetis occupata, ſedi Romanæ reſtituit armis. Paulo poſt cum Venetis adverſus imperatorem Maximilianum, contra fidem coram imperii Ordinibus ſanctiſſimè datam, conſpiravit, Petriq; clave in Tiberim projecta, immani voce dixit: *Quia clavis Petri amplius non valet, valeat gladius S. Pauli.* Sed ecce vindictam! Cum à rege Gallorum, Ludovico XII titulum Chriſtianiſſimi regis in Angliæ regem Henricum IIX. tranſtuliſſet, Johannem regem Navarræ, tanquam Gallis faventem, excommunicaſſet, & regnum Navarræum Ferdinando catholico regi Hiſpaniarum addixiſſet, ipſeque jam ducem belli ageret, & omnis pacis conditiones reſpueret: tanta affectus eſt clade, ut inde intelligeret, pontifici non tam gladio, qvam clavibus belligerandum eſſe. Quin &, cum pontifex in concilio Lateranenſi temere eum ſacris prohibuiſſet, ſynodo præſulum regni convocata Lugduni, ipſum in jus vocavit: deinde autoritate quorundam cardinalium, Mediolani congregatorum, concilium Piſis indixit, & pontificis inanes diras contraria obnunciatione, poſt alium à cardinalibus papam *Martinum* electum, generoſe revicit: numos etiam aureos cum hoc elogio cudit: *Perdam Babylonis nomen:* aperte conteſtatus, ſe Romam pro Babylone habere. Franciſcum Mariam ſuum ex fratre nepotem, hic pontifex creavit Ducem Urbini tertium: Mutinam eripuit *Ducibus* Ferrariæ & Maximiliano imperatori ceſſit: *Philippo I* regi Hiſpaniarum autor fuit, ut omnes Mauros ad IX. centum millia, regno ejiceret. Votum illius fuit, *ut ſacerdotibus curatis autoritate concilii uxores redderentur, teſte Luthero Tom. I. Lat. pag. 511,* ſolitusque eſt frequenter dicere, indignum eſſe, Levitas ſervire, qvos cæteris imperare oporteret. Onuphrius eum filiam Felicem Johanni Jordani Urſino elocaſſe teſtatur.]

1513.

1513. CCXXVI. *Leo Decimus: cujus hiſtoriam, tot tantiſq; ſceleribus recenſendis nunc prorſus defatigati, eccleſiæ ætati ultima reſervamus.*

XV. *Etſi ſcio, te ſolere, enumeratis pontificibus, artes, quibus ad Papatum aſcenderint, deſcribere, ei tamen labori te ſuper ſedere poſſe arbitror, cum quicqvid artium exercuerint, ex dictis appareat.*

Conſ. Joach. Urſini Specul. Jeſuit. & Rom. Pont. Perfidiam, Inſolentiam & Tyrann. VVolffii Tom. 2. Lect. Memorab. Cent. 15. pag. 112.

Minimam tamen partem me dixiſſe ſcias. Sufficit interim, noſſe, ex arbitrio Vejovis Romani res non eccleſiæ ſaltem, ſed & regnorum tandem cœpiſſe dependere. Cum fulmine excommunicationis in quosvis ſuæ libidini reſiſtentes debacchare tur: ceremoniarum fuco & miraculis fictis, cultuque ſanctorum & reliquiarum ſuperſtitioſo, ſimplices hominum mentes dementaret: civilib9 negotiis à ſuo officio alienis ſe implicaret: more principum & regum ſatellitio ſuo ſtipatus incederet, nec arma detrectaret: imprimis, cum ſupra eccleſiam & concilia ſe evectum ab omnium judicio eximeret, & dominatu in eccleſiaſticos tyrannico, atq; poteſtate transferendorum imperiorum ſibi adſcripta, omni magiſtratu ſuperiorem ſe diceret; qvis tandem erat, qui tanto monarchæ non pedes tantum oſculari, ſed & quævis alia ſervitia præſtare non cogeretur? Vendicavit enim ſibi jus creandorum & deponendorum regum atq; imperatorum, divitiasqve mundi cara epiſcopatuum & palliorum venditione, larga indulgentiarum promisſione, avara decimarum, annatarum, & vectigalium ſacrorum corraſione, pecuniarum ob ſimulatam in Turcos profectionem conqviſitione, falſa credulorum perſuaſione, ad ſe rapuit. Tam dirus tandem illum faſtus incesſit, *ut juberet non tantum ſe ſublimem ferri, ſed & omnes, cujuscunq; ſunt dignitatis, cum primum in ſui conſpectum pervenerint, diſtantibus ſpatiis, ter genuflectere & pedes ſuos oſculari*, cum tamen in populo Dei pontifex maximus regem veneraretur, & venienti ad ſe ſedem, ipſe ſtans concederet: ipſeque Dei legatus Nathan coram rege, ſpecie honoris, prono ore in humum procumberet. Tunc hæc ambitio demum cœpit pontifices Romanos efferare, cum *Hildebrandina factio* eos, qui pro autoritate imperatoris, contra ſacrorum præfectos aſſerenda, depugnabant, vi & fraude oppresſiſſet. Tempore certe Caroli M. papæ non exegere pedum oſcula, nec admiſere, ut *Wolffius tom. II. lect. memorab. cent. 15. pag. 112.* memorat. Vera ſunt, quæ Guicciardinus hiſtoricus Italus lib IV. hiſt. quondam de dominio pontificis affectato cenſuit:

ſuis: per adulatores quidem Romanæ tyrannidos expuncta, ſed per P. Pithæum reſtituta: digna, quæ hic legantur: *Ad terrenam potentiam pontifices elati, ac ſenſim animarum ſalutis, divinorumq; præceptorum obliti, atq; ad mundana imperia omni cogitatione converſi, nec divina autoritate alio, quam quaſi telo & inſtrumento rerum fragilium, abutentes, principes potius gentium, quam rerum ſacrarum pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negotia non jam vitæ ſanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, ſed exercitus, ſed bella in Chriſtianos, cogitatione & manibus ſanguine reſperſis, ſacra tractantes; ſed pecuniæ immenſa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ inſidiæ ad pecuniam undiq; cogendam. In hunc finem audacisſime arma cœleſtia vibrare: profanarum ſacrarumq; nundinationem impudentisſime exercere. Hinc opes in immenſum adaucta, & in totam ipſorum aulam effuſæ; ex quibus faſtus, luxus, mores turpisſimi, libidines, voluptatesq; nefandæ: nulla de ſucceſſoribus cura, nulla majeſtatis perpetuæ pontificatus ſollicitudo: ſed horum loco, cupido anxia & peſtifera, filios, nepotes, item alios ſibi conjunctos & neceſſarios, non modo ad opes immoderatas, verum etiam ad regna & imperia vehendi: non jam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, ſed plerumq; auctionando, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo. His moribus effectum eſt, ut, exceſſi penitus ex animis hominum illa vetere erga pontifices reverentia, tamen ex parte eorum autoritas, religionis (qua nihil in terris ad homines vel impellendos vel retinendos potentius invenitur) nomine & majeſtate, facultate, qua pollent, principibus atq; iis, qui apud illos maxime poſſunt, ſacris beneficiis & honoribus conferendis, gratificandi adjuta, ſuſtentetur. Qui, cum ſciant, magna ſe in admiratione mortalium eſſe: & qui adverſus eos arma ſumunt, eos gravis infamiæ notam, & ſæpenumero aliorum principum odia ſubire: ac, quomodocunq; res cadat, per exiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare: & victores ex ſuo arbitrio victoria uſuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: adhæc, ſuos propinquos ex privata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum autores, novorumq; incendiorum faces in Italia extiterunt.*

Quanquã autem ſingulis ætatibus multi inveniebantur, qui teſtimonio veritati dato impietatem pontificiam improbabant: prævaluit tamen quæſitus in eccleſias dominatus, ut ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Imprimis dominium pontificis promoverunt *IIX. archiepiſcopales ſeu metropolitanæ ſedes in Germania*, ad formam VII. electorum inſtitutæ: quæ ſingularibus dignitatibus, juribus & opibus, aliis etiam epiſcopatibus ſub-

jectis,

jectis, auctæ & illuſtratæ, ipſis imperatoribus, nedum principibus, factæ ſunt terribiles: Moguntina videlicet, Colonienſis, Trevirenſis, Magdeburgenſis, Salisburgenſis, Bremenſis, Rigenſis. Accrevit etiam in immenſum *aliorum epiſcoporum, prælatorum & abbatum poteſtas.* Illi quondam, divinis intenti, regimen provinciarum commiſerant comitibus & præfectis, ab imperatoribus & regibus conſtitutis; bella ducibus, ſeculum ſecularibus. Sed poſtquam imperatores tyrannidi pontificum ſuccubuere: jus ſeculare epiſcopi ſibi etiam cœperunt vendicare, limites quaqva verſum producere, vectigalia imperare, gladio accingi. Ex *Canonicorum collegiis* verbi divini explicatio transferebatur in *academias*; munus concionandi in *monachos*; diſpenſatio Sacramentorum in *ſacrificulos indoctos*; diſciplina eccleſiaſtica in *officiales*; clericorum examen & ordinatio in *ſuffraganeos.* Ipſi inſtar principum dominari: imo illis primum locum præcipere: delicatum vivendi genus ſequi: id unice eniti, ut nutui papæ, tanquam monarchæ eccleſiaſtico, ſe conformarent. Moguntino, loco cathedræ ſacræ, *archicancellariatus per Germaniam*; Colonienſi *per Italiam*; Trevarenſi *per Galliam* committebatur. Sprenger de Cincell. Rom. Præcipua cura cleri erat, corradere opes mundi. Et miris artibus illas ad ſe trahebant. Nullum adulterium; nullus inceſtus; non beſtialitas, non furtum, nec crimen adeo ſceleratum committi poterat, à quo non pontifex & epiſcopi, accepto ære, flagitioſisſimos abſolverent, divendita illis remisſione peccatorum. Legito hunc in finem *Taxam pœnitentiarum* ex libro, qui inſcribitur, *Gravamina oppoſita adverſus Synodi Tridentinæ reſtitutionem*. Et quid aliud ſperari poterat in eccleſia ab eo tempore, qvo Canoniſtæ cœperunt pontifici plenisſimam tribuere poteſtatem, quæ in univerſum orbem, & in omnes principes & reges cum in rebus eccleſiaſticis, tum in civilibus ſive directe, ſive (ut Bellarminus poſtea docuit) indirecte ei competat?

XVI. Progredi nunc tandem lubet ex hoc vaſto mari ad ſcholas: in quibus erigendis non contemnenda fuiſſe hominum in hac ætate cura videtur.

Quemadmodum nullum unquam fuit ſeculum, in qvo non viris doctis & ſapientibus multum honoris novimus eſſe tributum: ita cum præcipua in orbe dignitas eſſet in Germanos translata, noluerunt illi literis debitum honorem detrahere; ſed potius omnibus viribus annisi ſunt, ut ſcholæ publicæ, majoribus immunitatibus exornatæ, facilius

Himmel. de Orig. Scholar.

invenirent, qvi ſapientiæ ſtudio initiarentur. Jam ſuo tempore *Julius Ceſar & Auguſtus* liberalium artium doctores civitate donaverant, ut illis, ex hoc jure Quiritum, non ſolum Privilegia civis Romani, quoad immunitates à graviſſimis mercatorū, militiæ & cenſitorum muneribus, ſed & tituli dignitatum, laticlavium, aureus anulus, ſeſſio & ſtatio primaria accederet. *Veſpaſianus* præterea, *teſte Svetonio*, è fiſco Latinis & Græcis rhetoribus annua centena i.e. quingentos amplius Philippæos conſtituit. Philoſophis *Marcus Antoninus*, ſecundum Julium Capitolinum, per omnes provincias ſtipendia conceſſit. *Conſtantinus M.* imprimis, in religione promovenda magnum eſſe literatorum uſum non ignarus, dignitatem eorum multum amplificavit. Et ab hoc tempore paſſim ſcholæ erant publicæ in provinciis, earumq; profeſſoribus larga conſtituebantur ſalaria. Præcipuæ fuera *Conſtantinopoli*, *Athenis*, *Antiochia*, *Alexandriæ*, *Maſſiliæ*, *Laodiceæ*, *Beryti*, *Nicomediæ*, *Mediolani*, *Cæſarea*: qvæ tamen in VI. & VII. ſeculo, propter barbarorum irruptiones, pene omnes deſolatæ & deletæ ſunt. Omnis interim eruditio ceſſit in *monaſteria Benedictinorum*. Carolus M. cum ſibi intelligeret ſummam rei Chriſtianæ curam incumbere, præter *Pariſienſem*, *Toloſanam & Papienſem academiam*, plurimos epiſcopatus per Saxoniam devictam, & alibi, fundavit, & eos certis, ceu vocant, *Capitulis* diſtinxit, quæ eſſent virorum doctorum receptacula, & juventutis literatæ aſceteria & ſcholæ. Sed cum, eo defuncto, variæ lites de collatione epiſcopatuum imperatoribus à pontificibus Romanis intenderentur, & in inteſtina bella & luxum orbis Chriſtianus dilaberetur: factum eſt, ut literarum cultus in Capitulis paulatim intercideret, & interim *in Arabia* egregiæ à Saracenis ſcholæ aperirentur: donec *Lotharius Saxo*, imperator circa annum cIↃCXXXV. *leges Romanas*, Latino ſermone ſcriptas in expeditione contra Rogerium regem Siciliæ inventas, per *Irnerium JCtum* in ſcholas revocavit, & jus ex iis doceri mandavit. Utque ei profeſſioni dignitates adhærerent, *Bononiæ* doctores juris curavit renunciari, & primus *jus Auguſtale*, qvo privilegia literatis tribui hactenus conſueverunt, ſcholæ conceſſit. Primi ergo interpretes juris Latini *Bulgarus*, *Hugolius*, *Martinus*, *Pileus*, doctores juris ſolenniter creati ſunt. Dignitatem eandem in aliis ſcholis etiam cœperunt, indultu imperatoris & pontificis, *theologi* affectare: & ſic *Petrus Lombardus* apud Pariſios primus doctor theologiæ renunciatus eſt. *Piſis* poſtea eadem gratia *Medicis* facta eſt. *Germania* adhuc cum barbarie colluctabatur, & qui à literis probe voluerunt eſſe inſtructi,

eos

eos oportebat in Galliam aut Italiam ſtudiorum gratia magnis cum ſumptibus ſeſe recipere. Proceres igitur Germaniæ obtinuerunt in concilio Baſilienſi, ut apud ſe quoqve regiæ ſcholæ aperirentur. Cumque in Italiæ Univerſitatibus non omnes Facultates, ceu vocant, proponerentur, ſed theologia alibi; alibi autem jurisprudentia aut medicina doceretur: ſtudioſe annitebantur, ut, quicquid hominem ab eruditione commendare poteſt, una in iisdem ſcholis doceretur: Hinc *quatuor illi in ſingulis Univerſitatibus Decanatus* originem trahunt. Hinc etiam illa differentia magiſtrorum & doctorum, antea ignota, exorta eſt. Univerſitates, quæ paſſim fundabantur, cathedris epiſcopatuum incorporabantur: quiqve palmam eruditionis meruerunt, illis Decanus cum Collegio dignitatum collationes ab *epiſcopis*, tanquam ſummo literatorum magiſtratu & *Cancellariis Academiarum*, quibus jus recipiendi appellationes à ſententiis Rectorum & Senatus Academici competit, impetravit. Ego interim, quia catalogus academiarum mihi nectendus eſt (*trivialium* enim numerus iniri nequit, ut nec *gymnaſiorum*) de iis *ſcholis regiis*, quas remotiori ætate conditas eſſe invenio, nunc non ero ſollicitus, ceu ſunt *Athenienſis*, *Romana*, *Conſtantinopolitana*, *Alexandrina*, *Maſſilienſis*, *Antiochena*, *Laodicena*, *Nicomedienſis*, *Cæſarienſis*, *Berytenſis*. Nec in ſcenam producam, quæ nunc temporis academiæ eſſe deſierunt, ut eſt *Legionenſis* (nunc *Sarisburgenſis*) quæ jam anno CCCCLXX. floruit in Britannia; *Lindiſarnenſis* in inſula Britannica, quam Osvvaldus Norhumbrorum rex anno IↃCXL. aperuit; *Bannachorenſis* in Britannia, quæ in monachorum cœnobium eſt permutata; *Dublinienſis* in Hibernia, anno cIↃCCCXX. inſtituta; *Glaſcovienſis* in Scotia, quam Boethius etiam pro academia habuit, & circa annum cIↃ.CCCLIV. conditam aſſeruit. Eumerabo ſaltem, in quibus noſtro adhuc ſeculo artes & literæ docentur. Namque

In Scotia inveniuntur duæ academiæ, *S. Andraana & Aberdonenſis.*

In Anglis tres, *Cantabrigienſis*, *Oxonienſis*, *Londinenſis*.

In Svecia tres, *Upſalienſis*, *Dorpatana*, *Aboenſis*.

In Dania una, *Hafnienſis ſeu Coppenhagenſis*.

In Polonia una, *Cracovienſis*.

In Bohemia una, *Pragenſis*.

In Tranſilvania una, *Claudiopolitana*.

In Germania LXXVII. numerari dicuntur: inter quas ſunt præcipuæ, *Altorfiana*, *Argentinenſis*, *Baſilienſis*, *Coloneinſis*, *Dillingana*, *Erfortenſis*,

Milddendorpius de Academ. Conring. de iisd. Felwing. de Acad. Alſted. in Chronol. Schol. n. 30 pag. 279.

Francofortana, *Friburgenſis*, *Gieſſena*, *Grypbiswaldenſis*, *Heidelbergenſis*, *Helmſtadienſis*, *Herbipolenſis*, *Jenenſis*, *Ingolſtadiana*, *Lipſiana*, *Marpurgenſis*, *Moguntina*, *Regiomontana*, *Rintelana*, *Roſtochiana*, *Salisburgenſis*, *Trevirenſis*, *Tubingenſis*, *Viennenſis*, *Witebergenſis*.

His adde *Lugdunenſem*, *Franeckeranam*, *Groningenſem*, *Lovanienſem*, *Duacenſem* in Germania inferiore; *Græcienſem* in Styria; in Lotharingia *Muſſipontanam*.

In Gallia innotuerunt *Andegavenſis*, vulgo Angiers, *Arauſionenſis*, *Avenionenſis*, *Aurelianenſis*, vulgo Orleans, *Bituricenſis*, vulgo Bourges, *Burdigalenſis*, *Cadurcenſis*, *Cadomenſis*, *Carpentoratenſis*, *Dienſis* ſeu Deenſis, *Dolana* in Burgundia, *Genevenſis*, *Gratianopolitana*, *Loſanenſis*, *Lugdunenſis* *Maſſilienſis*, *Montiſpeſſulana*, vulgo Monpelier, *Nannetenſis*, *Pariſienſis* ſeu Lutetiana, *Pictavienſis*, *Roanenſis*, *Sedanenſis*, *Toloſana*, *Valentina*, *Viſontina*.

In Italia florent. *Bergomenſis*, *Bononienſis*, *Ferrarienſis*, *Florentina*, *Mediolanenſis*, *Mutinenſis*, *Neapolitana*, *Patavina*, *Papienſis* ſeu Ticinenſis, *Peruſina*, *Piſana*, *Remenſis*, *Romana*, *Salernitana*, *Senenſis*, *Taurina*, *Venetiana*, *Veronenſis*. Vigorem autem amiſerunt *Anconitana*, *Gravinenſis*, *Maceratenſis*, *Parmenſis*, *Placentina*.

In Hiſpania numerantur XXII. inter quas præcipuæ ſunt, *Barcinonenſis* in Catalonia, *Cæſar-Auguſtana* in Arragonia, *Columbrienſis*, *Complutenſis* in Caſtilia, *Compoſtellana* in Gallæcia, *Conimbricenſis*, in Luſitania, *Eborenſis* ibidem, *Gandiana* in Valentia, *Granatenſis*, in Bætica, *Hiſpalenſis*, *Ilerdenſis*, *Leridenſis*, *Majoricenſis*, *Oſtana*, *Oſſunenſis*, *Pincianenſis*, *Salmanticenſis*, *Seguntina*, *Toletana*, *Valentina* in Edetanis, *Valliſoletana*, *Veſcana*. Quibus adde *Mexicanam* & *Limenſem* in India occidentali, *Catinenſem* & *Panormitanam* in Sicilia, *Calaritanam* in Sardinia.

Ut autem ſcias, quo tempore præcipuæ academiæ in Europa conſtitutæ ſint, ſequentem ſyllabum adjungere lubuit.

A.C. 423. *Bononienſis*, vulgo *Bologna*, in Romandiola à Theodoſio juniore condita, poſtea à Carolo M. annno 790. reſtaurata Seculo demum XVI. cœpit in ea doceri jus Romanum; ſeculo XIV. theologia. Pius II. anno 1460. egregiis eam privilegiis dotavit.

630. *Cantabrigienſis*, à Cantabro rege inſtituta: à Sigeberto rege Angliæ reſtaurata: ſeculo XV. variis collegiis aucta.

Pariſienſis ſeu Lutetiana ad Seqvanam, à Carolo M. conſilio præceptoris Alcuini ſeu Flacci Albini, theologi è Scotia evocati, fundata: ſub

ſub Capetingis deinde regibus majora incrementa, & tandem ſeculo XIII. faciem Univerſitatis nacta, cum anno 1253. *collegio Sorbonenſi* ampliaretur, quod *Robertus Sorbona*, theologus, S. Ludovico admodum carus, inſtituit. Memorabile eſt, quod, quia initio ſchola Pariſienſis in hunc finem fundata eſt, ut artes in ea liberales docerentur, hodienum ejus rectoratum ſoli philoſophiæ profeſſores obeant. Reges Francorum, teſte Spondano ad ann. 1394. eam olim conſueverunt filiam ſuam primogenitam vocare.

791. *Toloſana* in Gallia, à Carolo M. condita & ſeculo XIV. reſtaurata.

794. *Papienſis ſeu Ticinenſis* Infubrium, in Lombardia à Carolo M. erecta: à Carolo IV. anno 1361. reſtaurata. Carolo M. cum neminem Græcæ linguæ peritum haberet, qvi legatis Conſtantinopolitanis reſponderet, data eſt occaſio variis ſcholis privilegia concedendi: inter quas etiam fuit *Oſnabrugenſis*, ut teſtatur *Cranzius libro primo Metrop. cap. 11.*

800. *Lugdunenſis* ſeu *Leodienſis* in Gallia ad Rhodanum, tempore Lyſandri olim à Græcis exulibus adornata, & novarum Athenarum nomine appellata, hoc etiam tempore reſtaurata eſſe videtur.

872. alias 895. *Oxonienſis* in Anglia, Neoto Benedictino monacho hortante, ab Alfredo rege Angliæ doctiſſimo, condita, ut habet Polydorus libro V. confirmata ab Adriano pontifice, & ita aucta, ut XVI. collegia in ea ſint extructa. Circa hoc tempus etiam Egbertus, Eboracenſis epiſcopus, *Eboraci* publicam ſcholam inſtituit.

910. *Lovanienſis* in Brabantia condita, & poſtea anno 1426. à duce Brabantiæ Johanne amplificata, & à Martino V. pontifice confirmata eſt.

1181. *Pictavienſis*, Juris ſcientia, cum antea jam fundata eſſet, magis inclaruit, & poſtea à Carolo VII. rege Galliarum amplius anno 1430. dotata, perqve Capnionem & Longolium celebrior facta.

1166. *Montiſpeſſulana*, vulgo Mompelier, in Gallia, monumentum Philippi II. regis Galliarum: qui ibi jus Romanum doceri conſtituit. Circa hæc ipſa tempora etiam *Salerni* in Picentibus ſchola medica à rege Rogerio eſt adornata, cum jamdudum res medicæ in vicino *monaſterio Caſſinenſi* floruiſſent.

1215. *Neapolitana* à Friderico II. privilegiis munita: aliis temporibus à diverſis inſtaurata & reſtituta. Et quia hoc XIII ſeculo jus demum pontificium eſt conditum, paſſim illud ab hoc tempore autoritate papæ in academias eſt introductum.

Calviſ in Chronol. hoc A. 1221. *Patavina* ſeu *Pataviensſis, Paduana & Ticinenſis* in marchia Tarviſana, in odium Honorii papæ & contumeliam Bononienſis academiæ, à Friderico II erecta: qui illuc privilegia Bononienſium tranſtulit, Urbano IV. id poſt XL. annos comprobante. Nonnulli tamen hanc à Carolo eſſe conditam ajunt.

1221. *Ferrarienſis* itidem à Friderico II. in contumeliam Bononienſium inſtituta, & à Bonifacio IIX confirmata. Hanc Volaterranus tamen dicit anno 1316. à Ferrariæ marchione Alberto fundatam.

1227. *Bituricenſis* Ludovico Sancto & Carolo Ludovici XI. fratri ſua debet ornamenta.

Bucholz. in Chron. hoc A. 1235. *Upſalienſe* collegium Ericus Balbus rex fundavit, in quo qvatuor profeſſores liberali ſtipendio docerent. Annis poſtea CCXLI. Steno Sture, gubernator regni, illud inſtauravit & amplificavit, impetratis à Sixto IV. anno 1476. academiæ privilegiis. Guſtavus Adolphus hanc academiam amplis prædiis dotavit, & pro LXIV. Studioſis ſtipendia regia; pro aliis centum alumnis victum publicum conſtituit, & præterea Dorpatanenſem academiam, quatuor alia gymnaſia in quatuor eccleſiis catholicis, ut & ſcholam in Lapponia, adornavit.

1279. *Conimbricenſis* in Luſitania, à Dionyſio IV. Portugalliæ rege, aperta.

Func. & Calviſ. h. A. 1236. *Viennenſis* à Friderico II. ex Romana & Lutetiana adornata, poſtea anno 1361. à Rudolpho, & anno 1366. ab Alberto II. Auſtriæ archiducibus reſtaurata, & ab Urbano confirmata. Ante Viennenſem in Germania floruit *Trevirenſis*: ſed incertum, quo anno condita. Jam tempore Gratiani ibi ſtudia floruere.

1290. *Peruſina* in Hetruria, ut Middelburgenſis ex Bartolo probat, florere cœpit ſub Nicolao IV.

1307. *Avenionenſis* ad Rhodanum, vulgo *Avignon*, condita, poſtqvam Clemens V. ſedem Roma Avenionem tranſtuliſſet.

Oſiand. Cent. 14. l. 1. c. 4. init. 1312. *Aureliana* ad Ligerim, vulgo Orleans, à Philippo Pulcro Galliarum rege & Clemente V. adornata. Quo ipſo anno *Viennæ in Gallia* in concilio eſt decretum, ut Hebræa & aliæ orientales linguæ in ſcholis publicis docerentur, ad Saracenos facilius convertendos.

1320. *Cadurcenſis*, à Johanne XXII. patria Cadurco, cum in Galliis ſederet, inſtituta.

1339. *Piſana*, in Hetruria adornata; quam Laurentius Medices Petri F. renovavit, & nobiliſſimâ qvondam urbem ad ſolatium veteris amiſſæ liber-

libertatis, novo decore ac externæ juventutis frequentia recreavit. *Jovius libro 1.*

1346 *Heidelbergenſis*, à Ruperto Rufo, electore Palatino & duce Bavariæ, ſub Ludovico Bavaro, imperatore ad normam Pariſienſis condita, & anno 1387. confirmata. Paræo Hiſt Palat. pag. 281.

1360. *Pragenſis* in Bohemia à Carolo IV. imperatore fundata. Hanc cum Germanica imprimis natio regeret & adminiſtraret, Bohemi à Caroli IV. filio Wenceslao impetrarunt, ut eam more Pariſienſium ſibi gubernandam committeret. Germanorum igitur duo amplius millia, (Bzovius habet 24000.) quibus hac re magiſtratus ſcholæ abrogatus eſt, uno die Lipſiam abiere, & novam ibi ſcholam anno 1409. aperuere. Bohemis nova ſcholæ adminiſtratio tam commode ceſſit, ut ductu Johannis Husſi, qui in ea facile princeps fuit, iis lux veritatis paulo poſt innoteſceret. Anno hujus ſeculi XXI. academia hæc patribus ſocietatis Jeſu à Ferdinando II. eſt conceſſa. Oſiand. l. c. lib. 4. cap. 2. Func. Chronol. f. 159.

1364. *Cracovienſis* in Polonia à Caſimiro II. rege fundata, & ab Uladislao Jagellone anno 1400. locupletata, accerſitis illuc è Pragenſi profeſſoribus. Func. l. c. Oſiand. cent. 14. l. 3. cap. 3.

1387. *Senenſis* in Hetruria, à ſenatu inſtituta, poſtea à Pio II. mirum in modum aucta & exornata. Floruerat jam anno 130. ſed poſtea collapſa eſt.

1388. *Colonienſis*, cum ab antiquo habuiſſet gymnaſium, cura & opera Senatus, privilegia academiæ ad normam Lutetiæ, ab Urbano VI. accepit, à Thoma Aquinate & Alberto M. celeberrima. Func. Chron. f. 160. Oſiand. l. c. p. 435.

1391. *Erfurdiana* in Thuringia, olim anno 650. à Dagoberto Francorum rege adornata, accepit academica privilegia, Bonifacio VI. indulgente, ut theologiæ in ea eſſent doctores, ne hæreſium venena pullularent. Oſiand. cap. 3. pag. 436. fin.

1398. *Andegavenſis*, vulgo *Angiers* à Ludovico II. duce Andegavienſi, rege Siciliæ & Neapolis condita.

1403. *Herbipolenſis* ſeu *Würzburgenſis* in Francia, à Johanne epiſcopo fundata, ſuperiori ætate ab epiſcopo Julio inſtaurata.

1404. *Salmantica* in Caſtilia, cum antehac quoque floruiſſet (aliqui enim dicunt eam jam anno 1240. à Ferdinando rege inſtitutam) denuo inſtaurata, tanta ſumſit incrementa, *ut Marineus libro II. rerum Hiſpanicarum* ſuis temporibus VII. millia eorum, qui literis operam navarent, dicat in ea fuiſſe recenſita. Collegio S. Bartholomæi anno 1420. aucta eſt.

1409.

1409. *Lipſienſis* è Pragenſi, ob disſidium Germanorum cum Bohemis, enata, à Friderico I. Electore Saxoniæ fundata.

Func Chronol. f. 161.

1411. *Sanctandreana* in Scotia à Jacobo I. rege, ex Anglicana cuſtodia in Scotiam reverſo, celeberrima eſt reddita XIII. doctoribus theologiæ, IIX. decretorum, & multis aliis doctisſimis viris.

1415. *Roſtochienſis* in Mechlenburgia, à Johanne & Alberto ducibus Megapolitanis, & à ſenatu Roſtochienſi, profeſſoribus Erfurdia & aliunde vocatis, inſtituta, poſt quadriennium plene conſtituta eſt. Sed paulo poſt, cum cives ſenatum urbe ejeciſſent, & ob id proſcripti eſſent & excomunicati, tumultu in urbe exorto, profeſſores Gryphisvvaldiam profugerunt: unde tamen Roſtochium reverſi, hac conditione recepti ſunt, ut ſine ſalario juventutem docerent: quod tamen poſtmodum liberaliter eſt ſubminiſtratum.

Bucholz. in Chronol. An. 1419.

1418. *Cadomenſis* in Normannia, ab Henrico V. rege Angliæ condita.

1426. *Dolana* in Burgundia, à Philippo Bono, Burgundiæ duce, fundata, poſt LX. annos florere demum cœpit.

1432. *Romana* olim ex Athenienſis gymnaſii reliquiis exorta, & tandem collapſa, ab Eugenio IV. reparata.

1438. *Florentina* in Hetruria, à Coſmo Mediceo aperta.

144. *Burdegalenſis* ad oſtium Garumnæ in Aquitania, quæ jam tempore Hieronymi celebris fuit, reſcripto Eugenii V. eſt inſtaurata.

1450. aliis 1460. *Friburgenſis* in Brisgoja, ab Alberto VI. archiduce Auſtriæ condita.

1454. *Glaſcovienſis* in Scotia, teſte Boethio, ſub Jacobo II. academica privilegia, autore Turnbullo loci præſide, accepiſſe dicitur.

1456. 17. Octobr. *Gryphisvvaldenſis* in Pomerania à Wartislao IX. qui in concilio Conſtantienſi, qvid literæ proſint, intellexerat, conſilio Henrici Rubenovii, conſulis Gryphisvvaldenſis, olim Erici regis Daniæ, Sveciæ & Norvvegiæ Cancellarii, poſt primi academiæ Rectoris, fundata, & à Friderico III. imperatore & pontifice Calixto III. confirmata, & liberaliter à Rubenovio dotata eſt. Qui tamen paulo poſt, cum ſe opponeret Pomeraniæ ducibus, in tumultu eſt occiſus. A Bogislao XIV. ultimo duce Pomeraniæ præfecturam Eldenovienſem in dotem accepit.

Oſiand. p. 483. Svvert. in Ath. Belg. p. 78.

1460. *Baſilienſis* Rauracorum, occaſione concilii Baſilienſis, à Pio II. condita. *Veronenſis* etiam hoc anno celebritatem nacta fuiſſe creditur.

1469. *Conimbricenſis* in Luſitania, à rege Portugalliæ erecta. Aliqui tamen dicunt, eam anno 1557. inſtitutam.

1470.

1470. *Valentina* in Delphinatu ad Rhodanum, longe quidē ante videtur ſuos habuiſſe doctores, ſed circa hæc imprimis tempora cœpit florere.

1472. *Ingolſtadiana* in Bavaria à Georgio inferioris Bavariæ duce, collegio novo aucta, cum antea Georgii pater Ludovicus, ei annó à Pio II privilegia impetraſſet. Referunt aliqvi ejus ortum ad annum 1410. alii ad annum 1420.

1477. *Tubingenſis* in ducatu Wurtembergico, ab Eberhardo Barbato, primo Wurtembergiæ duce, introducta: cujus primus rector fuit Nauclerus, decretorum doctor, hiſtoricus, alias Vergenhans. Bucholz. in Chronol. hoc Ann.

1478. *Haffnienſis* in Dania, à Chriſtiano I. rege Daniæ fundari cœpta: à Johanne ejus filio autoritate Sixti IV. introducta: à Chriſtiano III. anno 1539 accerſito Witeberga D. Joh. Bugenhagio Pomerano inſtaurata, & à Friderico II. multis reditibus aucta. Func. in Chron. h. A. itemque Calviſ.

1480. *Aberdonenſis* in Scotia à Guilielmo Uphinſtoo, epiſcopo Aberdonenſi ſub Jacobo III. fundata, ut habet Hector Boethius, celeberrimus ibi philoſophus & theologus. Gerhardus Mercator tamen dicit, eam ab Alexandro, ejusque ſorore Iſabella, jam anno 1240. conditam, & multis privilegiis & reditibus donatam.

1482. *Moguntinenſis*, à Diethero, comite Iſenburgico, archiepiſcopo Moguntino, ſtudiis dicata. Calviſ. in Chronol. hoc Anno.

1484. *Dolana* in Burgundia maxime inclaruit, cum longo ante tempore fuiſſe adornata.

1486. *Mediolanenſis* antē multos annos in pretio fuerat: nunc autem vigorem ſub Hermolao Barbaro reſumſit.

1489. *Londinenſis* in Anglia, liberalitate Johannis Coleti, ſub Henrico VII fundata: in qua floruerunt Linacer, Thomas Morus, Polydorus Virgilius, & multi alii præſtantiſſimi viri.

1490. *Taurina* in Italia Ciſalpina, diu ante aperta fuerat. Sed poſtquam Eraſmus Roterodamus ibi Doctoris inſignia conſecutus, publice docuit, maxime celebris facta.

1502. *Witebergenſis* in Saxonia, a Friderico Sapiente, electore Saxoniæ, in perniciem hæreſeos Antichriſtianæ bono omine introducta. Chytr. l. 5. Sax. p. 128. Fabr. 7. Orig p. 797.

1505 *Vratislavienſes*, indultu Uladislai regis Ungariæ & Bohemiæ, epiſcopo ſuffragante, academiam erecturi, impediebantur à Cracovienſibus, nec privilegia a Julio II. impetrarunt.

1506. *Francofurtana* ad Viadrum in Marchia a Joachimo I. electore Brandenburgico fundata. Primus ibi rector fuit Conradus Wimpina. Chytr. 6. Chron p. 148. Becm. in Memor. Franco. 1515. cof.

1515. *Eboracenſis* in Luſitania reſtituitur.

1517. *Complutenſis* in Hiſpania à Franciſco Ximenio, archiepiſcopo Toletano fundata. Circa qvæ qvoq; tempora Elias Reuſnerus dicit Fr. Alvarum *Toletanum*; M. Rodericum à S. Ælia *Hiſpalenſem*; Fernandum Talabricenſem antiſtitem *Granatenſem* erexiſſe. Hæ ipſæ tamen ſcholæ antea celeberrimæ fuerunt, & imprimis Hiſpalenſis erudivit Silveſtrum II. Avicenna quoqve atqve Iſidorus in illa floruerunt.

Middend. & vita Ximenii.

1526. *Marpurgenſis* in Hasſia, à Philippo, Landgravio condita quidem, ſed longo poſt privilegia demum adepta.

Swert. pag. 8. Chytr. l. 12. p. 298.

1530. *Cæſar-Auguſtana* in Arragonia, à Carolo V. fundata, anno 1584. inſtaurata.

Siwert. in Ath. Belg. p. 69.

1544. *Regiomontana* in Borusſia, ab Alberto I. marchione Brandeburgico, primo duce Borusſiæ, introducta, rectore primo Georgio Sabino.

Hartkn. de Reb. Pruſſ. § 25. p. 248. Chytr. l. 19. pag. 499.

1548. *Jenenſis* ſeu *Salana* in Thuringia, à Johanne Friderico I. electore Saxoniæ fundata, à Johanne Friderico II. Anno 1558. introducta.

Middend. de Acad.

1549. *Dillingana* in Bavaria ſuperiore, ab Ottone Truchſeſio VValburgio, epiſcopo Auguſtano & Cardinali, adornata.

1549. *Oſſanenſis* in Hiſpaniæ parte, quam Granatam dicimus, ſub Carolo V. cœpit.

1560. *Remenſis* in Campania, à Carolo Guiſio Cardinale Lotharingo & archiepiſcopo Remenſi fundata, aſſentiente Henrico II. rege Galliarum & Paulo III.

1560. *Gandiana* in regno Valentiæ inſtituta.

1560. *Viſontina* in Burgundia, ab Antonio Peronoto Granvellano, Cardinali & archiepiſcopo Mechlinenſi inſtituta.

1562. *Duacenſis* in Belgio, Philippo II. regi Hiſpaniarum originem debet autore eodem Ant. Peronoto Granvellano.

Cruſ. part. 3. A. Suev. l. 12. c. 12. pag. 227.

1568. *Argentinenſis* ſchola, qvam jam ante XXX. annos Jacobus Sturmius, ſenator primarius & ſyndicus, adornari curaverat, privilegia à Maximiliano II. accepit, & Johannes Sturmius, qui rationem inſtituendæ juventutis monſtraverat, perpetuus Rector eſt creatus. Noſtra demum ætate A. 1621. jus Univerſitatis à Ferdinando II. accepit.

1570. *Compoſtellana* in Gallia erecta.

Middend. de Acad. Alſted. in Chron. Schol.

1575. *Altorfienſis* in Norico, à ſenatu Noribergenſi inſtituta. Ante ſcholam Altorfienſem floruit ipſa *Noribergenſis*, etſi privilegiis academicis non exornata: celebris per Vitum Theodorum, Bilib. Pirchaimerum, Heſſum, Opſopœum. Primus Altorfii Rector fuit Val. Erythreus.

1575.

1575. *Lugdunenſis* Batavorum ſeu Leidenſis, ab Ordinibus & VVilhelmo Uraniæ principe introducta. Grot. l. 5. Ann. Belg. p. 327.

1576. *Helmſtadiana* in ducatu Brunſvicenſi & Luneburgenſi conſtituta. Unde etiam dicitur *Julia.* Chytr. l. 23. p. 639.

1580. *Claudiopolitana* in Tranſilvania à Gregorio XIII. privilegiis donata.

1581. *Franeckerana* ab Ordinibus Belgii fundata in Friſia.

1592. *Sedanenſis* in Gallia,

1595. *Valliſoletana* in Hiſpania à Clemente IIX. erecta.

1604. *Salmanticenſis* in Caſtilia.

1605. *Gieſſena*, à Ludovico Hasſiæ Landgravio, quem & orthodoxos Mauritius Marpurgo excluſerat, erecta, & à Rudolpho confirmata, traductis illuc Marpurgo profeſſoribus. Nunc Gieſſa illi Marpurgum, quod redditum eſt Ludovico, redierunt omnes. Cellar. ex Theatr. Europ in Reb. hujus ſec. ad Ann. 1607.

1614. *Groningenſis*, in occidentali Friſia adornata.

1616. *Paderbornenſis*, ab epiſcopo Theodoro erecta.

1616. *Pragenſe Gymnaſium Jeſuiticum* privilegia academica accepit.

1617. *Salisburgenſis*, Benedictinorum ſchola itidem accepit privilegia academica.

1621. *Rintelenſis* ab Erneſto principe imperii, comite Holſatiæ, Schaumburgii & Sternbergæ ſolenniter introducta. Idem ibid.

1631. *Dorpatana* in Livonia, auſpiciis Guſtavi Adolphi regis Sveciæ, per Joh. Skytten L.B. generalem gubernatorem Livoniæ, Ingriæ & Careliæ introducta.

1640. *Aboenſis* in Finnonia, ad mandatum regis, per generalem gubernatorem Petrum Brahe, comitem in VViſingkborg, introducta.

XVII. Luſtratis pauliſper academiis, perge, ſi placet, ad concilia.

Carolum M. adverſus iconolatras *Francofurtanum concilium* Anno IↃCCXCIV. celebraſſe, & rationes Nicænæ ſynodi II. confutaſſe, ſuperiori ætate dictum eſt. Idem eo pietatis processit, ut peculiarem librum contra adorationẽ ſtatuarum ederet, qui ſuperioribus annis in Gallia eſt editus & in Germania recuſus. Quam ob cauſam non immerito noſtratibus ſuſpecta eſt, & tanquam commentitia videtur *illa ſynodus*, quam Erphordienſis dicit Carolum anno IↃCCXCVII. coactis CCCLX epiſcopis celebraſſe, & reliquias in eo ſpectandas populo exhibuiſſe, decre-

Lang. in Chron Citiz. 889. Chaſſan. Catal. glor. Mundi Conſ. 54. p. 126 Egnat. 1. Ex. p. 14. Binius 4. Concil. 2. à. p. 1. usq; ad p. 134. Goldaſt. Tom. 1. p. 421. Spigel. Schol. ad lib. 3. Æn. Sylvii Parall. pag. 284.

1503. CCXXV. *Julius II. Ligur, Sixti IV. ex fratre nepos, antea Julianus Ruerius ſeu Ruvereus.* 9¼

1512. *Martinus contra Julium, multorum facinorum reum, in concilio Piſano, in XXXI. ſchiſmate electus.*

[Quia jam, Alexandri VI fraude & artibus, Romæ partim extincti, partim attriti erant, qui obſtare poterant, nempe Urſini & Columnii: reſpublica interim pontificia Flaminiam, qvam Borgia ſibi armis pepererat, *Petri Patrimonio adjecerat*, & ita mirum in modum evecta erat: majora jam animo agitavit pontifex, Bononiam ſacro imperio adjungere, Venetos delere, Gallos Italia excludere conatus. *Guicciardinus* vocat eum ſuſcitatorem actionum extinctarum, ebrioſum, deliciis voluptatibusque innutritum. Totum orbem terrarum implicuit bellis, miles alioqvin infelix. Ravennam tamen & alia loca à Venetis occupata, ſedi Romanæ reſtituit armis. Paulo poſt cum Venetis adverſus imperatorem Maximilianum, contra fidem coram imperii Ordinibus ſanctisſimè datam, conſpiravit, Petriq; clave in Tiberim projecta, immani voce dixit: *Quia clavis Petri amplius non valet, valeat gladius S. Pauli.* Sed ecce vindictam! Cum à rege Gallorum, Ludovico XII titulum Chriſtianisſimi regis in Angliæ regem Henricum IIX. transtuliſſet, Johannem regem Navarræ, tanquam Gallis faventem, excommunicaſſet, & regnum Navarræum Ferdinando catholico regi Hiſpaniarum addixiſſet, ipſeque jam ducem belli ageret, & omnis pacis conditiones reſpueret: tanta affectus eſt clade, ut inde intelligeret, pontifici non tam gladio, qvam clavibus belligerandum eſſe. Quin &, cum pontifex in concilio Lateranenſi temere eum ſacris prohibuiſſet, ſynodo præſulum regni convocata Lugduni, ipſum in jus vocavit: deinde autoritate quorundam cardinalium, Mediolani congregatorum, concilium Piſis indixit, & pontificis inanes diras contraria obnunciatione, poſt alium à cardinalibus papam *Martinum* electum, generoſe revicit: numos etiam aureos cum hoc elogio cudit: *Perdam Babylonis nomen:* aperte conteſtatus, ſe Romam pro Babylone habere. Franciſcum Mariam ſuum ex fratre nepotem, hic pontifex creavit Ducem Urbini tertium: Mutinam eripuit *Ducibus* Ferrariæ & Maximiliano imperatori ceſſit: *Philippo I* regi Hiſpaniarum autor fuit, ut omnes Mauros ad IX. centum millia, regno ejiceret. Votum illius fuit, *ut ſacerdotibus curatis autoritate concilii uxores redderentur*, *teſte Luthero Tom. I. Lat. pag. 511.* ſolitusque eſt frequenter dicere, indignum eſſe, Levitas ſervire, qvos cæteris imperare oporteret. Onuphrius eum filiam Felicem Johanni Jordani Urſino elocaſſe teſtatur.]

1513.

1513. CCXXVI. *Leo Decimus: cujus hiſtoriam, tot tantisq; ſceleribus recenſendis nunc prorſus defatigati, eccleſiæ ætati ultimæ reſervamus.*

XV. *Etſi ſcio, te ſolere, enumeratis pontificibus, artes, quibus ad Papatum aſcenderint, deſcribere, ei tamen labori te ſuper ſedere poſſe arbitror, cum quicquid artium exercuerint, ex dictis appareat.*

Minimam tamen partem me dixiſſe ſcias. Sufficit interim, noſſe, ex arbitrio Vejovis Romani res non eccleſiæ ſaltem, ſed & regnorum tandem cœpiſſe dependere. Cum fulmine excommunicationis in quosvis ſuæ libidini reſiſtentes debaccharetur: ceremoniarum fuco & miraculis fictis, cultuque ſanctorum & reliquiarum ſuperſtitioſo, ſimplices hominum mentes dementaret: civilib9 negotiis à ſuo officio alienis ſe implicaret: more principum & regum ſatellitio ſuo ſtipatus incederet, nec arma detrectaret: imprimis, cum ſupra eccleſiam & concilia ſe evectum ab omnium judicio eximeret, & dominatu in eccleſiaſticos tyrannico, atq; poteſtate transferendorum imperiorum ſibi adſcripta, omni magiſtratu ſuperiorem ſe diceret: quis tandem erat, qui tanto monarchæ non pedes tantum oſculari, ſed & quævis alia ſervitia præſtare non cogeretur? Vendicavit enim ſibi jus creandorum & deponendorum regum atq; imperatorum, divitiasqve mundi cara epiſcopatuum & palliorum venditione, larga indulgentiarum promisſione, avara decimarum, annatarum, & vectigalium ſacrorum corraſione, pecuniarum ob ſimulatam in Turcos profectionem conqviſitione, falſa credulorum perſuaſione, ad ſe rapuit. Tam dirus tandem illum faſtus incesſit, *ut juberet non tantum ſe ſublimem ferri, ſed & omnes, cujuscunq; ſunt dignitatis, cum primum in ſui conſpectum pervenerint, diſtantibus ſpatiis, ter genuflectere & pedes ſuos oſculari*, cum tamen in populo Dei pontifex maximus regem veneraretur, & venienti ad ſe ſedem, ipſe ſtans concederet: ipſeque Dei legatus Nathan coram rege, ſpecie honoris, prono ore in humum procumberet. Tunc hæc ambitio demum cœpit pontifices Romanos efferare, cum *Hildebrandina factio* eos, qui pro autoritate imperatoris, contra ſacrorum præfectos aſſerenda, depugnabant, vi & fraude oppresſiſſet. Tempore certe Caroli M. papæ non exegere pedum oſcula, nec admiſere, ut *Wolffius tom. II. lect. memorab. cent. 15. pag. 112.* memorat. Vera ſunt, quæ Guicciardinus hiſtoricus Italus lib IV. hiſt. quondam de dominio pontificis affectato cenſuit:

Conſ. Joach. Urſini Specul. Jeſuit. & Rom. Pont. Perfidiam, Inſolentiam & Tyrann. VVolffii Tom. 2. Lect. Memorab. Cent. 15. pag. 112.

fuit: per adulatores quidem Romanæ tyrannidos expuncta, ſed per P. Pithæum reſtituta: digna, quæ hic legantur: *Ad terrenam potentiam pontifices elati, ac ſenſim animarum ſalutis, divinorumq; præceptorum obliti, atq; ad mundana imperii omni cogitatione converſi, nec divina autoritate alio, quam quaſi telo & inſtrumento rerum fragilium, abutentes, principes potius gentium, quam rerum ſacrarum pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negotia non jam vitæ ſanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, ſed exercitus, ſed bella in Chriſtianos, cogitatione & manibus ſanguine reſperſis, ſacra tractantes; ſed pecuniæ immenſa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ inſidiæ ad pecuniam undiq; cogendam. In hunc finem audaciſſime arma cœleſtia vibrare: profanarum ſacrarumq; nundinationem impudentiſſime exercere. Hinc opes in immenſum adauctæ, & in totam ipſorum aulam effuſæ; ex quibus faſtus, luxus, mores turpiſſimi, libidines, voluptatesq; nefandæ: nulla de ſucceſſoribus cura, nulla majeſtatis perpetuæ pontificatus ſollicitudo: ſed horum loco, cupido anxia & peſtifera, filios, nepotes, item alios ſibi conjunctos & neceſſarios, non modo ad opes immoderatas, verum etiam ad regna & imperia evehendi: non jam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, ſed plerumq; auctionando, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo. His moribus effectum eſt, ut, exceſſi penitus ex animis hominum illa vetere erga pontifices reverentia, tamen ex parte eorum autoritas, religionis (qua nihil in terris ad homines vel impellendos vel retinendos potentius invenitur) nomine & majeſtate, facultate, qua pollent, principibus atq; iis, qui apud illos maxime poſſunt, ſacris beneficiis & honoribus conferendis, gratificandi adjuta, ſuſtentetur. Qui, cum ſciant, magna ſe in admiratione mortalium eſſe: & qui adverſus eos arma ſumunt, eos gravis infamiæ notam, & ſæpenumero aliorum principum odia ſubire: ac, quomodocunq; res cadat, per exiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare: & victores ex ſuo arbitrio victoria uſuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: adhæc, ſuos propinquos ex privata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum autores, novorumq; incendiorum faces in Italia extiterunt.*
Quanquã autem ſingulis ætatibus multi inveniebantur, qui teſtimonio veritati dato impietatem pontificiam improbabant: prævaluit tamen quæſitus in eccleſias dominatus, ut ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Imprimis dominium pontificis promoverunt *IIX. archiepiſcopales ſeu metropolitanæ ſedes in Germania*, ad formam VII. electorum inſtitutæ: quæ ſingularibus dignitatibus, juribus & opibus, aliis etiam epiſcopatibus ſubjectis,

jectis, auctæ & illuſtratæ, ipſis imperatoribus, nedum principibus, factæ ſunt terribiles: Moguntina videlicet, Colonienſis, Trevirenſis, Magdeburgenſis, Salisburgenſis, Bremenſis, Rigenſis. Accrevit etiam in immenſum *aliorum epiſcoporum, prælatorum & abbatum poteſtas.* Illi quondam, divinis intenti, regimen provinciarum commiſerant comitibus & præfectis, ab imperatoribus & regibus conſtitutis; bella ducibus, ſeculum ſecularibus. Sed poſtquam imperatores tyrannidi pontificum ſuccubuere: jus ſeculare epiſcopi ſibi etiam cœperunt vendicare, limites quaqva verſum producere, vectigalia imperare, gladio accingi. Ex *Canonicorum collegiis* verbi divini explicatio transferebatur in *academias*; munus concionandi in *monachos*; diſpenſatio Sacramentorum in *ſacrificulos indoctos*; diſciplina eccleſiaſtica in *officiales*; clericorum examen & ordinatio in *ſuffraganeos.* Ipſi inſtar principum dominari: imo illis primum locum præcipere: delicatum vivendi genus ſequi: id unice eniti, ut nutui papæ, tanquam monarchæ eccleſiaſtico, ſe conformarent. Moguntino, loco cathedræ ſacræ, *archicancellariatus per Germaniam*; Colonienſi *per Italiam*; Trevarenſi *per Galliam* committebatur. Præcipua cura cleri erat, corradere opes mundi. Et miris artibus illas ad ſe trahebant. Nullum adulterium; nullus inceſtus; non beſtialitas, non furtum, nec crimen adeo ſceleratum committi poterat, à quo non pontifex & epiſcopi, accepto ære, flagitioſiſſimos abſolverent, divendita illis remisſione peccatorum. Legito hunc in finem *Taxam pœnitentiarum* ex libro, qui inſcribitur, *Gravamina oppoſita adverſus Synodi Tridentinæ reſtitutionem.* Et quid aliud ſperari poterat in eccleſia ab eo tempore, qvo Canoniſtæ cœperunt pontifici plenisſimam tribuere poteſtatem, quæ in univerſum orbem, & in omnes principes & reges cum in rebus eccleſiaſticis, tum in civilibus ſive directe, ſive (ut Bellarminus poſtea docuit) indirecte ei competat?

Sprenger de Cincell. Rom.

XVI. Progredi nunc tandem lubet ex hoc vaſto mari ad ſcholas: in quibus erigendis non contemnenda fuiſſe hominum in hac ætate cura videtur.

Quemadmodum nullum unquam fuit ſeculum, in qvo non viris doctis & ſapientibus multum honoris novimus eſſe tributum: ita cum præcipua in orbe dignitas eſſet in Germanos translata, noluerunt illi literis debitum honorem detrahere; ſed potius omnibus viribus anniſi ſunt, ut ſcholæ publicæ, majoribus immunitatibus exornatæ, facilius

Himmel. de Orig. Scholar. inveniren, qvi ſapientiæ ſtudio initiarentur. Jam ſuo tempore *Julius Cæſar & Auguſtus* liberalium artium doctores civitate donaverant, ut illis, ex hoc jure Quiritum, non ſolum Privilegia civis Romani, quoad immunitates à graviſſimis mercatorũ, militiæ & cenſitorum muneribus, ſed & tituli dignitatum, laticlavium, aureus anulus, ſeſſio & ſtatio primaria accederet. *Veſpaſianus* præterea, *teſte Svetonio*, è fiſco Latinis & Græcis rhetoribus annua centena i.e. quingentos amplius Philippæos conſtituit. Philoſophis *Marcus Antoninus*, ſecundum Julium Capitolinum, per omnes provincias ſtipendia conceſſit. *Conſtantinus M.* imprimis, in religione promovenda magnum eſſe literatorum uſum non ignarus, dignitatem eorum multum amplificavit. Et ab hoc tempore paſſim ſcholæ erant publicæ in provinciis, earumq; profeſſoribus larga conſtituebantur ſalaria. Præcipuæ fuere *Conſtantinopoli*, *Athenis*, *Antiochiæ*, *Alexandriæ*, *Maſſiliæ*, *Laodiceæ*, *Beryti*, *Nicomediæ*, *Mediolani*, *Cæſareæ*: qvæ tamen in VI. & VII. ſeculo, propter barbarorum irruptiones, pene omnes deſolatæ & deletæ ſunt. Omnis interim eruditio ceſſit in *monaſteria Benedictinorum*. Carolus M. cum ſibi intelligeret ſummam rei Chriſtianæ curam incumbere, præter *Pariſienſem*, *Toloſanam & Papienſem academiam*, plurimos epiſcopatus per Saxoniam devictam, & alibi, fundavit, & eos certis, ceu vocant, *Capitulis* diſtinxit, quæ eſſent virorum doctorum receptacula, & juventutis literatæ aſceteria & ſcholæ. Sed cum, eo defuncto, variæ lites de collatione epiſcopatuum imperatoribus à pontificibus Romanis intenderentur, & in inteſtina bella & luxum orbis Chriſtianus dilaberetur: factum eſt, ut literarum cultus in Capitulis paulatim intercideret, & interim *in Arabia* egregiæ à Saracenis ſcholæ aperirentur: donec *Lotharius Saxo*, imperator circa annum cIↃCXXXV. *leges Romanas*, Latino ſermone ſcriptas in expeditione contra Rogerium regem Siciliæ inventas, per *Irnerium JCtum* in ſcholas revocavit, & jus ex iis doceri mandavit. Utque ei profeſſioni dignitates adhærerent, *Bononiæ* doctores juris curavit renunciari, & primus *jus Auguſtale*, qvo privilegia literatis tribui hactenus conſueverunt, ſcholæ conceſſit. Primi ergo interpretes juris Latini *Bulgarus*, *Hugolius*, *Martinus*, *Pileus*, doctores juris ſolenniter creati ſunt. Dignitatem eandem in aliis ſcholis etiam cœperunt, indultu imperatoris & pontificis, *theologi* affectare: & ſic *Petrus Lombardus* apud Pariſios primus doctor theologiæ renunciatus eſt. *Piſis* poſtea eadem gratia *Medicis* facta eſt. *Germania* adhuc cum barbarie colluctabatur, & qui à literis probe voluerunt eſſe inſtructi,

eos

eos oportebat in Galliam aut Italiam ſtudiorum gratia magnis cum ſumptibus ſeſe recipere. Proceres igitur Germaniæ obtinuerunt in concilio Baſilienſi, ut apud ſe quoqve regiæ ſcholæ aperirentur. Cumque in Italiæ Univerſitatibus non omnes Facultates, ceu vocant, proponerentur, ſed theologia alibi; alibi autem jurisprudentia aut medicina doceretur: ſtudioſe annitebantur, ut, quicquid hominem ab eruditione commendare poteſt, una in iisdem ſcholis doceretur: Hinc *quatuor illi in ſingulis Univerſitatibus Decanatus* originem trahunt. Hinc etiam illa differentia magiſtrorum & doctorum, antea ignota, exorta eſt. Univerſitates, quæ paſſim fundabantur, cathedris epiſcopatuum incorporabantur: quiqve palmam eruditionis meruerant, illis Decanus cum Collegio dignitatum collationes ab *epiſcopis*, tanquam ſummo literatorum magiſtratu & *Cancellariis Academiarum*, quibus jus recipiendi appellationes à ſententiis Rectorum & Senatus Academici competit, impetravit. Ego interim, quia catalogus academiarum mihi nectendus eſt (*trivialium* enim numerus iniri nequit, ut nec *gymnaſiorum*) de iis *ſcholis regiis*, quas remotiori ætate conditas eſſe invenio, nunc non ero ſollicitus ceu ſunt *Athenienſis*, *Romana*, *Conſtantinopolitana*, *Alexandrina*, *Maſſilienſis*, *Antiochena*, *Laodicena*, *Nicomedienſis*, *Cæſarienſis*, *Berytenſis*. Nec in ſcenam producam, quæ nunc temporis academiæ eſſe deſierunt, ut eſt *Legionenſis*(nunc *Sarisburgenſis*) quæ jam anno CCCCLXX. floruit in Britannia; *Lindiſarnenſis* in inſula Britannica, quam Osvvaldus Norhumbrorum rex anno IↃCXL. aperuit; *Bannachorenſis* in Britannia, quæ in monachorum cœnobium eſt permutata; *Dublinienſis* in Hibernia, anno cIↃCCCXX. inſtituta; *Glaſcovienſis* in Scotia, quam Boethius etiam pro academia habuit, & circa annum cIↃ.CCCLIV. conditam aſſeruit. Eumerabo ſaltem, in quibus noſtro adhuc ſeculo artes & literæ docentur. Namque

Milddendorpius de Academ. Conring. de iisd. Felwing. de A a.l Alſted. in Chronol. S. h.d.n.30 pag.279.

In Scotia inveniuntur duæ academiæ, *S. Andraana & Aberdonenſis*.
In Anglia tres, *Cantabrigienſis*, *Oxonienſis*, *Londinenſis*.
In Svecia tres, *Upſalienſis*, *Dorpatana*, *Aboenſis*.
In Dania una. *Hafnienſis ſeu Coppenhagenſis*.
In Polonia una, *Cracovienſis*.
In Bohemia una. *Pragenſis*.
In Tranſilvania una, *Claudiopolitana*.

In Germania LXXVII. numerari dicuntur: inter quas ſunt præcipuæ, *Altorfiana*, *Argentinenſis*, *Baſilienſis*, *Coloneinſis*, *Dillingana*, *Erfortenſis*,

Francofortana, Friburgenſis, Gieſſena, Grypbiswaldenſis, Heidelbergenſis, Helmſtadienſis, Herbipolenſis, Jenenſis, Ingolſtadiana, Lipſiana, Marpurgenſis, Moguntina, Regiomontana, Rintelana, Roſtochiana, Salisburgenſis, Trevirenſis, Tubingenſis, Viennenſis, Witebergenſis.

His adde *Lugdunenſem, Franeckeranam, Groningenſem, Lovanienſem, Duacenſem* in Germania inferiore; *Græcienſem* in Styria; in Lotharingia *Muſſipontanam.*

In Gallia innotuerunt *Andegavenſis*, vulgo Angiers, *Arauſionenſis, Avenionenſis, Aurelianenſis*, vulgo Orleans, *Bituricenſis*, vulgo Bourges, *Burdegalenſis, Cadurcenſis, Cadomenſis, Carpentoratenſis, Dienſis* ſeu Deenſis, *Dolana* in Burgundia, *Genevenſis, Gratianopolitana, Loſanenſis, Lugdunenſis Maſſilienſis, Montiſpeſſulana*, vulgo Monpelier, *Nannetenſis, Pariſienſis* ſeu Lutetiana, *Pictavienſis, Roanenſis, Sedanenſis, Toloſana, Valentina, Veſontina.*

In Italia florent. *Bergomenſis, Bononienſis, Ferrarienſis, Florentina, Mediolanenſis, Mutinenſis, Neapolitana, Patavina, Papienſis* ſeu Ticinenſis, *Peruſina, Piſana, Remenſis, Romana, Salernitana, Senenſis, Taurina, Venetiana, Veronenſis.* Vigorem autem amiſerunt *Anconitana, Gravinenſis, Maceratenſis, Parmenſis, Placentina.*

In Hiſpania numerantur XXII. inter quas præcipuæ ſunt, *Barcinonenſis* in Catalonia, *Cæſar-Auguſtana* in Arragonia, *Columbrienſis, Complutenſis* in Caſtilia, *Compoſtellana* in Gallæcia, *Conimbricenſis*, in Luſitania, *Eborenſis* ibidem, *Gandiana* in Valentia, *Granatenſis*, in Bætica, *Hiſpalenſis, Ilerdenſis, Leridenſis, Majoricenſis, Oſtana, Oſſunenſis, Pincianenſis, Salmanticenſis, Seguntina, Toletana, Valentina* in Edetanis, *Valliſoletana, Veſcana.* Quibus adde *Mexicanam & Limenſem* in India occidentali, *Catinenſem & Panormitanam* in Sicilia, *Calaritanam* in Sardinia.

Ut autem ſcias, quo tempore præcipuæ academiæ in Europa conſtitutæ ſint, ſequentem ſyllabum adjungere lubuit.

A.C. 423. *Bononienſis*, vulgo *Bologna*, in Romandiola à Theodoſio juniore condita, poſtea à Carolo M. anno 790. reſtaurata. Seculo demum XVI. cœpit in ea doceri jus Romanum; ſeculo XIV. theologia. Pius II. anno 1460. egregiis eam privilegiis dotavit.

630. *Cantabrigienſis*, à Cantabro rege inſtituta: à Sigeberto rege Angliæ reſtaurata: ſeculo XV. variis collegiis aucta.

Pariſienſis ſeu Lutetiana ad Sequanam, à Carolo M. conſilio præceptoris Alcuini ſeu Flacci Albini, theologi è Scotia evocati, fundata: ſub

ſub Capetingis deinde regibus majora incrementa, & tandem ſeculo XIII. faciem Univerſitatis nacta, cum anno 1253. *collegio Sorbonenſi* ampliaretur, quod *Robertus Sorbona*, theologus, S. Ludovico admodum carus, inſtituit. Memorabile eſt, quod, quia initio ſchola Pariſienſis in hunc finem fundata eſt, ut artes in ea liberales docerentur, hodienum ejus rectoratum ſoli philoſophiæ profeſſores obeant. Reges Francorum, teſte Spondano ad ann. 1394. eam olim conſueverunt filiam ſuam primogenitam vocare.

791. *Toloſana* in Gallia, à Carolo M. condita & ſeculo XIV. reſtaurata.

794. *Papienſis ſeu Ticinenſis* Inſubrium, in Lombardia à Carolo M. erecta: à Carolo IV. anno 1361. reſtaurata. Carolo M. cum neminem Græcæ linguæ peritum haberet, qui legatis Conſtantinopolitanis reſponderet, data eſt occaſio variis ſcholis privilegia concedendi: inter quas etiam fuit *Oſnabrugenſis*, ut teſtatur *Cranzius libro primo Metrop. cap. 11.*

800. *Lugdunenſis* ſeu *Leodienſis* in Gallia ad Rhodanum, tempore Lyſandri olim à Græcis exulibus adornata, & novarum Athenarum nomine appellata, hoc etiam tempore reſtaurata eſſe videtur.

872. alias 895. *Oxonienſis* in Anglia, Neoto Benedictino monacho hortante, ab Alfredo rege Angliæ doctiſſimo, condita, ut habet Polydorus libro V. confirmata ab Adriano pontifice, & ita aucta, ut XVI. collegia in ea ſint extructa. Circa hoc tempus etiam Egbertus, Eboracenſis epiſcopus, *Eboraci* publicam ſcholam inſtituit.

920. *Lovanienſis* in Brabantia condita, & poſtea anno 1426. à duce Brabantiæ Johanne amplificata, & à Martino V. pontifice confirmata eſt.

1181. *Pictavienſis*, Juris ſcientia, cum antea jam fundata eſſet, magis inclaruit, & poſtea à Carolo VII. rege Galliarum amplius anno 1430. dotata, perque Capnionem & Longolium celebrior facta.

1166. *Montiſpeſſulana*, vulgo Mompelier, in Gallia, monumentum Philippi II. regis Galliarum: qui ibi jus Romanum doceri conſtituit. Circa hæc ipſa tempora etiam *Salerni* in Picentibus ſchola medica à rege Rogerio eſt adornata, cum jamdudum res medicæ in vicino *monaſterio Caſſinenſi* floruiſſent.

1215. *Neapolitana* à Friderico II. privilegiis munita: aliis temporibus à diverſis inſtaurata & reſtituta. Et quia hoc XIII ſeculo jus demum pontificium eſt conditum, paſſim illud ab hoc tempore autoritate papæ in academias eſt introductum.

Calviſ. in Chronol. hoc A. 1221. *Patavina* ſeu *Patavienſis, Paduana & Ticinenſis* in marchia Tarviſana, in odium Honorii papæ & contumeliam Bononienſis academiæ, à Friderico II. erecta: qui illuc privilegia Bononienſium tranſtulit, Urbano IV. id poſt XL. annos comprobante. Nonnulli tamen hanc à Carolo eſſe conditam ajunt.

1221. *Ferrarienſis* itidem à Friderico II. in contumeliam Bononienſium inſtituta, & à Bonifacio IIX. confirmata. Hanc Volaterranus tamen dicit anno 1316. à Ferrariæ marchione Alberto fundatam.

1227. *Bituricenſis* Ludovico Sancto & Carolo Ludovici XI. fratri ſua debet ornamenta.

Bucholz. in Chron. hoc A. 1235. *Upſalienſe* collegium Ericus Balbus rex fundavit, in quo qvatuor profeſſores liberali ſtipendio docerent. Annis poſtea CCXLI. Steno Sture, gubernator regni, illud inſtauravit & amplificavit, impetratis à Sixto IV. anno 1476. academiæ privilegiis. Guſtavus Adolphus hanc academiam amplis prædiis dotavit, & pro LXIV. Studioſis ſtipendia regia; pro aliis centum alumnis victum publicum conſtituit, & præterea Dorpatanenſem academiam, quatuor alia gymnaſia in quatuor eccleſiis catholicis, ut & ſcholam in Lapponia, adornavit.

1279. *Conimbricenſis* in Luſitania, à Dionyſio IV. Portugalliæ rege, aperta.

Func. & Calviſ. h. A. 1236. *Viennenſis* à Friderico II. ex Romana & Lutetiana adornata, poſtea anno 1361. à Rudolpho & anno 1366. ab Alberto II. Auſtriæ archiducibus reſtaurata, & ab Urbano confirmata. Ante Viennenſem in Germania floruit *Trevirenſis*: ſed incertum, quo anno condita. Jam tempore Gratiani ibi ſtudia floruere.

1290. *Peruſina* in Hetruria, ut Middelburgenſis ex Bartolo probat, florere cœpit ſub Nicolao IV.

1307. *Avenionenſis* ad Rhodanum, vulgo *Avignon*, condita, poſtqvam Clemens V. ſedem Roma Avenionem tranſtuliſſet.

Oſiand. Cent. 14. l. 1. c. 4. init. 1312. *Aureliana* ad Ligerim, vulgo Orleans, à Philippo Pulcro Galliarum rege & Clemente V. adornata. Quo ipſo anno *Viennæ in Gallia* in concilio eſt decretum, ut Hebrææ & aliæ orientales linguæ in ſcholis publicis docerentur, ad Saracenos facilius convertendos.

1320. *Cadurcenſis*, à Johanne XXII. patria Cadurco, cum in Galliis ſederet, inſtituta.

1339. *Piſana*, in Hetruria adornata; quam Laurentius Medices Petri F. renovavit, & nobiliſſimā qvondam urbem ad ſolatium veteris amiſſæ liber-

libertatis, novo decore ac externæ juventutis frequentia recreavit. *Jovius libro 1.*

1346 *Heidelbergenſis*, à Ruperto Rufo, electore Palatino & duce Bavariæ, ſub Ludovico Bavaro, imperatore ad normam Pariſienſis condita, & anno 1387. confirmata. Pareꝰ Hiſt Palat. pag. 281.

1360. *Pragenſis* in Bohemia à Carolo IV. imperatore fundata. Hanc cum Germanica imprimis natio regeret & adminiſtraret, Bohemi à Caroli IV. filio Wenceslao impetrarunt, ut eam more Pariſienſium ſibi gubernandam committeret. Germanorum igitur duo amplius millia, (Bzovius habet 24000.) quibus hac re magiſtratus ſcholæ abrogatus eſt, uno die Lipſiam abiere, & novam ibi ſcholam anno 1409. aperuere. Bohemis nova ſcholæ adminiſtratio tam commode ceſſit, ut ductu Johannis Husſi, qui in ea facile princeps fuit, iis lux veritatis paulo poſt innoteſceret. Anno hujus ſeculi XXI. academia hæc patribus ſocietatis Jeſu à Ferdinando II. eſt conceſſa. Oſiand. l. c. lib. 4. cap. 2. Func. Chronol. f. 159.

1364. *Cracovienſis* in Polonia à Caſimiro II. rege fundata, & ab Uladislao Jagellone anno 1400. locupletata, accerſitis illuc è Pragenſi profeſſoribus. Func. l. c. Oſiand. cent. 14. l. 3. cap. 3.

1387. *Senenſis* in Hetruria, à ſenatu inſtituta, poſtea à Pio II. mirum in modum aucta & exornata. Floruerat jam anno 130. ſed poſtea collapſa eſt.

1388. *Colonienſis*, cum ab antiquo habuiſſet gymnaſium, cura & opera Senatus, privilegia academiæ ad normam Lutetiæ, ab Urbano VI. accepit, à Thoma Aquinate & Alberto M. celeberrima. Func. Chron. f. 160. Oſiand. l. c. p. 435.

1391. *Erfurdiana* in Thuringia, olim anno 650. à Dagoberto Francorum rege adornata, accepit academica privilegia, Bonifacio VI. indulgente, ut theologiæ in ea eſſent doctores, ne hæreſium venena pullularent. Oſiand. cap. 3. pag. 436. fin.

1398. *Andegavenſis*, vulgo *Angiers* à Ludovico II. duce Andegavienſi, rege Siciliæ & Neapolis condita.

1403. *Herbipolenſis* ſeu *Wirtzburgenſis* in Francia, à Johanne epiſcopo fundata, ſuperiori ætate ab epiſcopo Julio inſtaurata.

1404. *Salmantica* in Caſtilia, cum antehac quoqve floruiſſet (aliqvi enim dicunt eam jam anno 1240. à Ferdinando rege inſtitutam) denuo inſtaurata, tanta ſumſit incrementa, *ut Marineus libro II. rerum Hiſpanicarum* ſuis temporibus VII. millia eorum, qui literis operam navarent, dicat in ea fuiſſe recenſita. Collegio S. Bartholomæi anno 1420. aucta eſt.

1409.

1409. *Lipſienſis* è Pragenſi, ob disſidium Germanorum cum Bohemis, enata, à Friderico I. Electore Saxoniæ fundata.

Func Chronol. f. 161.

1411. *Sanctandreana* in Scotia à Jacobo I. rege, ex Anglicana cuſtodia in Scotiam reverſo, celeberrima eſt reddita XIII. doctoribus theologiæ, IIX. decretorum, & multis aliis doctisſimis viris.

1415. *Roſtochienſis* in Mechlenburgia, à Johanne & Alberto ducibus Megapolitanis, & à ſenatu Roſtochienſi, profeſſoribus Erfurdia & aliunde vocatis, inſtituta, poſt quadriennium plene conſtituta eſt. Sed paulo poſt, cum cives ſenatum urbe ejeciſſent, & ob id proſcripti eſſent & excommunicati, tumultu in urbe exorto, profeſſores Gryphisvvaldiam profugerunt: unde tamen Roſtochium reverſi, hac conditione recepti ſunt, ut ſine ſalario juventutem docerent: quod tamen poſtmodum liberaliter eſt ſubminiſtratum.

Bucholz. in Chronol. An. 1419.

1418. *Cadomenſis* in Normannia, ab Henrico V. rege Angliæ condita.

1426. *Dolana* in Burgundia, à Philippo Bono, Burgundiæ duce, fundata, poſt LX. annos florere demum cœpit.

1432. *Romana* olim ex Athenienſis gymnaſii reliquiis exorta, & tandem collapſa, ab Eugenio IV. reparata.

1438. *Florentina* in Hetruria, à Coſmo Medicæo aperta.

144. *Burdegalenſis* ad oſtium Garumnæ in Aquitania, quæ jam tempore Hieronymi celebris fuit, reſcripto Eugenii V. eſt inſtaurata.

1450. aliis 1460. *Friburgenſis* in Brisgoja, ab Alberto VI. archiduce Auſtriæ condita.

1454. *Glaſcovienſis* in Scotia, teſte Boethio, ſub Jacobo II. academica privilegia, autore Turnbullo loci præſide, accepiſſe dicitur.

1456. 17. Octobr. *Gryphiswaldenſis* in Pomerania à Wartislao IX. qui in concilio Conſtantienſi, qvid literæ proſint, intellexerat, conſilio Henrici Rubenovii, conſulis Gryphisvvaldenſis, olim Erici regis Daniæ, Sveciæ & Norvvegiæ Cancellarii, poſt primi academiæ Rectoris, fundata, & à Friderico III. imperatore & pontifice Calixto III. confirmata, & liberaliter à Rubenovio dotata eſt. Qui tamen paulo poſt, cum ſe opponeret Pomeraniæ ducibus, in tumultu eſt occiſus. A Bogislao XIV. ultimo duce Pomeraniæ præfecturam Eldenovienſem in dotem accepit.

Oſiand. p. 483. Svvert. in Ath. Belg. p. 78.

1460. *Baſilienſis* Rauracorum, occaſione concilii Baſilienſis, à Pio II. condita. *Veronenſis* etiam hoc anno celebritatem nacta fuiſſe creditur.

1469. *Conimbricenſis* in Luſitania, à rege Portugalliæ erecta. Aliqui tamen dicunt, eam anno 1557. inſtitutam.

1470. *Valentina* in Delphinatu ad Rhodanum, longe quidē ante videtur ſuos habuiſſe doctores, ſed circa hæc imprimis tempora cœpit florere.

1472. *Ingolſtadiana* in Bavaria à Georgio inferioris Bavariæ duce, collegio novo aucta, cum antea Georgii pater Ludovicus, ei anno à Pio II privilegia impetraſſet. Referunt aliqvi ejus ortum ad annum 1410. alii ad annum 1420.

1477. *Tubingenſis* in ducatu Wurtembergico, ab Eberhardo Barbato, primo Wurtembergiæ duce, introducta: cujus primus rector fuit Nauclerus, decretorum doctor, hiſtoricus, alias Vergenhans. Bucholz. In Chronol. hoc Ann.

1478. *Haffnienſis* in Dania, à Chriſtiano I. rege Daniæ fundari cœpta: à Johanne ejus filio autoritate Sixti IV. introducta: à Chriſtiano III. anno 1539. accerſito Witeberga D. Joh. Bugenhagio Pomerano inſtaurata, & à Friderico II. multis reditibus aucta. Func. in Chron. h. A. itemque Calviſ.

1480. *Aberdonenſis* in Scotia à Guilielmo Uphinſtoo, epiſcopo Aberdonenſi ſub Jacobo III. fundata, ut habet Hector Boethius, celeberrimus ibi philoſophus & theologus. Gerhardus Mercator tamen dicit, eam ab Alexandro, ejusque ſorore Iſabella, jam anno 1240. conditam, & multis privilegiis & reditibus donatam.

1482. *Moguntinenſis*, à Diethero, comite Iſenburgico, archiepiſcopo Moguntino, ſtudiis dicata. Calviſ. in Chronol. hoc Anno.

1484. *Dolona* in Burgundia maxime inclaruit, cum longo ante tempore fuiſſe adornata.

1486. *Mediolanenſis* anté multos annos in pretio fuerat: nunc autem vigorem ſub Hermolao Barbaro reſumſit.

1489. *Londinenſis* in Anglia, liberalitate Johannis Coleti, ſub Henrico VII fundata: in qua floruerunt Linacer, Thomas Morus, Polydorus Virgilius, & multi alii præſtantisſimi viri.

1490. *Taurina* in Italia Ciſalpina, diu ante aperta fuerat. Sed poſtquam Eraſmus Roterodamus ibi Doctoris inſignia conſecutus, publice docuit, maxime celebris facta.

1502. *Witebergenſis* in Saxonia, a Friderico Sapiente, electore Saxoniæ, in perniciem hæreſeos Antichriſtianæ bono omine introducta. Chytr. l. 5. Sax. p. 118 Fabr. 7.

1505 *Vratislavienſes*, indultu Uladislai regis Ungariæ & Bohemiæ, epiſcopo ſuffragante, academiam erecturi, impediebantur à Cracovienſibus, nec privilegia a Julio II. impetrarunt. Orig p. 797.

1506. *Francofurtana* ad Viadrum in Marchia a Joachimo I. electore Brandenburgico fundata. Primus ibi rector fuit Conradus Wimpina. Chytr. 6. Chron p. 145 Beccm. in Memor. Francof.

1515.

1515. *Eboracenſis* in Luſitania reſtituitur.

1517. *Complutenſis* in Hiſpania à Franciſco Ximenio, archiepiſcopo Toletano fundata. Circa qvæ qvoq; tempora Elias Reuſnerus dicit Fr. Alvarum *Toletanum*; M. Rodericum à S. Ælia *Hiſpalenſem*; Fernandum Talabricenſem antiſtitem *Granatenſem* erexiſſe. Hæ ipſæ tamen ſcholæ antea celeberrimæ fuerunt, & imprimis Hiſpalenſis erudivit Silveſtrum II. Avicenna quoqve atqve Iſidorus in illa floruerunt.

Middend. & vita Ximenii.

1526. *Marpurgenſis* in Haſſia, à Philippo, Landgravio condita quidem, ſed longo poſt privilegia demum adepta.

Swert. pag. 8. Chytr. l. 22. p. 298.

1530. *Cæſar-Auguſtana* in Arragonia, à Carolo V. fundata, anno 1584. inſtaurata.

Siwert. in Ath. Belg. p. 69.

1544. *Regiomontana* in Boruſſia, ab Alberto I. marchione Brandeburgico, primo duce Boruſſiæ, introducta, rectore primo Georgio Sabino.

Hartkn. de Reb. Pruſſ. § 25. p. 248. Chytr. l. 19. pag. 499.

1548. *Jenenſis* ſeu *Salana* in Thuringia, à Johanne Friderico I. electore Saxoniæ fundata, à Johanne Friderico II. Anno 1558. introducta.

Middend. de Acad.

1549. *Dillingana* in Bavaria ſuperiore, ab Ottone Truchſeſio VValburgio, epiſcopo Auguſtano & Cardinali, adornata.

1549. *Oſſanenſis* in Hiſpaniæ parte, quam Granatam dicimus, ſub Carolo V. cœpit.

1560. *Remenſis* in Campania, à Carolo Guiſio Cardinale Lotharingo & archiepiſcopo Remenſi fundata, aſſentiente Henrico II. rege Galliarum & Paulo III.

1560. *Gandiana* in regno Valentiæ inſtituta.

1560. *Viſontina* in Burgundia, ab Antonio Peronoto Granvellano, Cardinali & archiepiſcopo Mechlinenſi inſtituta.

1562. *Duacenſis* in Belgio, Philippo II. regi Hiſpaniarum originem debet autore eodem Ant. Peronoto Granvellano.

1568. *Argentinenſis* ſchola, qvam jam ante XXX. annos Jacobus Sturmius, ſenator primarius & ſyndicus, adornari curaverat, privilegia à Maximiliano II. accepit, & Johannes Sturmius, qui rationem inſtituendæ juventutis monſtraverat, perpetuus Rector eſt creatus. Noſtra demum ætate A. 1621. jus Univerſitatis à Ferdinando II. accepit.

Cruſ. part. 3. A. Suev. l. 12. c. 12. pag. 227.

1570. *Compoſtellana* in Gallia erecta.

1575. *Altorfienſis* in Norico, à ſenatu Noribergenſi inſtituta. Ante ſcholam Altorfienſem floruit ipſa *Noribergenſis*, etſi privilegiis academicis non exornata: celebris per Vitum Theodorum, Bilib. Pirchaimerum, Heſſum, Opſopœum. Primus Altorfii Rector fuit Val. Erythreus.

Middend. de Acad. Alſted. in Chron. Schol.

1575.

1575. *Lugdunenſis* Batavorum ſeu Leidenſis, ab Ordinibus & VVilhelmo Uraniæ principe introducta. Grot. l. 5. Ann. Belg. p. 327.

1576. *Helmſtadiana* in ducatu Brunſvicenſi & Luneburgenſi conſtituta. Unde etiam dicitur *Julia.* Chytr. l. 23. p. 639.

1580. *Claudiopolitana* in Tranſilvania à Gregorio XIII. privilegiis donata.

1581. *Franeckerana* ab Ordinibus Belgii fundata in Friſia.

1592. *Sedanenſis* in Gallia,

1595. *Vallisoletana* in Hiſpania à Clemente IIX. erecta,

1604. *Salmanticenſis* in Caſtilia.

1605. *Gieſſena*, à Ludovico Haſſiæ Landgravio, quem & orthodoxos Mauritius Marpurgo excluſerat, erecta, & à Rudolpho confirmata, traductis illuc Marpurgo profeſſoribus. Nunc Gieſſa illi Marpurgum, quod redditum eſt Ludovico, redierunt omnes. Cellar. ex Theatr. Europ. in Reb. hujus ſec. ad Ann. 1607.

1614. *Groningenſis*, in occidentali Friſia adornata.

1616. *Paderbornenſis*, ab epiſcopo Theodoro erecta.

1616. *Pragenſe Gymnaſium Jeſuiticum* privilegia academica accepit.

1617. *Salisburgenſis*, Benedictinorum ſchola itidem accepit privilegia academica.

1621. *Rintelenſis* ab Erneſto principe imperii, comite Holſatiæ, Schaumburgii & Sternbergæ ſolenniter introducta. Idem ibid.

1631. *Dorpatana* in Livonia, auſpiciis Guſtavi Adolphi regis Sveciæ, per Joh. Skytten L.B. generalem gubernatorem Livoniæ, Ingriæ & Careliæ introducta.

1640. *Aboenſis* in Finnonia, ad mandatum regis, per generalem gubernatorem Petrum Brahe, comitem in VViſingkborg, introducta.

XVII. Luſtratis pauliſper academiis, perge, ſi placet, ad concilia.

Carolum M. adverſus iconolatras *Francofurtanum concilium* Anno IↃCCXCIV. celebraſſe, & rationes Nicænæ ſynodi II. confutaſſe, ſuperiori ætate dictum eſt. Idem eo pietatis proceſſit, ut peculiarem librum contra adorationē ſtatuarum ederet, qui ſuperioribus annis in Gallia eſt editus & in Germania recuſus. Quam ob cauſam non immerito noſtratibus ſuſpecta eſt, & tanquam commentitia videtur *illa ſynodus*, quam Erphordienſis dicit Carolum anno IↃCCXCVII. coactis CCCLX epiſcopis celebraſſe, & reliquias in eo ſpectandas populo exhibuiſſe, decre-

tumqve feciſſe, ut quotannis ſpectaculum illud celebraretur. Nec enim vetuſtiores autores ullam ejus ſynodi injiciunt mentionem. Id qvidem certum eſt, Carolum multas alias ſynodos *Compoſtellæ*, *Pariſiis*, *Salisburgi*, *Arelate*, *Moguntiæ*, *Remis*, *Turone*, *Cabilone*, & *Aquisgrani* celebrari juſſiſſe. Sed in iis tantum abfuit, ut nugas illas de reliquiis exoſculandis magnificaret, ut potius diſſolutos eccleſiaſticorum mores corrigeret, & quantum potuit, ſanitati doctrinæ conſuleret, quam obſcurare cœperant pontificii. Poſt Carolum quæcunque leguntur coacta concilia, in canonibus condendis, & in officio clericis præſcribendo utplurimum occupata fuerunt. Sic Ludovicus I. ejus filius convocato *Aqvisgrani* ex Germania & Gallia concilio ex optimatibus tam eccleſiaſticis quam politicis adverſus diſſolutā clericorum vitam & mores profligatos, egregios condidit canones. Tandem circa ann IↃCCCLIX PHOTIUS multis ſynodis occaſionem præbuit Ignatio, patriarcha Conſtantinopolitano, depoſito, quia in imperatorem Michaelem III. conſpiraſſe dicebatur, ad dignitatem patriarchatus ex laico erectus fuerat. Miſit igitur Nicolaus II pontifex legatos ad diſſidii compoſitionem, &, cauſa Ignatii ſuſcepta, ſæpius Photium excommunicavit. Ille coactis CCCXX. epiſcopis contra papam concilium celebravit, & libris etiam editis errores & tyrannidem ejus caſtigavit. Sed Baſilius imperator, cum Photius cenſuram in illum ſtrinxiſſet quod Michaelem III à qvo in ſocietatem imperii aſſumtus fuerat, necaſſet, anno IↃCCCLXVI illo depoſito, Ignatium reſtituit, & triennio poſt concilium aliud Conſtantinopoli celebrari curavit, qvod vocant OECUMENICUM OCTAVUM, cum potius conciliabulum & conventiculum CXX. epiſcoporum male ſentientium fuiſſet dicendum. Nam qui ſubjectionem & obedientiam Romanæ ſedi jurare nolebant, in conſeſſum nō ſunt intromiſſi, ſed cum ignominia foris relicti. Imaginum interim cultus impius eſt confirmatus, humanæ traditiones Chriſti eccleſiæ obtruſæ, dominium eccleſiaſticum invectum. Finito concilio res accidit memoratu digna. Nam cum ad ſubſcriptionem actorum res eſſet deducta, quidam ex Græcorum epiſcopis Baſilium imperatorem adierunt, conqueſti, per libellos quos initio ſcribere juxta formam pontificis coacti fuiſſent, *Conſtantinopolitanam eccleſiam plane in poteſtatem Romani pontificis eſſe redactam, nec poſſe unquam libertatem priſtinam recuperare, niſi libelli pontificis extorqverentur, & ſibi redderentur.* Actum de ea re magna contentione cum pontificiis. Ægerrime impetrata reſtitutio, ut conſtat ex *Magdeburgenſibus Centuria IX. cap. IX.* Quanquam, quod

Vincent. in Spec. c. 23. Zonaras Tom. 3. Magdeb. Cent. 9. cap. 2.

dixi

dixi, Photius ex decreto concilii, ceu vocant, œcumenici octavi fuerat patriarchatu dejectus, reducto in ſedem Ignatio: poſtquam tamen Ignatius hic fatis ceſſit, autoritate Baſilii imperatoris Conſtantinopolitani, ſuffragia Johannis IX pontificis Romani & patriarchæ Hieroſolymitani dignitatem amiſſam recuperavit, celebrato Conſtantinopoli ea de cauſa *concilio alio*, qvod à plurimis, ipſoqve *Gratiano 7. q. 1. c. 45. vocatur octavum Oecumenicum.* In hoc præter legatos Johannis IX. pontificis, anno IↃCCCLXXIX convenerunt CCCLXXXV. epiſcopi, & Photium ſedi reſtituerunt, canone inſuper condito, quo interceptæ ſunt appellationes ad ſedem Romanam & recurſus ad eam: ut, ſicuti excommmunicati à Romano pontifice non ſuſciperentur à Photio, ita nec abſolverentur a Romano pontifice quos Photius excommunicaſſet. Hoc tamen concilium poſtea pontifices Romani acriter oppugnarunt, legatis etiam ſuis, qui interfuerunt, damnatis: idque effecerunt, ut Baſilius filius, Leo, Photium depoſitum in monaſterium Armenorum relegaret, & ei germanum ſuum Stephanum ſurrogaret.

XIIX. Sic igitur pontificia tyrannis & aſtutia in ipſis conciliis, in quibus autoritatem quærebat, confuſa eſt. Sed quid habes de reliquorum ſeculorum conciliis?

Ea magis ad pompam & ſplendorem celebrata ſunt, quam ad veritatem verbi divini tuendam. Si quid tamen decreverant, id ſaltem eo ſpectavit, ut faſtus & libidines eccleſiaſticorum coercerentur. Hi vero poſt quam ſemel in nequitiæ & impotentisſimæ ſuperbiæ barathrum præcipitati fuerant, nullis legum clauſtris, nullis ſanis adhortationibus locum concedebant. Ruebat, ſi paucos excipias, totus clericorum ordo in perniciem, & neglecto docendi munere ea quærebat in quibus Epicurus, vel ſi quis turpius, quam Epicurus inſanivit, ſummum bonum quærebat. Fuit ergo hiſce temporibus hæc celebrandorum conciliorum *prima cauſa* ut eccleſiaſticorum luxuria caſtigaretur & canones qvales qvales conderentur: *ſecunda*, qvæ primæ eſt agnata, ut pontificum tyrannidi obviam iretur. Sic Otto I. in conciliis *Romanis* anno IↃCCCCLXIII. Johannem XIII. (XII) & ſequenti anno Benedictum V. (IV.) depoſuit. Et Henricus anno cIↃXLVI. tres corvos qvæſtuoſo pontificatui inhiantes (de reticulo Petri humido procul dubio non digladiaturos) in ſynodo *Sutrienſi* degradavit, ſubſtituto Clemente II. Henricus IV. item in ſyno- Oſiand in Cent. hiſt. E c hujus ſeculi. Caranza in Summa Concilior.

do *Mantuana* pontificatum per Annonem Alexandro an. cIↃLXVI. adjudicavit, Honorio II. depoſito: in ſynodo autem *Wormatienſi & Ticinenſi* anno cIↃLXXVI. Gregorium VII. pontificem indignum judicavit. Eundem in finem Fridericus Barbaroſſa concilium *Papiæ* coëgit, & Victorem contra Alexandrum III. eſſe legitimum papā pronunciavit. *Tertia cauſa conciliorum habendorum fuit*, ut diſſidia epiſcoporum tollerentur, ſi quis alteri depoſito ſubſtitutꝰ eſſet, vel ob alias cauſas ab eo diſſideret. Sic circa annum IↃCCCCXCII. *tres ſynodi in Gallia* habitæ leguntur in cauſa Arnulphi archiepiſcopi, quem quidem curavit Hugo Capetus rex deponi, ſed tertia ſynodus hac de cauſa habita reſtituit. Et quoties duo vel tres ſimul papæ creati diſſidebant: res ad concilium tandem delata eſt. *Quarta acceſſit cauſa*, ut hæreſes repullulaſcentes exſcinderentur. Sic circa annum cIↃL. contra Berengarium plures ſynodi ſunt habitæ, *duæ Romanæ, Vercellenſis, Turonenſis.* Et contra Petrum Abailardum ejusq; diſcipulum Gilbertum philoſophum, qui de Trinitate minꝰ commode loquebantur, *Sueſſione, Pariſiis, Remis*, circa annum cIↃCXL. epiſcopi convocati coiere. *Lateranenſis ſynodus* anno cIↃCCXV. Joachimi abbatis ſententiam, qua putabatur quaternitatem in Deo ſtatuere, confutabat. Quo pertinet *diſputatio Conſtantinopolitana* Anshelmi, epiſcopi Saxonici, & archiepiſcopi Nicomedii Nechitis anno cIↃCXXXIIX. habita: & iterum *alia* anno cIↃCLXXII. inſtituta inter Græcum & Latinum doctorem de proceſſione Spiritus S. & primatu papæ. Ipſos quidem pontifices & epiſcopos aliis etiam de cauſis, & in negotiis quoq; civilibus, ſynodos congregaſſe certum eſt: ſed in plerisqve ſtabilitum eſt tyrannicum in eccleſias dominium: conjugia ſacerdotibus cum luctu totius eccleſiæ interdicta: imperatores & principes vexati: acta priorum pontificum aut probata aut abrogata: inveſtituræ ſacerdotum, per imperatores & reges factæ, improbatæ: expeditiones ſacræ in terram ſanctam imperatæ. Sic Hiltebrandus miris modis Henricum IV; Paſchalis II. & Calixtus II. Henricum V; Alexander III. Fridericum Barbaroſſam; Innocentius IV. Fridericum II; alii alios, *variis in ſynodis* ſupra modum vexarunt. Quomodo imprimis ſudaverint pontificii in diſſolvendis ſacerdotum conjugiis, paſſim *in centuria XI. XII. & XIII. Magdeburgenſium* invenies. Volvebantur enim ea ſecula, quibus monachi ſacris proficiebantur præ reliquis. Ideoque qui votum caſtitatis (ceu loqvuntur) non fecerat, vel facere recuſabat, ad ſacrorum miniſteria non admittebatur. In quo negotio etiam cacodæmonum opera uſi ſunt,

ut

ut patet *ex Polydoro libro VI. Malmesburienſi libro II. & Ranulpho libro VI. cap. XI.* Cum enim *Dunſtanus*, Anglus, in *Wintonienſi ſynodo*, conjugia ſacerdotum eſſe interdicta, ex verbo Dei obtinere non poſſet, arte magica imaginem crucifixi Chriſti hunc in modum loquentem fecit: *Vera eſt Dunſtani via. Non bene ſentiunt, qui presbyteris favent.* Quid putas bubonem illum fuiſſe locuturum, qui patribus Romanis *in concilio Romano* anno cIↃCCCCXI. ſe præbuit conſpiciendum, ſi illi etiam ſermo fuiſſet conciliatus? Cum enim, ut *Nicolaus Clemangis, doctor theologiæ apud Pariſienſe* refert, ante primani concilii congresſionem pro invocatione Spiritus S. ſolito fuit more Miſſa celebrata, ubi concilium aſſedit, ipſeque Johannes in parata ſibi cathedra ſublimior præſedit: ecce *dirus & feralis bubo*, funeris aut alterius (ut ferunt) calamitatis ſemper nuncius, è latebris ſuis erumpens, cum ſua illa horrifica voce continuo advolat, ſuperqve trabem templi mediam oculis in papam directo intuitu conjectis adſtitit. Cœperunt univerſi mirari, quod nocturna avis & lucifuga diurna luce in turbæ medium adveniſſet, malumqve omen ex prodigio non immerito ſuſpicabantur, & inquiebant ſuppreſſa voce alter ad alterum: *in ſpecie bubonis Spiritus adeſt.* Cumque cæteri & ſe mutuo & papam ſpectantes, vix riſum tenerent, Johannes ipſe, in quem avis, fixa acie oculos intenderat, rubore ſuffuſus, ſudare, anguſtiari, atque intra ſemetipſum æſtuare cœpit; tandemque non inveniens, qua alia ratione poſſet ſuæ tantæ confuſioni conſulere, ſoluto concilio ſurgens diſceſſit. Altera ſesſione iterum adſuit bubo, nec clamorū inquietudine nec aliis tremefactus moleſtiis aufugere volens. Denuo igitur diſſolvit concilium: in cujus contemtum atque irriſionem adducti patres, re infecta diſceſſerunt. *Hactenus verba* Clemangis. Memorabile imprimis eſt, quod ſeculo IV. *Conſtantinopoli* quatuor concilia ſunt habita *de lumine, quod in monte Tabor diſcipulos colluſtravit*, Gregorio Palama monacho contendente, fuiſſe illud ipſam deitatem & naturale Dei lumen; Barlaam Alexandrino & Gregora contradicentibus, qui damnati ſunt.

XIX. Octo concilia, œcumenica dicta, ſupra enarraſti. Dic quæſo, an præter illa ſeqventibus ſeculis plura ſint celebrata, quæ inter œcumenica referuntur?

Decem adhuc numerat Binius in tomis conciliorum, ut Tridentinum, ſuperiori ſeculo celebratum, inter œcumenica concilia ſit *decimū octavum*.

Sed

Sed parum autoritatis habent, aut quia á nutu unius pontificis dependerunt, aut ſi contra pontificem in iis quicquam decretum eſt, plus conſvetudini, quam veritati dederunt. Nobis vel digito eorum hiſtoriam monſtraſſe ſufficiat.

Tom. 2. Concil. edit. Colon. fol. 94.

Lateranenſe I. *Binio œcumenicum IX.* anno cIↃCXIX. à Calixto II. pro pace & concordia inter pontificem & imperatorem ineunda, & pro terra ſancta à Saracenis recuperanda, celebratum: cui Abbas Urſpergenſis dicit CCCCXXVI. Patres interfuiſſe. Quia autem hoc concilium ſtatim poſt XII. dierum diſſolutum eſt, & quæſtionem de inveſtituris epiſcoporum, quas papa ſibi repoſcebat; Henricus V. imperator ad conventum principum ſuorum rejecit: nec ipſe, ut promiſerat, intereſſe dignabatur: acta etiam nulla concilii extant, quæ vel minimam ſuſpicionem eorum requiſitorum produnt, quæ ad concilium generale neceſſaria ſunt. *Romanum* vocare poteris hoc concilum, non vero *œcumenicum*: tentatum atqve indictum; non autem celebratum.

fol. 160.

Lateranenſe II. *Binio œcumenicum X.* anno cIↃCXXXIX. ab Innocentio II. contra Anacletum & Victorem, antipapas, in conſeſſu mille circiter Patrum celebratum. Tantum autem abeſt, ut hoc œcumenicum haberi qveat, ut vix concilii nomine dignum videatur, nedū œcumenici. Innocentius, adverſus qvem Anacletus & Victor ultra IIX. annos ſedem Romanam obtinuerant, extorris hactenus & exul in Gallia fuerat circumvagatus. Anacletus, & poſt eum Victor, interea ſe pro pontificibus in urbe, favori Cardinalium & Rogerii Siciliæ ducis innixi, geſſerant. Rediit Innocentius, adverſariis everſis. Agnitus eſt pro papa à Curialibus convocatis. Quorum congreſſus ſi œcumenicum conſtituunt concilium, non jam octodecim, ſed centum amplius œcumenica concilia recenſere licebit.

Lateranenſe III. Binio *œcumenicum XI.* anno cIↃCLXXX. ab Alexandro III. in conſeſſu CCLXXX. epiſcoporum celebratum. Interfuerunt præter eos qui in verba pontificis in Imperio & Anglia jurarunt alii qvi ex Palæſtina quæ tum in Chriſtianorum poteſtate erat. Hinc vocarunt Oecumenicum: in qvo XXIIX capitula ſunt condita de modo eligendi ſummi pontificis, de abolendis ordinationibus ab Antipapis introductis deqve aliis rebus, quæ ad emendandos eccleſiæ mores ſpectant, ut & de Waldenſibus damnandis, qvi variis nominibus traducebantur, multorum errorum, jure an injuria, inſimulabantur.

Lateranenſe IV. Binio *œcumenicum XII.* anno cIↃCCXV. ab Innocentio

centio III. in conſeſſu IↃCCCC. epiſcoporum & IↃCCC. aliorum Patrum, Abbatum, Decanorum & Priorum conventualium celebratum, eo fine, ut eccleſia in fide & moribus reformaretur, & principes ad terram ſanctam à Saracenis recuperandam incitarentur. Interfuerunt Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, patriarchæ. Antiochenus & Alexandrinus vicarios miſerunt. Nec defuere præter præmemoratos epiſcopos & Prælatos legati Græci Romani imperatoris, regumque aliorum. Condita ſunt LXX. capitula; & poſt editam fidei de præcipuis religionis noſtræ myſteriis confeſſionem, *in qua transſubſtantiatione monſtroſa eiq; annexa oblatio Miſſæ determinata eſt eccleſiaſtice*: *libellus Joachimi Abbatis* contra *Petri Lombardi* doctrinam de Trinitate damnatus: & executio adverſus quoscunq; alios hæreticos, Albingenſes puta & Almaricum, ſecularibus poteſtatibus commiſſa eſt. Interdictum etiam eſt, *ne Græci Latinos abominarentur, nec baptiſatos ab iis rebaptiſarent, ſed conformarent ſe, tanquam obedientes filii Romanæ eccleſiæ, ut ſit unum ovile & unus paſtor*. Reliqua videantur in ipſis conciliorum tomis.

Lugdunenſe I. In Burgundia, Binio *œcumenicum XIII* an. cIↃCCXLV. ab Innocentio in conſeſſu CXL. epiſcoporum celebratū. Qvo ſpiritu hoc, ſi Diis placet, œcumenicum concilium adminiſtratum ſit, hiſtoriæ, & imprimis *Matthæi Pariſienſis*, loqvuntur. Fridericus II. imperator autoritatem, ſibi cœlitus & communi procerum imperii conſenſu conceſſam, injuriis pontificum ſubmittere nolens, quam aliqvoties pro virili vindicaverat. Cumq; factionibꝰ ſcinderetur orbis Chriſtianus, nonnullis pontifici, aliis imperatori faventibus, placuit Lugduni concilium indicere Pauci ad illud ex Germania; nulli ex Hungaria & terra ſancta coierunt *Primo* in congreſſu patriarcha Conſtantinopolitanus (nam & ille cū patriarcha Aquilegiæ intererat) de miſero orientalium eccleſiarum ſtatu multa conqveſtus eſt. Ad qvod Papa tacuit, dicente Pariſio. *Inde* actum eſt de canoniſatione Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi. Sed res dilata eſt. *Poſt* Taddæus de Sveſſa, imperatoris procurator, multa de domino ſuo promittere. Papa, incuſato imperatore, quis pro eo fidejubere vellet, rogare. Spopondit Taddæus fidejuſſores duos Francorum & Anglorum reges. Papa contra: *Nolumus, quia, ſi à pactis recederet imperator, in tres ſimul eſſet animadvertendum*. Sic ſiluit Taddæus. *Hinc* triſtem terræ ſanctæ caſum epiſcopus Beritenſis ſuperveniens, qui ſeptem menſes in maris & terrarum diſcriminibus conſumſerat, nunciavit. Illacrymarunt omnes. Sed altum de ſubſidiis ſilentium. *In Imperatorem*

Caranza in Summa Concil.

omne virus deſervandum erat. Huic objecit pontifex hæreſin, ſacrilegium, cum Saracenis colluſionem, concubitus cum meretricibus Saracenis, perjurium. Taddæus, utut in diluendis omnibus operoſus, non audiebatur: &, cum rogaret, ut poteſtas fieret domino ſuo coram adeſſe, papa id fieri poſſe negavit, minitatus receſſurum, ſi ille adſit: timere enim laqveos, quos vix evaſiſſet. Indulſit tamen Taddæo inducias duarum ſeptimanarum. Imperator, ſacrum dedecere imperium ratus judicio ſiſti maxime ſibi adverſante, quia ſuam cauſam concilio iniqvo ſubmittere noluit, reliqvorum etiam epiſcoporum, qui pro eo ſteterant hactenus, odium incurrit, & fruſtra reluctante & acriter defendente imperatorem Taddæo, ultimo etiam conatu ad concilium proxime futurum generalius provocante, contumaciæ reus declaratus, atqve terribili excommunicationis ſententiæ ſubjectus eſt. Angli vero de intolerabilibꝰ curiæ Romanæ exactionibus graviter conqueſti, nullo reſponſo digni ſunt habiti. Qui autem terram ſanctam reparaturi erant, cruce ſignati, & canones aliqui de progreſſu juris conditi, & principes imperii admoniti ſunt, ut alium ſibi eligerent imperatorem.

Lugdunenſe II. Binio œcumenicum XIV. anno cIↄCCLXXIV. à Gregorio X. in conſeſſu plusquam Iↄ; ſecundum alias IↄCC. epiſcoporum celebratum. Ad id contulit ſe etiam *Michael Palæologus*, Græcorum imperator cum Joſepho patriarcha Conſtantinopolitano: & . *quod dicunt Nauclerus, Volaterranus & Gregoras*, non ſolum profeſſus eſt, Spiritum S. à patre filioq; procedere, atqve ita Græcos ſuos occidentali eccleſiæ, novam ſcilicet Romam veteri, univit: ſed & à pontifice Romano imperii confirmationem petiit: atq; conceſſit, ut cuivis liceret Romam veterem appellare & papæ in omnibus principatus deferretur. Græcus imperator variis difficultatibus tunc pene ad deſperationem compulſus, multa ſibi ab inita cum Romana eccleſia concordia promiſerat. Sed orientalis eccleſia, ipſeque patriarcha Conſtantinopolitanus Joſephus, nunquam rata habuit, quæ imperator ſuus pontifici conceſſerat. Imperator etiam ad ſua reverſus, ſubito receſſit ab iis, quæ dederat, & ob id à Martino IV. pontifice diris devotus eſt. Cæterum indicto concilio præter alios canones conditos decimæ ſexennales rerum eccleſiaſticarum cunctis ſacri ordinis viris impoſitæ ſunt.

Func. in Chron. f. 156. Oſiand. Cent. 14. l. 1. cap 3. pag. 411.

Viennenſe, Binio *œcumenicum XV.* trecentorum amplius epiſcoporum anno cIↄCCCXI. à Clemente V. celebratum, duravit biennium. Occaſionem præbuit ei Philippus rex Galliæ, qvondam à Bonifacio IIX. cen-

cenſuris eccleſiaſticis innexus, qui Clementem per ſuos in ſedem pontificiam evexerat, & memoriam Bonifacii in perpetuum aboleri volebat, articulis XL. propoſitis, quibus Bonifacii mores præter alia facinora, de hæretica impietate incuſabantur. Clemens negotium diſtulit ad concilium: quod Bonifacium quidem de intentata impietate & hæreſi abſolvit: ſed acta ejus in Philippum reſcidit: & præterea de recuperanda terra ſancta conſultavit: quinos libros Clementinarum publicavit: ordinem Templariorum, qui annis pene CLXXXV. floruerat, ad inſtantiam prædicti regis Philippi, exſtirpandam judicavit, & eorum poſſesſiones Hoſpitalariis adjudicavit: Fratricellos etiam, Dulciniſtas, Begardos & Beguinos hæreſeos damnavit.

Conſtantienſe ſeſquitriennale, Binio *œcumenicum XVI.* epiſcoporum CCL. anno cIↃCCCCXV. ob cauſam tollendi ſchiſmatis, cui tres papæ ſibi contrarii anſam dederant, à Sigismundo imperatore eſt procuratum: ad quod præter imperatorem & papam Johannem XXIII. ultra LXcIↃ. peregrinorum convenerunt. Sed mature papa Johannes, ob multa ſibi injecta crimina clam noctu Conſtantia fugit, & ſe in Auſtriam recepit. Tres papas, *Johannem XXIII. (XXII.) Benedictum XIII. & Gregorium XII.* qui inter ſe de divitiis mundi papalis & diademate triplici digladiabantur, *electo Martino V.* hoc concilium depoſuit: Wiclefi, Antichriſtianæ doctrinæ oppugnatoris, doctrinam, longe quam monachorum puriorem, damnavit: Huſſum & Hieronymum Pragenſem contra datam fidem publicam exuſſit: hæreticis non eſſe habendam fidem ſanxit: cœnobia numeravit & Benedictinorum XVcIↃCVII. in ſola Europa invenit: Laicis euchariſtiam ſub una duntaxat ſpecie eſſe diſtribuendam canone impio contra ſcripturæ canonem decrevit: papam concilio ſubjecit: deque reformatione Clericorum articulos quidem concepit, ſed non publicavit. Seſſiones in univerſum XLV. habitæ ſunt. Ut autem in hoc concilio omnia ordine gererentur, diſtributum fuit in quinque nationes, Italos, Gallos, Anglos, Hiſpanos, & Germanos, quæ ſingulæ ſuum elegerunt præfectum: quod quidem papæ & cardinalibus adeo diſplicuit, ut de deſerendo concilio cogitarent. In hoc concilio *Johannes Gerſon*, Academiæ Pariſienſis cancellarius, publice aſſeruit, *concilium adeo eſſe ſupra ſummum pontificem, ut poſſit ejus bullas & ordinationes facere irritas, eumq; ad ſtandum coram concilio compellere & deponere, & uſum pontificiæ poteſtatis in certis legibus & ſtatutis limitare: expedire eccleſiæ politiam ex monarchia & ariſtocratia mixtam.*

Tom 2. Concil. edit. Colon. fol. 501. & ſeqq. Oſiander. Cent. 15. lib. 2. cap. 4. pag. 449. ſeqq.

Hoc ipſum in *tractatu de poteſtate eccleſiaſtica, & in libro de auferibilitate papæ ab eccleſia* inculcabat, fretus autoritate *Petri de Alliaco*, cardinalis Cameracenſis, qvi in libro de autoritate eccleſiæ, patribus Conſtantienſib9 oblato, idē oſtendere conabatur. Tandem hoc concilium poſt triennium diſſolvitur: & aliud concilium *Papiæ* propediem celebrandum indicitur, quod etiam anno 422. Papiæ quidē eſt inchoatum, ſed ſtatim poſtea *Senas* translatum. Sed & hoc anno ſequenti juſſu pontificis Martini V. eſt ſolutum, cum inter Alphonſum, regem Arragoniæ, qvem Johanna regina Neapolitana, Caroli Dyrrachii filia, antea adoptatum rejecerat, & inter Ludovicum, regis Siciliæ filium, à Johanna novum heredem inſtitutum, in Italia bellum arderet, cui papa erat implicatus. Interim concilium *Baſileæ* celebrandum eſt indictum.

Tom. 3 Concil. Colon. edit. fol. 609. Oſiand. Cent. 15. lib. 2. cap. 2. pag. 476.

Baſileenſe, in duodecimum usque annum protractum, anno cIↄCCCCXXXI. cœpit: cujus acta Æneas Silvius, poſtea papa, duobus libris conſcripſit. *Martinus V.* illud indixerat. Succeſſor ejus *Eugenius*, quia pontificatum male adminiſtrarat, & concilium invitis patribus alio transferre volebat, citat9 comparere recuſans, depoſitus eſt; ſubſtituto *Felice V.* Et quanquam aliud concilium *Ferrariæ* primum, deinde *Florentiæ* cogeret Eugenius, & in eo Baſilienſes antiſtites improbaret: perſtiterunt tamen ii in ſententia, negantes, *papam generale concilium, legitime congregatum, poſſe ſine ejus conſenſu diſſolvere, ad aliud tempus prorogare, aut in alium locum transferre.* Præterea ſtatus in capite & membris eccleſiæ reformare, atqve aliquomodo purgare ſtuduerunt: fruſtraneum laborem in Bohemis & Huſſitis ad errores pontificios poſtliminio reducendos ſuſceperunt, & totis L. diebus cum eorum doctoribus evocatis ſic diſputarunt, ut cauſam non vicerint: utramque tandem ſpeciem in Euchariſtia illis conceſſerunt: *Pragmaticam ſanctionem* de pontificis in conferendis ſacris beneficiis & in controverſiis indicandis limitata poteſtate promulgarunt: papam concilio ſubjecerunt: & qui aliud doceret, illum damnarunt: eundem deponi poſſe ſanxerunt: annatas damnarunt: exactiones, qvibus germanicas eccleſias hactenus papæ onerarant, imminuerunt: ſeſſionibus ad ea omnia decernenda XLV. habitis. *Pragmaticam tamen illam ſanctionem*, cujus mentionem fecimus, qvæq; anno cIↄCCCCXXXIIX. tempore regis Caroli, *in concilio Bituricenſi* in Gallia publicata & approbata eſt, poſtea ſemper pontificii impugnarunt, & hæreticam appellarunt.

Ferrarienſe ſeu *Florentinum CXLI.* Epiſcoporum ex Græcis œcumenicum

nicum IIX. Binio *œcumenicum XVI.* & cœpit anno 1438. durante adhuc concilio Baſilienſi, unde Cardinales diſceſſerant omnes, excepto uno Ludovico, Cardinale Arelatenſi, qui cum reliqvis patrib9 Baſileæ adhuc aliqvot annis poſt Ferrarienſe ſeu Florentinum perſtitit, & concilio præſedit. Germani autem *Francofurti* ad imperatorem poſt Sigismundum defunctum eligendum congregati, decreta neutrius partis ſuſcepere, licet nec Baſilienſe concilium improbarent, nec pontificem Eugenium. Et hæc *neutralitas Germanica* in octavum annum producta eſt, poſt finitum jam utrumqve concilium: factumqve ut *in conventu Moguntino* anno 1439. epiſcopi Germaniæ *decreta quidem reliqua concilii Baſilienſis ſuſciperent, ſed illud, qvo Eugenius pontifex depoſitus eſt, ſuſpenderent.* Iidem anno 1446 miſſa *ex comitiis Francofurtanis* ad Eugenium legatione, *quatuor* ab illo fieri volebant, *ut* aliud generale concilium ad curanda eccleſiæ vulnera convocaretur: *ut* autoritas conciliorum generalium ſtabiliretur: *ut* nationi Germanicæ in gravaminibus oportune provideretur: *ut*, quæ in præjudicium Colonienſis & Trevirenſis archiepiſcoporum acta eſſent, revocarentur. Quæ etiam ab Eugenio tunc approbata ſunt. Cæterum concilium, *rogatu imperatoris Conſtantinopolitani Johannis Palæologi*, auxilia adverſus ſocerum Johannem Contacuzenum impetraturi, ad unionem Græcæ & Latinæ eccleſiæ eſt *Ferrariæ* inchoatum, & *Florentiæ* anno ſubſequenti finitum. Interfuit ipſe Palæologus imperator cum patriarcha ſuo Joſepho & aliis epiſcopis Græcis. Ferrariæ habitæ ſunt XVI. ſeſſiones; Florentiæ IX. in univerſum XXV. Græci cum Venetias appliçuiſſent, intelligentes, concilium Baſilienſe diſſentire ab Eugenio pontifice, qui tum Bononiæ ſubſiſtit, etſi invitabantur à patribus Baſilienſib9, Eugenii tamen pontificis autoritatem, ut jam dictum eſt, prætulerunt, & Ferrariam atqve inde Florentiam profecti, & ſæpius cum doctoribus Latinis congreſſi, quæſtionem de Spiritus S. à filio proceſſione imprimis in dimicationem vocarunt, arguentes, *non licuiſſe Romanæ eccleſiæ illud* (FILIOQ.) *ſymbolo apoſtolico addere.* Cumque doctores Latini provocarent ad autoritatem Græcorum patrũ, Anaſtaſii, Cyrilli, Didymi, Chryſoſtomi, & imprimis Baſilii, *an codices Patrum ſine menda legerentur*, diu diſquiſitum eſt. Propoſita erant alia etiam capita *de purgatorio & primatu pontificis, & an liceat in pane fermentato euchariſtiam adminiſtrare.* De quibus omnibus diſſidebant *Latini & Græci:* quorum *illi* ſtatuebant, ſanctorum animas perfectam jam in cœlis gloriam eſſe adeptas; quæ verò abſq; perfecta mortalium peccatorum ſatisfactione exeunt corporibus,

Caranza in Summa Conciliorum. Oſiand. loc. cit. p. 477.

vero purgatorii igne temporaliter purgari: primatum pontifici Romano qvoad jurisdictionem in omnes eccleſias deberi; panem in cœna oportere eſſe azymum & infermentatum: *hi* verò non alium ignem, qvam æternum damnatorum poſt reſurrectionem corporum agnoſcebant, & temporaneam animarum pœnam docebant non eſſe ignem, ſed locum tenebricoſiorem, unde precibus & eleemoſynis fidelium ſublevarentur, ſicuti locus beatarum animarum ſit ſeparatus, in qvo læta mente verſentur, donec poſt reſumtionem corporum plenam gloriam adipiſcantur; panem fermentatum in cœnam eſſe adhibendum: primatum eccleſiæ Romanæ in Græcas eccleſias, ut qvæ ſint extra ejus obedientiam, nullam eſſe: nec pontificem Romanum plus habere poteſtatis, qvam Græcos patriarchas, & qvicqvid præter conſcientiam eorum per papam actum eſt à tempore concilii œcumenici VII. nullius valoris eſſe: nec enim ullum concilium pro œcumenico habendum eſſe poſt illud, quod ſeptimum vocatur, ut ita Ferrarienſe ſeu Florentinum ſit octavum. Omnes in illo ſeſſiones in una qvæſtione de proceſſione Spiritus S. à Patre Filioque inſumtæ ſunt. *Reſponſalis* (ſic Antoninus, qui interfuit concilio, *Reſpondentem* vocat) ex parte Græcorum fuit Marcus, epiſcopus Epheſinus; *Arguens ſeu Reſpondens*, nomine Latinorum, M. Johannes de monte nigro. Joſephus, patriarcha Conſtantinopolitanus, extremum diem Florentiæ obiit: &, cum animam ageret, jamjam moriturus, epiſtola quadam Latinorum doctrinam confirmaſſe dicebatur. Ipſe imperator, graviter reluctante epiſcopo Epheſino, videbatur ad Romanorum doctrinam propenſus: ſuntqve qvi Græcos dicunt ſeſe in quæſtione de proceſſione Spiritus S. à Filio, deque purgatorio cum Latinis conjunxiſſe, libertate impetrata ad euchariſtiæ adminiſtrationem panem fermentatum adhibendi. Sed domum reverſos reliqui Græci male acceperunt: actaque ſunt reſciſſa, præſertim cum fraudem in epiſtola patriarchæ Joſephi, quam moriturus dicebatur ſcripſiſſe, deprehenderent. Id imprimis notandum, quod non tantum *appellationes ad Romanam ſedem ab aliis patriarchalibus; ſed & poteſtatem pontificis Romani in concilio œcumenico absq; imperatore & reliquis patriarchis celebrando*, negaverint. Et *Nilus*, archiepiſcopus Theſſalonicenſis, doctis ſcriptis errores Romanorum de primatu pontificis & purgatorio confutavit. Multa jactitant ſcriptores pontificii *de unione Armenorum & Jacobitarum in hoc concilio cum eccleſia Romana.* Sed etſi eam tentavit Eugenius papa, fruſtraneus tandem tamen omnis labor eſt deprehenſus: quia populi illi dominatum papæ eccleſiaſticum probare

non

non poterant. In hoc concilio primum conſtitutꝰ eſt *canon Scripturæ, libros apocryphos complectens, & alius de ſeptem ſacramentis.*

Lateranenſe V. Binio *œcumenicum XVII.* epiſcoporum CXV. à Julio II. & Leone X. anno cIↃIↃXII. per quinquennium celebratum. Nam poſtquam Julius II. in ſedem pontificiam evectus, jurato promiſerat, ſe intra biennium univerſale concilium indicturum, nec tamen promiſſis ſtabat, ſed bella ex bellis nectebat: Cardinales plurimi, patrocinio imperatoris Maximiliani & regis Galliarum aliorumque principum freti, *Piſis* anno cIↃIↃXI. coierunt: pontificem ad cauſam dicendam evocarunt: non comparentem ſede pontificia indignum pronunciarunt. Sed qvid potuerit doctrina & pius zelus, *inquit Lutherus Tom. I. Jenenſi Latino p. 82.* ſatis probavit eventus eorum doctiſſimorum & ſanctiſſimorum virorū, qui ſtuduerunt reformare eccleſiam, inſtituto ad hanc neceſſitatem concilio. Qvatuor imprimis in hoc concilio agitata ſunt: *papam poſſe accuſari, ſi ſit incorrigibilis in crimine ſcandaloſo: eundem obligari efficaciter ad id, quod promiſit, nec à ſeipſo poſſe abſolvi: contra eum generale concilium eſſe judicem: minorem numerum Cardinalium convocare poſſe generale concilium, quando major pars adhæret pontifici in caſu, quo accuſatus judicari debet.* Cumque è Piſis concilium eſſet *Mediolanum* translatum: ibi accuſatus eſt Julius papa contumaciæ, & ab omni papali dignitate ob enormia flagitia ſuſpenſus: adminiſtratio autem papalis ad *ſynodum Piſanam* devoluta: & antipapa declaratus *Martinus*, antea Bernardinus, Cardinalis S. crucis. Sed Julius II. concilio Romæ in eccleſia, quam vocant *Lateranenſem*, convocato, imperatorem pertraxit ſtatim in partes ſuas, & acta ſynodi Piſanæ irrita fecit. Qvinqve prioribus ſeſſionibus præſedit Julius II. reliquis ſeptem Leo X. Actum inter alia eſt in hoc concilio *de animæ immortalitate, de ſtudio philoſophiæ & poëſeos* ab eo, qui in ſacris ordinibus *conſtitutus eſt, ultra quinquennium non extendendo, de montibus pietatis* (ſic vocant pauperum ſublevationem) *promovendis & eccleſiæ moribus reformandis.* Sed hoc concilium, *inquit iterum Lutherus Tomo I. p. 420.* Romanis ipſis ludibrio vertebatur, & toti pene orbi. Eſt notabile, concilium Lateranenſe paulo ante finitum eſſe anno cIↃIↃXVII. quam Lutheri theſes contra indulgentias Wittebergæ prodirent.

Oſiand. Cent. 16. lib. 1. c. 16. pag. 33.

XX. Quantum video, eccleſia hiſce quoque temporibus variis diſſidiis & ſchiſmatibus agitata fuit.

Quî non eſſet? *Non dicam de illis pontificialibus diſſidiis*, quorum jam in

Oſiand. in Cent paſſim.

in hiſtoria pontificum XXXI numeravi: *non de digladiationibus inter pontifices & imperatores* de jure inveſtituræ eccleſiaſticæ, cum illi omnia obſequia ma eſtatibus debita excuterent, & contra electionem imperatorum pro ſuo beneficio haberent; hi jura anteceſſorum tuerentur. Legi poſſunt *in ſyntagmate noſtro hiſtoriarum politicarum*: additis, quæ paſſim hic quoqve dicta ſunt. Unde etiam ſimul patet, *ſubinde enata eſſe in eccleſia diſsidia*, quoties jam epiſcopi, jam integri populi tyrannidem papæ declinarent, & tandem orientalis eccleſia ab occidentali ſe plane ſegregaret. Invidia, ſuperbia, laſcivia Romanenſium, onere gravi premebat eccleſiam. Et quoties epiſcopus cum epiſcopo, abbas cum monachis, clericus cum clerico diſſidere; quoties quis plus æqvo ſe efferre; qvoties tranſire officii limites cœpit, ſchiſmata oriri neceſſum erat. Accedebant *acerrimæ quæſtiones de imaginum veneratione, de clericorum conjugio, de non recte adminiſtratis clavibus, de epiſcopis non rite electis, ſed per Simoniam intruſis*, de aliis rebus, quas recenſere commodum non eſt. Sic anno cIↄCLXXX contentio inter Græcas eccleſias extitit, *utrum Chriſti corpus, poſtquam in S. cœna perceptum eſt, incorruptibile ſit, nec ne*. Quæ quidem quæſtio falſiſſimo transſubſtantiationis fundamento à nonnullis inter Græcos ſuperſtructa grave ſchiſma peperit. Sic etiam *de ſanguine Chriſti effuſo* ſchiſmatice quæri cœpit inter Dominicanos & Franciſcanos, *an in triduo mortis debuerit latria cultu affici*, quod hi negabant; illi affirmabant: atque inde deventum eſt ſeculo XV. in alias quæſtiones, *an ſangvis Chriſti extra corpus effuſus retinuerit unionem, nec ne*: quod ipſum etiam quærebatur *de ſanguine ejus in terris relicto, ut & de ejus præputio*. Franciſcani negabant quæſtionē; Dominicani affirmabant. Papa compellatus, ſententiā interponere detrectavit: id quod etiā factū eſt in quæſtione *de conceptione Mariæ*, qvam, ut diximus, im̄aculatam fuiſſe Franciſcani affirmabant; Dominicani negabant. Diſputatum etiam eſt de *ſtigmatibus S. Catharinæ Senenſis*, qvæ negabant Franciſcani, quaſi uni & ſoli Franciſco debeantur; affirmabant Dominicani: item inter monachos Patavinos & Venetos *de S. Lucæ corpore*; inter Peruſinos & Senenſes *de annuli B. Mariæ pronubialis poſſeſſione*: inter Canonicos regulares & Eremitas de *profeſſione & habitu S. Auguſtini*. Quæſtio imprimis regalis turbas dedit, *ſit ne concilium ſupra papam, ut eum poſſit invitum judicare & deponere*: quod affirmabat concilium Baſilienſe, negabant pontificii adulatores. Grave etiam extitit ſchiſma inter monachos & Johannem XXII. *an apoſtoli quicquam proprii habuerint, qvod negabant monachi. Quod*

ſchiſma

ſchiſma in Græcis extiterit de lumine, quo diſcipuli in monte Tabor colluſtrati fuere, ſupra diximus. Damnati ſunt, qui lumen beatorum non putarent eſſe ipſum Deum. Hæc & reliqva omnia unicuiq; apud autores legenda relinquenti, nec quicquam *de apertis bellis* ſollicito, qvæ tandem epiſcopi inter ſe; jam cum ſecularibus principibus & civitatibus de bonis & reditibus gerere inſtituerunt: quas turbas unius *Abbatis Fuldenſis ambitio* non una vice dederit, recenſere libet. *Nauclerus enim volumine II. generatione XXXVI. autor eſt*, Moguntiæ inter famulos archiepiſcopi & abbatis Fuldenſis de locatione in feſto pentecoſtes, præſente Henrico III. contentionem fuiſſe exortam, & re à verbis ad verbera procedente, templum humano ſanguine maduiſſe, ſedatoqve tumultu cum caneretur: *Hunc diem glorioſum feciſti*: vocem maligni alicujus ſpiritus horrendam inſonuiſſe: *Hunc diem ego bellicoſum feci. Goslariæ* non minor de ſellis & locationibus contentio anno cIↃLXIII. accidit, & quidem repetitis vicibus. Cum namque natalem Domini celebraret Henricus V. ad veſpertinos usque ritus altercabantur *Hildesheimenſis epiſcopus & abbas Fuldenſis.* Nec tamen à jurgio ad manus ventum eſt, Ottone Bavariæ duce ſuam autoritatem interponente. Sed quamprimum feſtum pentecoſtes illuxit, Hildesheimenſis Ecbertum comitem cum expeditis militibus in occulto templi loco in inſidiis collocaverat, qui, cum iterum de locatione ſellarum epiſcopalium tumultus oriretur, ocyus advolantes cum Fuldenſibus in medio pſallentium fratrum manus conſeruerunt, & pugnam comiſerunt atrocem, ut paſſim per templum ſanguinis currerent flumina, non legali, ut quondam, religione, ſed hoſtili crudelitate profuſa, ut *loquitur Schaffnaburgenſis*: qui ipſum imperatorem ſua majeſtate hanc litem dirimere non potuiſſe, ſed ſuæ tandem ut vitæ conſuleret, in palatium ſe recepiſſe, proque Hildesheimenſi contra abbatem ſententiam dixiſſe, conteſtatur. Iterum ann. cIↃCXLIIX. die pentecoſtes, *ut Cranzius ait lib. VI. Saxoniæ cap. 46.* cum conventus imperii *Moguntiæ* celebraretur, & Henricus VI. filius Barbaroſſæ, rex Romanorum deſignaretur, Moguntinusq; archiepiſcopus latus dexterum imperatoris clauderet, *abbas* à læva ejus aſſidere voluit. Colonienſis archiepiſcopus & elector abbati digniorem locum cedere dedignatus, cum imperatorem hanc ſententiam dicere audiret, ſe veteres imperii conſuetudines probare: ceſſit indignabundus, elector monacho; abbati archiepiſcopus: Egredientem electorem illico ſequebantur Palatinus, Bavarus, Comes Naſſaviæ, & alii. Sed imperator Fridericus, & filius ejus Henricus,

Naucl. Vol. 2. Gen. 36.

Cranz. 6. Sax. cap 46.

ricus, rex coronandus, revocatis diſſidentibus, magnis precibus obtinuerunt, ut abbas locum cederet archiepiſcopo.

XXI. *Ita bonos gregis paſtores, qui finem malitiæ nullum facientes, pacem eccleſiæ tot modis turbarunt! Sed num etiam hæc octo ſeculorum ætas à martyriis piorum inclaruit?*

Etſi tabernacula eccleſiæ, latisſime expanſa, pasſim halcyonia habuerunt: ſubinde tamen gentes non converſæ vicinos Chriſtianos miris modis vexaverunt. Imprimis Dani, Slavi, Normanni, Bulgari, & Hunni, primis hujus ætatis annis in eos graſſabantur, quos videbant nomen Chriſti profeſſos. Nec tamen accedebant ad Saracenorum impietatem, qvi florentisſimis quibusqve in Oriente regionibus tyrannidis & impietatis ſuæ jugo ſubjectis, ipſam tandem Conſtantinopolin expugnarunt, & Chriſtianis, terram ſanctam recuperaturis, tamdiu ſe oppoſuerunt, donec conſiliis de oriente à Turcarum ſervitute liberando mutatis, non ſine inſigni clade accepta, ſuis ſe continerent finibus. Sed nec ſic ſatis graſſatum ſe eſſe arbitratus hoſtis veritatis Stygius in ipſis eccleſiæ viſceribus perſecutores excitavit crudelisſimos. Papa enim ſupra omnia ſeſe efferente, non potuerunt non variis calamitatibus affici, qvi conatui perditisſimo contradixerunt. Ideoqve audacter omnes eos pronunciare poteris martyres, quos *ſupra in catalogo teſtium veritatis* aliqvid ob Chriſti gloriam perpeſſos eſſe animadvertiſti. Interim ſcriptores horum ſeculorum adeo fuiſſe negligentes ſcias in vitis martyrum deſcribendis, ut propemodum nullos, qvam eos, qui in negotio imaginum adorandarum & ſacri belli occubuerunt, ob martyrium celebrarint.

XXII. *Cum autem jam bellum ſacrum ex ſyntagmate priori; controverſiam verò de imaginibus ex ſuperiore eccleſiæ ætate intelligam: dic quæſo, ſi qvos ob veritatis teſtimonium trucidatos eſſe à Papis ex hiſtoriis noviſti.*

Matth. Flacius in Catal. Teſt. verit. Oſiander in Centur. pasſim VVolfius in Lect. Memorab.

Jam, ut teſtium veritatis hiſtoriam ruminares, conſului. Invenis in ea *ſeculo IX. Johannem Scotum*, ſtylis diſcipulorum ob negatum Miſſæ ſacrificium confoſſum. Invenis *ſeculo XII. Waldenſes ſeu Pauperes de Lugduno*, quos tamē atrociter afflixerunt, ut uno ſæpe die centū martyrii corol-

rollam deportaverint. Invenis *ſeculo XIII. Arnoldiſtas*, atrociſſime ob negatam papæ poteſtatem habitos. Invenis *ſeculo XIV. Wiclefum & Petrum Johannis, Minoritam*: quos cum vivos non poſſent, defunctos vexarunt, & cineres eorum combuſſerunt, quia papam Antichriſtum dixiſſent. Invenis *ſeculo XV. Johannem Huſſum*, *& Hieronymum Pragenſem*, in concilio Conſtantienſi combuſtos, ibidemque alios dignitatibus exutos, alios aliter excruciatos. Adde his imperatores & reges, ob teſtimonium veritati datum, & vita & imperio exutos. Adde *Guilielmum aurifabrum*, qvi, qvod Romam Babylonem & papam Antichriſtum eſſe dixerat, anno cIↄCCXX Vulcano incinerandus traditus eſt. Idem accidit anno cIↄCCCX. *fabro cuidam in Anglia*, qui, qvod Miſſæ pontificiæ contradixerat, vaſi incluſus & lento igne crematus eſt. *Wolfius in lectionibus memorabilibus centuria XIV.* meminit *Johannis cujusdē Galli*, ob evangelii prædicationem ab epiſcopis an. cIↄCCCLXXXII. crudeli ſuſpendio ac membrorum dilaceratione in Anglia enecati. Sed qui illum damnaverat, eodem mortis genere paulo poſt periit, in communi ſuppliciorum loco ſuſpenſus, juſta Dei retaliatione. Idem allegat *Guilielmum Album ſeu Witben*, qvi Waldenſium doctrinam amplexus, Nordovici anno cIↄCCCCXIIX. exuſtus eſt. In *martyrologiis Ludovici Rabi & aliorum* celebratur præprimis in proximo ante Lutherum ſeculo *Wilhelmus Thorpe, Anglus*, vir animi plane heroici, ſive in carcere an. cIↄCCCCVII. necatus, ſive publice crematus: idque curante archiepiſcopo Cantuarienſi, qui poſt annum IIX. horrendo morbo interiit, lingua prius tantopere inflammata, ut nec fari nec alimenta aſſumere poſſet. Hunc ſeqvuntur *Henricus Gruenfelder*, anno cIↄCCCCXX. triennio poſt *Henricus Rathgeber* Ratisbonæ combuſti: *Johannes Drſendorff*, Miſnenſis, Wormatiæ anno cIↄCCCCXXIV. & biennio poſt *Petrus Tornow*, Spiræ martyrio coronati. Quam victoriæ corollam etiam reportarunt Romæ anno cIↄCCCCXXXI. *Thomas Rhedonenſis*; Lugduni in Anglia anno cIↄCCCCXCIIX. *Joh. Oldecaſtel*; Florentiæ an cIↄCCCCXIIX. *Hieronymus Savonarola* cum duobus collegis. Et quidem *Thomam Rhedonenſem, natione Gallum*, quod attinet, quem Baptiſta Mantuanus unum ex Carmelitis commendat, & ob martyrii prærogativam ei gratulatur, is religionis ergo Romam proceſſerat. Sed illuc veniens, vix Sodomam fuiſſe corruptiorem didicit, & pœnitentia publice prædicata, ad ignem condemnatus eſt. *Oldencaſtel vero Anglus*, eques magni nominis, quod animoſe pro veritate contra Papatum, non armis, ſed

verbo DEI pugnaſſet, ſuſpendio periit, & poſt funera crematus eſt. *Savonarola* tandem, ordinis Dominicani, Ferrariæ nobili loco natus, & in linguis artibusqve bene educatus, cum, lectis S. S. literis, errores varios in eccleſia deprehendiſſet, piis concionibus & variis ſcriptis, quorum aliqva pars adhuc extat, auditores erudiit, imminere cladem curiæ Romanæ, Gallos Italiam vaſtaturos, vocem evangelii clarius erupturam, prædixit. Sed cum Papicolis videretur ſeditionem movere, rebus civilibus ſeſe immiſcere, dignitatem pontificiam ſusqve deque habere, concilium generale meditari, quicqvid de rebus futuris pronunciasſet, a ſenatoribus amicis ſuis accipere; concitato tumultu, tradiderunt eum Alexandro VI. qui illum comprehenſum & tormentis ſubjectum, ſuſpenſumqve igni enecavit, cum paulo ante ſocius ejus *Dominicus*, doctrinam ſuam innocuo per ignem tranſitu probare præſumſerat, & ad idem faciendum alium monachum provocarat. Lege *Philippum Comineum libro 3. & 5. de bello Neapolitano*, qui eum moribus inculpatis fuiſſe, & docendo multos ad ſanitatem, vitæqve emendationem perduxisſe dicit. Nec tamen metu illorum, ſub quibus omnia mundi regna erant, ſumere ſibi partes illum aut accuſandi aut purgandi auſus eſt, nec judicare voluit, recte an perperam ſit damnatus. Hoc unum tamen, inqvit, affirmare poſſum, multa illum vere prædixiſſe, de quibus nemo mortalium potuiſſet eum admonere. Nam & regi prædixit, forte, ut extincto filio ipſe quoqve non diu ſupereſſet. *Picus Mirandula* Savonarolam ſanctum prophetam appellavit, & ſcripto contra papam defendit. *Marſilius Ficinus* in epiſtolis ei propheticum ſpiritum vindicavit: ipſe jam *Bzovius* & *Spondanus* excuſant Savonarolam: & eo ipſo ſuum papam accuſant.

XXIII. Qvantum ex dictis conjicio, veritati etiam cum vitæ periculo paſſim data ſunt teſtimonia, antequam Lutherus calamum contra papam ſtringeret. Sed num miracula adhuc in eccleſia & lumen propheticum viguerunt?

Crepant quidem pontificii ſcriptores varia miracula: ſed quorum multa aut ficta, aut dolo & fraude monachorum facta, aut deniq; præſtigiis diabolicis procurata, fucum ſpectatoribus fecerunt. Sic, *teſte Cramero, ſacerdos apud Stralſundenſes* imaginem Crucifixi carioſam; *alius apud* Con-

Conſtantinopolitanos, imaginem Mariæ fiſtulis & ſiphunculis, *teſte Elmacino*, ſanguinem fecit emittere, quem antea infuderat. Sic *purgatorium*, jam ellychniis in dorſo cancrorum repentium fumantibus; jam tumultu quaſi per lemures & manes excitato, jam aliis artibus probabant. Interim miracula quædam contigiſſe, pertinaciter non negabimus. Sic *Zonaras tom.IX. teſtatur*, librum evangelii in ignem conjectum manſiſſe ſalvum: eoque viſo Ruſſos nomen Chriſto dediſſe. Idem miraculum contigit noſtro tempore in libello precationum Arndii, quem vocant Paradiſi hortum. Sic *Thuanus libro CXXXI.* non quidem tanquam miraculum ſed tamen tanquam rem miram & raram enarrat de *Gualthero*, Pictavorum epiſcopo; Eum enim moriturum, à Clemente V. ob injuriam ſibi factam dicit ad Deum ſeu futurum concilium provocaviſſe, & libellum appellatorium in manum, ubi exſpiraſſet, inſeri ſibi mandaviſſe: pontificem monumentum reſerari, & archidiaconum urbis, ut libellum in dextera ejus repertum ad ſe referret, juſſiſſe: & cum ille compreſſiorem manum inveniſſet, quam ut inde avelli poſſet, mortuus etiam non laxaret manus, etſi autoritate pontificia id imperatum eſſet, de reſtituendo libello, poſtquam legiſſet, fidem coram adſtantibus interpoſuiſſe: qvo facto, manum laxatã, & libellum traditum: ille lectus cum non reſtitueretur, archidiaconum in ima cavea ſe detineri, &, niſi data fides liberetur, inde exire non poſſe, inclamaſſe, & ob id libellum, ſicut promiſſum erat, reſtitui debuiſſe. Sic ſeculo XII. *refert Rupertus, abbas Tuitienſis*, in libris de divinis officiis, *monacho dubitante* in ipſo feſto paſchatos, qvomodo verum Domini corpus clauſo potuiſſet reſurgere monumento, & clauſis januis ad diſcipulos ingredi: cingulum, quo firmiter ſuccinctus erat, ante pedes ejus repente, non ſoluto nodo, procidiſſe: illiqve ſtupenti vocem tanquam ſibilum auræ tenuis, dixiſſe:

Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulcro.

Hæc tamen miracula nec prærogativã primitivorum miraculorum habuerunt, nec verbo Dei autoritatem conciliaverunt, ſed potius ex verbo Dei dijudicanda fuerunt; præſertim, cum & apud falſos doctores nonnunquam miracula ſint edita, *ut conſtat ex Socrate lib. 7. cap. 17.* Ille enim teſtatur, aqvam ſubito evanuiſſe, cum Judæus converſione ſimulata ob ſpem lucri à Paulo Novatiano baptiſmum petiiſſet. Quia autem craſſiorum inter pontificios mos eſt importunus, autoritatẽ allegare LEGENDARUM ſuarum (barbaro ſane libro barbarum nomen convenit) illos unico *Ludovici Vivis* teſtimonio ad ſuos remittamus: *Quam*, inquit ille, indo-

Dannh. de Mirac. veris & falſis. Sebaſt. Niemann. Diſſert. de Mirac. & Steinius de Vanitate Mirac. ap. Jeſuitas. Finkius in Centur. Miraculor. Pontif.

indigna eſt divis & hominibus Chriſtianis illa Sanctorum hiſtoria, quæ Legenda aurea vocatur! quam neſcio cur auream appellant, cum ſcripta ſit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius poteſt dici illo libro? Recepta tamen eſt à concionatoribus & populi paſtoribus, & magna cum gravitate, ſi Diis placet, expoſita eſt publice è ſacra cathedra in eccleſiis. Vocantur etiam hæ Legendæ aureæ *Lombardica hiſtoria*, & autorem habent Johannem de Voragine. Interim eccleſiæ non penitus ſubtractum fuiſſe *LUMEN PROPHETICUM*, conſtat ex lectione ſcriptorum: quanqvam fucum ſæpe fecere, qui angelicas viſiones mentiti, lucrum quæſiere: qualis fuit *illa femina*, cujus mentionem facit *Aventinus lib. 4.* quæ in Svevia extremum diem clamare inſtabat. *In IX ſeculo Zonaras tomo 3. annalium* diverſis monachis revelationes adſcribit & quæ de ſe experimenta ejus doni dederint, recitat. *Udaricus, epiſcopus Auguſtanus* poteſt illis accenſeri, qui cum ob alia pietatis ſpecimina, tum ob viſiones cœleſtes in catalogum Sanctorum relatus eſt: item *Odulphus Ultrajectanus*, qui Friſiis ob apoſtaſiam grandes calamitates denunciavit. *In X. ſeculo* inter propheticos viros referuntur *Dunſtanus*, *Hildebertus*, epiſcopus Moguntinus, *Briſtanus*, *Adelbardus*, *Theodoricus*, epiſcopus Metenſis, Ottonis Magni cognatus: juxta cujus præſagium, *inquit Sigebertus*, nullus principum, qui ex Cantabrico bello incolumes evaſerant, diu in vivis ſuperſtitit. *In ſeculo XI. Centuriatores Fulbertum* nominant, epiſcopum in Gallia literarum ſcientia, prophetiæ dono & ſanctitate inſignem. Cui alii annumerant in Vitis ſanctorum *Wolſtanum*, *Macarium*, *Alferdum*, *Gebhardum*, qvi ſeculo faſtidito homines ad pietatem cohortati ſunt. *In XII. ſeculo* viſionibus præternaturalibus inprimis ſexus femineus illuminatus eſt. *Hildegardis*, *Eliſabeta*, & *Adelheidis*. apud Germanos virgines, & *Angla* Bohema, ipſæ libros ſuarum revelationum concinnarunt. *Hildegardis ſcripta*, quæ Pariſiis cum adjunctis viſionibus *Eliſabetæ* impreſſa extant, archiepiſcopi Moguntini, concilii Remenſis, & Bernhardi, ipſiusque pontificis Romani, in cujus faſtum non parum invehebatur, judicium ſubiere, nec damnata ſunt. Alia femina *Mathildis* non virgo, *ut putat Baronius*, ſed ſterilis trium maritorum uxor I. Gothofredi Lotharingi, II. Azonis marchionis Eſtenſis, & III Gvelphi ducis Bavariæ, qvem ob frigiditatem riſit & repulit, hoc tempore patrimonium Petri, vel potius faſtum pontificis, ſuis opibus nimium auxerat. Vox igitur incerta ex aëre, teſte ipſo Ænea Silvio, poſtea papa, audita eſt: *Venenum melle litum femina Chriſtianis propinavit.* *Nicetas*, Chonarum epiſcopus, à prophe-

tia

tia inſignis, videatur apud *Nicetam Acomiatum lib. 7.* egregie commendatus. Gratiam etiam *D. Bernhardo* longe majorem impertitam fuiſſe, quam quæ eccleſiæ eſt ordinaria, libri de vita ejus compoſiti ubertim teſtantur. *Seculum XIII.* illuſtravit imprimis *Joachimus abbas Calaber*, jam ſupra inter teſtes veritatis nominatus, quem *Laonicus Chalcondyla lib. 6. de rebus Turcicis*, nunquam in prædictionibus ſuis erraviſſe ait. Varia extant ex viri hujus ſcriptis rudera, qvæ apud alios inquiri poſſunt. Et qvanqvam ab Innocentio III hæreſeos inſimulatus eſt, quia contra Lombardum ſcripſerat, tanquã de Trinitate minus recte ſentientem, ut qvi qvaternitatem qvandam in Deo ſtatueret, Honorius III. tamen pro eo ſententiam tulit; ipſeque Lutherus calculum in quæſtione controverſa, non Lombardo, ſed Joachimo Abbati adjecit. Ut *Hedvigis*, Marcgravii ex Moravia filia, de futuris præmonita ſit, ut & *infans ſemeſtris* Tartarorũ in Poloniam expeditionem prænunciarit, legi poteſt apud *Cromerum lib. 8. 9. Roberti Galli viſiones*, contra pontificis tyrannidem imprimis directæ, inveniuntur una cum vaticiniis Hildegardis impreſſæ. Quid *Belgicæ puellæ* hoc tempore contigerit, & ut ſeptennali jejunio iram DEI denunciarit, apud *Gmſi m in vitis Sanctorum ad XV. Jun.* legi poteſt. *Franciſcus & Dominicus*, qui pene monachorum idola facta ſunt, huc referri poſſent, niſi multis affaniis relatio de eorum vita eſſet referta. Interim non nego, idem illis accidiſſe, quod Epicuro, quem ferunt philoſophum inter omnes fuiſſe maxime ſobrium: ſed quia voluptatem absq; vitio ſtatuerat ſummum hominis bonum ſectatores ejus de enormi corporis voluptate effata magiſtri interpretati, adhuc male audiunt. Franciſcus & Dominicus, ſi in ſe ſpectentur, viri fuere pientisſimi, ſeculi & faſtus pontificis, epiſcoporum atq; ſacerdotum maximi oſores; *ille* Italus; *hic* Hiſpanus; *ille* è plebe; *hic* illuſtri loco natus: *ille* primum mercator, deinde miles; *hic* philoſophus: *uterq;* tamen omnia bona in pauperes diſpertitus, ſummoqve inServatorem ſuum amore accenſus, cum nullibi à contagio ſeculi & clericorum, ceu vocantur, ſecuritas daretur, monaſterio ſe incluſit, & id unice egit, ut ſecum fratres in novis ſocietatibus certa vivendi norma adſtricti, religionem Chriſtianam inter Saracenos diſſeminarent. *Uterq;* ſcopum præfixum minus attingebat. Etſi enim fratres adſcripti initio, vel cum vitæ periculo crucem Chriſti hoſtibus deprædicabant, ſuperſtitionum tamen nebulis, in omnem Chriſtianum orbem inductis, pedetentim involuti, ſuis ſibi meritis, non una in Chriſtum fide, ſalutem quærebant. Ipſe autem Dominicus & Franciſcus omnia dabant

gra-

gratiæ Dei & cruci Chriſti, nec à ſanctis defunctis, ſed illorum Domino, opem jubebant impetrare. Hinc in regulis à Dominico ſocietati præſcriptis lex legebatur, *ut indeſinenter ſtuderent* (hæc enim viri verba ſunt) *in V. & N. T. & ad prædicandum miſſi, ſola Biblia ſecum ferrent.* Franciſcus imprimis, Chriſti crucis ſectator, *paſſionum ejus veſtigia ſuo corpore recepit*, ut nervoſa caruncula in ſpeciem clavorum formata in manibus & pedibus enaſceretur, & in dextero latere vulnus cum exquiſitis doloribꝰ ſanguinem ſtillans conſpiceretur. Quod quamquam poſſet fabuloſum videri, teſtes tamen habet innumeros: & ipſe Alexander coram, qvod vix credere poterat, inſpexit. Judicet quisqve, qvod volet. Uterq; virorum cum denſiſſimis ſuperſtitionis Babylonicæ tenebris luctabatur, & multum inde pravarum opinionum contraxerat. Nihilo tamen ſecius plura, quæ ſupra naturam ſunt, ab illis præſtita ſunt, niſi maxima eorum pars otioſorum monachorum fabulæ ſint: prout exemplo eſt *liber Conformitatum*, in qvo Franciſcus ipſi Chriſto auſu præfertur blaſphemo. Si acta ſunt malis geniis, jam in vitæ auſteritate nimia pœnam dederunt, & rationem in altero ſeculo poſcentur. Sin mitius de illis ſentire velimus, væ vobis, qui virorum piorum ſectatores vocamini, & ſeculo, cui renunciaſtis, nimium contaminamini, & piis ducum veſtrorum inſtitutis ad otium, ſuperſtitionem & hypocriſin abutimini! Verum enim eſt, qvod *Brigitta* poſtea dixit: *In immenſa Dominicanorum multitudine paucos eſſe, qui Dominici regulam, quæ in humilitate atque puritate cordis, & ſeculi odio conſiſtit, obſervent; pauciores, qui ejus veſtigia premant.* *In XIV. ſeculo* viris ſimul & feminis, quæ de futuris mundo indicarent, revelata ſunt. In viris fuit *M. Wilhelmus Friſen*, cujus vaticinia de prælatis *apud Wolfium* legi poſſunt: *Jacobus de Therama* qui perſecutionem orthodoxorum inſtantem graphice depinxit: *Gamaleon*, qui, *ut ipſe in epiſtola ad Bonifacium Papam ſcripſit*, à puero angelico didicerat, fore, *ut in ſeptentrione ſapientia ſibi domum ſupra petram fortiſſimam extrueret, ordo prælatorum aboleretur, hæreſes variæ exorirentur, theſauri Babylonici inter principes & civitates dividerentur, Roma exſcinderetur, Moguntiæ patriarchatus adornaretur.* Imprimis *Johannes de Rupe ſciſſa*, ordinis Franciſcani, cum divinitus edoctus papam vocaſſet miniſtrū Antichriſti, & Cardinales pſeudodoctores, è carcere, in quem ab Innocentio VI. conjectus erat, non ceſſavit vaticinari de Johannis regis Gallorum captivitate & imminenti regni deſolatione, deque religionis inſtauratione. *Haiobaldus*, ejusdem ordinis, eadem eodem ductus ſpiritu conteſtatus eſt, & vix Clementis VI, animad-

Haberkorn in opere Apolog. de Eccleſia ante Lutherum. Frid. Mayer Diſſert. ejusd. argumenti.

ver-

verſionem eff‹ugit›. Cætera, quæ monachi de *Thomæ Aquinatis*, *Vincentii Ferrarii & aliorum* ecſtaſi & colloquiis cum apoſtolis produnt, eos delectent, qui incerta cum certis eodem loco habent. In ſequiori ſexu eminuere *Catharina Senenſis*, Itala, ex plebejo genere, & *Brigitta*, regii ſangvinis ex Svecia. Catharinæ dicitur ipſe Chriſtus per innumeras ecſtaſes apparuiſſe, & poſt varia adverſus cacodæmonum impetus certamina illam in ſponſam adſciviſſe, & eodem pene modo, quo Franciſco, ſigna paſſionis ſuæ ei impreſſiſſe, eique pro corde è pectore erepto ſuum donaſſe, unde cicatrix in latere permanſerit in ſignum. Minoritæ quidem ſtigmata Chriſti nemini, niſi ſoli Franciſco, dicebant conceſſa: ſed pontifex Sixtus anno 1483. ſententiam tulit pro ſtigmatibus Catharinæ Senenſis. Hanc etſi Divam ſibi conſtituerunt pontificii: nos tamen pie credimus, ſi vera ſunt, quæ *Raimundus Capuanus*, qui Catharinæ erat à confeſſionibus, & domeſticus ejus, *Stephanus Senenſis*, conteſtantur: hoc ipſo tempore, quo Chriſti populus ad Sanctorum interceſſiones, ſuorumque operum merita, aut paparum indulgentias ablegabatur, Deum in innoxia virgine monſtrare voluiſſe, à Chriſto ſolo omnia, quæ ſalutem concernunt, exſpectari debere, nosque non niſi vulneribus ejus ſalvari: qua ſpe nobis facta, omnia patienter ſuſtinenda eſſe. A pluribus irriſa eſt: & præcipui ex doctoribus eam variis confundere examinibus ſunt anniſi. Sed de omnibus tam concinne locuta eſt, ut multos in conſenſum traxerit. Si libet cognoſcere materiam viſionum, vaticinata eſt *de ſchiſmate paparum usque ad concilium Conſtantienſe protracto, de bellis Siculis & Neapolitanis, deq; reformatione per Lutherum poſtea facta.* Hæc ſunt ejus verba apud Antonium: *His tribulationibus & anguſtiis modo imperceptibili hominibus purgabit DEUS eccleſiam ſuam ſanctam, & ſuſcitabit ſpiritum electorum ſuorum: ſequeturque poſthac tanta reformatio eccleſiæ ſanctæ DEI, & renovatio paſtorum ſanctorum, ut ex ſolo cogitatu exultet ſpiritus meus in Domino. Et ſponſa, quæ nunc eſt tota deformis atque pannoſa, tunc erit pulcerrimis monilibus pretioſis ornata, cunctique fideles gaudebunt tam ſanctis paſtoribus decorati. ... Populi etiam infideles, Chriſti ardore tracti, ad ovile catholicum revertentur, & convertentur ad verum paſtorem & epiſcopum animarum ſuarum.* *Brigittam* quod attinet, non illam *Scotam*, quæ jam anno IↃXXX. apud Chriſtianos innotuit, *Sveca* fuit, nupta Ulphoni ſeu Olao, Olai filio, principi Nericiæ, & ex eo octo liberos, interque eos *Catharinam*, inter Sanctos, multis contradicentibus, relatam, ſuſtulit. Marito defuncto, cœpit cœlitus illuminari, &, ut juſſa erat,

 ſan-

ſanctam profectionem in Italiam, Palæſtinam, totumque orbem ſuſcepit, tandemque Romæ, ubi vitam pie clauſit, ſuarum viſionum formam, & rationem ſic expoſuit theologis, ut damnari non poſſet. *Libri octo revelationum Brigittæ*, qui hodienum leguntur, commentariis à Conſalvo Durando illuſtrati, non ſunt ab ipſa Brigitta, ſed à monacho quodam anonymo, non ſine grandi confuſionis nota compilati: non pauca continent, quæ veritati religionis faciunt præjudicium. Si tamen Romanenſes omnia vera judicant, quæ his octo libris continentur, papam etiam ex lib. 1. c. 41. nominent *animarum peremtorem, Lucifero pejorem, Pilato iniquiorem, Juda crudeliorem, Judæis abominabiliorem.* Et ex lib. 6. cap. 32. & 47. ſtatum Romæ corporaliter ſimul & ſpiritualiter credant eſſe damnabilem. Filiam ejus, *Catharinam Svecam*, dicunt quidam nupſiſſe Egardo: ſed cum eo perpetuam virginitatis obſervantiam coluiſſe, Romam ad matrem Brigittam veniſſe, peractisque cum ea in peregrinis locis XXV. annis, tandem Wadſtonii in Svecia in monaſterio anno cIↄCCCLXXXI. obiiſſe. Refer ad fœminas numine actas *virginem Aurelienſem, Jacobam de Arc*: quæ tempore Caroli VII. regis Galliæ, Anglos virtute admiranda ab obſidione Aurelianenſi rejecit. Qui *in XV. ſeculo* vaticinia de futuris edidere, eorum nonnullos jam *quæſtione XII. hujus ſectionis* allegavimus, *Johannem Huſſium, Hieronymum Pragenſem, & alios.* Inter illos, quos nominavimus, *Johannes Hilten*, ordinis Franciſcani in Iſenaco, meruit, ut *in apologia A. C. in capite de votis monaſticis* donum futura denunciandi ipſi adſcriberetur. Valde enim in eccleſiaſticos

Oſiand. Cent. 16. lib. 1. cap. 8.

invectus, inque compedes conjectus, in ipſo carcere, de reformatore, anno cIↄIↄXVI. ſacrorum ordinum inordinationem detecturo, vaticinatus eſt. Idem prædixit *Mechildis*. & variorum errorum eccleſiam Romanam accuſavit, ut eſt *apud Wolfium Cent. XV. & Flacium in catalogo teſtium veritatis.* Iidem de *Theodorici*, epiſcopi Croatiæ, *Reinhardi*, & *Vincentii revelationibus*, non contemnenda proferunt documenta. *Capiſtranum* huc non voco, qui ſuas in myſticam figuram, aliquot ante Chriſtum natum annis in lapide ſignatam, & Venetias allatam, commentationes, divinas vocat patefactiones. *Nicolaus eremita Helvetius*, qui XXII. annos ἀεὶ ἐν ἀπόρῳ non ſine miraculo vixit, meruit, ut, quæ ipſi in portentoſo capite de fatis eccleſiæ divinitus revelata erant, *ab ipſo Luthero in tomo quarto Jenenſi* commentario explicarentur. *Sebaſtianus Franke, parte Chronicorum tertia, & Carolus Bovillus*, hunc eremitam, quem vocant Claus von Untenwalden / Nicolaum de Saxo; Claus vom Felſen / ſæpe dicunt

dicunt ab epiſcopo Conſtantienſi & Helvetiis ſpeculatoribus emiſſis probatum, an tanto tempore abſque omni nutrimento vitam degeret, illumque fuiſſe ſemper animi tranquilli, & angelicæ pene vitæ, nec neceſſitatibus noſtris obnoxiæ, deprehenſum, dono prædictionum admodum illuminatum. Circumfertur ejus precatio:

Subtrahe me, Deus alme, mihi: tuus eſſe laboro.

Videantur de eo Trithemius, Nauclerus, Cranzius. *Hieronymus Savonarola* hic etiam memorandus eſſet: ſed quia eum jam ſuperiore quæſtione deſcriptum dedimus, hinc tandem pedem promovere placet.

XXIV. Agnoſco & veneror DEI in ſua eccleſia præſentiam. Sed num prodigiis etiam ea cœlitus monita eſt?

De prodigiis aliis, quæ plerumque novimus comitari motus rerump. & eccleſiarum, nunc non ſumus ſolliciti. Legi illa poſſunt magno numero, partim apud chronologos & hiſtoricos, partim in centuriis Magdeburgenſibus. Interim non poſſumus id prætermittere, quod Chronicon Saxoniæ prope Stendaliam in pago Oſſemero an. cIↃCCIII. contigiſſe atteſtatur, *parochum* feria quarta poſt Pentecoſten ad choreas ducendas agreſtibus præcinuiſſe: fulmen autem protinus ipſius brachium enervaſſe, & reliquorum choream ducentium viginti quatuor ſuffocaſſe. Cui hiſtoriæ illa affinis eſt, *quam Vincentius, Cranzius Nauclerus, & alii recenſent*: Colbecæ in pago Magdeburgenſis ditionis conveniſſe in cœmeterio ſub ſacris *XV. viros*, cumque *tribus fœminis* in vigilia Domini nocturna, anno cIↃXII. cantilenis profanis additis, choreas duxiſſe, & à *Roberto presbytero* excommunicatos, totum annum in ſaltu & cantu perſeveraſſe, & ad femora usque in terram tandem demerſos eſſe. Quendam vero ſororem ex chorea trahere niſum, brachium ipſi evulſiſſe, quæ anno revoluto cum nonnullis expiraverit, reliquis convaleſcentibus, & tremore membrorum perpetuo teſtimonium rei actæ perhibentibus. Refer huc hiſtoriam *admirandi pueri, Andreæ Kanterii, Groningenſis*, qui decem annos natus univerſam pene liberalium artium, ac legum imperialium ſacrorumque canonum peritiam nactus eſt, totamque V. & N.T. ſeriem profiteri potuit, inque publicis diſputationibus intrepido pectore ad quodvis reſpondit, tanto cum omnium ſtupore, ut & Fridericus III. Imperator eum ad ſe anno cIↃCCCCLXXIII. evocarit, *ceu teſtatur Chronicon eccleſiaſticum*

Oſiand. loc. cit. cap. 12.

Pomeraniæ Cram. lib. 2. cap. 34. *Aſinum pontificium* & *vitulum monaſticum* hic tibi deſcriberem, niſi eſſent cum ex aliis autoribus, tum *ex ipſis Luther: Tomis* cogniti.

XXV. Quem aſinum pontificium, & quem vitulum monaſticum mihi nominas?

Romæ in Tyberi anno cIɔIɔXCVI. *monſtrum inventum eſt mortuum*, dextera manu elephanti pedem; læva manum hominis referens, pede altero tauri; altero griphis ungulam & ungves repræſentans, muliebri ventre & pectore, ſquamis piſcium brachia, femora & collum tegentibus, capite ſilicernii ſeu vetuli prope poſteriora exeunte, & dracone tandem ex podice monſtri os aperiente, ac quaſi ignem exſpuente. Hoc monſtrum ita explicat *M. Lutherus*, ut per aſininum caput papam, per pedem elephanti ſacrum ejus imperium, per lævam hominis manum imperium politicum, per pedem taurinum doctores papiſticos, per pedem griphis canoniſtas, per muliebrem ventrem & pectus cardinales, epiſcopos & monachos libidinoſos, per ſquamas ſeculares principes papæ adhærentes, per caput denique draconis virulentas bullas blaſphemosque papæ codices denotet. *Vitulus autem monachicus Freibergæ in Miſnia* natus eſt, ſacro cucullo & ſtola paſſim dilaniata indutus, quem *Lutherus* de monachis, ignavis illis fucis, eleganter explicuit. Eo etiam tempore, quo exorti ſunt Jeſuitæ, anno cIɔIɔXL, (nam ſaltum in ſequentem eccleſiæ ætatem facere libuit) captum eſt *monſtrum marinum in Norvegia*, quod monachum nominabant. Ejus caput, humeri, & thorax humana fuerunt ſpecie: caput raſum, ut monachi, viſum eſt: de collo, thorace & humeris cucullus dependebat: brachiorum loco pinnæ erant; pedum, cauda piſcis. *Hoſpin. lib. 9 de orig. Mon. cap. 64.*

Caſp. Schottus in Phyſ. Curioſa Lib. 5. c. 25. p. 615.

XXVI. Si recte memini, non ita diu eſt, cum machinæ bellicæ & pyxis nautica inventa ſunt. Ea igitur, etſi non inter miracula & prodigia; inter res mirandas tamen recte referre poſſumus.

Quod *pyxidem nauticam* attinet, eam, teſte Blando, omnium primi Melphitani in regno Neapolitano circa annum Chriſti cIɔCCC. in navigando adhibuerunt; qua nihil unquam, humanis excogitatum artibus, humano generi magis profuiſſe videtur: quia ejus beneficio factum eſt, ut tam vaſtæ provinciæ & inſulæ, tot ſeculis incognitæ, noſtro tandem [illegible] tem-

Polydor. Vergil. de primis Rer. Inventor. Caſp. Schott. in Mag. Univ. ubi de Magia Sympath.

tempore detectæ, & totius terreni globi ambitus non ſemel circumnavigatus ſit. Ejus enim indicio omnes mundi plagæ, caliginoſo cœlo & obſcuriſſima nocte navigantibus innoteſcunt, & via errantibus commonſtratur. Hanc tamen ſcientiam nauticæ pyxidulæ, antequam à Melphitanis, in mari mediterraneo, in navigationibus adhiberetur, putat Gilbertus per Paulum Venetum, qui eam apud Chinas didicit, circa annum cIↃCCL. traductam in Italiam. Paulo poſt anno cIↃCCCLXXX. à quodam *Bertholdo Schwartzen*, Colonienſi monacho, vel, ut *Salmuth* ſcribit, à *Conſtantino Anklitzem Friburgenſi*, machinæ bellicæ inventæ ſunt: illarumque uſum primum in Venetorum contra Genuates bello fuiſſe ferunt. *Artis typographicæ*, utut nobiliſſimæ, unum inventorem non nominant. Polydorus eam adſcribit *Johanni Gutenbergio Argentinenſi*; Hadrianus Junius *Laurentio Johanni, cognomento Cōſtero ſeu Cuſtodi ſeu Æditui, civi Harlemenſi*; Aventinus *Johanni Fauſto, civi Moguntino*; P. Ramus lib. II in procœm. mathem. pag 64. *Johanni Regiomontano*. Sed qvum Regiomontanus natus ſit anno cIↃCCCCXXXVI, & ita anno ſeculi XLII, quo jam artis typographicæ ſpecimina data ſunt, tantum ſexennis fuerit, Rami ſententia merito exploditur. Jac. Wimphelingius & Nauclerus rem ita narrant: *Joh. Gutenbergium*, Argentinenſem, aurifabrum, anno cIↃCCCCXL. excogitaſſe artem, magniſque ſumtibus Moguntiæ publicaſſe: eandem *Johannem Mentelium* Argentinæ; *Sixtum Ruſingium ſeu Reiſium*, Argentinenſem, Neapoli in Italia, & *Huldaricum Hanium* (quod cognomen Latinis *Gallum* notat) natione Germanum, Romæ auxiſſe. Sed Gutenbergium, ut & Reiſium & Hanium ſeu Gallum, Aventinus facit J. Fauſti Moguntini diſcipulos. Hadrianus Junius autem hunc Fauſtum dicit Laur. Joh. Cōſteri miniſtrum fuiſſe, &, cum jam artem percalluiſſe ſibi viſus eſſet, inſtrumentorum herilium artificio comparatorum ſuppellectilem convaſaſſe, & Harlemo profugum, Moguntiæ furtorum ſuorum aperta officina, fructum uberem meſſuiſſe. Cum autem ſic Belga Belgis laudem inventæ artis vendicat, idemque agunt Scriverius & Boxhornius; Bernh. Mallincrotius autem, decanus Monaſterienſis, Germanis & Joh. Fauſto non patitur laudem præripi, ex ſcriptis de hac re adverſis, inter Boxhornium & Mallincrotium editis, teſtimoniiſque ex annalibus Colonienſibus & Mariangelo Accurſio adductis patet, *Cōſterum Harlemenſem quidem primum eſſe, qui libellos nonnullos, interque eos Donatum impreſſerit, ſed ſaltem ex tabula lignea literis continuis inciſa: Fauſtum Moguntinum autem ex his artis rudimentis typos deinde primum ligneos & ferreos,*

Caſp. Schott. in Pyrotechn. Func. in Chron. fol. 160.

Boxhorn. de Arte Typogr. & in Hiſtor. Univ. Polyd. Vergil. de primis rer. invent.

reos, deinde plumbeos feciſſe ſingularios, qui forma quadrata poſſint ſtipari, & iterum diſſolvi, & ita inſtrumentum plurium lib·orum imprimendorum eſſe: His initiis factis artem ſubito in Italiam & Galliam propagatam: errare interim Gallos, qui Nicolaum Habnen, natione Gallum putant fuiſſe, quum cognomen Galli tantum habeat. Nam qui primus libros in Gallia poſt Fauſtum & Gutenbergium impreſſit, fuiſſe Nicolaum Jenſonium Gallum: errare reliquos, qui diſcipulis Fauſti ipſam artis inventionem adſcripſerunt. Chinenſes quidem ante hæc ipſa tempora artem librorum excudendorum tenuiſſe certum eſt. Sed is modus longe fuit alius, cum non typis literarum, qui conjungi & diſſolvi poſſunt, uterentur, ſed literas ideæ cuidam ſive ligneæ, ſive alii inſculperent, à qua illas deinde ſubjecta charta exciperet, non aliter ac noſtri figuli, aurifabri, ſculptores etiam metallici, quamlibet picturam & figuram, æri prius vel ligno inſculptam, quoties lubet, exprimunt. Ut autem hac ipſa arte typographica inſtanti eccleſiarum reformationi ſubvenire voluit Deus, ita & *chartæ noſtræ, ex lineis contritis facta*, uſum noſtris majoribus paulo ante monſtravit. Cum namque vel in foliis, vel quarundam arborum libris, id eſt, corticibus, vel in ceræ tabellis ligneis ſuperinducta, vel & ſciſſuris ſeu phyluris & plagulis *papyri* (quæ arbuſcula eſt Ægyptiaca, quam in prætenues, ſed quam latiſſimas ſciſſuras acu dividere poſſunt) vel denique membranis, *Pergami* primo inventis, antea ſcripſiſſent, modus inventus eſt, quo nec typis chartæ, nec chartis typi deeſſent. Luci enim exorituræ ſubſidia longe ante quærenda erant. Quam ipſam etiam ob cauſam, capta à Turcis Conſtantinopoli, an. cIↃCCCCLIII. *Emanuel Chryſoloras Byzantinus*, qui Græcæ grammaticæ erotemata ſcripſit, & tandem gymnaſium Papiæ autoritate Johannis Galeacii, ducis Mediolanenſis, aperuit, *Theodorus Gaza*, Theſſalonicenſis, Græce & Latine doctiſſimus: *Argyropolus, Georgius Trapezuntinus & alii*, Græcia relicta, in Italiam venerunt: & apud Herculem, ducem Ferrariæ, Nicolaum V. pontificem, Laurentium Medices Florentinum, aliosque Muſis ſuis aſylum invenerunt. Sic artes & linguæ in Italia primum quaſi renaſcentes, inde in Germaniam evolarunt: plerique autores Græci eleganter metaphraſi latina expreſſi ſunt; poëſis florere cœpit: & imprimis *Rudolphus Agricola* tantos ſubito in Græca lingva, poëſi, & philoſophia fecit progreſſus, ut nulli non admirationem moveret. Hic, &, qui ab eo proximus fuit, *Johannes Capnio*, & deinde *Eraſmus Roterdamus* ſcholas nova luce colluſtrarunt, & imprimis *ſchola Monaſterii* in Weſtphalia, anno cIↃCCCCXC. ab epiſcopo, ex conſilio *Rudolphi*

dolphi Langii, ſub præceptoribus Murmelio, Cæſario, Buſchio, & aliis inſtituta, politiora ſtudia paſſim in Germania propagavit, ut animi hominum hac quoque ratione ad evangelium citius diſſeminandum præpararentur. Quem in finem etiam ſingulari Dei voluntate *Maximilianus I.* anno cIcCCCCXCV. in *comitiis Wormatienſibus* omnes electores in ſua ditione aut novas academias condere, aut conditas locupletius dotare voluit. Ita anno cIↃIↃXII. *ſchola Witteberg enſis* non ſine lætiſſimis auſpiciis ſurrexit; poſt quadriennium verò *Francofurtana*. Huc pertinet *operis illius Biblici Complutenſis* amplitudo, quod biennio ante reformationem Lutheri *Franciſcus Ximenius*, archiepiſcopus Toletanus, impenſis ſtupendis eccleſiæ renaſcituræ communicavit.

XXVII. *Ad hæreſes horum ſeculorum audiendas animus ſe præparat.*

Illas nunc diſtingvere libet in *veteres adhuc durantes, novas expullulantes, & eas, quæ quidem hæreſes à pontificiis dictæ ſunt, ſed revera ejusmodi fuerunt dogmata, quæ ex ſacris literis hauſta, traditiones papiſticas impugnarunt.*

XXIIX. *Gratus eſt accuratus ordo. Dic igitur primo loco de hæreſibus, quæ ex ſuperioribus eccleſiæ ætatibus in hanc transmiſſæ ſunt.*

Hic quidem primo ipſos *pontificios iconolatras* nominare fas eſſet: ſed illos jam ſatis depinximus. Occurrit igitur primum *ſeculo IX.* in *Michaële Balbo*, imperatore orientis, quem Zonaras vocat πανσπερμίαν αἱρέσεως, Saducæiſmus. Negavit enim reſurrectionem mortuorum, dæmonas, prophetarum autoritatem: multis in rebus judaizabat. Circa idem tempus *Felix* quidam Arianam hæreſin in Hiſpania paſſim diſſeminavit. Seculo X. recruduit error *Anthropomorphitarum*, qui Deum membra humana habere docuerunt, & *Paraſſum*, nobilem in Lombardia civitatem, ſuo errore infecerunt: quam archiepiſcopus Mediolanenſis autoritate Papæ funditus exſcidit, & ſolo æquavit, nec innocuo puerorum ſangvini pepercit. *Nunc enim demum cœperunt pontifices contra hæreticos, aut quos hæreticos falſo putabant, lanceis, gladiis, tormentis, & igne ſævire, nec* argumentis eorum ex ſacra ſcriptura everſis convincere, ſed omnia cruciatuum exempla in iis edere. *Seculo XI.* apud Aurelias, urbem in Gallia, *hæreſis Manichæa*, vel potius *Catharorum & Atheorum*, per *mulierem*

Oſiand. Cent. 9. lib. 1. cap. ult. pag. 18.

Oſiand. Cent. 9. lib. 2. cap. 5. pag. 89. fin.

Oſiand. Cent. 11. lib. 3. cap. 6. pag. 291. fin.

licrem Italam reſuſcitata eſt: quam etiam *duo ex palatii proceribus, & non-*
nulli alii amplectebantur, dicentes, quicquid de uno & trino DEO dica-
tur, nihil eſſe. mundum ſemper extitiſſe: Chriſtianorum opera bona ſu-
Oſiand. Cent. perfluum laborem eſſe. Hi ipſi Cathari *ſeculo XII.* ſub alio nomine *Pa-*
13. Lib. 4. cap. *tarenorum & Gazarorum* invaluerunt, ex *Tanchelini ſeu Tandemi hæreſi*, (cu-
9. pag. 401. jus ſequenti quæſtione mentionem faciemus) orti, docentes, mundum
eſſe à dæmonibus factum, ſacramenta nil valere, laſciviam non eſſe pec-
catum. Nec deſierunt *Neſtoriani* toto hoc tempore ſuum venenum in
oriente ſpargere, nec ſuum *Armenii ſeu Georgiani*. *Eutychiani* etiam &
Monothelitæ inventi ſunt, quos vocarunt novo nomine à Marone quo-
dam *Maronitas*, qui quidem adhuc per orientem ſic dicuntur, ſed erro-
rem Monothelitarum depoſuiſſe creduntur. Refer huc *Godeſcalcum, mo-*
Oſiand. Cent 9. *nachum Orbacenſem in Sveſſionibus, presbyterum Remenſem*, qui, libris Augu-
Lib. 2. cap. 5. ſtini, Proſperi & aliorum non recte intellectis, neceſſitatem prædeſtina-
pag. 29. tionibus Dei denuo intulit, & *Prædeſtinatianiſmum* incruſtavit, ratus,
DEUM non velle omnes ſalvos, nec Chriſtum pro omnibus eſſe mortu-
um: pro quibus autem mortuus eſt, eos perire non poſſe; omnes bapti-
ſatos non regenerari, ſed ſolos electos. Dicitur etiam cum *Arianis* Deum
filium patre minorem æſtimaſſe. Ex Gallia *ſeculo IX.* venit Moguntiam,
ad errores ſuos de prædeſtinatione coram *Rabano Mauro*, archiepiſcopo
Moguntiæ, excuſandos. Sed ille cum *Haymone Halberſtadenſi & aliis e-*
piſcopis, in ſynodo Cariſiaca congregatis, hæreſin ejus improbabant, cumq;
cum ſynodicis literis in Galliam ad *epiſcopum Remenſem, Hincmarum*, re-
mittebant: qui illum in concilio Remenſi damnatum, cum irreverenter
ſe epiſcopis opponeret, virgis cecidit, inque monaſterium revocavit. &
quatuor capitula edidit, ob quæ Godeſcalcum damnaſſet. *Remigius quo-*
Oſiand. Cent. *dem, archiepiſcopus Lugdunenſis*, cauſam Godeſcalci & Prædeſtinatiano-
9. Lib. 4. cap. 4. rum ex parte ſuſcepit contra Hincmarum, id conatus cum *eccleſia Lugdu-*
pag. 53. *nenſi*, ut Godeſcalcana & orthodoxa ſententia *ſyncretiſmo* conciliare-
tur. Sed *ſynodus Valentina* ſic paulo poſt Godeſcalci errores detexit, ut
etiam ab amicis rejiceretur: inſimul tamen Hincmarum ob nonnulla
aſſerta improbavit. *Ille* contra ingenti volumine conqueſtus eſt, ſua
verba ab epiſcopis Valentinis in alienum ſenſum eſſe detorta. Et qui-
dem *Valentini* erant jure in hoc accuſandi, quod *Chriſtum negarant pro*
omnibus eſſe mortuum: idque leviculo argumento, *quaſi impii, ante Chri-*
ſtum mortui, per mortem ejus non potuerint è gehenna eximi. Debuiſſent di-
ſtingvere inter meritum mortis Chriſti, & inter ejus fructum, quem ob
ſuam

ſuam incredulitatem non omnes percipiunt. Extitit tamen aliquis ex Godeſcalci aſſeclis, qui de libero arbitrio, prædeſtinatione & redemtione ſangvinis Chriſti *librum contra univerſalitatem gratiæ & meriti Chriſti édidit*, quem ſuperioribus annis *Janſenitæ* denuo evulgarunt.

XXIX. *Sic ſemper fuerunt, adverſus quos pugnarent doctores. Sed quænam hæreſes novæ his ſeculis exortæ ſunt?*

I. *Theoclistus quidam* anno IↃCCCXXIII. Mariam virginem dicebat non ex viro & fœmina natam, ſed ante ſecula extitiſſe: dæmones item poſt extremum judicium ſalvandos.

II. In oriente eodem tempore invaluerunt *Pauliciani & Athingani*, quorum religio ex gentiliſmo, Chriſtianiſmo & Judaiſmo confuſa videbatur, qvum oraculis uterentur & auguriis; immolationes facerent; impios excommunicandos eſſe negarent. Baronius nominat eos etiam *Sergiotas*, & *novam Manichæorum ſectam* fuiſſe arbitratur.

Magd. Cent 9. cap.5 p.[illegible]6, Oſiand. Cent. 9. lib.1.cap.2.p.5.

III. Transſubſtantiatores, *Lanfrancus, Humbertus, Algerus, Albericus, & alia pontificia contra Berengarium mancipia*, circa annum cIↃXLIX. in cœna, ſ. ſpeciebus panis & vini ſolum reſiduis, elementa ipſa, recitatis teſtamenti verbis, penitus evaneſcere ac transſubſtantiari docuerunt.

Magd Cent. 11. cap.9. & 10. Oſiand. Cent. 10. lib.3.cap.1.pag. 157. ſeqq.

IV. Quibus ſe oppoſuerunt *Exſubſtantiatores*, quorum dux *Berengarius*, Andegavenſis diaconus, ut confutaret errorem de transmutato pane communem, in alterum extremum imprudenter delapſus eſt, nihil in cœna præter nudum panem & nudum vinum eſſe, corpus autem & ſangvinem Chriſti, quorum ſint ſymbola & figuræ, nullibi niſi in cœlo exiſtere, dictitans. Celebrabantur igitur adverſus eum concilia, *Vercellenſe & Lateranenſe* à Leone IX. *Turonenſe* à Victore II. *aliud Lateranenſe* à Nicolao II. in quorum ultimo ſuos libros ipſe combuſſit, & palinodiam juratus cantavit Berengarius. Sed paulo poſt priorem ſententiam iterum tutatus, ab Hiltebrando anno cIↃLXXIX. in *concilio Romano* denuo condemnabatur, & tandem moriens dixiſſe dicitur: *Hodie apparebit mihi Dominus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Wiclefum* huc etiam aliqui referunt: quem tamen alii præſentiam corporis Chriſti in cœna affirmaſſe, & transſubſtantiationem tantum improbaſſe dicunt.

V. Circa annum cIↃCXIIX. legitur *hæreſis Bogomilorum à Baſilio apoſtata* ex cineribus Manichæis in oriente excitata. Negabant Trinitatem,

libros Moſis, reſurrectionem. Errabant præterea errorem Anthropomorphitarum, mundumque à malis angelis eſſe aſſeruerunt: in hoc non culpandi, quod cultum imaginum & ſacrificium incruentum improbarent.

Magd. Cent. 12. c. 5. & Oſiand. Cent. ead. lib. 1. c. 12. p. 245.

VI. Sexennio poſt *Tandemus ſeu Tanchelinus* Antverpianam eccleſiam, armatis ter mille ſectatoribus, qui *Adamitæ* vocabantur, ſtipatus, turbavit, ordines eccleſiaſticos non introduci debuiſſe, nec euchariſtiam ſumendam eſſe docens, veſtibus ſuperbis incedens, vitam epicuream vivens, ſtupris ſe opus ſpirituale committere dictitans. In Bohemia etiam tempore Ziskæ *tales Adamitæ* ex Belgio adfuere, nudi incedentes, & promiſcua conjugia ſibi permittentes, in quos Ziska graviter animadvertit.

Bernh. Epiſt. 194. Magdeb. Cent. 12. cap. 5. & 9. Oſiand. Cent. ead. lib. 2. c. 7. p. 264. ſeq.

VII. *Petrus Abailardus*, Gallus, & *Gilbertus*, Pictavienſis epiſcopus, circa annum cIↃCXL. res theologicas terminis philoſophicis efferebant, & cum de Trinitate loquebantur, *Arium* ſapiebant; cum de gratia, *Pelagium*; cum de perſona Chriſti, *Neſtorium*, ut ait *S. Bernhardus*, qui eos publice confutavit. Condemnati ſunt cum à papa, tum à conciliis variis. Sed quia inter alias condemnationis cauſas & hæc affertur, quod neminem præter Chriſtum mereri dixerint, inter ipſos ſuos errores aliquam veritatis partem contra Romanenſes tenuiſſe eos certum eſt.

Magdeb. Cent. cit. c. 5. Oſiand. loc. cit. cap. 10. pag. 174.

IIX. *Eon Britannus*, impudens magus, ſe ex agnominatione *EUM* dicebat, qui venturus eſſet judicare vivos & mortuos, & in furca bifida ſuam providentiam ſtultus demonſtrabat, miriſque præſtigiis hominum oculos faſcinabat, ab Eugenio III. in concilio Remenſi an. cIↃCXLIIX. damnatus, inque carcere mortuus.

IX. Extitit & anno cIↃCCXXII. alius *pſeudo-Chriſtus*, qui ſtigmata vulnerum in corpore ſuo oſtentavit, & in Oxonienſi ſynodo damnatus & crucifixus eſt.

Roger. in Annal. Angl. Petr. Bleſenſ. epiſt. 84. Magdeb. Cent. 13. cap. 5. & Oſiand Cent. ead. lib. 1. c. 4. p. 329. ſeqq.

X. *Albingenſes ſeu Albienſes & Albigeſii*, ab Albia Auguſta Helvetiorum dicti, in qua *Arnoldus*, P. Waldi ſocius, docuit. Hos etiam vocarunt *Bagnolenſes*, *Concordenſes vel Cozorenſes*, anabaptiſtis Monaſterienſibus non multum abſimiles. Cum Waldenſibus multa uno ore docuerunt, & ob id à multis pro iiſdem habentur. Sunt tamen iis, qua fide neſcio, horrendi errores imputati, ac ſi duo eſſe principia, DEUM bonum & malum, crederent, baptiſmum abrogarent, Chriſtum nec DEUM nec hominem aſſererent, reſurrectionem carnis negarent, promiſcuos concubitus celebrarent, & multa alia dictu horrenda committerent. Hos in Galliis collecto exercitu invaſerunt, & multis eorum (numerant ultra centum millia) indiſcretim cæſis, juſſu Innocentii III. ineunte ſeculo

XIII.

XIII. exſtirpare conati ſunt. Perſtiterunt tamen etiam ſequentibus annis: & tempore Honorii III. in finibus Bulgariæ, Croatiæ & Dalmatiæ, papam ſibi elegerunt, teſte Pariſienſi, & ſe adverſus exercitus à pontifice excitatos defenderunt.

XI. Refero ad Albingenſes, *Begardos & Beginas ſeu Beguttas*, *Fratricellos*, *Beſochos*, die Putzkeller, die Noll- oder Löll-Brüder / *Condormientes*, & *Fratres de paupere vita*, qui hominem in hoc mundo ad ſummum perfectionis gradum pervenire poſſe ſomniantes, in promiſcuos interim concubitus (ſi vera ſunt, quæ narrant hiſtorici) ruebant, & ob id etiam *Nicolaitæ* dicebantur, circa annum cIↃCCXX.

Cranz. in Concil. Vienn. Magd. Cent. 13. cap. 5. & 6. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. cap. 1. init. & 2. ii it. nec non p. 432.

XII. *Almaricani*, ab *Almarico* doctore Pariſienſi an. cIↃCC. dicti: quanquam recte papiſticos ritus in Sanctis & imaginibus adorandis improbarunt: inſano tamen errore docuerunt, Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum; Patris poteſtatem ad Chriſti adventum duraſſe; Chriſti vero doctrinam Spiritus Sancti acceſſu exoletam deſiiſſe; corpus Chriſti non dari in cœna; reſurrectionem, paradiſum, infernum nihil eſſe. Multi eorum Pariſiis & in Alſatia quoque combuſti ſunt: ipſeque Almaricus poſtea exhumatus, & oſſa cineresque ejus per ſterquilinia ſparſa ſunt.

Magdeb. Cent. cit. cap. 5 & 13. Oſiand. Cent. ead. lib. 1. cap. 3. p. 326.

XIII. *Raymundus Lullus* (cujus ars magna & parva, & alii libri adhuc in manibus ſunt) ob varios errores, qui ei imputantur, etiam inter hæreticos numerari conſvevit. Docuiſſe enim in Lombardia ſub annum cIↃCCLX. dicitur, &, ſi ita docuit, merito hæreſeos notam incurrit, Deum habere multas eſſentias, patrem fuiſſe ante filium, Spiritum S. eſſe à patre & filio conceptum. Vita ejus ſupra deſcripta eſt.

Jul. Pac. in vita Raym. Oſiand. p. 341.

XIV. Refero etiam huc *autorem Æterni Evangelii*, quem aliqui nominant *Johannem Parmenſem*. Cum autem an. cIↃCCLV. Pariſiis ſchiſma inter ſcholas & monachos Dominicanos recrudeſceret, Dominicani, *ex libris Joachimi Abbatis*, Æternum illud Evangelium peculiari libro conſarcinaverunt, quo Joachimi doctrinam dicebant excellere doctrinam Chriſti, & Novum Teſtamentum eſſe evacuandum, ſicut Vetus evacuatum eſt, cum adventurum ſit evangelium Spiritus S. ſeu tertius mundi ſtatus. Etſi autem, flagitantibus doctoribus Pariſienſibus, papa debuiſſet blaſphemum illum librum publice damnare, ſicuti olim an. cIↃCCXV. Innocentius III. librum Joachimi Abbatis contra P. Lombardum ſcriptum damnaverat; ne quid tamen hac ratione ordinibus monachorum decederet, ipſique vileſcerent, lis clam ſopita eſt.

XV. In Anglia *ſeculo XIV.* tempore Eduardi III. *plebs, ſacrificuli ali-*

VVeſt-monaſt. & Roger. in Ann. Angl.

cujus concionibus excitata, efflagitabat omnium perſonarum æqualitatem, qvum homo homini non præſtaret. Id cum negaretur, ſcenico ſibi rege creato, *Liſtore*, tinctore, Londini facto in arcem impetu, archiepiſcopum & theſaurarium regium ſecuri ſubjecerunt. Brevi tamen poſt furor eſt repreſſus.

XVI Nec excludere poſſum ex numero hæreticorum *Ptolomæum Lucenſem*, qui anno cIↄIↄIV. publice è cathedra docuit, non in utero Mariæ fuiſſe Chriſtum, ſed juxta cor ejus ex tribus ſangvinis guttulis conceptum. Quem errorem Baptiſta Mantuanus confutavit.

XVII Nec tacere poſſum *ipſum pontificem Johannem XXII.* qui docuit, animas corpore exutas non videre Deum ante noviſſimum diem.

XIIX. Qui inter *monachos* hæreſin foverunt (ut omnes fere foverunt) eos vide in Ordinibus Religioſorum quæſtione XXXII.

XXX. Quænam dicis eſſe dogmata, quæ, ut hæreſes pravas, improbarunt pontificii, cum tamen ex ſacris literis contra traditiones pontificias hauſta fuerint?

Pontificii eos, qui contra primatum papæ aut humana ejus inventa vel hiſcere auſi fuerunt, confeſtim tanquam hæreticos inclamarunt. In quorum numero inveniuntur

1. *Claudius*, Taurinenſis epiſcopus, ab Eugenio II. damnatus, qui an. IↄCCCXXV. adorandas eſſe imagines & reliquias Sanctorum negabat, & peregrinationes ad limina apoſtolorum improbabat.

Bl. Vejel. de Eccleſ. Græca. Fe-lahv. in Stat. & Ritib. Eccleſ. Græcæ.

2. *Græcæ eccleſiæ* etſi eas in articulo de Spiritus S. ex Filio proceſſione erraſſe, & adhuc errare novimus, minus tamen recte ob id excommunicatæ ſunt, quod purgatorium & primatum pontifici non concellerunt, & ſuperſtitionem Romanæ eccleſiæ reprehenderunt. Eos interim Græcos, qui cultum imaginibus & primatum papæ detraxerunt, invenio in ſeculo XII. *Syrianos vel Suranos hæreticos* à pontificiis appellatos.

Magd. Cent. 9. cap. 10. Oſiand. Cent. ead. lib. 1. cap. 4. pag. 26.

3. *Bertramus*, monachus Benedictinus in Galliis, *& Johannes Scotus* in Anglia, itidem monachus Benedicti, novo pontificum decreto, de pane in corpus Chriſti mutato & transſubſtantiato, ad trutinam S. Scripturæ revocato, cum pane & vino inviſibiliter corpus & ſangvinem Chriſti diſtribui, eaque non ratione & ſenſibus percipi, ſed fide accipi pro ſua fide dixerunt circa annum IↄCCCXLI. *Sunt*, qui ab iis Berengarium putant errorem de abſentia corporis Chriſti in cœna eſſe mutuatum. Or-

thodo

thodoxi fuiſſe videntur in certamine adverſus tranſſubſtantiationem, ut & in quæſtione de prædeſtinatione, in qua oppugnarunt Prædeſtinatianos, inque illis Godeſcalcum monachum: ſed errorem ſimul Sacramentariorum de nudis ſignis in ſacramentis diſſeminaviſſe. Paſchaſius contra eos variis libris decertavit.

4. *Henrico IV. hæreſis*, dicta *Henriciana*, imputabatur, ac ſi doceret, anathema eſſe contemnendum, & eccleſiæ ligamenta aſpernenda. cum potius damnaret tyrannidem pontificis, & abuſum clavium improbaret, ſeque eccleſiæ patronum, nutritium, & defenſorem diceret: in quo habuit *ὁμόψυχον Metenſem aliquem epiſcopum*, qui itidem, quod contra Hiltebrandum dixerat, reges excommunicari, i. e, regionibus ſuis exterminari à Papa non poſſe, anno cIↃLXXXIII. excommunicatus eſt.

5. *Conjugatis etiam ſacerdotibus* hæreſin impingebant, eoſque nominabant *Nicolaitas*, & à Cadolao ſeu Honorio II. pontifice, qui conjugiis ſacerdotum faverat, *Cadolaitas*. Quanti autem conſtiterit pontificibus, legitimum conjugii uſum ſacerdotibus adimere: id partim ex tumultibus in Anglia, Germania, & alibi locorum ab eccleſiaſticis excitatis, partim ex variis conciliis innoteſcit, in quibus pro conjugio ſacerdotum tam validæ ſunt allatæ rationes, ut, ſi vim non adhibuiſſet, nulla ratione id, quod ipſi Deo placuit, abolere potuiſſet Antichriſtus.

6. Poſſum his addere *Petrum de Bruis*, & *Henricum ejus aſſeclam*, & omnes, quos *Petrobruſianos*, *Henricianos*, & *Apoſtolicos* circa annum cIↃCXXVI. nominaverunt. Quibus etſi pontificii horrendos errores imputarunt, qui nec in mentem illis venire potuerunt: etſi etiam revera aliquid aſſeruerunt, quod minus probari poteſt: nos tamen judicamus, eos non aliam ob cauſam, quam ob datum veritati teſtimonium, igni & gladiis ſubjectos fuiſſe. Inter alias enim hypotheſes, ob quas damnati ſunt, docuerunt, *infantes ſua, non aliena fide ſervari, ſacrificium Miſſæ non eſſe à Chriſto inſtitutum, nec panem & corpus tranſſubſtantiari, ſacrificia & orationes pro defunctis nihil prodeſſe, ſacerdotes debere eſſe conjugatos, imagines & ſanctos non eſſe adorandos, licitum eſſe quovis die carnibus veſci, Patrum ſcripta non eſſe paris cum Scriptura autoritatis, purgatorium eſſe figmentum ſacrificulorum.*

Magd. Cent. 12. cap. 9. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. cap. 3. pag. 282.

7. *Arnoldiſtas* etiam hanc in claſſem conſulto refero, quos ita nominarunt ab *Arnoldo Brixiano*, jam ſupra inter Albingenſes recenſito, qui acerrime in avaritiam & faſtum ſacerdotum invectus, poteſtatem papæ ſecularem negavit, ſuaque doctrina fecit, ut Romani libertatem eligendi magi-

Magd. Cent. cit. cap. 5. Oſiand. Cent. 12. l. 2. c. 7. p. 266.

cujus concionibus excitata. efflagitabat omnium perſonarum æqualitatem, qvum homo homini non præſtaret. Id cum negaretur, ſcenico ſibi rege creato, *Liſtore*, tinctore, Londini facto in arcem impetu, archiepiſcopum & theſaurarium regium ſecuri ſubjecerunt. Brevi tamen poſt furor eſt repreſſus.

XVI Nec excludere poſſum ex numero hæreticorum *Ptolomæum Lucenſem*, qui anno cIↃIↃIV. publice è cathedra docuit, non in utero Mariæ fuiſſe Chriſtum, ſed juxta cor ejus ex tribus ſangvinis guttulis conceptum. Quem errorem Baptiſta Mantuanus confutavit.

XVII Nec tacere poſſum *ipſum pontificem Johannem XXII.* qui docuit, animas corpore exutas non videre Deum ante noviſſimum diem.

XIIX. Qui inter *monachos* hæreſin foverunt (ut omnes fere foverunt) eos vide in Ordinibus Religioſorum quæſtione XXXII.

XXX. *Quænam dicis eſſe dogmata, quæ, ut hæreſes pravas, improbarunt pontificii, cum tamen ex ſacris literis contra traditiones pontificias hauſta fuerint?*

Pontificii eos, qui contra primatum papæ aut humana ejus inventa vel hiſcere auſi fuerunt, confeſtim tanquam hæreticos inclamarunt. In quorum numero inveniuntur

1. *Claudius*, Taurinenſis epiſcopus, ab Eugenio II. damnatus, qui an. IↃCCCXXV. adorandas eſſe imagines & reliquias Sanctorum negabat, & peregrinationes ad limina apoſtolorum improbabat.

El. Vejel. de Eccleſ. Græca. Felahv. in Stat. & Ritib. Eccleſ. Græcæ.

2. *Græcæ eccleſiæ* etſi eas in articulo de Spiritus S. ex Filio proceſſione erraſſe, & adhuc errare novimus, minus tamen recte ob id excommunicatæ ſunt, quod purgatorium & primatum pontifici non conceſſerunt, & ſuperſtitionem Romanæ eccleſiæ reprehenderunt. Eos interim Græcos, qui cultum imaginibus & primatum papæ detraxerunt, invenio in ſeculo XII. *Syrianos vel Sumnos hæreticos* à pontificiis appellatos.

Magd. Cent. 9. cap. 10. Oſiand. Cent. ead. lib. 1. cap. 4. pag. 26.

3. *Bertramus*, monachus Benedictinus in Galliis, & *Johannes Scotus* in Anglia, itidem monachus Benedicti, novo pontificum decreto, de pane in corpus Chriſti mutato & transſubſtantiato, ad trutinam S. Scripturæ revocato, cum pane & vino inviſibiliter corpus & ſangvinem Chriſti diſtribui, eaque non ratione & ſenſibus percipi, ſed fide accipi pro ſua fide dixerunt circa annum IↃCCCXLI. *Sunt*, qui ab iis Berengarium putant errorem de abſentia corporis Chriſti in cœna eſſe mutuatum. Orthodo

thodoxi fuiſſe videntur in certamine adverſus transſubſtantiationem, ut & in quæſtione de prædeſtinatione, in qua oppugnarunt Prædeſtinatianos, inque illis Godeſcalcum monachum: ſed errorem ſimul Sacramentariorum de nudis ſignis in ſacramentis diſſeminaviſſe. Paſchaſius contra eos variis libris decertavit.

4. *Henrico IV. hæreſis*, dicta *Henriciana*, imputabatur, ac ſi doceret, anathema eſſe contemnendum, & eccleſiæ ligamenta aſpernenda, cum potius damnaret tyrannidem pontificis, & abuſum clavium improbaret, ſeque eccleſiæ patronum, nutritium, & defenſorem diceret: in quo habuit *ὁμόψυχον Metenſem aliquem epiſcopum*, qui itidem, quod contra Hiltebrandum dixerat, reges excommunicari, i. e. regionibus ſuis exterminari à Papa non poſſe, anno cIↃLXXXIII. excommunicatus eſt.

5. *Conjugatis etiam ſacerdotibus* hæreſin impingebant, eosque nominabant *Nicolaitas*, & à Cadolao ſeu Honorio II. pontifice, qui conjugiis ſacerdotum faverat, *Cadolaitas*. Quanti autem conſtiterit pontificibus, legitimum conjugii uſum ſacerdotibus adimere: id partim ex tumultibus in Anglia, Germania, & alibi locorum ab eccleſiaſticis excitatis, partim ex variis conciliis innoteſcit, in quibus pro conjugio ſacerdotum tam validæ ſunt allatæ rationes, ut, ſi vim non adhibuiſſet, nulla ratione id, quod ipſi Deo placuit, abolere potuiſſet Antichriſtus.

6. Poſſum his addere *Petrum de Bruis*, & *Henricum ejus aſſeclam*, & omnes, quos *Petrobruſianos*, *Henricianos*, & *Apoſtolicos* circa annum cIↃCXXVI. nominaverunt. Quibus etſi pontificii horrendos errores imputarunt, qui nec in mentem illis venire potuerunt: etſi etiam revera aliquid aſſeruerunt, quod minus probari poteſt: nos tamen judicamus, eos non aliam ob cauſam, quam ob datum veritati teſtimonium, igni & gladiis ſubjectos fuiſſe. Inter alias enim hypotheſes, ob quas damnati ſunt, docuerunt, *infantes ſua, non aliena fide ſervari, ſacrificium Miſſæ non eſſe à Chriſto inſtitutum, nec panem & corpus transſubſtantiari, ſacrificia & orationes pro defunctis nihil prodeſſe, ſacerdotes debere eſſe conjugatos, imagines & ſanctos non eſſe adorandos, licitum eſſe quovis die carnibus veſci, Patrum ſcripta non eſſe paris cum Scriptura autoritatis, purgatorium eſſe figmentum ſacrificulorum.*

Magd. Cent. 12. cap. 9. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. cap. 3. pag. 282.

7. *Arnoldiſtas* etiam hanc in claſſem conſulto refero, quos ita nominarunt ab *Arnoldo Brixiano*, jam ſupra inter Albingenſes recenſito, qui acerrime in avaritiam & faſtum ſacerdotum invectus, poteſtatem papæ ſecularem negavit, ſuaque doctrina fecit, ut Romani libertatem eligendi magi-

Magd. Cent. cit. cap. 5. Oſiand. Cent. 12. l. 2. c. 7. p. 266.

magiſtratus repeterent, quam pontifices ſibi rapuerant. Actus autem eſt in crucem vir animoſus anno cIↄCXLV. Sequente ſeculo anno cIↄCCLIIX. alius *Arnoldus de Nova Villa* dictus, natione Hiſpanus, prodiit, vir in omni artium genere peritiſſimus qui & ipſe contra pontifices animoſe multa dixit & ſcripſit, ſectatoreſque ſuos, *novos Arnoldiſtas*, poſt ſe reliquit.

Magd. Cent. 12. cap. 8. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. cap. 5. & Cent. 14. lib. 4 cap. 6. pag. 440.

8. Imprimis huc refer *Waldenſes*, quos ſupra *quaſtione* X. deſcriptos variis appellarunt nominibus, *Publicanos*, *Catharinos*, *Turrelupinos*, *Chagnardos*, *Pauperes de Lugduno*, *Leoniſtas*, *Inſabbatos*, & in contumeliam à reliquis hæreticis, *Fratricellos*, *Albingenſes*, *Apoſtolicos novos*: item *Lollhardos* ſic ab indoctis monachis dictos, quaſi lollium i.e. lolium ſeminantes; & *Caputiatos* ſeu *Pileatos*, quod in ſacris cœnæ caput non aperirent.

Crantz. 8. Metrop. cap. 18. p. 531. edit. in 8°.

9. Refer ad eos *Circumcelliones*, quos dicit *Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 18.* pulſatis campanis & convocatis baronibus terræ, in Hallis Sueviæ, in publica ſtatione, anno cIↄCCXLIX. prædicaſſe, quod papa ſit hæreticus, omneſque epiſcopi & prælati & ſacerdotes Simoniaci, hæretici, hominumque ſeductores, qui Fridericum Imperatorem nihil meritum & totam eccleſiam affligerent.

10. Immerito etiam *Wilhelmum de S. Amore & Johannem de Poliaco* inter hæreticos recenſent pontificii, quia erudite contra mendicantes monachos ſcripſerant.

11. Immerito & ii à ſynodo & academia Moguntina in numerum hæreticorum anno cIcIↄI referuntur, quos *Maculiſtas* vocarunt, quique Mariam dixerunt in peccato originali eſſe conceptam.

XXXI. Etſi etiam ſoleo de rebus Judæorum & gentium hoc loco quærere, quum tamen eas ſatis intellexiſſe ex ſuperioribus mihi videar, age ſeriem illam Ordinum religioſorum mihi expone, quam pollicitus es.

Ingratum quidem laborem mihi imponis, ſed tamen non ſine fructu legentium ſuſcipiendum. Etſi enim non probamus inſtituta monaſtica, quoad illos errores, quos innumeros in illis deprehendit & confutat *Hoſpinianus lib. 3. de orig. monachorum, cap. 26.* noſſe tamen ea conſultum eſt, ut intelligamus, nihil profuiſſe *Batthæo* vermiculos, ob frequens jejunium & dentibus ſcaturientes, Sozom. *lib. 6. cap. 34.* nihil *Syro*, per

annos

annos LXX. panem, *eodem Sozomeno teſte*, non attigiſſe: *Acephema*, ad annos LX. à nemine viſum, cum nemine collocutum eſſe, Theodoret. *lib.4.cap.28*.nihil *Mariæ Ægyptiacæ*, per annos XLVII. in deſerto nudam oberraſſe, Paul. Diac. *de vit. Patr.* nihil *Alberico*, inſana hypocriſi (horreſco referens) pedes leproſorum laviſſe, & aquam ſanie & ſangvine mixtam hauſiſſe, Cent. Magd. *12. cap. 10.* nihil denique *Stylitis*, in columnis tot annos inconverſo corpore conſumſiſſe. Ubi enim gentium Deus ſui ipſius corporis fieri carnificem juſſit? Qua fronte meritum in ſuperſtitioſis & hypocriticis operibus quærunt? Satius ædepol fuiſſet, Deo inter homines inſervire, quam Deum & homines fugiendo, hominem exuere. Sed nimium manſvefacti jam ſunt monachi, & rigor ille in effrenem abiit laſciviam: adeo ut in omnibus ordinibus ſint, qui religioſo veſtitu animum voluptate plane efferatum circumgerant, nec ſine fœcunditate. Non enim inſulſe canit Adilos:

Non male ſunt monachis grata indita nomina patrum,
Qvum numerent natos hic & ubiq; ſuos.

Henricus IIX. certe, rex Angliæ, cum anno cIↄIↄXXXVII. cœnobia, *teſte Baleo in præfatione de R. pontificum actis*, viſitari curaſſet, tantum numerum invenit ſcortatorum & cinædorum, ut in unoquoq; nova Gomorrha videretur. Juxta *breviarium enim compertorum in monaſteriis, conſcriptum à viſitatoribus*, in monaſterio Bellenſi præter ſcortatores & adulteros ſunt inventi XV. Sodomitæ, in Cantuarienſi Benedictino IX. Ibidem in Auguſtiniano præter Sodomitas, XII. ſcortatores. Plura non addo.

XXXII. *Ad numerum age religioſorum Ordinum ſupputandum paratus ſum.*

Sed innumeros nunquam numerabis. Interim præcipuos recenſebimus. Hier. VVolfius in Lect. Memor. prolixe. Hoſpin. de Orig. & progr. Monachatus.

Acephali. Vid. *Flagellantes*.

Acœmetæ ſeu *Inſomnes* die noctequе juges hymnos concinuerunt, ſibi invicem tripertito tempore ſuccedentes, circa annum CCCCLX. in eccleſia Conſtantinopolitana exorti.

Albati, anno cIↄCCCI. linteis albis circumvoluti, dicti alias *Bogardi*, magno numero *à presbytero quodam Italico*, in Italiam ex Alpibus contendente, collecti, deplorabant rerum humanarum ſtatum, temporum calamitatem, & mortalium pravitatem, ſinec ne fructu, *ut teſtatur Antoninus*. Sed Bonifacius IX. fraudem ſubeſſe veritus, interfecto presbytero, fecit, ut cœtus ille hominum confeſtim ſolveretur.

Alcan-

Alcanthar æ ordo. Vid. *Equeſtres Ordines.*

Amalphitani ſunt *Hoſpitalarii:* quos ſuo loco vide.

Ambroſiani ad nemus, ſub regula Auguſtini, Mediolani confirmati anno cIↃCCCCXXX. Sunt *Ambroſiani alii*, qui ſuper tunicis albis rubeas chlamydes ſuperinduunt.

Amadeani ſub regula Franciſci.

Annuntiationis Mariæ. Vid *Equeſtres Ordines.*

Antonii de Vienna fratres, ſub regula Auguſtini, anno cIↃXCV. à duobus nobilibus Viennenſibus inſtituti. *Antoniani* utuntur nigro habitu cum Thau cœrulei coloris ante pectus: mendici importuni, qui illis, à quibus ſtatim eleemoſynæ non ſuppeditantur, Antonii ignem minantur, & ſingulis annis non ſolum porcellum (das Antonius-Ferckel) exigunt, ſed & porcellos plures nolis tinnientibus reſonantes, per plateas circumducunt, & à *Franciſco Modio* dicuntur pro teſſera porcellum habere. Quondam Antoniani fuere eremitæ ad regulam Antonii, de quo ſupra.

Apoſtolicorum ordo, à *Congello* in Britannia ad regulam Chriſti anno IↃXXX. in Bannochorenſi collegio, in quo plerumque fratres invenire ultra bis mille licuit, inſtitutus, accepit tandem regulam Benedicti in Gallia. Vide etiam *Jeſuatos.*

De Armenia Fratres in Angliam an. cIↃCCLIIX. venerunt.

VVolff. in Lect. Memor. Lucius de Monach. Polyd. Vergil. lib. 7. de Rer. Inv. cap. 3.

Auguſtiniani non ſunt unius generis. *Alii* ſe nominant *Canonicos regulares*; *Eremitas ſeu Fratres Auguſtinianos reliqui.* inter quos tanta aliquando fuit contentio, ut coram pontifice anno cIↃCCCIX. de ortu priore, & de habitu Auguſtini, nigerne fuerit an albus, litigarint. Sed ad pictores & ſtatuarios lis remiſſa eſt. Neutri autem revera ab Auguſtino vel ordinem vel regulam acceperunt, qvum is monachus non fuerit. Et *Auguſtinienſes Eremitæ* recte referuntur ad annum cIↃCL. Quo tempore eorum ordo à *Gvilhelmo*, Aquitaniæ duce, Bernhardi diſcipulo, coiit: *inter quatuor mendicantium ordines non poſtremus*, alios XXIIX. ordines ſub ſe complectens: quos numerat *Hoſpinianus lib. 6. de Orig. Mon. cap. 2. Canonicos* vide ſuo loco. Moniales ſeu ſanctimoniales virgines, alias Nonnæ, quæ canonibus Auguſtini obſtringuntur, dicuntur *Canoniſſæ regulares.*

Av ſſii de Avis. Vid. *Equeſtres Ordines.*

Aurei velleris. Vid. *ibidem.*

Bandæ equites, Vid. *ibidem.*

Bar-

Barfüſſer. Vide *Franciſcanos.*

Baſiliani, à Baſilio dicti, regulam habent XCIV. capitibus conſtantem: quam an ipſe confecerit Baſilius, certis rationibus Hoſpinianus in dubium vocat *lib.3. de Orig. Mon. cap.3.* Alioquin ſchola Baſilii cœpit anno CCCLXXX. adornari.

Batuini monachi, quorum mentio fit in bruto fulmine.

Begardorum & Beginarum ſeu Beguttarum Ordo jam explicatus eſt quæſtione XXIX. inter hæreticos. Etſi autem à multis pontificibus damnatus eſt: ob curam tamen pauperum tandem Eugenius IV. eum anno cIↃCCXC. confirmavit. Vid. *Franciſcani. Nota, quod Beginæ dictæ* ſunt à Bege autore.

Benedictini originem debent *Benedicto*: qui anno IↃXXX. tumultuum & bellorum pertæſus, in ſolitudinem abiit, & XII. monaſteria in Italia condidit: ex quibus deinde Benedictini in omnem terram, tanquam locuſtæ innumeræ, prodierunt. Ipſe quidem monaſteria, tanquam ſcholas aliquas, ad erudiendam juventutem & ad tractandas res fidei aperuit: ſed ejus ſucceſſores omnia verterunt in ſuperſtitionem. *Tritbemius & alii* circa annum cIↃIↃ. teſtantur, XXIV. *pontifices*, CC. *cardinales*, cIↃIↃC. *archiepiſcopos, quater mille epiſcopos, & ultra quindecim millia canoniſatorum ex eo prodiiſſe.* Exceptis præpoſituris, prioratibus, & cœnobiis monialium XV. millia monaſteria ordinis Benedicti ſub ſuis abbatibus numerarunt. Nota, quod Ordo Benedicti per annos CCC. ad annum usque IↃCCCC. ſolus per omnes occidentis provincias viguerit, & ab eo tempore in plures familias diviſus fuerit, ceu ſunt *Cluniacenſes, Valleſumbrenſes, Montoliveteníes, Grandimontenſes, Camalduenſes, Ciſtertienſes, Silveſtrenſes ſeu Humiliati, Cœleſtini, Bursfeldenſes ſeu Reformati, Caſſinenſes*, & id genus alii. *Benedictinarum ſcholaſticanarum* ordinem adde his Benedictinis monachis.

Gregor. lib. 2. Dial. cap. 1. & 33. Aimon. 2. de Geſt. Francor. cap. 16. & 22. Chron. Caſſin. lib. 1. c. 1. Paul. VVarnefr. l. 1. c. 26.

Bernhardini iidem ſunt, qui *Ciſtertienſes*, quos ſuo loco vide.

Bethlehemitæ Prædicatorum more veſtiti, anno cIↃCCLVII. in Anglia primum viſi ſunt.

Bogardi. Vid. *Albati.*

Bizocchi. Vid. *Franciſcani.*

Bonorum hominum ordo in Anglia anno cIↃCCLIIX. cœpit, veſtimenti cœrulei, Auguſtinianæ regulæ.

Bonæ voluntatis, ſunt fratres *de communi vita.*

Brigittæ ſeu Salvatoris Ordo, à Brigitta Svecica anno cIↃCCCLX inſtitutus, conſtans ex viris & fœminis.

Burſfeldenſes ſeu *Reformati*, ordinis Benedictini.

Calatravæ ordo ſacer militum in Hiſpania, circa annum cIↃCXCIIX. floruit. Vid. *Equeſtres ordines.*

Caligulæ equites. Vid. *Equeſtres ordines.*

Camalduenſes, à loco dicti, ubi ruſticus quidam dixerat, ſe per quietem vidiſſe ſcalas in cœlum porrectas, in quibus mortales ad Deum aſcenderunt, anno cIↃ. à *Romualdo*, nobili Ravennate, ſub canone Benedicti, in ordinem congregati.

Canonici non ſunt ſub abbate, ut monachi, ſed ſub epiſcopo. *Collegia enim Canonicorum* non fuerunt monachorum, ſed clericorum & presbyterorum, quondam uxoratorum, deinde ad cœlibatum damnatorum, miniſteriis eccleſiæ initiatorum, ad certam regulam viventium, & imprimis in templis canentium. Unde adhuc Chor-Herren dicuntur. Scholas ab initio fuiſſe hæc collegia, fuſe probat *Hoſpinianus lib. 4. de Orig. mon. cap. 22.* Originem Canonicorum quod attinet, *Thomas Aquinas* eam refert ad apoſtolos; *alii* ad Urbanum I qui vixit anno CCXXX. *nonnulli* ad Auguſtinum, cui regulam etiam ſuam adſcribunt. Hanc cum luxu perditi pedetentim inciperent negligere, circa annum IↃCCCCLXXVII. *Seculares* nomine & re dicti ſunt: reliquis, qui propius ad regulam accederent, nomen *Regularium Canonicorum retinentibus.* Hinc *Alb. Cranzius lib. 4. metrop. cap. 1.* *Interpretemur vocabulum. Si canon eſt regula, canonici ſunt regulares. Quid fiet de canonico ſeculari, niſi ut regularis ſit irregularis, aut irregularis ſine regula, monſtrum ſine exemplo, canonicus ſine canone?* Vid. *Præmonſtratenſes.* *Canoniſſæ regulares* ſtatim Canonicis adjunctæ fuerunt. Nam jucundior erat reddenda ſocietas, & jugum monaſticum ſvavius ex monachorum & monacharum cohabitatione fiebat.

Hoſp. 4. de Orig. Monach. c. 22. Lucius & Himmel. de iisd. Polyd. Vergil. l. 7, c. 3.

Capellani, veſtitus partim atri, partim cœrulei, partim pulli, anno cIↃCCLXXXIII. exorti.

Capucini, dicti etiam *Nudipedes*, ſub regula Franciſcanorum eodem furore, quo Jeſuitæ, in orthodoxos deſæviunt: eodem etiam fere tempore, quo Jeſuitæ ortum ſumſerunt per *Gotbofridum Vamglium*, Pedemontanum: qui tamen ipſe tandem, relicto papatu, ad evangelicos ſingulari Dei providentia tranſiit, & ob fidei confeſſionem anno cIↃIↃLVII. igne combuſtus eſt, Notentur de illis verſiculi;

Cor-

Cordula nodoſa: pes nudus: cappa doloſa:
Hæc tria nudipedes ducunt ad Tartara fratres.

Carmelitæ ſeculo XII. aut XIII. *ex genere Mendicantium* ſuborti ſunt, dicti etiam *B. virginis fratres*: in cujus honorem totum pſalterium inverterunt, & novam apocalypſin apocalypſi Johannis oppoſuerunt. Tanta ſumſerunt ſubito incrementa, ut *Sabellicus enn. IX. lib. V.* ſuo tempore eorum in VIIcIↃL. cœnobiis numerarit centies octuagies mille. Aliqui eorum vocantur *Obſervantes*; reliqui *non obſervantes*. Sunt, qui hunc fratrum Carmelitarum ordinem gloriantur ab ipſo Elia & Eliſæo in monte Carmelo ortum ſumſiſſe, Johannem Baptiſtam illi nomen dediſſe, Mariam virginem ab illo in ſororem & patronam electam eſſe, ſeculo demum V. poſt Chriſtum natum regulam ab abbate Johanne, poſtea epiſcopo Hieroſolymitano, compoſitam, ſecundum quam adhuc fratres vivant. Sed circumſpectiores nugas has merito rident, & ordinem non ab Elia propheta, ſed quodam Elia Ægyptio, non in Carmelo monte Syriæ, ſed Phœniciæ, quem impius Nabal incoluit, in honorem non virginis Mariæ, ſed Ægyptiacæ pœnitentis; non antiquis ſeculis, ſed recentioribus inſtitutum eſſe ajunt. Cum illius regula cœpiſſet vileſcere. anno cIↃIↃLXIIX ſub Pio V. ad priſcum rigorem *à Tereſia* virgine Hiſpana eſt reſtituta, & juxta illius placita Carmelitæ prodiere ab eo tempore *Diſcalceati*, abdicata vita ordinis per Eugenium IV. mitigata. Philipp. à SS. Trinit. in Hiſt. Ord. Carmelitar. Polyd. Vergil. l. 7. de Rer. Invent. c. 3.

Carthuſienſes, ſub regula omnium rigidiſſima, à *ſilva Carthuſia* in Galliis dicti, anno cIↃLXXX. à Brunone, philoſophiæ profeſſore Pariſienſi, ea occaſione in certum ordinem collecti ſunt, quod collega ejus defunctus, cum efferretur, erigens ſeſe triſti querela exclamaſſet: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum.* Hic ordo carnibus nunquam veſcitur ex inſtituto primum anno 1254. facto. In illum ſolum reliqui Mendicantes migrare poſſunt. Magdeb. Cent. 11. c. 6 Oſiand. Cent. ead. lib. 4 c. 3. p. 190 Polyd. Vergil lib. 7. de Rer. Inv. c. 3.

Caſſinenſes Venetiis exorti ſunt ſub regula Benedicti.

Catharinæ ordo, *à Catharina Senenſi* anno cIↃCCCLXXII. ortus: quam ſibi ferunt ipſum Chriſtum in viſione deſponſaſſe, in præſentia Mariæ, Johannis, Pauli & Dominici, Davide interim cithara canente.

Cellarii, dicti etiam *fratres Viſitationis ſeu caritatis ſeu miſericordiæ*, ægrotis viſitandis, mortuisque efferendis operam ſuam elocant.

Chalomeniani in palliis albis crucem albam geſtant.

Charterios, die Ritter vom güldenen Hoſenbande/ vide inter *ordines equeſtres.*

Chordigeri ſunt Franciſcani: de quibus *Georg. Buchananus:*

Et tunicam fluxam nodoſa cannabe cingis:
Cum melius fauces ſtringeret illa tuas.

Chiacini cum barba militant ſub regula Franciſci.

Chordigeri. Vid. *Franciſcani.*

Cranz. S. Metr. cap. 18. p. 531.

Circumcelliones iidem ſunt, quos *Gyrovagos* appellarunt, quique ſub nulla regula, nulliusque obedientia conſtituti, diſcurrebant per civitates, &, quod corraſerant mendicando, non ſine luxuria conſumebant. Non abſimiles illis fuerunt *Sarabaitæ* in Ægypto, & *Circulatores* in Palæſtina, quorum neutri ſub regula certa vivebant. Omnes hi monachi in ſynodo Chalcedonenſi, anno CCCCLIII. habita, damnati ſunt.

Polyd. Vergil. lib. 7. de Rer. Invent cap. 2. pag. m. 481.

Ciſtercienſes, à loco in Burgundia dicti, anno cIↃXCVIII. prodierunt. Nam XXI. fratres, laſciviam reliquorum fratrum in monaſterio abominati, inde fugerunt, & rigidiorem vitam ſub Benedictina regula in horrido & denſo loco elegerunt, & ob veſtitum *Griſei;* à D. Bernhardo autem, qui in hunc ordinem ſe contulit, *Bernhardini* dicti ſunt, atque à jurisdictione epiſcoporum exemtos ſeſe venditant. In antiquis membranis vidi hunc ordinem vocari *de Cyrhyos.*

Clariſſæ, ſeu *Pauperes Dominæ*, in ordinem Franciſcanæ regulæ, anno cIↃCCXXV. à *Clara* ſub paupertatis privilegio ſelectæ ſunt.

Clavigeri gerunt in nigro cucullione geminas claves.

Cluniacenſis ordo, à loco dictus, anno IↃCCCCXII. ab *Odone ſeu Bernone* abbate ad regulam Benedicti inſtitutus, opibus Aquitaniæ ducis.

Cæleſtini, à Cœleſtino papa dicti, qui anno cIↃCCXC. ex eremita factus fuerat papa.

Collectanei fratres in ordine Franciſcanorum pecunias colligunt.

Conſtantinopolitani. Vid. *Equ. ordines.*

Confraternitas mortis, ſodalitium eorum, qui defunctorum corporibus humandis ſacrati ſunt.

Compoſtellani. Vid. *Equeſtres ordines.*

Coronati ſub regula Auguſtini.

Conventuales inter Franciſcanos.

Gualt. in Chron Eccleſ. lib. 2. p. 107. & ſeqq. Polyd. Vergil. lib. 7. de Rer. Inv. cap. 3.

Cruciferorum fuerunt alii ſub propria regula, qui crucem manibus gerebant, dicti etiam cruce ſignati: alii, crucem in pectore gerentes, regulam Auguſtini profitebantur: alii tandem inter equeſtres ordines relati, crucem nigram in albo geſtantes pallio, &, quia Divæ Mariæ erant ſacri, *Mariani* fuere appellati, item à gente, *Teutonici*: in quorum tanquam

ſacro-

ſacrorum militum numerum non recipiebantur, niſi nobili Germanorum proſapia orti. Eorum erat, curam pauperum in terra ſancta agere, & armis Chriſtianos adverſus ſacræ crucis hoſtes tutari. Hoc enim fine ab Henrico VI. anno cIↃCXC. ad Ptolemaidem ordo ad mores Templariorum & Hoſpitalariorum & ad regulam Benedicti inſtitutus fuit. Præfuit ei ſummus magiſter, qui primo Ptolemaide ſeu Anconæ; poſtea cum Saraceni denuo prævalerent in Palæſtina, Venetiis ſedem fixit: & inde magiſtros provinciales, quo conducebat, emiſit. Quartus tandem ſupremus ordinis magiſter, evocatus à Conrado, duce Maſoviæ, contra idololatras vicinos Boruſſos, ſedem tranſtulit *Mariaburgum* in Boruſſia: & ſacri ordinis potentia ab hoc tempore tantopere ſuccrevit, ut in una Boruſſia quatuor epiſcopatus; quinquaginta quinq; civitates; quadraginta octo arces; 19000. pagos; annuosque reditus ordinarios 108000. aureis cenſeret, & numerus equitum, qui initio tantum XL. præter propter fuerat, excreſceret in numerum bis mille: quorum ſinguli plures ſecum ſervos educebant. Tandem eo luxuriæ proceſſit hic ordo, cum jam reditibus ampliſſimis eſſet ditatus, ut vere in vulgus ſparſum ſit:

Kleider aus/ Kleider an/
Eſſen/Trincken/Schlaffen gan/
Iſt die Arbeit/ſo die Teutſchen Herren han.

Vide Syntagm. pol. hiſt. *lib. 3. ſect. 6. qu. 5. & 6.*

Damiani ordo eſt ordo *Clar iſſarum.*

Diſcalceati. Vid. *Franciſcani.*

Dominicani ſunt ex ordine *Mendicantium*, dicti alioquin *Prædicatores*: enati ſub anno cIↃCCV. *Dominicus* enim, Hiſpanus, miraculis apud credulos & fallaces monachus celebris: imo ipſi Chriſto quandoque prælatus, cruentæ lanienæ Albingenſium per zelum ſine ſcientia autor, fratres ſub regula Auguſtini convocavit. tanto incrementi augurio, ut Sabellicus ſua ætate quatuor millia & CXCIII. collegia inter eos numerarit. Publice in eccleſiis ſcribebatur, ſub Pauli quidem imagine: *Per hunc itur ad Chriſtum;* ſub Dominici vero imagine: *Sed facilius per iſtum.* Vide, quæ ſupra de Dominico ſunt dicta.

Enſiferi. Vid. *Equeſtres Ordines.*

Equeſtres & militares ordines ſeu ſodalitia ſunt ex judicio Hoſpiniani *monſtrum ex monachis & laicis conflatum*, eo fine magno numero inſtituti, ut equites aurati, ceu vocabantur, pro Chriſti gloria pugnantes, Chriſtianos ſub Saracenis vel paganis afflictos armis redimerent, & po-

Vinc. Bellov. in Spec. lib. 30. cap 94. ſeqq. & lib. 31 cap. 65. ſeqq. & cap. 110. ſeqq. Naucler. Vol. 2. gener. 41. p. 915. Polyd. Vergil. 7. de Rer. Inv. c. 4. Anton. Florent. Vol. 3. tit. 23. c. 4. Magd. Cent. 13. c. 13. Oſiand. ib. lib. 1. cap. 2.

Bechm. in Not. Digo. Selden. de tit. Honor. Gualter. in Chron. Eccleſ. l. 2. à p. 1. usque 221. ex Aub. Mirzo.

mœria eccleſiæ latius extenderent. Fuerunt inter illos præcipui *EQUITES Alcantaræ*, in regno Caſtellæ anno 1070. à Gomeſio Fernando, ſub regula Benedicti, adverſus Mauros inſtituti, & tandem oppido Alcantaræ donati. *Annunciationis Mariæ*, in Sabaudia, ab Amadeo VI. ſeculo XIV. poſt expugnatam Rhodum, cum ſymbolo Sabaudico FERT i. e. Fortitudo ejus Rhodum tenuit. *Aviſii ſeu ordo de Avis* apud Luſitanos, dicti ab oppido illis conceſſo Aviſſio, tandem equitibus Calatravenſibus adjuncti. *Aurei velleris*, Ritter des güldenen Flüſſes/ ſeculo XV. à Philippo Bono, Burgundiæ duce, in nuptiis cum Eliſabeta conjuge inſtituti, quorum numerum Carolus V. ad LI. auxit. *Bandæ*, in Hiſpania, à rege Caſtellæ inſtituti, à tænia dicti, quam à dextero humero ſub ſiniſtro brachio corpori circumducunt. *Calatravenſes*, ſub regula Ciſtertienſium, ſeculo XII. à Raymundo Piſoricenſi, in regno Caſtellæ, contra Saracenos educti. *Chriſti equites*, apud Luſitanos, contra Mauros ad Ciſtertienſium inſtitutum. Cui ordini magna pars Teutonicorum equitum deletorum à pontifice eſt attributa. *Compoſtellani ſeu milites D. Jacobi de Spata*, in Hiſpania ſeculo XII. exorti. *Conſtantinopolitani* veſte viridi & rubra chlamyde veſtiti fuerunt, in pectore duarum crucium imaginem implicitam habentes. *Enſiferi ſeu Spadati*, in Livonia, binos enſes ſangvineos veſti candidæ intertextos gerentes, Teutonico ordini tandem inſerti, ſeculo XIII. ineunte exorti. *Garterii, equites caligulæ, equites S. Georgii*, Ritter des güldenen Hoſen-Bandes/ab Angliæ rege Eduardo III. in virginis gratiam ſeculo XIV. fœderati. Cum enim periſcelis in chorea virgini Salberinæ, regi acceptæ, decidens, ſpectantibus moveret riſum, rex ſublatam periſcelidem juſſit eſſe ſymbolum novi ordinis, cum promiſſione multorum redituum ſub hac inſcriptione: *Hon y ſoit il qui mal penſe; Confundatur, qui in hoc malum cogitat; Hiſtricis equites* ab inſigni, quo ornabantur, in Gallia dicti. *Hoſpitalarii*, de quibus ſuo loco. *S. Jacobi de Spata equites* ſub regula Auguſtini in Hiſpania, ſeculo XII. à Petro Ferdinando inſtituti: qui, ut & Calatravenſes atque Alcantarenſes, cum vires juſto majores acquiſiviſſent, & parum jam terroris à Mauris eſſet, magiſteria eorum anno 1428. Ferdinando regi Caſtellæ ab Innocentio IIX. data ſunt. *Jeſu Chriſti milites* in Luſitania ſeculo XIV. introducti: *Johannitæ*, qui iidem ſunt cum Hoſpitalariis; *Lauretani equites* à Sixto V. ſeculo XVI. conſtituti. *Lazaritæ ſeu Hieroſolymitani*, teſte Thuano libro XXXIIX. ſuam originem ad tempora Baſilii Magni & Damaſi I circa annum Chriſti CCCLXIII. referunt, quorum ordo, cum paulatim obſo-

levis-

leviſſet, anno 1565. à Pio IV. multis immunitatibus eſt donatus, tandemque à Gregorio XIII. cum ordine S. Mauritii confuſus. *Lunæ equites* ſeculo XV. à duce Andium privilegia adepti. *Mariæ milites, de redemtione captivorum dicti*, à rege Arragonum Jacobo, ſeculo XIII. inſtituti. *Ejusdem nominis ordo* in Italia ad pacificandas Italiæ civitates, autore Bartholomæo Vicelino, ordinis Prædicatorum, eſt inſtitutus. *Alius ſub protectione Mariæ & Michaëlis* anno 1519. à Carolo Gonzaga & comite Athenio Althuſio initiatus. *Mauritiani* anno 1409. exorti, tandem cum Lazari ordinibus confuſi, de quibus videatur Thuanus libro XXXIIX. *Melitenſes*, quos vide inter Hoſpitalarios. *Menſæ orbicularis ſeu tabulæ rotundæ equites*, die Ritter von der Taffel-Runde/ circa annum 1390. regi Arthuſio ſeu Arto originem in Anglia debent. *Michaëlis ordo* anno 1469, in Galliis conflatus. *Militiæ Chriſti equites* in Italia contra hæreticos à S. Dominico conſociati, dicti deinde, cum ſe totos, extinctis in Italia hæreticis, militiæ ſpirituali dediſſent, *Fratres & ſorores de pœnitentia S. Dominici*. *Monteſiæ milites*, in regno Valentiæ ſeculo XIII. exorti. *S. Petri militum*, collegium Romæ pro viris bene meritis cum cenſu annuo. *Rebattini*, ex reliquiis veterum expeditionum in Africa remanſerunt, & tandem, *Jovio teſte, lib. XXXIII.* duxerunt uxores. *Redemtoris Jeſu Chriſti ordo, XX. illuſtrium equitum*, Mantuæ ſeculo noſtro, anno 1608. à Vincentio Gonzaga in nuptiis filii ſui Franciſci cum Margareta Sabauda inſtitutus cum ſymbolo: *Domine probaſti.* *De redemtione captivorum milites*, ſeu *ordo S. Trinitatis*, anno cIↃCCXII. ad Chriſtianos captos ab infidelibus pretio eleëmoſynarum quæſitarum redimendos inſtitutus. *Rhodii*, quos vide inter Hoſpitalarios. *Sepulcritæ ſeu Sepulcri Dominici milites*, eodem tempore, quo Hoſpitalarii, orti, tandemque Rhodiis agglutinati, cura Dominici ſepulcri Gvardiano Franciſcanorum relicta. *S. Spiritus equites*, in Burgundia, à Galliarum rege adverſus Proteſtantes anno cIↃIↃLXIV. teſte Thuano libro 34. & 68. confœderati. *Stellæ equites*, itidem à rege Galliarum anno cIↃCCCLI. conſtituti. *S. Stephani milites*, à Coſmo Florentiæ duce anno cIↃIↃLXI. conſcripti contra incurſiones Maurorum & Turcorum, in urbe Piſana, ſub regula Benedicti: qui tamen non, ut ordo Hieroſolymitanorum & aliorum, arcentur à conjugio. *Templarios* vide ſuo loco; *Teutonicos* ſub Cruciferis. Pleroſque autem ex his ordinibus equeſtribus & militaribus jam exautoratos eſſe memento.

Eremitæ. Vid. *Antoniani, & Hieronymitani*

Ela-

Damian. Tom. 3. Epiſt. 4. c. 14. Anton. Florent. Tit. 16 c. 8. princ. Baron. Tom. 11. Anno 1056. §. 7. Magd. Cent. 13. cap. 5. Oſiand. Cent. ead. lib. 3. c. 4. & ſeq. l. 2. c. 5. Func. Chronol. fol. 158.

Flagellantium ordo, vocatus etiam *ordo ſanguinariæ pœnitentiæ & Acephalorum*, anno cIↃCCLX. enatus legitur. Procedebant in eo viri mulieribus mixti catervatim, & crudeles in ſeipſos flagellis ſe lacerabant, ſubinde clamantes:

Ihr ſchlachtet euch ſehr
Nach GOttes Ehr:
Durch GOtt/ ſo laſſet die Sünde mehr.

Hic ordo fanaticus & cruentus repreſſus quidem fuit aliquando. Sed emerſit iterum ſeculo XIII. & XIV. & à Carolo IV. tandem ex Germania ſecedere juſſus eſt. Flagellantes, cum ſe ad omnia templa in omnibus vicis XXXIII. dies, vel & tot dies, quot annos nati erant, flagellaſſent, domum reverti poterant, quaſi remiſſione peccatorum impetrata. Durant adhuc paſſim in Papatu flagellationes iſtæ Lupercorum immanes, à principibus etiam & illuſtribus viris in ſemetipſos, ad expianda peccata, ſuſceptæ.

Forficenſes ſeu Forficiferi, die Scheer-Brüder/ forficem in pallio geſtantes, quaſi affectus carnis pravos jam reſecuiſſent.

Vincent. Bellov. in Spec. Hiſt. lib. 30. cap. 97. ſeq. lib. 31. cap. 99. ſeq. Bonav. in Vita Franciſc. Nauclur. Vol. 2. gen. 41. p. 915. Sabell. Enn. 9. l. 6. in princ. Polyd. Vergil. lib. 7. c. 4. Anton. Florent. Vol. 3. tit. 24. cap. 1. ſeq. Magd. Cent. 13. cap. 9. Oſiand. ib. l. 1. c. 4. p. 330.

Franciſcani, dicti in humilitatis argumentum *Minores & Minoritæ*: item *Chordigeri ſeu Funiferi & Nudipedes*, die Barfüſſer: circa annum cIↃCC. autorem habuerunt *Franciſcum Aſſiſium*, Italum, cui non minora miracula & viſiones adſcribuntur, quam quæ de Dominico novimus deprædicata. De utroque vide ſupra quæſtionem XXIII. Monachorum hactenus ratio fuerat, ut, ſingulis nihil ſui ſeorſim habentibus, collegio ſeu ſodalitio liceret bona poſſidere, ſine quibus vita humana tolerari nequeat. Franciſcus vero nec privatim quicquam, nec communiter ſuos habere voluit, id obſervaturus, quod Chriſtus juſſit concionantes de regno Dei diſcipulos, ſine auro & argento, ſine pera, virga & pane, ſine calceamentis etiam & duabus tunicis viæ inſiſtere. Duplicibus ergo ſine mora depoſitis, & calceamentis, virga peraque abjectis, tunicam incultam ſibi circumjecit, rejectaque corrigia, *ut Vincentius habet in ſpeculo hiſtoriarum libro 30.* funiculo eam cinxit. Regulam ejus, qua fratres *ſibi nihil appropriare* juſſit, Innocentius III. & Honorius III. confirmarunt. Ipſum etiam Franciſcum Gregorius IX. Divis accenſuit. Reliqui, qui ordine ſucceſſerunt, pontifices, ſic regulam explicuerunt, primum, ut fratres, ceu vocant, *nil niſi uſum rerum neceſſariarum haberent*, ſalvo locorum & domorum dominio illis, ad quos pertineant: deinde *ut rerum, quarum uſus fratribus conceditur, proprietatem ſedi apoſtolicæ vendicarent*, ſal-

ſalva fratribus facultate procuratores inſtituendi: tandem *ut granaria & cellaria illis concederentur*, in quibus res mendicando collectæ aſſervarentur. Ultimæ huic conceſſioni, quæ erat Clementis V. circa annum cIↃCCCXI. oppoſuit ſe *Petrus Johannes Minorita*, rigorem regulæ & ſummam paupertatem ea labefactari clamitans. Qui eum ſectabantur Franciſci regulam ad literam ſervantes, per ignominiam vulgo *Fratres de paupere vita, de opinione, de pœnitentia, fraterculi, Bizocchi & Beguini*, & neſcio quibus non aliis nominibus, vocati ſunt. Reliqui, qui de rigore remiſere, *Conventuales* dici cœpere. Rigoroſos autem illos Fraterculos Johannes XXII. non ſaltem peculiari conſtitutione damnavit, ſed etiam quatuor ex illis, qui in laxationem regulæ conſentire nolebant, velut hæreticos. igni per inquiſitorem hæreticæ pravitatis addicavit. Combuſtos alii injuſte damnatos clamare, elogium martyrum glorioſorum iis tribuere, cineres eorum in reliquiis Sanctorum ponere. Ipſe ordinis Generalis, *Michaël Cæſenas*, quem *Trithemius in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, in divinis ſcripturis eruditiſſimum, ingenio promtum & clarum eloquio, nec minus religione, quam ſcientia venerabilem vocat, cum reliquis Provincialibus, celebrato Peruſii Capitulo generali, pontifici contradicebat. Pontifex erroneum cenſebat & hæreticum, *ſi quis aſſereret, quod Chriſtus, ejusq; apoſtoli, & alii, viam perfectionis ſequentes, nihil juris, proprietatis & dominii, nec in communi, nec in ſpeciali habuerint, ſed nec jus quicquam vendendi vel donandi uſurparint.* Id ipſum Cæſenas ſanum & catholicum proclamabat. Pontifex intelligens, è tranſlato per Nicolaum III. in Romanam eccleſiam rerum, quæ fratribus conferrentur, dominio, ſimplici uſu facti apud ipſos, omni proprietate exutos, remanente, nihil ſpiritualis commodi in ipſos vel alios redundaſſe, cum non minus ſolliciti ſint in acquirendis & conſervandis bonis, quam alii religioſi mendicantes, *dominium rerum Ordinis à prædeceſſoribus ſuis Romanæ eccleſiæ reſervatum abdicabat*, & procuratoribus, qui hactenus nomine Romanæ eccleſiæ bona omnia adminiſtrarant, abrogatis, eos deinceps nominari prohibebat. Quibus quanquam *zelotæ regulæ Franciſci* multa opponebant, & imprimis nefas ducebant, ſemel à pontificibus definita per ſucceſſorum decreta erroris vel hæreſeos arguere, nihil tamen profecere, præſertim cum *Geraldus Oddonis*, qui Cæſenati in Generalatus officio ſurrogatus erat, arctæ paupertatis pertæſus, ampliſſimorum fundorum mendicando jam partorum, adminiſtrationem ultro ambiret. Seceſſionem itaque facere coacti, alii in deſertis latuerunt: alii & inter eos ipſe

Ceſenas, Gvilielmus Occam, Henricus de Chalem, Bonagratia, Bergomas, apud imperatorem Ludovicum receptum habuere. Quos autem ex illis pontifex in ſuam redegit poteſtatem, tanquam convictos hæretici erroris, ut qui dixiſſent, *Chriſtum ejusque diſcipulos nihil privati vel proprii habuiſſe*, ad rogum damnavit. Subſequentes tamen pontifices proprietatem & dominium rerum ordinis Franciſcani receperunt in Romanam eccleſiam. *Liber Conformitatum Franciſcanarum* (ecce efficaciam Satanæ!) majoris æſtimat Franciſcum, quam Johannem Baptiſtam & omnes apoſtolos. Ex hoc Ordine promiſit aliquando generalis Magiſter *XXX. millia bellatorum* adverſus Turcas, ut eſt *apud Sabellicum, ennead. 9. lib. 6. & 9.*

Fratres de obſervantia; *Fraterculi*: *Fratres de paupere vita*: *de opinione*: *de pœnitentia.* Vid. *Franciſcanos.*

Fratres de communi ſunt fratres Bonæ voluntatis.

Fratres viſitationis, caritatis aut miſericordiæ. Vid. *Cellarii.*

Funiferi. Vid. *Franciſcani.*

Gaſtaliani ſeu Paulini, anno cIɔIɔXXXVII. Mantuæ prodierunt, & carnem ſuam hoc modo domuerunt, ut in uno lecto manachus & monialis concumberent, cruce interpoſita, ne coire poſſent. Sed brevi abrogatus eſt ordo ob impudicitiam vitæ.

S. Georgii ordo, à Venetorum patriarcha inſtitutus. Vid. *Equeſtres Ordines.*

Gerundinenſes, à Johanne, Gerundinenſi epiſcopo, in Luſitania anno Iɔcx. peculiari regula collecti ſunt.

Gertrudis moniales utuntur veſtitu atro & carbaſo concolore.

Gilbertinos Gilbertus de Sempringam, Anglus, ex viris & fœminis collegit, ſtatutis ex Auguſtini & Benedicti regulis collectis. De *monachabus Gilbertinis* egregius eſt *Nigelli* jocus:

> *Harum ſunt quædam ſteriles, quædam parientes,*
> *Virgineoque tamen nomine cuncta tegunt.*
> *Quæ paſtoralis baculi dotatur honore,*
> *Illa quidem melius fertiliusque parit.*
> *Vix etiam quævis ſterilis reperitur in illis,*
> *Donec ejus ætas talia poſſe negat.*

Grandimontenſis ordo, ad regulam Benedicti, anno cIɔLXXVI. à Stephano quodam in aliquo Aquitaniæ monte, ſilvis denſo, convocatus eſt: dictus inde, quod fratrem quendam vox cœleſtis ter juberet adire Grandem montem, & ibi religionem exercere.

Gre-

Gregoriani, ad regulam Benedicti à Gregorio M. anno CIↃCX. inſtituti.

Griſei. Vid. Ciſtertienſes.

Gyrovagi. Vide Circumcelliones.

Helenæ fratres originem ad Conſtantini M. matrem Helenam referunt.

Hieronymitani eremitæ & *Hieronymiani monachi* à D. Hieronymo quidem dici voluerunt, ſed vix ante annum CIↃCCCLXV. initium ſumſerunt.

Hieroſolymitani. Vide *Equeſtres Ordines*.

Hiſtricis Equites. Vide *Equeſtres Ordines*.

Hoſpitalarii aut fuerunt *S. Spiritus*, qui pauperes ægrotos curarunt; *aut militares Equites*, Die Spittal-Herren. *Mercatores quidam*, & inter eos præcipuus *Gerardus*, illis ortum dederunt. Nam ex urbe Italiæ Amalphia in orientem egreſſi, Hieroſolymis, poſtquam anno CIↃXII. à Turcis capta eſſent, domicilium elegerunt, & monaſterio atque ad recipiendos peregrinantes xenodochio, ut & Oratorio D. Johanni ſacro, in locis certa pecuniæ ſumma à Saracenis redemtis, extructo, nominibus variis ſunt dicti, *Hoſpitalarii, S. Johannis, Johannitæ & Amalphitani*. Cum autem urbs Hieroſolymitana tandem anno CIↃXCIX. in poteſtatem Chriſtianorum perveniſſet, *equitum dignitatem* ſub Fulcone, ſexto rege Hieroſolymitano *nacti*, ob res ſtrenue in urbe illa occupanda geſtas, militarunt poſthæc ſub magiſtro ſui ordinis: donec à Saracenis, omni ope deſtituti, circa annum CIↃCCXCIX. ex Syria expulſi, *Rhodum* expugnarent, &, ea iterum è Turcis anno CIↃIↃXXIII. occupata, *Melitam* inſulam defendendam ſuſciperent. Unde etiam *Rhodii milites & Melitenſes domini* dicti ſunt, & adhuc ſtrenuam operam, in Turcis à ſua cervice depellendis, in inſula Melitenſi navant.

Magdeb. Cent. 12. c. 6. Oſiand. Cent. 11. lib. 4. c. 8. p. 103. Aub. Miræus ap. Gualt. p. 93. ſeqq.

Humiliatorum ordo anno CIↃCXXC. hac occaſione conflatus eſt. Fridericus Barbaroſſa ex Italia in Germaniam nonnullos utriusque ſexus traduxerat. Ii, longiore exilii mora fracti, albis induti, venia ab imperatore petita, hunc ordinem conſtituebant, ut viri ſeorſim, fœminæ etiam in peculiaribus clauſtris viventes, regulam Benedicti pleriſque in rebus obſervarent. *Semimonachi* nonnullis vocantur. Abrogatus eſt hic ordo anno CIↃIↃLXXI. *teſte Thuano, libro L.*

Polyd. Vergil. lib. 7. de Rer. Inv. c. 2.

Jacobi fratres, S. Jacobs-Brüder/ pullo veſtitu utuntur cum appenſa cochlea. *Jacobi equites* vide inter equeſtres ordines.

Jejunantes circa annum cIɔXXX. fingebant, ſibi cœlitus revelatum, ut jejunium in pane & aqua omnibus feriis ſextis ſervarent.

Jeſuati ſeu *Injeſuati* Senis anno cIɔCCCLXV. exorti, noſtris Jeſuitis nomen dediſſe videntur. Eos Sabellicus dicit ſimplici habitu amictos, multa innocentia & pietate viros, victum ſibi labore & opera quæſiiſſe, apoſtolicos clericos ab initio nuncupatos.

Jeſu Chriſti milites, vide inter equeſtres ordines.

Ribadeneira de Vita Ignatii Lojolæ. Mart. Chemn. de Orig. Jeſuitar. Regulæ Jeſuitar. Romæ editæ in 8vo. Hoſpin. de Orig. Monach.

Jeſuitæ Ignatio ſeu Innico Lojolæ Cantabro, originem debent. Ille in defenſione arcis Pompejopolitanæ in regno Navarræ anno 1513. utroque pede graviter læſo, cum a Gallis captus, annum integrum & amplius ex morbo decubuiſſet, & ex vulnere in utrumque latus claudicans, domum rediiſſet, Legendasque, quas vocant Sanctorum, aſſidue legeret, anno ætatis XXVI. aſperiorem vitam in Montferrato ingreſſus, cucullum induit: in ſpecu ſolitarius aliquamdiu latuit; poſtea Minoreſſæ inter mendicos oſtiatim victum quæſiit; inde anno cIɔIɔXXIII. per Romam & Venetias in Palæſtinam ad ſepulcrum Domini adorandum ſe contulit: in Hiſpaniam rediit: literas anno ætatis XXXIII. didicit: publice pænitentiam, etſi nulla concionandi licentia accepta, prædicavit, & intra decennium, poſtquam bis in carcerem conjectus fuiſſet, artium magiſter creatus, ſocios tandem VI. ut Petrum *Fabrum*, Allobrogem; *Franciſcum Xaverium*, Navarræum; *Jacobum Lainium*, Seguntinum; *Alph. Salmeronem*, Toletanum; *Nic. Bobadillam*, Palentinum, & *Simonem Rodericum*, Luſitanum, anno ſeculi XXXIV. accepit: quibus poſt biennium additi fuere *Claudius Jajus*, Gebennenſis theologus; *Joh. Codurcus*, Allobrox, & *Paſchaſius Broëtus*, Picardus: ut ita, ſi Lojolam una ſupputes, decem patriarchæ ordinis eſſent. Summa votorum, poſtquam ſacerdotio ſunt inaugurati, illis fuit, *nihil unquam in Miſſæ ſacrificium accipere, in terram ſanctam evangelii cauſa intra annum proficiſci, aut, ſi id non liceret, ad nutum pontificis operam ſuam offerre.* Cumque poſt detectas Indias propagatio ibi fidei Chriſtianæ parum curaretur, & in congerendis per mercaturam & vim bellicam opibus, omnis pene opera inſumeretur, nec Dominicani & Franciſcani viderentur ſufficere convertendis paganis, *Franciſcus Xaverius & Simon Rodericus*, à rege Luſitanorum evocati, illuc iverunt: ex quibus Xaverius anno ſeculi XLIX Japoniam ingreſſus, fidem Chriſti annuntiavit, & inde reverſus ad Sinas, diem extremum anno LII obiit, & poſtea cum Ignatio anno LVI. defuncto, a Gregorio XV. in numerum Divorum eſt relatus. Cum paſſim diffunderetur hæc

nova

nova ſocietas,ſed cum variis aliorum ordinum injuriis & turbatione rerum publicarum, anno ſeculi LV. per edictum archiepiſcopi Cæſar-Auguſta, & decreto ſcholæ Sorbonicæ Pariſiis ſunt ejecti: ſed poſtea reſtituti. Iterum anno XCIV. cum Joh. Caſtellus, Jeſuiticæ ſectæ diſcipulus, regem Henricum cultello petiiſſet, ejecti ſunt: ſed & iterum tam neceſſaria tyrannidis Romanæ mancipia, in paucioribus tamen oppidis, ſunt reſtituta. In Venetias quidem, unde anno 1607. excluſi ſunt, omnis hactenus illis præcluſus fuit reditus: ſed hoc ipſo anno cIↄIↄCLVII. Veneti, bello difficili & diuturno adverſus Turcos impliciti in gratiam Alexandri VII. ob auxilia promiſſa, eos reſtituerunt. In Polonia quoque ſubinde, tanquam turbatores pacis a Statibus regni ſunt accuſati; ad hoc tamen usque bellum Sveco Polonicum, quod nunc cum extrema regni ruina geritur, perſtitere. Dicam etiam hæreſeos illis nonnulli, ut M. Franciſcus Roäles contra Joh. Bapt. Pozam Jeſuitam, & contra alios Alphonſus Caranza, & Alphonſus de Vargas ſcripſere. Hic ordo, utut clero contradicente, anno cIↄIↄXL. à Paulo III. confirmatus eſt, hac lege, ne plures quam LX. ſocietati adſcriberentur. Sed conſiderantibus deinde pontificibus, quanta utilitas ad eccleſiam Romanam per iſtum redundaret, conditio illa expiravit, & Jeſuitæ, ante dicti *Innicistæ* à prænomine Lojolæ *Innico*, jam in certas provincias diſtincti, vix numerari queunt. Subſunt uni *Præpoſito Generali*, tanquam papæ, quorum primus Ignatius fuit. Eorum aliqui ſunt *quatuor votorum profeſſi*, tanquam Cardinales, qui præter tria communia paupertatis, caſtitatis & obedientiæ vota, pontifici Romano obſequium contra hæreticos jurarunt. Aliqui *trium votorum profeſſi*, ſunt tanquam epiſcopi. Aliqui *coadjutores ſpirituales*, ſunt tanquam ſacerdotes: theologiæ, juris canonici & philoſophiæ doctores. Aliqui *coadjutores temporales*, victum & amictum præparant. Reliqui ſunt *novitii & ſcholaſtici*. Hujus ordinis homines, præterquam quod in eccleſiis docent, pueros etiam in ſcholis gratis erudiunt, Romanæ ſedis autoritatem præ aliis ſuffulciunt, & ad Indos aliasque remotas regiones progreſſi, Chriſtum ſimul prædicant & Romanenſem eccleſiam amplificant. Eruditione enim reliquos monachorum ordines utplurimum ſuperant & obſcurant. Ut Germanorum adoleſcentes in Romanæ curiæ ſatellitium felicius adſvefacerent, circa annum 1553. *Collegium Germanorum* Romæ exſtrui curaverunt. Voluerunt quoque *Jeſuitiſſæ* in ſexu femineo nuper ſub Urbano VIII. eminere; ſed fruſtra hactenus fuerunt.

Ignorantiæ ordo, omnium vetuſtiſſimus maximusque, peculiaris ſanctitatis apud ſuperſtitioſos.

Indianorum ordo, anno cIↄIↄVI. inſtitutus, Carmelitarum propago.

Inſomnes. Vid. *Acœmetæ*.

Johannitæ de Civitate rubeo veſtitu utebantur, ante pectus calicem habentes pictum.

Johannitas milites vide inter Hoſpitalarios.

Joſaphati vallis ordo, à quo ſtupratæ contra ſtupratores ſententiam rogant.

Joſephi Ordo, in honorem mariti Mariæ inſtitutus.

Juſtini Ordo, anno cIↄCCCCIX. Patavii ad Benedicti diſciplinam collectus.

Lazari ſeu Magdalenæ ordo in duo genera diſtingvitur, ut alii vocentur *contemplativi*, candido incedentes habitu, communi utentes cibo; reliqui *activi* betico colore gaudentes, & ſolis bulbis oleribusque inemtis victitantes. Adde *equites Lazaritas*, quos vide inter equeſtres ordines.

Lunæ equites. Vid. equeſtres Ordines.

Mariani. Vid. Cruciferi & equeſtres ordines.

Mariæ Monialium ordo de decem virtutibus, patrum memoria exortus.

Mariæ virginis novi fratres anno cIↄCCCIV. congreſſi.

Mariæ conceptionis ordo.

S. Mauritii equites, à quo, teſte Thuano libro 38. Sabaudiæ duces genus repetunt, cum Lazari ordine tempore Gregorii XIII. confuſi ſunt. Vide equeſtres ordines.

Melitenſes vide inter Hoſpitalarios.

Polyd. Vergil. lib. 7. de Rer. Invent. c. 3.

Mendicantes jam in concilio Lugdunenſi, anno cIↄCCLXXIII. habitò, in XXIII. alios ordines excreverant. Sed decreto facto, in quatuor ordines redacti ſunt: I. *Prædicatorum ſeu Dominicanorum*; II. *Minoritarum ſeu Franciſcanorum*; III. *Auguſtinenſium*; IV. *Carmelitarum*. Etſi autem omnes hi paupertatem ſunt profeſſi, contra votum tamen ſuum ſunt ditiſſimi facti, &, cauſa non ſemel adverſus alios clericos dicta coram Pontifice, obtinuerunt tandem tantas divitias, tantosque auri & argenti cumulos, ut cum principibus certare videantur. Quæris, quid poſt preces in templis more phariſaico oſtentatas agant?

Stertunt

— *Stertunt potantque, cacantque:*
Ventris in his munus vertitur omne tribus.

ut recte de iis canit *Laurentius Agricola.* Sunt enim mendicantes, ſub quibus ſcholæ pietatis veræ interierunt. Intra CCC. annos illis XIV. millia & IↃCCCCXCIII. cœnobia exſtructa ſunt, *ut Hoſpinianus ex Sabellico teſtatur lib. 6. cap. 18. & 72.*

Menſæ orbicularis ſeu rotundæ. Vid. inter equeſtres ordines.

Mercenarii S. Mariæ, in Arragonia ſub regula Auguſtini ſeculo XIII. inſtituti.

Michaelis Ordo. Vid. equeſtres ordines.

Minoritæ ſunt Franciſcani.

Minimi & Minimæ Jeſu Mariæ, anno cIↃCCCCLXXI. à Siculo quodam introducti.

Miſſionarii noviſſimis temporibus, tanquam novum apoſtolorum genus, prodiere, qui frequenter, prout res & locus ferre videtur, vultus, comam, nomen, veſtem & perſonam mutant: populos varios obeunt: aulas & publica hoſpitia frequentant: relictis ſeverioris artificii diſputationibus, aliorum doctrinas tantum exagitant, extenuant, diffamant, & ita proſelytos miris artibus faciunt, & illis, etiamſi in aliquibus articulis diſſentiunt, fidei privilegia & diſpenſationes offerunt.

Monteſiæ milites. Vid. equeſtres ordines.

Montis Dei, in Alboiz anno 1203. per eremitam Alexandrum inſtitutus.

Montis Oliveti monachi ſeu *Montolivetenſes* anno cIↃCCCCVII. ſub regula Benedicti cœperunt.

Mulierum pœnitentum ſeu *meretricum Ordo* cœpit Pariſiis anno cIↃCCCCXCIX.

Nudipedes. Vid. Franciſcani.

Nullani pullo utuntur amictu & ſcapulari.

Pauperes Dominæ. Vid. *Clariſſæ.*

Paulini. Vid. *Gaſtiliani.*

Pauperes voluntarii, queis magna eſt nudo per rura voluptas Ire pede, & ſanctæ baſia ferre cruci.

Pauperes peregrini anno cIↃIↃ. ligneam crucem manu tenentes, ex Italia magno numero aderant: nec amplius XXIV. horis in uno loco conſiſtebant, binis ſimul ac ternis circumeuntibus, & cibum oſtiatim mendicantibus. Durarunt per ſeptennium.

Pere-

Peregrinantes ad convertendas gentes remotiores, ſunt fratres Prædicatores à ſeculo XIV.

Pœnitentes, ordo meretricum, ad ſanam mentem redeuntium.

Prædicatores ſunt Dominicani.

Polyd. Vergil. lib. 7. de Rer. Invent. cap. 3.

Præmonſtratenſes, dicti, quaſi illis cœlitus eſſet ratio vivendi præmonſtrata, anno cIↃCXX. à *Norberto* nobili Lotharingo, tandem archiepiſcopo Magdeburgenſi & Germaniæ Primate, ad regulam Auguſtini inſtituti ſunt. In hoc ordine Auguſtiniani tandem canonici regulares exemti dicti ſunt, eorumque privilegium peculiare erat, ut, ubi eſſet monachorum collegium, ibi puellarum etiam contigua eſſet habitatio. Quin & tandem autoritate Papæ anno cIↃCCCVII. indultum eſt, ut regula projecta fierent *Canonici ſeculares*. Vid. Canonici.

Purgatorialium ordo, quem illi profeſſi ſunt, qui hoc agere voluere, ne ſubirent purgatorium, *tartareo ardentes ſulphure & igne lacus*.

Quietini, à Clemente VIII. & Carolo V. ex familia Caraffarum inſtituti.

Rebattini. Vide equeſtres ordines.

Rhodii milites ſunt Hoſpitalarii.

Recluſi, qui in anguſtiſſimas cellulas incluſi, nunquam egrediuntur.

De redemtione captivorum. Vid. equeſtres ordines.

Reformati. Vid. Benedictini.

Robertini, eremitæ in Anglia, per Rubertum ſeculo XII.

Saccati in Anglia ſeculo XIII

Salvatoris ordo eſt idem, qui Brigittæ.

Sanguinaria pœnitentia. Vid. Flagellantes.

Sepulcritæ. Vid. equeſtres ordines.

Sarabaitæ. Vid. Circumcelliones.

Servi Mariæ, anno cIↃCCLXXXII. ſub regula Auguſtini exorti.

Silveſtrenſes. Vid. Benedictini.

Sodalitas divini amoris, ſub Clemente VIII. *Theatini* dicti.

Sophiæ ſeu gratiæ ordo, albatus, cum magna rubea cruce in pectore.

Spadati. Vid. equeſtres ordines.

Specularii, ſpeculum geſtantes.

S. Spiritus ſocietas anno cIↃCCCCVII. prope Venetias habitu regularium Canonicorum.

Equites

Spiritus S. Equites. Vid. inter Equeſtres Ordines.

Stellati, ſtellas veſtibus affixas habentes.

Stellæ equites. Vid. inter Equeſtres ordines.

Stephani milites. Vid. Equeſtres ordines.

Studitæ à Studio, viro Conſulari Conſtantinop. anno CCCCLIX. introducti, & in tres ordines diſtributi, ut continuæ laudes Deo canerentur, *ut habet Nicephorus.* Vid. *Acœmetæ.*

Silveſtrini ad regulam ordinis, qui dicitur Vallis umbroſæ.

Templarii, ſub Balduino II. rege Hieroſolymitano III. ad regulam Canonicorum regularium exorti ſunt. Cum enim bello recepta eſſent Hieroſolyma, Templarii inſtituti ſunt, ut peregrinos, viſitaturos ſepulchrum Domini, contra graſſatores tuerentur: inde dicti, quod à Balduino rege locum habitationis juxta templum Domini accepiſſent. Exiguo autem tempore eorum opes in immenſum excreverunt. Opes faſtus intolerabilis eſt conſecutus. Scelera etiam immenſa & hæreſes illis imputatæ ſunt: ſed nec ſatis demonſtratæ, nec quæ omnibus imputari in locis maxime diſſitis potuere. Ideoque ſub Henrico VII. imperatore, Clemente V. & Philippo Pulchro, rege Galliæ, occulte conſpirantibus, anno cIↃCCCXI. extirpati ſunt, redditibus eorum in Gallia pontifici & regi adjudicatis; in Germania vero Hoſpitalariorum & Cruciferorum ordini diſtributis. Anno præcedente *Johannes à Leydis*, *libro 27. cap. 3. Chron. Belg.* teſtatur, omnes ubique leproſos combuſtos eſſe, quod conſtituiſſent alios homines, infectis ſangvine ſuo & veneno fontibus, perdere.

Polyd. Vergil. lib. 7. c. 5. Gutler. in Hiſtor. Templarior. VVilh. Tyrius lib. 12. de bello Sacr. c. 7. Anton. Florent. Vol. 2. Tit. 15. c. 20. Naucl Vol. 2. gen 44. p. 986. Gaguin. in Hiſt. Franc. lib. 7. c. 5 p. 125. Petr. Meſſias Var Lect. part. 2. c. 4. Bzov. Tom. 14. Anno 1307. & 1312. Func. Chronol. fol. 156. Oſiand. Cent. 14. lib. [illegible] p. 413.

Thabenenſiotæ ſeu *Thabenneſii* ab inſula Thabenna in Ægypto dicti: quorum primus autor fuit Pachomius, Antonii diſcipulus, ſeculo IV. inſtigante aliquo angelo, *ut tradunt Sozomenus, Nicephorus, Vincentius.*

Theatini ſeu *ſodales divini amoris*, ex quibus prodiit Paulus IV. pontifex; confuſi tandem cum *Jeſuitis*, ſi Chemnitio credimus in examine concilii Tridentini.

Teutonici. Vid. S. Cruciferi.

Trinitatis ordo. Vid. equeſtres ordines.

Vallis umbroſa ordo, Benedictinæ profeſſionis, ſeculo XI. à Florentino quodam, Johanne Gvalberto, cui, quod hoſti ſupplici culpam remiſerat, imago Chriſti crucifixi motu capitis gratias egiſſe fingitur, inſtitutus. *Antonin. tit. 15, cap. 17. Polydor. lib. 7. cap. 2.*

Vallis ſcholarium ordo, in Campania anno c!ↄCCXVII. à Profeſſoribus nonnullis Pariſienſibus adornatus.

Veſpillanus ordo, ad mortuos efferendos introductus.

Valetudinario ſervientes fœminæ.

Zambonitæ, alias dicuntur *boni fratres*, anno cIↄCXC. exorti.

Zupfnonnæ, mulieres, quæ comam non detondebant, abrogatæ in concilio Lugdunenſi anno cIↄCCLXXIII.

XXXIII. *Quantus, bone DEUS! locuſtarum numerus!*

Hoſpinian de Monach Orig. & Progreſſu. Lucius de Monach.

Ut autem, quo ſpiritu plerique mōnachorum regantur, cognoſcas; in memoriam tibi revoca *Dominicanorum Bernenſium* hiſtoriam, qui anno cIↄIↄVI. probaturi ſuum ordinem ordine Franciſcanorum eſſe præſtantiorem, ſartori cuidam, *Johanni Jezero*, artibus magicis & miris illuſionibus ſtigmata Chriſti impreſſere, & tandem ob tam immenſum facinus Bernæ combuſti ſunt, ut legere eſt apud *Johannem Stumpfium lib. 13. Annal. Helvet. cap. 33.* Imitari voluerunt boni fratres id, quod legerant (1) *de Catharina Senenſi* Dominici ordinis, cui cor Chriſtus exemiſſe, & ſuum reddidiſſe fingitur, cicatrice in latere permanente. (2) *de Franciſco ipſo*, cui cum inſignibus doloribus ſiniſtrum pectoris latus ſemper ſangvinem emiſiſſe, & ex manibus pedibusque caruncula & nervi in forma clavorum enati fuiſſe ſcribuntur. (3.) de *Helena Hungara*, quam Bzovius anno 1270. dicit accepiſſe ſtigmata paſſionis in latere dextero & in manibus: ſæpius etiam, cum oraret, corpore in aëre eſſe elevatam & cœleſtes melodias circa eam conſonuiſſe, & lumina cœlitus accenſa, & literas auro ſcriptas in manibus ejus apparuiſſe. (4.) *de Lucia*, moniali Dominicana, quæ anno cIↄCCCCXCVI. Viterbii primum; deinde Ferrariæ, cruenta ſtigmata Chriſti in latere & manibus pedibusque oſtendit. (5.) *de Stephana*, itidem moniali Dominicana, cui qualibet ſexta feria in ecſtaſi omnia myſteria paſſionis Chriſti non ſine maximo cruciatu impreſſa fuiſſe ſcribit *Henricus Inſtitoris in S. R. E. fidei defenſionis in clypeo adverſus Waldenſes, tractat. 1. quæſt. 2.* qui ipſe quoque id aſſerit, quod de Lucia adduximus. (6.) *de virgine Gertrudi de Oeſten* idem ſcribit *Johannes à Leydis lib. 28. Chron. Belg. c. 4.* quod in oppido Delfenſi ſtigmatibus Chriſti ſignata fuerit. Sed ſi non aut præſtigioſa glaucomata oculis piorum offundi, aut multa pro veris jactari ſolerent, quæ ſunt omnium falſiſſima, gloriari ſane poſſent Dominicani de Dominico, & præ-

præmemoratis virginibus: ſed de Jezero non glorientur, qui turpitudinem & fraudes eorum toti mundo detexit: ſed non ſolus. Nam & circa annum cIɔIɔXXXIX. *in Luſitania monialis fuit*, quæ non ſine inſigni omnium, ipſius etiam Philippi regis, admiratione à Chriſto ſe precibus impetraſſe mentiebatur, ut ipſius vulneribus, in cruce acceptis, inſigniretur, ceu teſtatur *Wolfius in centuria XVI.* Et, ut jam ſupra retulimus, in Anglia ſeculo XIII. aliquis impoſtor vulnera Chriſti oſtentavit. Præterea quid *Franciſcani* anno 1534. *Aureliis* commiſerint, cogita, cum manes defunctæ conjugis prætoris in ſcenam reducerent, perque figmentum illud tragicum probarent purgatorium, ut acceſſus fieret monaſterio, *teſte Sleidano libro 9. Commentariorum.* Lege etiam, quod *Wolfius Centuria XVI. ad annum 1569.* in primaria quadam imperii urbe contigiſſe refert, in qua *Jeſuita*, Lutheranam civis famulam ad fidei defectionem ſolicitaturus, verbis primo, deinde larvis nocturnis uſus, à ſervo domeſtico ſub diabolica latens larva confoſſus periit. Lege & illud, quod *idem Wolfius ad annum 1570. recenſet:* monachum par conjugum ex infima plebe ſummæ egeſtatis in has fraudes induxiſſe, *ut maritus mortem ſimularet;* ſeque per veſpillones, tanquam mortuum, efferri pateretur; uxor vero flebili totius corporis ſpecie monacho occurreret, & eum, tanquam miraculi Naimitani imitatorem, ad vitam defuncto reſtituendam permoveret. Sed cum veſpillonibus monachus imperaſſet, ut feretrum deponerent, nullum è capulo in lucem prodiiſſe, perſonato mortuo vera morte extincto. Reſpice tandem ad *Novum Evangelium, Æternum* dictum, jam allegatum, quod anno 1250. Dominicani ſimul & Franciſcani confecerunt, & evangelio Chriſti tanto plus perfectionis & dignitatis habere dixerunt, quantum ſol ad lunam comparatus, & ad nucleum teſta. Cogita, inquam, hæc, pia mens, & gratias Deo age, quod tibi, ex tenebris ſuperſtitionis educto, veri evangelii lucem intueri conceſſum eſt: & roga eundem, ut eccleſiolam ſuam inter tumultantes monachorum conatus clementer conſervet. Hoc etiam cogita, quod pontificis Romani in reliquos epiſcopos ſubjectos dominatus nulla re validius ſit ſtabilitus, quam *quod plures abbates & monaſteria, ut & cathedralium eccleſiarum Capitula, à jure epiſcoporum, in quorum territorio ſunt ſita, exemerit, & à ſuo nutu ſub tutela Petri, ceu loquuntur, ſuſpenderit, & integras congregationes ſeu mendicantium Ordines ab autoritate epiſcopali, ubicunque locorum eſſent, liberos pronunciarit.* Dum enim eos ſibi tantopere obſtrictos reddidit, reliquorum omnium jura valde imminuit, nec

remedium, quod in ſexta ſeſſione concilii Tridentini huic malo petebatur, epiſcopis indulſit.

XXXIV. Nihil, ut fatear, eorum, quæ monachi conati ſunt, me ſuſpenſum magis habet, quam quod cœlibatum omnium tandem eccleſiaſticorum neſcio quibus artibus invexerunt.

Chemn. in Exam. Concil Trident. Calixt. & H. Muller. de Conjug. Clericor. Dreyer. in Contr. contra Pontif. Diſp. 25. de Vot. Monaſt. Menzer. Diſp. 13. contra Piſtor. p. 612.

Conjugium presbyterio, atque adeo ipſis epiſcopis, jure divino permiſſum eſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Hinc *ipſe Gratianus cauſa 35. quæſtione 2. Copula*, ait, *ſacerdotalis nec legali, nec evangelica vel apoſtolica autoritate prohibetur.* Et *Aquinas* demonſtrat, debitum continentiæ non eſſe eſſentialiter annexum ordini ſacro. *Lex Moſaica*, etſi perſonis ſacris gravia impoſuit onera, non tamen illis conjugio interdixit. Nec *apoſtoli* unquam votum continentiæ ab illis exegerunt. σώφρονα καὶ ἐγκρατῆ juſſerunt eſſe epiſcopum, *Tit. I. 8.* ut ſcirent, ſobrietatem, pudicitiam, & ab illicitis rebus atque voluptatibus abſtinentiam, neceſſaria ſacri ordinis eſſe requiſita. Sed dum ſic epiſcopum voluerunt eſſe ἀνέγκλητον & irreprehenſibilem, addiderunt, *unius eum uxoris virum eſſe debere*, qui ſui domui bene præſit, qui liberos contineant in ſubjectione cum omni honeſtate *I. Tim. III. 2.* Quod ipſum etiam à diaconis & presbyteris requiritur *I. Tim. III. 2. Tit. 1. 5.* Mos autem, qui hodienum in oriente, ubi presbyteris conjugia permiſſa ſunt, obſervatur, pedetentim in eccleſia obtinuit, ut, qui uxore una mortua alteram duxiſſent, tanquam digami ad ſacros ordines non admitterentur. Placuit etiam, ut nemini poſt ſuſceptos ordines uxorem ducere fas eſſet: præterea, ut ſupremi antiſtites, epiſcopi ſcilicet & patriarchæ, rei uxoriæ renunciarent. Tandem *pontifex Romanus* longius progreſſus, non epiſcopis ſolum, qui contractiore ſunt numero, & utplurimum provectioris ætatis; ſed & presbyteris atque diaconis cœlibatum imperavit, nec ad ſacros ordines quemquam admiſit, niſi qui vel cœlebs eſſet, vel uxorem, utut invitam, dimiſiſſet. Hanc eccleſiaſticam ſanctionem, qua cœlibatus ordinibus ſacris annecti cœpit, *duas ob cauſas* pontifices videntur promulgaſſe, cum, ne uxoratus epiſcopus per uxorem & liberos à cura rerum ſacrarum abſtraheretur, aut in iis alendis occupatus, bona

bona eccleſiæ interverteret; tum ne ſacrum officium impuritate conjugii inquinaretur. Sed uterque metus inanis eſt. Nam quos dotes & virtutes, ab apoſtolo epiſcopis & presbyteris præſcriptæ, commendant, ultro ab invaſione & diſtractione rerum eccleſiæ abſtinebunt, inque conjugio ſe longe puriores DEO ſiſtent, quam qui vel ſcortationibus vel concubinatu deteſtando maculam ſacro ordini aſpergunt. Tantum igitur abeſt, ut cœlibatus à pontificibus imperatus, idoneum immunditiei remedium ſit, ut potius liber meretricum & lupanarium uſus per eum concedendus fuerit, quia, *dicente Thuano, libro XXX.* aliter matronarum pudicitia inter tot cœlibes integra & inconcuſſa Romæ ſervari, aut majoris iſtius vitii, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum evitari non poteſt. Iniquiſſimæ tamen legis ſuæ, per quam propudioſa ſcandala in eccleſiam invecta ſunt, tam tenaces ſunt pontificii, ut cum *Laur. Campegio Cardinale*, teſte *Sleidano libro IV.* dicere non erubeſcant, *multo gravius eſſe peccatum, quod ſacerdotes ſiant mariti, quam ſi plurimas domi meretrices alant.* Sanior tamen mens Pio II. fuit, qui ut jam conſtat, dicere conſvevit, *fuiſſe cauſas, cur adimeretur ſacerdotibus conjugium: ſed multo majores eſſe, cur reddi debeat.* Noverat ſcilicet, ipſos apoſtolos uxores habuiſſe & circumduxiſſe, *Matth. VIII. 14. I. Cor. VII. 15. I. Cor. IX. 5, Ignat. in epiſt ad Philadelph. Clemens VII. lib. Stromat.* Noverat, vel certe noſſe debebat, primis quibusque à Chriſto nato ſeculis epiſcopos, diaconos & presbyteros inventos fuiſſe uxoratos, interque eos *Tertullianum Afrorum, Dionyſium Corinthi, Chæremonem & Philæam Ægypti, Gregorium Niſſæ, Hilarium Pictaviæ, Spiridionem Cypri, Syneſium Ptolemaidos epiſcopos:* ſed *Simonem Magum, Saturninum, Encratitas & Manichæos,* peſſimos hæreticos, ſancta conjugii fœdera ſpurcitiei primos accuſaſſe. Diſputari quidem tractu temporis cœpit: *an conjugatis liceat ſacra obire?* Et quidem eo tempore, quo perſecutiones eccleſiarum exoptata excepit tranquillitas, in concilio Ancyrano & Neocæſareano diaconis initiatis, dummodo in ordinatione proteſtati fuerint, ſe ſic manere non poſſe, uxores ducere permiſſum fuit; Presbyteris vero, qui contraxiſſent poſt ordinationem nuptias, officium adimebatur. Patres concilii Eliberitani, iis non contenti, ſacris perſonis uſum conjugii penitus interdixerunt. Quam legem cum quoque rogare vellent Patres concilii Nicæni, *dicente Socrate libro 1. cap. 8.* ſurgens *Paphnutius epiſcopus* vehementer clamabat, *grave jugum conſecratis viris nequaquam eſſe imponendum, honorabile eſſe cubile, & conjugium impollutum; videndum, ne nimio exquiſitæ vitæ ſtudio eccle-*

ſiam gravi incommodo afficerent: neque enim omnes ejuſmodi rigidam, quæ humanos affectus excludat, diſciplinam ſuſtinere, nec caſtimoniam æque à ſingulorum uxoribus ſervari poſſe. Caſtimoniam vero vocabat legitimæ uxoris uſum: ſufficere ſi quis prius in clerum adlectus ſit, quam uxorem duxerit, impoſterum à nuptiis, juxta veterem eccleſiæ traditionem, abſtineat: nec quenquam ab illa, quam laicus duxerit, ſejungi oportere. Et quidem totus ſacer conventus verbis Paphnutii aſſenſum præbuit, cujusvis arbitrio abſtinentiam ab uxoris conſvetudine permittens. Et quia non ignorabat, duplici ratione peccari à viris ſacris, quorum *aliqui*, ut *Origenes & Valeſii heretici*, in remedium libidinum ſeipſos caſtrarunt; *aliqui* συνεισάκτους ſeu ſubintroductas fœmellas, tanquam concubinas & focarias, in contubernium & ſolitariæ vitæ ſolatium adſciverunt: *utriusque malo medicinam fecit*, &, qui violentas manus ſibimet ipſis inferrent, deponendos; ſubintroductas vero illas fœminas, niſi forte aut mater, aut ſoror, aut amita, talesque perſonæ fuerint, quæ ſuſpiciones effugiunt, eliminandas eſſe decrevit: *conjugem vero clericos habere non vetuit*, prout *Gangrenſis ſynodus* anno CCCLXI. celebrata Nicænam explicuit: modum tamen & tempus contrahendi matrimonium novum, non ex apoſtolica, ſed eccleſiaſtica traditione determinavit. Cœlibatus ſcilicet amore placuerat veteribus, nemini fas eſſe, poſt initiationem ad nuptias tranſire: &, cui vires non erant abſtinendi ab uſu matrimonii, eum ultro à ſacris ordinibus petendis etiam abſtinere voluerant: gravitate ſacerdotali indignum rati, amare, procari, jocari, & novo nuptiarum apparatu incontinentiam ſuam profiteri. Hoc rigore non contentus *Siricius*, lege lata primus conjugium presbyterorum & diaconorum abrogavit, omnesque, qui ſacris operari voluerunt, divortium ab uxoribus, quas ante conſecrationem duxerant, facere juſſit, atque ſic, quod Deus conjunxit, nefario auſu ſeparavit. Verum ſicuti eccleſia aliam quandam hujus pontificis ſanctionem, quam de novo conjugio, publice pœnitentibus poſt impetratam à publico crimine abſolutionem interdicendo, promulgaverat, abrogavit: ita nec alteri illi de arcendis à conjugio clericis ſic ſubjacet, ut illam vel mutare, vel penitus antiquare non queat. Et ob id poſt tempora etiam Siricii, plurimos ſacerdotes deprehendimus maritos, interque eos *Paulinum & Afrum presbyteros*, à quibus decreta pontificis, cum contumelia conjugii conjuncta, nunquam admisſa ſunt. Qui ipſi tamen nuſpiam leguntur ob rem uxoriam officio dejecti aut excommunicati, ſed ſaltem, *ut conſtat ex concilio Taurinenſi*, prohibiti,

hibiti, ne ad ſublimiores gradus conſcenderent. Pontifices tamen in fimbriis ſuis, quoquo modo dilatandis, ſtrenue occupati, ſubinde legem de cœlibatu clericorum magis magisque exaſperarunt. Hinc, cum *Siricius* nihil de conjugio ſubdiaconorum ſanxiſſet; *concilium Toletanum primum* etiam illud permiſiſſet: *Leo magnus* & illis uſum conjugii ademit. Cujus tamen decreta ſusque deque habita ſunt, non ſaltem à Græcis eccleſiis, per quas epiſcopis, nedum inferioris ſubſellii clericis, licuit uxoribus conſveſcere, *teſte Tripartita hiſtoria lib. 9.* ſed etiam à pluribus in occidente epiſcopis: ex quibus poſt tempora Leonis invenimas *Proſperum Regienſem, Sidonium Apollinarem Avernorum, Simplicium Biturigum, & alios aliarum nationum epiſcopos* uxoratos: quos paſſim invenire poterimus apud *Gregorium Turonenſem.* Longe ſaniores ſane fuere Siricius, Leo Magnus, & alii ſubſequentes pontifices, quam *qui proximis abhinc ætatibus rei Chriſtianæ in ſede ſublimi cum uſurpato dominatu præfuere.* *Illi* abſtinentiam quidem à conjugio urſere, ſed & abſtinere à fœminarum quarumvis converſatione operatores ſacrorum juſſere. *Hi*, cum uxores arcerent ab unctis & raſis ſuis, non ſaltem concubinas & fœminas extraneas, ſed & lupanaria illis permiſerunt, & uſum quidem conjugii, non autem fornicationem eorum pœnis canonicis ſubjecerunt. Sanior etiam mens fuit *Patribus in Trullana ſynodo*, quam πενθέκτην ſeu Quinſextam vocant, congregatis, qui, ut jam ex hiſtoria conciliorum conſtat, quanquam epiſcopos, quibus hactenus legitima cum uxoribus conjunctio libera fuerat, ſi eas ante ſuſceptam epiſcopam duxiſſent, ab uxoribus ſegregarunt, diaconis tamen & presbyteris poſt ordinationem eripi conjugium nefas duxerunt: hac tamen cautione, ut imminente ſacri miniſterii tempore, unusquisque ab uxore abſtineret. Quæ Trullanis canonibus de matrimonio Clericorum ſunt ſancita, ea hodienum *ab omnibus Græcis, Abyſſinis & Armenis* ſervantur. Pontifices vero, dum cœlibatum inexorabili lege omnibus ſacrorum miniſtris imperarunt, & clericos ſuis matrimoniis uſos fornicatoribus æquipararunt: non ſolum ab antiquitatis conſenſu diverſi abiere, ſed & feneſtram, vel potius januam, fœdis libidinibus aperuere. Quod cum *D. Udalricus*, Epiſcopus Auguſtanus, intelligeret, tantum fiduciæ ſibi in bona cauſa ſumſit, ut gravi acerbaque ad Nicolaum pontificem epiſtola, quæ paſſim legenda proſtat, in impurum presbyterorum cœlibatum inveheretur, & conjuges iis reddendas variis rationibus ſvaderet. Tandem *Gregorius VII.* alioquin *Hildebrandus* dictus, conditor

ille

ille imperii pontificii, cum hactenus ſacris viris per Germaniam & Galliam, Pataviæ etiam, jus conjugii incolume permanſiſſet, cœlibatum illis violenter obtruſit. Strenuam ei operam navavit *Altmannus*, Pataviæ epiſcopus, natione Saxo, qui fulminatrices ab eo literas accepit, quibus viri conſecrati ab uxorum conſvetudine abſtinere jubebantur. *Clerus Patavienſis* audacter reſpondit: *nec velle ſe, nec poſſe conjugale hoc vitæ genus, divinitus non permiſſum ſolum, ſed inſuper etiam mandatum, & à nullo epiſcopo hactenus oppugnatum, commutare.* Cum nihilominus Altmannus vi & fraude Antichriſtianam legem perferret, nec tumultibus publicis inde exortis motus quieſceret, ſed, quoniam omnes ſimul non poterat, paulatim unum & alterum ex conjugatis ſacerdotibus urbe ejiceret, illi profugi ad Henricum IV. imperatorem, indignum epiſcopi facinus exponentes, dominum de ſui reſtitutione ſollicitarunt. Illi jam antea acerrimum erat cum pontificibus certamen de pontificum electione, & epiſcopatuum collatione & inveſtitura: ideoque non veritus fuit partes exulantis cleri Patavienſis defendere, ipſasque fovere, & Altmanno proſcripto, reſtituere. Hic ad tribunal pontificis confugitur. Henricus ad dicendam cauſam evocatur. Cum non illico compareret, excommunicatur. Ejus in locum Rudolphus Svevus à pontificis adulatoribus eligitur. Cœlum terræ per triennium bellis & ſeditionibus miſcetur. A monachis ſacerdotes uxorati Patavia denuo expelluntur. Tandem Rudolphus dexteram, qua fidem domino juraverat, & vitam amittit. Imperatorii ſatellites impuros monachos cœnobiis extrahunt & mulctant: dignitas epiſcopatus, excluſo Altmanno, Hermanno Franco nomine Imperatoris confertur. Dolet id pontifici. Ideoque anno cIↃLXXX. Altmannum, qui Romam confugerat, non epiſcopum tantum Patavienſem denuo deſignat, ſed pontificium etiam legatum per Germaniam & Galliam, ubi XX. amplius epiſcopi conjugati erant, conſtituit, decreto hoc armatum, quo & conjugium in conjugatis clericis prohibebatur, & inter conjugatos vincula tori diſſolvebantur. Adverſus hoc decretum, *ceu dicit Lambertus Schaffnaburgenſis ad annum* cIↃLXXIV. protinus infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum*; & apoſtoli: *Qui ſe non continet, nubat*; violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, &, dum conſvetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei

ditiei frena laxaret. Si pergeret ſententiam confirmare, mallc ſacer lotium, quam conjugium deſerere. Qui hac de cauſa tumultus extiterint, & qvomodo variis in ſynodis matrimonium clericorū ſcripturis, rationibus, conciliorum ſententiis, majorum exemplis, & irrefragabilibus argumentis, contra decretum pontificis, aſſertum ſit, & archiepiſcopus Moguntinus cum legato pontificis in ſynodo Moguntina in extremum vitæ diſcrimen pervenerit, legere eſt, *apud prædictum Schaffnaburgenſem, ut & Johannem Nauclerum volumine II. gener. XXXVI.* Turbis hiſce Henricus quidem imperator ſe animoſe oppoſuit: ſed cum tandem à ſuo ipſius filio, curiæ Romanæ inſtinctu, oppugnari cœpiſſet, libidini paparum omnia, ipſamque de conjugio ſacerdotum diſceptationem permiſit: qui poſthac, prorſus damnatis ſacrorum virorum nuptiis, ad interdictum hactenus extranearum ſeu concubinarum commercium connivebant. Hinc clerus impuro & infami cœlibatu ſic conſpurcari cœpit, ut, abſtinens remedio nuptiali, *ceu dicit Bernhardus in ſermone de converſione ad clericos*, in omne deinceps flagitium efflueret, & *teſte Johanne Gerſone*, aut nulli ſacerdotes habendi, aut incontinentes tolerandi eſſent. Quæ omnia *apud G. Calixtum in tractatu de clericorum cœlibatu & apud Chemnitium tertia parte examinis prolixius* legi poſſunt. Nos, his tandem miſſis, ad ultimam eccleſiæ ætatem luſtrandam accingamur.

SECTIO ALTERA

LIBRI TERTII,

DE ECCLESIA CHRISTI

à REFORMATIONE LUTHERI AD NOSTRA USQVE TEMPORA.

QVÆSTIO I.

Quod felix fauſtumqve ſit, progrediemur ad hiſtoriam eccleſiæ noviſſimam. Tu qua methodo hic ſis uſurus, indica.

Eidem equidem, qua hactenus noſtra proceſſit hiſtoria, inſiſtam. Ne tamen in tanto variarum rerum cumulo confundaris: nonnullis de

eccleſiæ in hoc ultimo ſeculo amplitudine præmiſſis, à vaticiniis de Lutheri confirmatione, ipſaque Lutheri vita & actis hiſtoriam, per varios evangelii à fermento pontificis reformati caſus, ad hæc usque tempora producam, præcipuos rerum eccleſiaſticarum articulos delibaturus. Doctores deinde eccleſiæ purioris, & poſtea pontifices enarrabo. Inde ſynodi & colloquia ſub disqviſitionem venient. Claudetur tandem opus martyriorum, miraculorum, & hæreticorum catalogo.

II. *Eſtne igitur tanta jam eccleſiæ amplitudo, quanta ſuperioribus ſeculis?*

Chytr. de ſtatu Eccl. Brerew. in ſcrutin. Relig. Philipp. Nicolai de Regno Chriſti.

Quanqvam pontificii *γνωρίσματα* & notas eccleſiæ adducturi, ampliſſimis eam debere circumſcribi finibus, & à mari uno ad alterum extenſam eſſe ajunt: idque hoc fine, ut eccleſia eorum, qui è Babylone pontificia egreſſi ſunt, tanqvam minus in omnes mundi partes propagata, veræ eccleſiæ nomine indigna videatur; ſua autem, tanquam latiſſime diffuſa, orthodoxa judicetur: nos tamen, quibus *pura verbi divini prædicatio & legitima ſacramentorum adminiſtratio infallibiles eccleſiæ notæ ſunt*, quibusqve eſt perſuaſiſſimum, eccleſiam lunæ ſimillimam, jam tanquam in plenilunio eſſe florentiſſimam, jam ſplendore diminuto decreſcere, nonnunqvam etiam tanquam eclipſin paſſam prorſus latere; nos, inquam, veritatem eccleſiæ nec ex miraculorum gloria, nec ex felicitate ſucceſſuum, nec ex ſucceſſione epiſcoporum haud interrupta, nec denique ex ampliſſima in mundum diffuſione dimetimur. Interim monemus ipſos pontificios, ne nimis de ſuæ eccleſiæ amplitudine glorientur. Exime primo complures in *Aſia, Cilicia, Armenia, Tartaria, Perſis, Taurica Cherſoneſo, Africa, & inſulis orientalibus* eccleſias, quæ de papa Romano vel nihil audivere, vel, ſi audivere, homo tamen an monſtrum ſit, parum penſi habent. Exime deinde eccleſias Græcas, longe lateque diſſeminatas, quæ paparum tyrannidi animoſe ſemper reſtitere. Exime porro ea regna & provincias, è qvibus decreta pontificum jam exterminata ſunt. Exime tandem eos ipſos, qui ſub jugo pontificio preſſi adduci tamen nequeunt, ut toti ex profano papæ arbitrio pendeant. Invenies enim in ipſa Italia, Hiſpania, & Gallia, & quidem in ipſis regum aulis & rerumpubl. curiis, plurimos, qui aut edicta pontificum, ſibi paulo iniquiora viſa, ſusque deque habentes, immenſam illam autoritatem pontificiam prorſus non agnoſcunt, aut tene-

tenebras tantas deteſtati, felicitatem lucis evangelicæ alibi exortæ commendant. Exime quæſo hos omnes, quos nominavi, populos, & ipſas etiam gentes Turcicas atque idololatricas, quibus ſane maxima hominum pars conſtat, adde & ingreſſus tabulam orbis geographicam, ſuperbis Jeſuitis, quam fallantur, quamque ſine ratione ſibi adulentur, ad oculum demonſtra.

III. Cum ibi ſoleat eſſe eccleſia, ubicunque verbi & ſacramentorum uſus eſt, utut corruptelæ quædam ab hominibus admixtæ ſunt: age, quam late hodie pateat Chriſtianiſmus, explica.

Præſtitit olim illam operam vir divinus *Philippus Nicolai libro I. de regno Chriſti cap. 1.* Ejus & aliorum ductu *extremos Hyperboroes* primum inviſe, & XXX. ingredere *inſulas Orcades*, ipſamque adeo ultimam *Thulen*, ut & infeſtam *Frislandiam*: Invenies eccleſias non papæ, ſed Chriſti juſſa capeſſentes. Naviga in *Islandiam*: Deprehendes ultra CCCXXIX. templa religioni puriori deſtinata, ut & codices Biblicos in Islandicam linguam translatos. Hinc ſi inſulam *Ruſtenen*, anno cIↄCCCCLXXI. à Petro Quirino detectam, inviſas, innocuos fere & omni libidine carentes videbis Chriſtianos. Progredere in intempeſtam *Groenlandiam*, Islandia remotiorem, quam aliqui ipſi Americæ cohærere autumant: Chriſtianos & ibi invenies, cum in monaſterio D. Thomæ dicato, tum aliis in locis, in quibus duas olim ſedes epiſcopales, Nidroſienſi archiepiſcopo in Norvegia ſubjectas, fuiſſe conſtitutas, teſtatur Olaus Magnus. Tria *Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ* regna in magna illa Scandiæ peninſula, ut & tria *Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ* regna, cum XLIV. *inſulis Hebridibus* adjacentibus, pontificis jugum penitus excuſſerunt. Ipſi truces *Pilappii* ſeu *Lappones*, ad mare glaciale ſiti, horrendis idolomaniis relictis, in Chriſti eccleſiam opera Svecorum ſe contulerunt. Si præterea *Rusſiam*, quam *Moſcoviam* vocant, perluſtras, eccleſiam invenis: papæ primatum non invenis. Extenditur hoc regnum ex Europa in Aſiam usqve, & ultimas Septentrionis oras, quæ in *Petzora* regno continentur, complectens, deſinit verſus meridiem in duobus *Caſana* & *Aſtracana* regnis, quæ à magno Moſcoviæ duce anno cIↄIↄI. Tartaris adempta ſunt. Omnes hæ terræ, amplisſimæ ſane, papam ignorant; Chriſtum confitentur. Et licet communi errore

preculas ad virginem Mariam, aliosqve Sanctos, D. Nicolaum imprimis, quotidie fingant: cum Græcis tamen eccleſiis Trinitatem in unitate Deitatis confitentur: peccatum originale agnoſcunt: in ejus remedium baptiſant infantes: ſacram etiam ſcripturam totam patrio idiomate conſcriptam & typis excuſam, patresque eccleſiæ primitivæ legunt & longe ſanius, quam papicolæ: ſub utraque ſpecie euchariſtiam ſumunt: ſacerdotum connubium admittunt: purgatorium negant: vernacula lingva in ſacris utuntur. Eſt illis *unus patriarcha*, Conſtantinopolitano patriarchæ olim ſubjectus, nunc à ſolo Moſcoviæ Magno duce deligendus; alios: quatuor metropolitani & ſeptem, imo octo archiepiſcopi, ut alii numerant. Et ipſius noſtræ religionis Lutheranæ doctoribus in urbe Neleucio, ab urbe Moſcoviæ non procul diſtante, permiſſum eſſe novimus, ut priorem evangelii doctrinam profiteantur, cum nullum ibi religionis exercitium Romanenſibus permittatur.

IV. Sic igitur nullas habet papa in ſeptentrione eccleſias, à quibus colatur; Chriſtus autem multas habet?

Tanto hæc recenſeo libentius, quanto magis ſcio, pontificios numen ſui Vejovis in univerſum orbem extendere. Moſcovitis vaſtisſima Tartarorum natio adjacet: quorum *Præcopenſes* parent Turcis; *Zavolgenſes* Chamo ſuo: utrique ſine Chriſto: illi quidem Machometani; hi aut Machometani, aut idololatræ. Neutris tamen, papam ignorantibus, religio Chriſtiana eſt incognita. *Nam apud Præcopenſes* Chriſtiani iisdem fruuntur privilegiis, quibus in univerſa Turcica; *apud Zavolgenſes* autem amplisſimam terræ portionem, tertiam videlicet Aſiæ partem incolentes, tot numero Chriſtiani, Nazareni nomine, Neſtoriani fide, ſub generali pontifice, quam *Umcham* nominant, ſuperſunt, quot in Europa noſtra vix reperias ſi Gvilielmo Poſtello fides eſt habenda, cui regiones illas inviſere licuit. *Ipſam Turciam* quod attinet, mirum eſt, in illa adhuc durare quatuor *patriarchatus*, quorum nullus papam curat; omnes Chriſtum colunt, non tamen ſine admixtis erroribus. *Antiochenus* enim *patriarcha* antea Antiochiæ; poſt deſtructam Antiochiam, in pulcerrima totius Aſiæ urbe Damaſco prope fanum D. Mariæ; hinc Meride in finibus Meſopotamiæ ſedem cepit. *Alexandrinus* in Ægypti metropoli populoſisſima, Cayro dicto, Chriſtianis præeſt: *Hieroſolymitanus & Conſtantinopolitanus* ſuis adhuc ſedibus fruuntur. Conſtan-

Brerev. in Scrut. Relig. Alex. Roß. von aller Welt Religion.

ſtantinopoli inveniuntur XX. Chriſtianorum templa. Theſſalonicæ, ubi Turcæ tria tantum templa habent, ultra XXX. ſunt Chriſtianorum. Metropolitano Theſſalonicenſi ſubſunt X. in provincia ſuffraganei; Philippenſi CL. eccleſiæ; Athenienſi totidem; Corinthio centum. Sacerdotes Athenis dicuntur amplius CCL. inveniri. Inſula *Zacotora*, ſeu *Socotora*, qvæ Arabiæ adjacet, etſi Alcoranitico præfecto paret, nunqvam tamen à fide Chriſtiana defecit. Incolæ enim ipſi Thomæ apoſtolo religionem ſuam acceptam ferunt. *Circa Tigrim & Euphratem* ſub certis epiſcopis ſunt Chriſtiani, quibus à D. Johanne Baptiſta cognomen tribuunt. Ipſa quoqve *Hierosolyma X.* Chriſtianorum templa oſtentant, nec à veritate videtur fama abludere, qua ferunt, ſi numero hominum certandum fuerit, tribus (nonnulli XXX. audent dicere) Chriſtianis in Turcia vix unum opponi poſſe Muſulmannum ſeu Alcoranitam. Circa montem Libanum in Syria ſunt *Maronitæ & Druſi* ſeu *Truſci*: quorum *illi* à quodam ſancto viro dicti, ſub patriarcha & VIII. vel IX. epiſcopis Chriſtum colunt: *hi*, quondam Maronitis permixti, nomen Chriſti profeſſi ſunt, ſed tandem Saracenis ceſſerunt, ſic tamen, ut non circumcidantur, neqve vino abſtineant, & peculiarem prophetam, nomine Iſmanem, venerentur, & Turcorum imperatori tributum qvidem perſolvant, in plena tamen non ſint imperii ejus poteſtate, ſed quinqve ſuis ſubſint Amiris ſeu præfectis, quos ſeculo ſuperiore Amurathes III. teſte Thuano, libro LXXXIV. in ordinem redegit. Præterea illi Chriſtiani, qui inter Armeniam & Meſopotamiam degunt, dicuntur *Curdi*; qui inter Tartariam Præcopenſem & Ruſſiam, *Morduitæ*, qui ſimul baptiſantur, circumciduntur, & idola adorant. Turciæ ad aquilonem tres florentiſſimi adjacent populi: *Colchi ſeu Mengreliani* ad Mæotidem paludem; *Albani ſeu Circaſſi*, & *Zychi* ad mare Hyrcanum; & in horum medio *Georgiani ſeu Iberi*. Hi omnes Chriſtianam religionem profeſſi, tributum quidem Turcis pendent: ſed Alcorano prorſus ſpreto, cum Græcis eccleſiis conſentiunt. Quod ipſum etiam faciunt *Armenii*, ampliſſimo terrarum ſpacio ad mare usque Caſpium, à finibus Cappadociæ, Ciliciæ & Aſſyriæ, in mercimoniis tractandis & ratione fidei reddenda peritiſſimi. Illi à temporibus usque Conſtantini M. ſuos habuerunt *patriarchas*, ceu vocant, *catholicos*, & ſtrenue in fide Chriſtiana propaganda militantes, pontificis decreta tanti faciunt, ut, cum anno cIↃIↃXXCII. Gregorianum calendarium iis per legatos Romanenſes offerretur, reſponderent, illud mero ambitionis impulſu eſſe conflatum.

V. In gratisſimo verſamur campo. Blandiamur nobis & eccleſiæ, &, num tantus etiam ſit Chriſtianorum in Perſia & India numerus, inquiramus.

Dam. à Goës in Deſcr. Æthiopiæ Benjam. Tudelenſ. Texeira & Pet. de Vall. in Itiner.

Verbo reſpondebo. *Perſiam* excœcat Machometiſmus; *Indiam* idololatria pagana: ita tamen, ut nec his in locis absqve teſtimonio ſit Deus relictus. Nam quemadmodum *Parthi* ſeu *Perſæ* jam apoſtolorum tempore ad fidem converſi leguntur; ita poſtquam Alcorani deliriis ſeducti, ab eccleſia ſeceſſerunt, cum Turcis tamen ob certa religionis Saracenicæ capita capitali odio disſidentes, tandē anno cIↃIↃLXII. pacta cum *Æthiopibus* confœderatione, liberum illis religionis Chriſtianæ exercitium in Perſia conceſſerunt. Qui etiam tam ſtrenue operi incubuerunt; ut nonnulli ſacerdotes una cum ſuo patriarcha illuc profecti, XII. annorum ſpacio XX. amplius urbes Chriſtiana religione imbuerint. Quin & in ipſa hac Perſia & conterminis regionibus ex veteribus Chriſtianis nonnulli adhuc ſuperſunt, qui qvidem *Neſtorii errores* profitentur, gentilismum tamen oderunt, & Machometiſmo animoſe reclamant: eorumqve patriarcha, vulgo Babylonicus dictus, reſidet in urbe Moſal ad Tigrim in Meſopotamia, ubi XV. templa & XC. millia inveniri dicuntur, quibus Chriſtianorum nomen placet. In India etiam *Brachmanes*, utut philoſophi & ſacerdotes gentiles, credunt, Deum quondam in ſpecie humana latentem terras luſtraviſſe, easque à peſte ſempiterna redemiſſe; dies etiam Dominicos venerantur, & decem legis præcepta; eorumqve explicationem tenent: atqve ſic non obſcura religionis Chriſtianæ olim per apoſtolos invectæ veſtigia oſtendunt. Præter gentem autem, ſuperſtitionibus Brachmanicis, adde Machometanis, in India demerſam, pasſim locorum magno numero inveniuntur Chriſtiani, qvi ſub ſuo ſummo antiſtite, XII. Cardinalibus, duobus Patriarchis, & multis pontificibus, invicta ſemper fide, religionem ab apoſtolo Thoma acceptam, ad hæc usque tempora, retinuerunt, unde etiam dicuntur *Chriſtiani S. Thomæ*. Hi ſacras literas in Syriaca lingua legunt atq; docent: ſeptimo quoqve die in templis conveniunt: euchariſtiam ſub utraque ſpecie exhibent: pueros baptiſmo tingunt, ſacerdotum conjugia probant. Et memorabile eſt, quod autores memorant de potentisſimo rege *Preſtegan* i. e. evangelico, vulgo *Presbytero Johanne Aſiatico ſeu Indi-*

co:

co: qui ſeculo XIII. in toto oriente per Tartariam in Indiam Chriſtiano nomini adhæſit, quanqvam factionis Neſtorianæ, tandem à Changio Chamo interfectus. Adi jam populos in oriente, quibus *præter alios monachos Jeſuitæ* Chriſtum annunciarunt. Nam & *Oram piſcariam*, & *nonnullos Ceilanorum regulos* ad baptiſmum ſuſcipiendum permoverunt, & præter *Goanum in India archiepiſcopatum* plura collegia erexerunt: & quidem in duas provincias diſtincta: quarum *Goana* ſocios CCXXC. numerat; *Malabrica* CL. Iidem in innumeris orientis inſulis, *Maldivis, Moluccis & aliis*, ut & *in regno Ormuzio*, Chriſtum barbaris notum facere anniſi ſunt: *In ipſo Chinarum regno* in duobus collegiis & tribus Reſidentiis XXX alunt ſocios, profectiqve in extremam usque Japoniam, provinciam ibi ſodalitatis ſuæ CXXX ſociorum conſtituerunt, & jam multa Chriſtianorum millia ibi numerant. *In Philippinis etiam inſulis*, in Chinenſi Japonioque mari detectis, provinciam C. ſociorum adornarunt, *ut annotat Miræus in Polit. Eccleſ. libro 2.*

VI. *Strenuos deſcribis Jeſuitas. Sed num illa papatus propagatio pro incremento eccleſiæ ducenda eſt?*

Verbum cœleſte, ab impuris etiam doctoribus & hæreticis prædicatum, eccleſiam plantat. Corruptelæ admixtæ zizania interſerunt. Dum igitur gentibus remotisſimis Jeſuitæ annunciant evangelium: dum orare, dum credere, dum juxta decalogum vitam formare docent: dum baptiſmum adminiſtrant: ſemina cœleſtia feliciter ſpargunt. Sed dum ſuperſtitiones populo perſvadent: Bileamum imitantur, qvi verbum quidem DEI verum proloqui potuit, idolis tamen ſervire non deſtitit. Sic Iſraelitæ filios Dei gignebant & filias, licet à puritate doctrinæ averſi *Ezech, XVI. 20.* Et Phariſæi, *Matth. XXIII 3.* mare obambulantes & aridam, proſelytos non niſi intermixtis ſuis traditionibus faciebant. Taceo, quod Jeſuitæ in prima Indorum converſione ſeſe non ſervos pontificis, ſed evangelicos præbeant, & perſuaſuri deaſtricolis Chriſtianam religionem, non ab autoritate eccleſiæ Romanæ ordiantur, non ab humanis traditionibus, non à Miſſa, purgatorio, operum meritis, & Romanenſium indulgentiarum nundinationibus: ſed iſtis prima ſermocinatione prætematis [illegible], ſimpliciter concionentur de lapſu primorũ parentum, deq; ſubſequente in univerſum generis humani condemnatione, nec non de gratuita noſtri redemtione per unicũ Chriſtum facta: cui per

Joseph. à Coſta de procur. Indor. ſalute. Horat. Turſellin. in vita Xaverii, qui ſanè laudibus ſuis privandus non eſt, conf. Eraſm. Franciſci im Luſt- = Gartẽ/ p.531. ſeqq. Petr. Maffei in Hiſt. Ind. p. 379. 396. & pluribus locis.

per fidem ſit adhæreſcendum, & hoc nomine percipiendum baptiſma, *ut ex Johanne Baptiſta Montio demonſtrat Philippus Nicola libro 1. de Regno Chriſti cap. 1.* Fundamento ſic ſatis jacto ſuperſtruunt ſtipulas pontificiæ monarchiæ, clericalis potentiæ, & mille ſuperſtitionum gentilium & fabularum vanarum. Teſtimonium *Acoſtæ Jeſuitæ* præterire hic nequeo; qvi *libro 4. de procuranda Indorum ſalute cap. 3.* primarium finem converſionis Indorum dicit eſſe acceptionem pecuniæ. *Perinde*, inqvit, *doctrina Indis traditur, atqve cum à mendicis, ſtipis colligendæ cauſa, precationes aut verſus aliqui cantillantur: qui illud tantum ſpectant, ut dicendo ipſi ad finem perveniant carminis: utrum vero auditores vel delectentur, pecunia jam accepta, parum curant. Tota itaqve catechizandi ratio eſt umbratilis & ludicræ ſimilis.* Hæc Acoſta: qui etiam *libro 2. cap. 4.* crudelitatem perſtringit, qua nonnulli convertuntur i.e. ſpoliantur, vexantur, enecantur. *Qui enim*, inquit cum Gregorio Magno, *fidem aſperitatibus propagari volunt, ſuas, non Dei, cauſas probantur attendere.*

VII. Dic age, numquid etiam eadem gratia Africæ contigerit, ut ab hoſpitiis eccleſiæ Chriſti liberaliter conceſſis commendari queat?

Dam. à Goes. in Deſcript. Æthiop. ap. Pet. Martyr. de Reb. Ocean p. 449.

Nondum in ea penitus videtur maledictionis Chamiticæ impetus ſubſediſſe. Etſi enim olim ducentos amplius epiſcopos ad Carthaginenſe concilium miſiſſe, & Genſericus Vandalorum rex trecentos catholicos epiſcopos inde expuliſſe legitur: nunc tamen *Ægyptii & Mauritani*, ab Alcorano dependentes, perditisſimæ religioni dediti ſunt. *Numidæ*, Libyæ deſertæ incolæ, & *Nigritæ* in amplisſimis provinciis, aut idola colunt, aut, ſi illa reſpuunt, Chriſtum tamen ignorant, ſive Machometis faſcino excæcati, ſive tenebris aliis præpediti. *Æthiopes inferiores omnes* adhuc in cœno idololatrico volvuntur. *Superiores, Abyſſini dicti*, qvi *presbyteri Johannis Africani*, ceu vocatur vulgo, ſeu *Pretejannis imperio* parent, religionem quidem Chriſtianam, ſed Judaicis ceremoniis corruptam profitentur, & plurimas provincias, quas olim tenuerunt, aut gentilium ſuperſtitioni & impietati, aut Saracenorum blasphemiæ proſtituere coacti ſunt. Quæris, quid igitur in univerſa Africa Chriſto ſit relictum? *Ægyptii* Chriſticolas plurimos, *Jacobitas* videlicet, & qui adhuc, ut dixi, circumciduntur, *Cophtos* ſeu *Cophtitos*, pasſim locorum ſibi permixtos habent. & *Alexandriæ* in ipſa Ægypti metropoli tria, *Alcairi* plura templa Chriſtianis conceduntur. *Mauri-*

Mauritani magnam partem *Feſſani regni* Hiſpanis & Chriſto dederunt; inq; urbibus Africanis, regi Hiſpaniarum ſubjectis, ſunt duæ epiſcopales ſedes, *Septa* & *Tanger*. *Nigritæ* regnum *Congianum*, quod Johannes Boterus Galliæ cenſet magnitudine par eſſe, procurantibus Luſitanis, jam anno cIↄCCCLXXXV. religioni Chriſtianæ initiarunt: & hodienum ibi idololatris permixti inveniuntur Chriſtiani: quod etiam fit in regno *Angola*. In *Inſula etiam D. Thomæ*, Guinææ oppoſita, Chriſtus adoratur, epiſcopo ejus loci Ulyſſibonenſi archiepiſcopo ſubjecto. Quæ reliqva loca in maritimis Africæ oris & in inſulis, *Madera*, *Canariis & Capitis viridis*, parent Hiſpanis, in illis etiam Chriſtiana religio ritibus pontificiis exercetur. *Abyſſini* autem, quorum jam mentionem fecimus, & quos eunuchus reginæ Candacis, *Indica*, ut volunt, dictus, & eum ſubſecutus *Matthæus apoſtolus*, ad fidem converterunt, more quidem Judaico infantes circumcidunt: ab eſu animalium Judæis olim prohibitorum abſtinent; baptiſmum etiam quotannis repetunt: præter ſacrum codicem alium quoqve librum, tanquam ab apoſtolorum ſenatu Hieroſolymis conſcriptum, in canone evangeliorum habent: Trinitatem tamen nobiſcum confitentur: hæreſes Arii, Macedonii, Neſtorii & Eutychetis abominantur: conciliis IV. œcumenicis aſſentiuntur: juſtificationem peccatoris recte docent: euchariſtiam ſub utraq; ſpecie diſtribuunt: nundinationes Miſſarum & indulgentiarum fabulas repudiant: conjugium clericis permittunt: Sanctos non adorant: purgatorium, ut ipſe *Miræus habet*, negant: Romani tandem pontificis, qui has eccleſias non ſemel ſibi ſubjicere fruſtra conatus eſt, tyrannidem abominantur, ſuoque patriarchæ parent, quem *Abunam ſeu Macum* i. e. patrem appellant.

VIII. Num etiam novi orbis incolæ ad Chriſti eccleſiam pertinent?

Egregiam ante paucos annos operam in indagandis originibus Americanis præſtitit *Georg. Hornius*. Demonſtravit enim, à tribus imprimis populis Americam diverſis temporibus habitari cœpiſſe, nempe I. *Phœnicibus ſeu Cananæis*, II. *Scythis*, III. *Sinenſibus*: *Phœnices* partim illuc veniſſe *ſub Atlante*, Saturni fratre, cum Atlanticum mare extra columnas Herculis navigarent, partim *tempore Joſuæ* cum ab illo expulſi, primum in Africam & Hiſpaniam ſeſe conferrent, & inde ab indigenis & aliis hoſtibus, variis bellis afflicti, in Americam poſtea per inſulas fortunatas,

Georg. Horn. in Originib. Americ. & Mœbius Theol. Lipſ. in Diſſert. peculiari.

Canarias à Canano dictas & per Caſſiterides ſeu Azores domicilia transferrent, partim *tempore Salomonis, Hirami & Joſaphati*, quæ navigatio in Americam denuo à ſapientiſſimis regibus inſtituta, & poſtea à Carthaginenſibus diu uſurpata eſt: *Carthaginenſes* autem tandem publico edicto navigationem in novum orbem interdixiſſe, & ſic tam ſuos, quam Tyrrhenos, Athlantico mari excluſiſſe: inde extinctam regionum remotiſſimarum memoriam: interea *Scythas, Hunnos & Tartaros*, ſive ob bella, ſive ob abundantiam hominum, ſive occaſione venationũ & navigationum, hinc ex occidente tam per mare glaciale, quã per continuas terras; illinc ex oriente per freta & aperta maria irrupiſſe, & Phœnices, à Carthaginenſibus in America deſertos, feris & barbaris moribus induiſſe: tandem *Sinenſes*, cum ante CCCC. annos à Tartaris regno Mangi exuti eſſent, & graviter vexarentur, mari ſeſe multis navibus commiſiſſe, & in America ſedem fixiſſe, tandemqve regnum Peruvianum & Mexicanum condidiſſe. Ex quibus intelligitur, idola ab idololatris in Americam mature eſſe illata. Forte Atlantides, ex Noachi poſteritate, verum Dei cultum primitus illuc infuderunt, & viri Apoſtolici illis viis, quibus in Americam pervenitur, progreſſi, evangelii præconium ibi fecerunt. Sed tandem Americani omnes, immani ſpirituum malignorum cultu diſtricti, agreſti etiam & ſilveſtri barbarie fœdati ſunt. Nunc tamen aſſueſcunt Chriſto cultum deferre. Et hunc in finem, quas terras in novo orbe ſive Galli, ſive Angli, ſive Belgæ occupant, in iis animas barbarorum Deo lucrari ſatagunt. Imprimis Hiſpani induſtriam hic navant operam (crudelitatem enim eorum jam mittam) & jam *qvinque archiepiſcopatus* dicuntur in hac terræ parte fundaſſe: quorum tres priores à Paulo III. anno cIↃIↃXLVII. inſtituti ſunt, reliqui à Paulo V. Recenſentur autem hoc ordine: I *Mexicanus*. II. *Dominicopolitanus* in Hiſpaniola. III. *Limenſis* in regno Peruano. IV. *Platenſis* in provincia Charqvenſi. V. *S. Fidi Bogotanus*, in provincia novi regni Granatenſis. Sub his archiepiſcopatibus paſſim *Dominicani*, *Franciſcani*, *Auguſtiniani & Carmelitæ* in ſuis monaſteriis & conventibus degunt. Collegia item canonicorum inſtituta ſunt plurima, & præterea *duæ Academiæ*, *Mexicana & Limenſis*: *quinq; tandem Jeſuitarum provinciæ*, quarum prima *Peruana* in diverſis collegiis dicitur habere ſocios CCCLXX; altera *Paraqvariæ* CXVI; tertia *Granatenſis* C; quarta *Mexicana* CCCXL; quinta *Braſilienſis* CLXXX. Sufficiat, hæc de amplitudine eccleſiæ Chriſti dixiſſe. Nam qui ſtatus ſit eccleſiarum Europæ reliquarum, ſatis cognitum

eſt,

eſt, & ex dicendis intelligetur. Ut enim aliqua regna ad Lutheri conciones papæ nuncium miſerunt; aliqua vero jugum ejꝰ adhuc ſuſtinent: ita in nonnullis diverſitas religionum, ad pacem publicam redimendã, conceditur. Certum eſt, in toto Europæo ſeptentrione, ut in Terris & inſulis hyperboreis, inque Scandiæ regnis, Svecia, Dania, Norvegia, & in tribus regnis Britanniæ, Anglia, Scotia, Hibernia, nullam eſſe papæ Romani autoritatem; in regnis Europæis Germania Hungaria, Gallia, Polonia, Belgio, eundem à nonnullis coli; à plurimis pro impoſtore haberi: ſolam Italiam & Hiſpaniam ei in ſolidum eſſe addictam: quatuor orientis patriarchas adhuc omnes ſupereſſe, & in illis papam haberi pro ſchiſmatico & hæretico. Ridetur enim in vaſtisſimis regnis ejus primatus; ſacerdotum conjugia admittuntur: cœna ſub utraqve ſpecie adminiſtratur: purgatorium negatur: confirmatio & extrema unctio inter ſacramenta non habentur, quia prorſus negliguntur: Calendarium novum rejicitur: ſacra non lingva adminiſtrantur latina, ſed vel vulgari ut apud Armenos, Abysſinos, Ruſſos, Slavones & Illyrios: vel Chaldæa ſeu Syriaca, ut apud Babylonios, Aſſyrios, Meſopotamios, Indos, Ægyptios: vel Græca, ut in illis eccleſiis omnibus, quæ ſubſunt patriarchæ Conſtantinopolitano. Hunc unum ſi qua eccleſiarum amplitudinem, conferas cum Romano, nihil cedet, quia ejus autoritatem ſequitur tota Natolia ſeu Aſia minor, tota Græcia cum Macedonia & Epiro, Thracia, Bulgaria, Raſcia, Servia, Boſnia, Valachia & pars Dalmatiæ & Croatiæ. Cum eodem ſentiunt Moſcovitæ ſeu Ruſſi ſub proprio patriarcha & epiſcopis; Georgiani ſeu Iberi item ſub proprio patriarcha metropolitano & XVIII. epiſcopis; Syri ſeu Melchitæ i. e. regii, qui cum orthodoxis contra Eutychianos & Jacobitas, imperatoris in concilio Chalcedonenſi decreta probant, ſub patriarcha, qui ſe vocat Antiochenum, licet non Antiochiæ, quæ jam eſt deſtructa & in aliquot minutos pagos redacta, reſideat, ſed primo ſedem tranſtulerit Damaſcum; unde etiam vocatur patriarcha Damaſcenus: deinde Mœredin in fines Meſopotamiæ conceſſerit. Ubi notetur, *quod vel tres hodie ſibi titulum & nomen patriarchæ Antiocheni vendicent*, etſi nullus Antiochiæ ſedeat, nempe *Syrorum ſeu Melchitarum, Jacobitarum Eutychianorum & Maronitarum. Ille* reſidet, ut diximus, Mœredi in finibus Meſopotamiæ; *iſte* in Caramit, quæ eſt veterum Amida, itidem in Meſopotamia, & ſemper gerit nomen Ignatii; *hic* in monte Libani, quandoque etiam Tripoli, & ſemper nomine Petri gaudet. *Neſtorianis* patriarcha præeſt, qui & ipſe in Meſopotamia ad Tigrim in urbe Moſal ſedem habet, & vul-

go dicitur patriarcha Babylonicus, præfectus ſacrorum in numeroſis cœtibus, qui in Babylonia, Meſopotamia, Aſſyria, Parthia, Media, India & ampliſſimis Cathajæ provinciis inveniuntur. *Eutychiani* in Meſopotamia, Babylonia & Syria vocantur *Jacobitæ* ſub patriarcha, qvem diximus in Caramit ſeu Amida reſidere; in Ægypto *Cophtiti* ſub patriarcha Alexandrino, cujus jam ſedes eſt Cayri: in Æthiopia *Abyſſini* ſub ſuo Abuna; Ad illos aliqvi referunt in Armenia majore ſeu Turcomania ultra Euphratem, *Armenios ſub patriarcha Servenſi;* & in Armenia minore ſeu Carmaria & Cilicia cis Euphratem, *Armenios ſub patriarcha Caratnaprenſi.* Sed plerique Eutychianorum, & imprimis Armenii, rectius jam ſentire dicuntur. Omnes tamen cum Neſtorianis primatum papæ, purgatorium, unam cœnæ ſpeciem, ſacerdotum cœlibatum, extremam unctionem, novum Calendarium improbant. Quid igitur jam ſupereſt papæ in oriente & reliquis orbis partibus? Patres quidem ſocietatis Jeſu in quibusdam Indiæ, Chinæ & Japoniæ locis, cum Chriſtum idololatris prædicarunt, pontificis ſimul Romani incrementa qvæſierunt: id quod etiam factum eſt in India occidentali: ſed qvid de illa propagatione religionis pontificia ſentiendum ſit, paulo ante demonſtravimus. In *novo orbe*, ſi dividatur in VII. partes. Brerevvodus cenſet ſex adhuc ſibi vendicari ab idololatris, reliquam unam partem dividi inter Hiſpanos. Anglos & Gallos. Fremant, ut velint, Romanenſes, ſuas vires & copias ſtolido faſtu jactantes; ſæviant etiam idololatræ, & venena ſpargant hæretici; Verbum tamen Domini manebit in æternum. Id faxit æternus Deus, ſui cœtus conſervator & patronus potentiſſimus.

IX. *Amen. Et ſic progredimur ad ſecundum membrum, in qvo vaticinia de Luthero ejusque reformatione, es pollicitus.*

VVolffi Cent. 4. Lect. Memor. Joh. Gerh. in Confeſſ. Cathol. l. 1. c. 4. p. 95. ſeq. & c. 5. pag. 147.

Merito hic primum locum id tenet, quod *Zacharias propheta XIV.* 7. de luce, tempore veſpertino proditura, prædicit, & quod D. Johannes *Apoc. XIV. 6. de angelo æternum evangelium habente, perque medium cœlum transvolante*, vaticinatur. Deinde occurrit id, quod *Wolfius L. M. Cent. XII.* ad annum cIↃCLXX. *ex chronico Carinthiæ* recenſet: in quo dicitur Fridericus Barbaroſſa templum quoddam in Carinthia extruxiſſe, & ſtatuam lapideam in eo ſpeciem monachi cingulo præcincti, & capite diſcooperti, præ ſe ferentem, ad cujus verticem majuſculæ hæ literæ

literæ appoſitæ fuerint: LUTHERUS. Cui adde omnes *illos veritatis teſtes*, ſuperiori eccleſiæ ætate adductos, qui paparum tyrannidem deteſtati, reformationem doctrinæ & morum optarunt atque expectarunt. Imprimis intuere *Joachimum abbatem*, qui vixit anno cIↃCC. & paſſim Lutherum videtur paſtorem vocare angelicum. *In hujus commentario ſuper Jeremiam cap. 19.* hæc leguntur verba: *Quia eccleſia in malis eſt obſtinata, ſcilicet per ſuperbiam, avaritiam & luxuriam, & ſimiliter populus Chriſtianus: idcirco neceſſario dirigetur ordo propheticus, ut tollat & conterat dum prædicatione ſuperbos prælatos, avaros clericos & laicos luxurioſos. Et cap. 20. Summus pontifex, Cardinales, doctores & Prælati valde dolebunt de ortu & profectu illorum virorum ſpiritualium & prædicatorum veritatis, tanquam qui eorum ſollicitudine ſubvertentur, ut adulterantes verbum Dei. Unde non pœnitebit eos, ſi ſubvertant in ſpiritu homines peſtilentes.* Cui vaticinium *M. Wilhelmi Frieſen Maſtrichenſis* adſtipulatur, quod *Wolfius habet Cent. XIV.* ad annum cIↃ CCCLX. *Si ſolummodo, qui digni ſunt, & verbum Domini annunciare valentes, eligentur, ut in primitiva eccleſia apoſtolorum factitatum eſt, quantumvis abjectisſimi & excrementa quaſi mundi habeantur, indulgentiæ, misſificationes, & ejuſcemodi nugæ prorſus abolebuntur. Quilibet eccleſiaſtico ſuo munere in loco deputato perfungetur; modico victu & alimento mediocri illis proſpicietur.* Sic & *Johannes Taulerus Colonienſis, eccleſiaſtes Argentinenſis*, circa annum cIↃCCCLXX ſæpius illud ingeminavit, *eccleſiam egere gravi quadam reformatione.* Et *Catharina Senenſis*, quæ vixit circa annum cIↃCCCLXXVIII. apud Antoninum, ut ſupra jam annotavimus: *Modo imperceptibili hominibus purgabit Deus eccleſiam ſuam ſanctam, & ſuſcitabit ſpiritum electorum ſuorum: ſequeturq; poſt hæc tanta reformatio eccleſiæ ſanctæ Dei, & renovatio paſtorum ſanctorum, ut ex ſolo cogitatu exultet ſpiritus meus in Domino. Et Magiſter Alofreſand ex inſula Rhodo* circa annum cIↃCCCXCI. *Neceſſe eſt*, inquit, *eccleſiam pontificiam corrigi, caſtigari, emendari, & reformari: quod faxit Deus ter opt. max. Amen. Neceſſum erit, falſos eccleſiæ doctores & fucos ejici, confundi, ac deſpectui exponi omnibus. Nam quanta inſolentia eccleſia Romana ad gloriam, dignitatem, opes & potentiam hactenus evecta eſt, tanta viciſſim opprimetur ignominia & calamitate. Et Frater Johannes Fernandus* in antiqvo vaticinio, anno cIↃCCCC.

Qvi fidem nucis datis advocatis,
Aureis veſtras vacuant crumenas,

Voſq; derident; moneo, deinceps
Parcite nimiis.
Nam reformati gregis arva paſſim,
Spiritu ſancto duce, copioſa
Fruge pingueſcent, variisq; ſurgent
Semina terris.

Confer *Mechthildem virginem*, quæ anno cIɔCCCCX. prædixit, *Deum exſuſcitaturum novos paſtores, qui ſanam Chriſti doctrinam piis proponant, ejusque jam ferme collapſam eccleſiam ſedulo reædificent & inſtaurent, Chriſtianamq; religionem, quæ multis erroribus ſit contaminata, repurgent, ac contra Antichriſtum concionentur.*

X. *Hic ſane ex Amoſo III. 7. exclamare liceret: Non facit Dominus Jehovah quicquam, niſi revelarit ſecretum ſuum ſervis ſuis prophetis.*

Gerh. cit. loc. pag. 110

Propius ad Lutherum collimaverunt *Hieronymus Pragenſis & Johannes Huſſus*, in concilio Conſtantienſi combuſti; quorum uterque digitum in Lutherum intendit, ut ex ſuperioribus conſtat. *Ille* enim ad cauſam, poſt centum annos revolutos, coram Dei tribunali dicendam, adverſarios evocavit; *hic* de cygno, poſt totidem annos venturo, quem tam crudeli ſupplicio non eſſent mactaturi, vaticinium edidit. Imprimis memorabile eſt, quod de *Sigismundo imperatore* legimus, qui reformationem de reprimenda Romanenſium ſuperbia & ſimonia in concilio Conſtantienſi ideo ſuſcipere conatus fuit, quia Presburgi in Hungaria, voce quadam, ſub auroræ primæ exortum, admonitus fuerat, *ut ignavo cuidam ſacerdoti, Friderici angelo, viam præpararet, per quem multa Deus operaturus eſſet, adverſariis fruſtra contra eum fremituris.* Extare dicitur hæc revelatio Auguſtæ anno cIɔCCCCXC. impreſſa. Et *Wolfius in L. M. Cent. XV.* ad annum cIɔCCCCXXXIV. & *Cent. XVI.* ad annum cIɔIɔXXIX. univerſam hanc hiſtoriam luculenter deſcribit. Idem eodem loco vaticinium aliquod abſtruſius *Johannis Conſtantini, monachi Sileſii*, cum accurata interpretatione addit: & ad annum cIɔCCCCLV. teſtatur, *M. Johannem Oſtendorpium ex M. Johanne Weſſelo jam ſine*, illa mundi luce, hæc verba audiiſſe: *Studioſe adoleſcens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentioſorum iſtorum theologorum, Thomæ & Bonaventuræ & aliorum ejusdem farinæ, ab omnibus fere Chriſtianis theologis explodetur.* Hic eſt ille *Weſſelus ſeu Veſelus*, qui ſæpenumero cum

Rudolpho

Rudolpho Agricola diſſerens, non ſine lacrymis Miſſam deteſtari, & cætera innumerabilia deplorare ſolitus fuit, diſputans ut plurimum ex epiſtolis Pauli de juſtificatione hominis coram Deo, in qua ne jota quidem ullius meriti bonis operibus adſcribendum ſit. Huc refer omnes eos, qvi aut optarunt eccleſiarum reformationem, aut inſtare jam dixerunt, equ fuerunt *Paulus Scriptoris* Tubingenſis, Conradi Pellicani præceptor: *Eberhardus*, primus dux Würtenbergicus, ut in ejus oratione funebri teſtatur Conradus Summerhard S.S. Theologiæ Doctor: *Telemannus Spangenberg*, D. Johannis pater, qui brevi religionem pontificis in ſummum venturam contemtum ſæpe prædixerat: *Sebaſtianus Doctor*, Canonicus Erphordienſis, cujus concio, Dominica poſt Judica anno cIↃIↃVIII. habita, hæc inter alia habet: Liebe Freunde/ wir ſolten heute auff den weiſſen Sontag unſeren Kram außlegen. Es iſt aber ein frembder Kramer hie/ der ſol beſſere Wahr haben/ denn wir. Hujus & illud eſt: Es wird die Zeit kommen/ daß man euch das Evangelium wird aus dem Buche leſen. Ewer etliche werdens erleben. Ich aber werde es nicht erleben. N t im eſt etiam illud *Jacobi Pruni*, aſtronomi Ulmenſis, vaticinium circa annum cIↃIↃ. editum: *Surget quidam anno* cIↃIↃXX. *publicis typis divulgaturus libros Latinos & Germanicos contra pontificem noſtrum Romanum, ejusq; Cardinales & ſacerdotes, totumqve clericatum. Et patefaciet ac deteget omnem ipſorum improbitatem & nequitiam.*

XI. Qvid potuit, bone Deus! clarius, quid verius prædici?

Audi plura. *Michael Stifelius*, qui vixit ineunte ſeculo XVI ſe admodum ſæpe dixit olim inter monachos ac ſacrificos verſantem, audiviſſe eos narrantes, eſſe veteres prophetias, *ſecuturam adhuc aliquando violentam ſacrificorum reformationem.* Id quod dixit etiam patrem ſuum *Conradum Stifelium*, certo breviqve eſſe futurum prænunciaſſe. Et *Melanchthon in Apologia in capite de votis monaſticis* narrat, circa annum cIↃIↃ Iſenaci *Johannem Hilten*, Franciſcanum monachum, qui abuſus quosdam notiſſimos reprehenderat, in carcerem conjectum, graviter ſcripſiſſe, & Guardiano etiam, à quo affligebatur, denunciſſe, fore, ut alius quidam anno cIↃIↃXVI. veniret, qui ita monachos eſſet deſtructurus, ut non poſſent ei reſiſtere. Sic & D. *Johannes Scheyringus vel Syringus* Magdeburgi circa annum cIↃIↃVII. ſonore dixit: *Qvanto papatus ſeſe altius evexit, tanto profundius iterum dejicietur: quod niſi prope-* Id. ibid.

diem

diem fiat, non poterimus amplius illæſa conſcientia prædicare. Itaqve Deus reſtauratorem eccleſiæ ſuæ miſſurus eſt, qui verbum ſuum aperta luce proferat, atque tenebris, quibus eſt involutum, eruat. Circa hæc ipſa tempora *epiſcopus Miſnenſis fuit Johannes VI.* qui indulgentiarum merces non admiſit, deque Johanne Tezelio Dominicano, theologiæ initiato, impoſtore aſtuto, antequam à Luthero confundebatur, dixit, *eum fore ultimum indulgentiarum inſtitorem.* Quin & ſi ſacra Biblia legeret, faſſus eſt, *aliam ſe invenire, qvam à monachis coleretur, religionem, ab inſtitutis & moribus uſitatis valde diſſimilem.* Præterea *Johannes Keiſersberg, Argentinenſis*, qui ſeptimo ante anno, quam à Luthero pontificiæ ſordes removerentur, defunctus eſt, avidisſime iſtiusmodi Megalandrum ſæpe expectavit, percupiens eo vita pertingere, uti coram illam reformationem cerneret. Et *D. Johannes Proles*, Lipſienſis, Auguſtinianorum Provincialis, quem papa excommunicaverat, cum nollet permittere, eccleſiam novi feſti inſtitutione porro onerari, ſæpe exclamaſſe dicitur: *O fratres, res Chriſtiana opus habet forti & magna reformatione, quam qvidem jam prope inſtare video.* Qværentibus fratribus, quare ipſe non inciperet reformationem, ac erroribus ſe non opponeret? reſpondit: *Videtis, fratres, me eſſe ætate grandævum, nec præditum tanta doctrina & eloquentia, quantum hæc res poſtulat. Sed excitabit Deus heroem ætate, viribus, induſtria, doctrina, ingenio, & eloquentia præſtantem, qui erroribus ſe opponat. Et Deus animum dabit, ut magnatibus contradicere auſit. Et ipſius miniſterium ſalutare, Dei beneficio, comperietis.* Hunc heroem ſenex ille ſacerdos, cujus meminit *Matthefius in concione I. de vita Lutheri*, in Academia Erphortenſi juvenem adhuc vidit & agnovit. Lethali enim morbo correptum jusſit bene ſperare, tanquam qui multos alios, vir inſignis factus, conſolaturus eſſet. Huic ſimilis fuit *Jacobus Limburg*, Carthuſianus monachus Marpurgenſis qvi cum in cathedra dixiſſet, evangelium intra IↃ annos non eſſe pure prædicatum, raptus in monaſterii carcerem, tandem, cum diu hæſiſſet in vinculis, anno cIↃIↃXVII. qvo Lutherus præconium veritatis cœpit facere, clam è medio eſt ſublatus. Conſentit *ſomnium Friderici electoris*, qui, teſtante Anton. Muſa, ex relatione Spalatini, ter Svidniziæ viſus eſt ſibi vidiſſe monachum de cœlo ſanctis comitatum ad ſe veniſſe, & ut liceret ſibi quædam oſtio academico inſcribere, petiiſſe: tamque inſignibus ſcripſiſſe in illo literis, qvæ Svidniziæ legi potuerint, & qvidem penna, qvæ ex ala anſeris Bohemici fuiſſet accepta, cujusque extremi-

tremitas usque ad Romam excreverit, & utramque leonis ibi jacentis aurem perforarit, atque inde ſe ad triplicem pontificis coronam exporrexerit, eamque adeo concuſſerit, ut vix capiti hæreret.

XII. Si tot viri inſignes tanto reformationis eccleſiarum deſiderio flagrarunt, proh Deum immortalem! quanto non gaudio oportet Lutherum eſſe exceptum?

Albertus Crantzius lectis theſibus Lutheri, contra Tezelium ſcriptas, dixiſſe fertur, *ſe quidem eas approbare, ſed tamen metuere, ne tantis conatibus impar, à potente papa ſupprimeretur.* Ideoque exclamavit: *O frater, abi in cellam tuam, & dic: Domine, miſerere mei.* Majoris æſtimavit Lutherum *D. Staupizius*, nobilis Saxo, generalis Auguſtinianæ familiæ Vicarius, primus Decanus Wittebergæ in theologica facultate. Hic eum autoritate electoris Saxoniæ exhortatus, ut Doctoratus dignitatem aſſumeret, ſubridens dixit, *Deum videri non in cœlis ſaltem, ſed & in terris multa negotia tractaturum: ad quæ cum doctorum hominum opera ſit uſurus, ſuam eum ſubtrahere non debere.* Cum jam opus ſuccederet ſub manibus, *arridere ſibi* dixit, *quod non in ſui, ſed Dei gloriam tanta conaretur.* Idem à Cajetano juſſus Lutherum ad palinodiam invitare, *oleum* reſpondit *& operam in ea perditum iri, quum ſe longe doctior ſit in ſacris literis.* Quin potius, *ne tantam rem negligenter ageret, quam in nomine Jeſu Chriſti incepiſſet*, autor ei fuit Auguſtæ Vindelicorum. Hinc etiam eum Lutherus ſuum Staupizium vocare conſuevit, ſæpiusque dixit, *ſe ab ipſo didiciſſe pœnitentiam à juſtitia & amore Dei; doctrinam de prædeſtinatione à vulneribus Chriſti inchoare.* Præter Staupizium *D. Mellerſtadius, Martinus Pollichius* alias dictus, medicus & conſiliarius electoralis, primus Academiæ Wittebergenſis rector, & perpetuus ejus procancellarius, ad ſummum honoris gradum in tribus facultatibus ſuperioribus evectus, præprimis commendatum ſibi habuit Lutherum, eique, quoties è cathedra ſcholaſtica verba faceret, juſſit attendere, tanquam qui omnes aliquando doctores eſſet confuſurus, & univerſam eccleſiam reformaturus. *Niti enim eum* dixit *prophetarum & apoſtolorum ſcriptis, & ſoli verbo Chriſti confidere, quod nec philoſophia ſophiſtica, nec Scotiſtica, nec Albertiſtica, neq; Thomiſtica, aut univerſo Tartareto, quiſquam confundere vel evertere poſſit.* Hoc *Heckius*, monachus Steinlauſicenſis, etiam prævidit. Ideoque cum ei oratio eſſet in academiæ Witteber-

Gerh. l. cit. pag. 120. & ſeqq.

tebergenſis introductione anno cIↄ IↄII. habenda, *ab iſto*, dixit, *albo & candido monte* (ſic enim interpretabatur Witebergam) *gentes univerſi orbis ſapientiam & candidam religionem eſſe petituras.* Hic, quemadmodum nunquam Miſſam celebrare viſus fuerat, ita, cum primum propoſitiones Lutheri de indulgentiis vidiſſet, præ gaudio ridens, *cum veniſſe* jactitavit, *qui monachos & ſacrificulos dignis modis eſſet excepturus.* Et ipſe *Carolus Miltitius* Germanus, pontificis cubicularius, qui a Leone X. auream Roſam Friderico electori attulerat, ut Lutherum eo facilius Romam protraheret, cum virum aſpexiſſet divinum, & ætate adhuc vegetum litem tantam moviſſe conſideraret, *ſe eum nec viginti quinque millibus armatorum Romam perducere poſſe, ingenue confeſſus eſt, quum uni, qui ſentiat pro papa, vel tres deprehendantur contradicere, qui Lutheri partes tueantur.*

XIII. Forſan Miltitius exiſtimaverat, Lutherum tanquam theologum ſenem, ita ſecum otioſum diſputaſſe: & eam ob cauſam ad vegetam ejus ætatem obſtupuit.

Conf. Serar. ad cap. 7. Jud. p. 194. Eraſmi Colloquia paſſim. Gerh. in Confeſſ. Cath. Lib. 1. part. 1. cap. 6. pag. 155.

Ita eſt. Sed audi & aliorum virorum magnorum de prima Lutheri velitatione judicia. *Eraſmus* à Friderico, Saxoniæ electore, de Luthero Coloniæ interrogatus, *inſigniter quidem dixit eum deliquiſſe, quod triplex Papæ diadema & ventrem monachorum tangere fuiſſet auſus: ſed doctrinam ejus cum verbo Dei conſentire, nec mirum eſſe, ſi ſeverius procedat, cum ſimiles debeant habere labra lactucas.* Es gehöre doch auff einen Wölfenen Braten eine ſolche ſcharffe Salſen. Quam ipſam etiam ob cauſam Eraſmus, ad oppugnandum Lutherum ab initio multis pollicitationibus invitatus, noluit in aciem progredi, quum eum majoris, quam omnes Scholaſticos æſtimaret. Quid quod *ipſe Maximilianus imperator per D. Degenhardum Pfeffingerum*, legatum Saxonicum, ſibi hunc Lutherum aſſervari juſſit, cujus opera ſibi ad res arduas (quas effeciſſet, viſione nocturna monitus, niſi morte fuiſſet præventus) poſſet olim adverſus pontificem uſui eſſe, ut teſtatur *Hondorpius & Johannes Mattheſius in concione II. de vita Lutheri. Paulus Langius* autem, Citicenſis monachus, Tritheimii abbatis diſcipulus, Luthero hoc dedit teſtimonium: *theologum eum eſſe conſummatum, profundum, incomparabilem, qui ſacram theologiam ad fontalem primævamque puritatem, nec non evangelicam, ſinceram, ſimplicemque ſuam illam innocentiam, omni prorſus ſeculari philoſophia exploſa, revocaret.*

vocaret. *Johannes Cellarius* etiam de Luthero Lipſiæ hanc tulit ſententiam, *eum ea fide ſcripturam tractare, qua palmam omnibus adverſariis Italis, Græcis & Hebræis longe præripiat.* Ipſe etiam epiſcopus & cardinalis Sedunenſis, *Matthæus Schienerus*, cum nonnulla de Lutheri ſcriptis legenda ei traderentur, *O Luthere, Luthere*, inquiit, *tu ſane ſecundum nomen tuum* lauter *es & limpidus*, ut legere eſt *tomo I. Lutheri Jenenſi Latino pag. 328. ex epiſtola Frobenii.* *Henricus Phœnicus* anno cIↄ Iↄ XXII. ſcriptum edidit, in quo ſingulare Luthero teſtimonium perhibet. *Bonus ille*, inquit, *pius & Chriſtianus homo, ſumma ope nititur, ut nos è captivitate Babylonica eripiat. Ut nos cœci ſumus, & in carcere cum voluptate permanere volumus! cum potius Deo gratias agere deberemus, ut qui nobis hunc velut Eliam quendam in miſeriis noſtris miſerit. Orare debemus indeſinenter pro tanti viri vita. Sed nedum hoc agamus, illum etiam interficere cupimus. Et ecce ſalus noſtra præ foribus eſt. Aſt nos oſtio peſſulum obdimus.* *Ottomarus Luſcinius*, Argentinus ICtus, plane pontificius, hunc eorum, qui Luthero teſtimonium perhibuerunt veritatis, claudat catalogum. Ille enim in epiſtola nuncupatoria, quam progymnaſmatibus Græcis anno cIↄ Iↄ XXI. præmiſit, etſi Lutherum incuſat, *quod papam audeat acerbius lacerare maledictis, & nobilitatem Germanicam ſeditioſius armare in eccleſiaſticos*, (ſic enim loquitur) nominat eum tamen *virum, quem & æmuli ingenue fateantur optimum, cordatum, & eloquentem, qui à matæologis adeo concitatus ſit ad amarulentiam, ut ſolitæ modeſtiæ jam non meminerit.*

XIV. Ipſius Megalandri vitam, acta, & doctrinam ab ovo, quod dicitur, ut jam repetas, velim.

Eo anno, quo lucifer, quem φωσφόρον nominant, multo auguſtior & lucidior apparuit, quam ullo unquam tempore, *ceu ſcribunt aſtronomi, teſte Wolfio Cent. XV.* egregius ille phoſphorus, Lutherus, eccleſiæ præſtæ datus eſt. Annum monſtrant verſiculi:

NatVs es IsLebII DIVIne propheta LVthere:
ReLIgIo fVLget: te DVCe papa IaCet.

Pater ejus *Johannes*, non incubus, ut ſine fronte mentiuntur ejus adverſarii ex Surio & aliis; Cochlæo autem & Spondano, matrem Lutheri in crimen vocare dedignantibus: ſed foſſor metallicus, pagum Moren, non procul à Smalkaldio, primum incoluit: inde Islebii, ubi hunc heroa anno 1483. die X. Novembris, nocte poſt horam XI. in vigiliis D. Martini genuit ex pientiſſima uxore, Margareta Lindemanna, domicilium

Phil. Melancht. Orat. VVitt. Tom. 4. p. 469. Chytr. in Sax. lib 7. p. 197. Joh. Sleidan. lib. 16. Hiſt. p. 465. Mattheſ. Conc. I. de Vita Luth. p. 1. Conc. XVII p. 205. Cyriac. Spangenb. in præfat. Conc. XV. de Luth. Oſiand. Cent. 15. lib. 4. c. 1. p. 490.

lium habuit: & tandem Mansfeldium commigravit, ubi & magiſtratus geſſit, & propter integritatem omnibus bonis cariſſimus fuit. Huic poſtea filius librum de votis monaſticis inſcripſit. Quam primum autem ætas pueri doctrinæ capax fuit, in Mansfeldienſem ſcholam introductus, elementa literarum ſub Georgii Æmilii patre avide hauſit, & jam XIV. annos natus, una cum Johanne Reineccio, viro poſtea eximio, Magdeburgum miſſus, eleemoſynas cum panperculis canendo; fundamenta autem artium graviter literis incumbendo collegit: & anno elapſo, ad ſcholam Iſenacenſem profectus, & à pia quadam matrena ſuſceptus, tantum intra quadriennii ſpacium ingenii felicitate & diſcendi cupiditate profecit, ut & cæteris adoleſcentibus palmam facile præriperet, & mature in academiam Erphordianam à parentibus mitteretur. Ibi igitur non ſaltem ab ore doctorum pendere, ſed & optimos quosque ſcriptores nocturna diurnaque manu verſare, & ſubinde pluteos publicæ bibliothecæ, & imprimis ſacra in iis biblia, evolvere, aliquamdiu etiam ſtudio juris incumbere viſus eſt. Maturus jam erat honoribus: Ideoque

Chytr. lib. 7. p. 197. Mattheſ. Conc. 1. p. 3. Hoc in Thaumaſiandr. 2. Conc. 1. p. 5 Melancht. Tom. 4. Orat. VVit p. 490.

ErfVrtI IVVenIs tItVLos CapIt Vrbe MagIſtrI,
LVſtra ſVæ ætatis qVatVor aCta CoLens.

In hac academia ethicam & phyſicam Ariſtotelis explicuit auditoribus. Poſt biennium, cum vidiſſet ſociorum ſuorum quendam ſubitanea morte defunctum, & valido præterea fulmine, quaſi de cœlo terroribus, vocaretur, *ut ipſe de ſe ait tomo 2. Jenenſi Lat. p. 4.* atque ſæpius cogitantem attentius de ira Dei, aut de horrendis pœnarum exemplis, ſummi terrores cum febribus & capitis doloribus concuterent: non ſine inſigni parentum & amicorum cordolio, inter fratres ordinis eremitarum D. Auguſtini cucullum anno ſeculi V. induit & poſt biennium ſacerdotio initiatus eſt. *Videtur mihi Satanas*, inquit ipſe *prædicto tomo 2. pag. 478. à pueritia mea aliquid in me prævidiſſe eorum, quæ nunc patitur. Ideo ad perdendum, ad impediendumq́; me inſanivit incredibilibus machinis, ut ſæpius fuerim admiratus, egone ſolus eſſem inter mortales, quem peteret.* Attonſus jam vixit, ut iterum ipſe dicit, *non ſine peccato quidem, ſed ſine crimine.* Patrum & ſcholaſticorum monumenta acerrimo ſtudio evolvit. Imprimis ſacrum codicem ſibi familiarem reddidit, & jam tum erectus ſenis cujusdam Auguſtiniani, cujus jam meminimus, ſermonibus, cui conſternationes ſuas ægrotus expoſuerat, fidei naturam & vim inquirere, & maximi facere, omnibusque operibus præ-

D. Franz. in Orat. de Vita Luth VVit. A. 1617. habita, Melancht. l. cit. p. 500. Mattheſ. Conc. 1. p. 6.

præferre cœpit. Surrexerat interea anno cIↃIↃ II. florentiſſima Academia Wittebergenſis,& intra exiguum tempus non exigua ſumſerat incrementa: utque Lutheri perſpicacia & ingenio, tanquam divino ornamento, magis decoraretur. *Johannes Staupitius*, vicarius Auguſtinianorum, illum eodem anno VIII. eo evocari curavit. Sic (utor enim libenter chronodiſtichis, quæ Melanchthon in hiſtoria de vita & actis Lutheri ex ſchedula quadam mutuatus eſt)

MIttItVr aLbIorIn ChrIſto aVXILIante LVtherVs.
QVantVs erat Vates! gLorIa qVanta ſCholæ!

Enarravit quidem in hac profeſſione academica ab initio dialecticen & phyſicen Ariſtotelis: ſed theologicum ſtudium gratius videbatur. Ideoque & ipſe quotidie ſacros libros evolvit, & Græcæ atque Hebraicæ linguæ ſtudiis ſe conſecravit, atque ad idem faciendum auditores adhortatus, ſcholaſticæ Theologiæ principia ex verbo Dei pedetentim evertit. Miſſus Romam poſt triennium, in cauſa nonnullorum Ordinis Auguſtini conventuum diſſidentium, abominandam ſanctæ ſcilicet urbis vidit confuſionem, ut odium adverſus tantam impietatem conceptum altiores ageret radices: quæ tum demum magis magisque confirmatæ ſunt, cum, domum reverſus, inſignia Doctoris theologica, Friderico Saxoniæ electore ſumtus præbente, anno ſeculi XII. aſſumeret. Nam cum, in enarratione epiſtolæ ad Romanos & Pſalmorum, legis & evangelii diſcrimen monſtraret, & nihil poſſe hominem à Deo mereri aſſereret, atque ita rejectis ſcriptoribus, quos majoris quam ipſas ſcripturas divinas hactenus habuerat, in ſolo Dei verbo acquieſceret; non potuit non abominari, quæ ab illis afferebantur, qui de fide & remiſſione peccatorum nimium frigide ſentiebant.

Melancht. l. c. p. 503. Math. Conc. 1. pag. 5. Dannh. in Memor. Luth. cap. 7. p. 23.

XV. Satis feliciter Lutherus ad opus reformationis præparatus eſt. Sed quæ occaſio primum ſuppeditata fuit, ut contradiceret Papæ?

Hactenus pontifices Romani, ad rem numariam ſublevandam, delictorum expiationem interventu pecuniæ, quam quisque daret, more eo qui cœpit ſub annum centeſimum ſupra milleſimum ab Urbano II. adhiberi, in annis Jubilæis polliceri conſueverant. Utque meſſis hæc aurea eo frequentius inexplebili Romanæ curiæ avaritiæ objiceretur, à ſecularibus annis ad ſemiſeculares; tandemque ad vicenos quinos deduxerant Jubilæos. Nec tamen ſatis id fuit. Quovis tandem tempore

Guicciard. lib. 13. Hiſt. ad An. 1520. p. m. 297. ſq. Luth. Tom. 4. Lat. Jen. p. 233. Paul. Jov. lib. 20. Hiſt ſui temp. & in vita Leon. X. Arn. Ferron. 5. Rer. Gallic. Franz. in Diſp. Jubil. de Indulgent.

re & quavis occaſione indulgentiarum merces exponendi poteſtatem uſurpavere. Hinc cum milites Teutonici in Livonia & Boruſſia à Tartaris, Ruthenis, & Scythis graviter vexarentur, à Julio II. anno CIↃIↃX. indultum illis eſt, ut pecuniam in ſubſidium indulgentiis emerent, & Jubilæi gratiam venalem darent. Succeſſerat Julio Leo X. in erogandis pecuniis ultra modum profuſus: cujus immenſæ prodigalitati cum accederet Magdalenæ ſororis, Franciſco Cybo Innocentii VIII. ſpurio nuptæ inexplebilis faſtus: erat alicunde quærenda pecunia. Forum igitur indulgentiarum, & expiatio omnium delictorum, mortuis etiam ab ignis purgatorii pœna liberandis profutura, licentia item publicis jejunii diebus veſcendi ovis, & quæ ex lacte confici ſolent, per omnia Chriſtiani orbis regna, impulſore præſertim Laurentio Pauccio Cardinale, prætextu neſcio cujus Turcici belli, & Baſilicæ D. Petri extruendæ, in integros octo annos his eſt apertum, qui ſumptibus in tantam gratiam faciendis non parcerent. Et Leo quidem proventus pecuniarum colligendarum mature diſtribuerat, & nominatim Saxoniæ reditus Magdalenæ ſorori dono dederat. Quæ, ut fructum caperet uberiorem, curam rei *Johanni Angelo Arembolde* J. U. D. protonotario & referendario apoſtolico, & epiſcopo mercatoriæ hujus artis peritiſſimo, tandem in adulteræ complexibus interfecto, commiſit: qui aliis avaris quæſtoribus, ſtationariis & ærуſcatoribus indulgentiarum publicandarum poteſtatem fecit. Proceſſit opus impium ſub manibus. Nec jam pro more recepto Auguſtinianis fratribus ordinis Eremitani provincia commendandæ ſuperſtitionis, ſed præter ſolitum Dominicanis monachis, interque eos Johanni Tezelio, Pirnenſi Miſnico, ſubcommiſſario & hæreticæ pravitatis inquiſitori (pro quo olim Fridericus elector Saxoniæ coram Maximiliano imperatore ad Oenispontem interceſſerat, ne pœnam adulterii ſubiret,) commiſſa eſt. Hunc ſtrenue adjuvit epiſcopus Moguntinus & Magdeburgenſis, primas Germaniæ, Albertus Marchio Brandenburgenſis: qui plures epiſcopatus ambiens, ad pallia emenda pecunias iſto modo quærebat, & dimidium lucri ex indulgentiis capiebat, *ut eſt in tomo I. Latino Jen. p. 183.* Sic, dum indulgentiarum opus inſolito verborum apparatu extollitur à præconibus, non parum offenſionis in auditorum animis excitatur, præſertim cum ſacram pecuniam in luſtris & popinis, aut aleæ luſu, aut modis adhuc ſceleſtioribus profundi viderent, quam, ſuum defraudantes genium, liberaliter contuliſſent.

XVI.

XVI. *Hæc ſane impietas quemvis cordatum, nedum entheam Lutheri vim, commoviſſet.*

Aderat jam fauſtum tempus, quo angeli, qui prius conticuiſſe videbantur, tanquam de integro in laudem Dei iterum eruperunt, juxta illud:

TIbI CherUbIn & SeraphIn InCeſſabILI VoCe proCLaMant.

Quam ob cauſam

ReLLIgIonIs opVs Cœno eXtrahIs, aVſpICe ChrIſto,
VeraX ò DeXtro nIXe LVthere Deo.

Et ſe operi tanto intereſſe ipſe Deus conteſtatus eſt. Hoc enim ipſo anno, qui eſt poſt milleſimum quingenteſimus decimus ſeptimus, tribus Saxoniæ principibus, *Friderico*, *Johanni & Johanni Friderico*, media nocte, in feſto nativitatis Chriſti, Vinariæ *crucem ſanguinei coloris lucidiſſimam*, in ſudo & ſereno cœlo conſpiciendam, tanquam teſſeram evangelii à ſordibus pontificiis repurgandi, exhibuit, ut aſſerit *Jobus Fincelius*: Romam autem eo die, quo Leo XXXI. Cardinales creabat, & multa aureorum millia ab iis corradebat, tanto impetu concuſſit, ut *ingenti fulminis & tonitrui tempeſtate templum, in quo ſacra peragebantur, feriret, & ſculptus puerulus è gremio effictæ Mariæ virginis, clavesque è manibus Petri exciderent.* Hoc omen multi Romanorum interpretabantur portendere ruinam ſedis Romanæ, inq; eam acerba ſcripſerunt carmina. Prodit ergo Lutherus non ſaltem in univerſitate doctor & profeſſor, ſed & in eccleſia presbyter, &, ceu jam anno cIↃ IↃ XVI. (quo ipſo *opus Complutenſe Biblicum* in Hiſpania editum eſt) contra ſcholaſticorum ſententiam de libero arbitrio, meritis operum & traditionibus humanis theſes affixerat & defenderat, nunc tandem primum *concionibus*; poſt *XCV. theſibus* publice ad templum, quod arci contiguum eſt, pridie feſti omnium ſanctorum affixis, impiam indulgentiarum nundinationem, quam audiebat in oppido Juterbocco, trium tantum milliarium ſpatio Witteberga diſtante, à Tezelio adornari, improbavit. Credebat vir pius, ſuis adverſus clamores indulgentiarum commonefactionibus ſe gratiam apud pontificem initurum, præſertim quia in actis eorum immodeſtiam damnaverat: & propterea ad *Moguntinum archiepiſcopum*, ut & ad *Hieronymum*, *Ordinarium* loci, epiſcopum Brandeburgenſem, ſcripſit, ut compeſcerent impudentiam quæſtorum, qua jactabant: *ſecuros eſſe poſſe de ſalute, quicunque literas indulgentiarum redimerent: animas de purgatorio ſtatim evolare*

Paul. Langius in Chron. Cizenſi circa fin. Jacob. Font. lib. I. Hiſt. Eccl. Laur. Surius in App. ad Naucl. Tom. 2. col. 566. Polyd. Vergil. lib. 8. de Rer. Invent. cap. 4. p. 492. Petr. Suavis lib. 1. Hiſt. Concil. Trid. p 5. Gerh. in Confeſſ. Cathol. loc. cit. p. 165.

lare, cum in ciſtam tributum eſt: tantas enim eſſe has gratias, ut nullum ſit adeo magnum peccatum, etſi quis matrem Dei violaſſet, quin poſſit ſolvi; hominem per indulgentias eſſe ab omni pœna & culpa liberum. Ipſe vero demonſtrabat, *indulgentiis prorſus nihil boni conferre animabus ad ſalutem & ſanctitatem, ſed tantummodo pœnam externam, olim canonice imponi ſolitam, auferre: iisdem opera pietatis & charitatis in infinitum eſſe meliora: quæ tamen illi, propter venias prædicandas taceant.* Conciones etiam de indulgentiis & pœnitentia typis edebat, & ad ipſum papam Leonem literis miſſis luculentas XCV theſes de indulgentiarum virtute edidit, totidemque reſolutionibus eas declaravit. Tezelius, veritus, ne ampliſſimus ſibi proventus adimeretur, (in ſingulos enim menſes præter victum & amictum loco ſalarii accipiebat XC. florenos, & a tribus equitibus comitatus, ſplendido curru vehebatur) cum ipſe ob ingenii ruditatem non poſſet, per *Conradum Wimpinam*, theologum Francofurtanum, duas diſputationes pro indulgentiis conſcribi curavit, iisque ſuo nomine emiſſis, non jam conciones, ſed fulmina in Lutherum, tanquam hæreticum igne perdendum, contorſit, theſesque ejus in flammam conjectas cremavit. Studioſi viciſſim Wittebergæ theſes Tezelianas publice igne cremaverunt: & ipſe Tezelius poſt biennium Lipſiæ diem obiit. Interim Lutherus propoſitiones ſuas defendere: triarii curiæ Romanæ contraniti: *Eccius* imprimis, profeſſor & procancellarius Ingolſtadienſis, obeliſcos, aſteriſcis Lutheri dignos, edere: Illi ſuccenturiati fratres Dominicani, *Silveſter Prierias*, Pedemontanus, ordinis prædicatorum, & *Jacobus Hogoſtratus*, ille palatii Romani magiſter, hic fidei inquiſitor, in aciem deſcendere. Sed Lutherus, certamine utrinque incaleſcente, cum adverſarii autoritatem pontificiam & conſenſum ſcholaſticorum, tanquam fidei fundamentum, allegarent; Hogoſtratus etiam, aliis rebus rationibusque relictis, pontifici autor eſſet, ut ferro flammaque uteretur, ſalſe riſit ſanguinariorum hominum ſilveſtres nugas & imperitiam, monuitque, *ut ita pergerent: hoc enim imprimis ad veram gloriam comparandam conferre, cum quis ab indoctis & vitioſis improbatur.* Et hoc quidem modo ſanguinolentum Hogoſtrati ſcriptum excepit. Cæterum ſcholaſticorum autoritatem prorſus elevavit & rejecit: poteſtatem pontificis, de quo hactenus non niſi modeſte loquebatur, ſcripturæ & generali concilio legitime congregato ſubjecit, deque remiſſione peccatorum, pœnitentia & purgatorio, ſaniorem jam amplexus ſententiam, cum ultimo Silveſtri ſcripto

nimis

nimis impio laceſſitus eſſet, jam tandem non eſſe dubium dixit, ſi pontifex & cardinales cum Silveſtro idem ſentiant: *Romam eſſe ipſiſſimam ſedem Antichriſti: felicem Bohemiam, & omnes, qui divortium ab ea fecerint; miſeros autem, qui cum ea aliquid commune habeant.* Memorabile eſt, quod, cum primum hæ diſputationes cœpiſſent, Lutherus, voluntate electoris, Heidelbergam anno ſeculi XVIII. ſe contulit, ut ſuam ſententiam probaret theologis illius Academiæ. Ibi inter alia defendit, cum applauſu omnium, ipſiusque Wolfgangi Palatini, *legem Dei, ſaluberrimam vitæ doctrinam, & opera hominum, non poſſe ad juſtitiam promovere: liberum arbitrium poſt peccatum, rem eſſe de ſolo titulo, &, dum facit, quod in ſe eſt, peccare mortaliter: hominem de ſe penitus deſperare debere, ut aptus fiat ad conſequendam gratiam Chriſti.* Memorabile & hoc eſt, quod, cum his ipſis temporibus papa decimas à clero Hiſpanico ſub prætextu belli Turcici poſtularet, ille eas negaverit, quia, ipſo Spondano ex Petro Martyre Anglerio ad annum 1518. teſtante, non ſentirent ea vera eſſe, quæ pontifex promulgaret: occaſiones eſſe quæſitas, non præbitas, quibus ſub juſti nomine pecunias extorqueret. Gerh. l. cit. cap. 8 p 176. & ſeq.

XVII. *Quid interim Cæſar? quid Papa, cum rebus hunc in modum exacerbatis certamen utrinque incaleſceret?*

Thomas de Vio, cardinalis Cajetanus, Leonis in Germania legatus, circa hæc tempora in comitiis imperii Auguſtanis, quibus archiepiſcopum Moguntinum juſſu pontificis renunciarat cardinalem, literis ſui pontificis juſſus eſt Lutherum, additis cuſtodibus, Romæ ad dicendam cauſam, vel potius ad ſupplicium ſubeundum, ſiſtere. Hunc ipſum etiam in finem *Hieronymus de Genutiis*, epiſcopus Aſculanus, auditor cauſarum Cameræ, in Germaniam venerat, ut & Lutherum Romam evocaret, & Fridericum electorem, ne ejus patrocinium ſuſciperet, commonefaceret. Sed interventu academiæ Witebergenſis & electoris impetratum eſt, ut de cauſa ejus in Germania potius coram Cajetano, quam Romæ coram papa cognoſceretur. Cumque in ſocietate Wenceslai Linkii, Norimbergenſis presbyteri, Auguſtam veniſſet, & fide publica illi cautum eſſet, Cajetanus bis quidem Auguſtæ cum eo deſcendit in colloquium: ſed intellecta herois conſtantia & animoſitate, ſolidis ſcripturæ teſtimoniis ſuffulta, quem prius ad palinodiam blandis verbis invitaverat, minis adjectis dimiſit increpitum. Ille ſine ſtrepitu Sleidan. lib. 3. Hiſt. p. 53. Oſiand. Cent 16. lib. 1. cap. 29. p. 75. Danh. in vita Lutheri cap. 10. §. 2.

Auguſta diſcedens, modeſtiſſimis literis de indulgentiis promiſit ſilentium, ſi eadem conditione adſtringantur adverſarii: & appellavit à papa male informato ad melius informandum. Sed cum non ceſſarent ſe invicem laceſſere, odia intumuerunt, & *pontifex*, exeunte an. CIↃIↃXVIII. *dignitatem indulgentiarum novo adſtruxit diplomate*. Mitior autem aura cœpit afflare Lutherum, cum ineunte anno ſeculi XIX imperatore Maximiliano defuncto, *Fridericus elector Saxoniæ* vicariatum imperii adiret, & ita furoribus adverſariorum aliquamdiu modus poneretur: præſertim cum elector nec minis bullæ damnatricis in Lutherum, nec blanditiis aureæ roſæ à pontifice per Carolum Miltitium miſſæ, à ſtudio veritatis cognoſcendæ dimoveretur. Circa illud tempus *Georgius, dux Saxoniæ*, curavit, ut Lutherus, quem Dreſdæ antea concionantem audierat, aſſociato ſibi Caroloſtadio, *Lipſiæ* adeſſet, & cum *Joh. Eccio Svevo*, profeſſore Ingolſtadienſi, de capitibus fidei controverſis diſputaret. Acta diſputationis extant *in 1. tomo Lat. Jen.* Cum ſcriptis poſtea ſe invicem diſputatores laceſſerent, nec Lutherus ceſſaret interea utiliſſimos ad praxin pietatis libros edere, nempe *commentarium in decalogum & epiſtolam ad Galatas, alioſque ſermones & homilias*, & in ſchola præterea *epiſtolam ad Romanos & Hebræos* explicaret: pontifex tandem, ab Eccio, Romam profecto, inſtigatus, ad XVII. Cal. Jul. anno CIↃ IↃ XX. ei ad dicendam Romæ cauſam diem dixit, libroſque ejus ad ignem damnavit, tanquam XLI. erroribus ſcatentes. Qua de cauſa etiam theologi *Lovanienſes & Colonienſes* libros Lutheri publice combuſſerunt. Et quia ſic papa Lutherum à communione Romanæ eccleſiæ excluſit, ille, qui hactenus ſe membrum ejus confeſſus fuerat, & tantum reformationem abuſuum flagitaverat; jam autem à papali eccleſia vi abſcindebatur: licitam ſibi putavit reformationem, quam pontifex negaverat. Unde patet, calumniam eſſe, quando pontificii clamant, *Lutherum à communione eccleſiæ Romanæ temere ſeceſſiſſe*. Nam non tam ſeceſſit, quam nullo jure excluſus eſt, cum ejus ſuperſtitionem & falſas doctrinas non probaret. Diviſionis igitur & ſchiſmatis inter eccleſias occidentales cauſa, non tam eſt Lutherus & eccleſiæ Auguſtanæ confeſſionis, quam pontifex, ejuſque curia: quia, dum excommunicavit Lutherum, ſchiſmatis autor extitit, eccleſias diviſit, & rectius ſentientibus jus ſegregandi ſe & à communione Papatus abſtinendi eſt largitus. Interim tantum abfuit, ut Lutherus tyrannidem papæ penſi haberet, ut potius variis libris emiſſis, & denuo provocatione ad concilium interpoſita, tandem Bullam Leonis, doctis prius notis confutatam, cum univerſo

de-

decretorum pontificalium codice, ſolemni ritu cremaret: primatum papæ variis hactenus artibus quæſitum everteret: calicem euchariſtiæ laicis reſtitueret: enumerationem peccatorum in confesſione abrogaret: vota monaſtica improbaret, nec cenſuram Lovanienſium & Colonienſium academicam quicquam curaret: tamen *Ambroſio Catharino Politiano* felix adverſarius. Nam cum ille *Silveſtrem Prieratem* defendendum ſuſcepiſſet, quinque editis libris de pontificis dignitate, etſi prolixe à Luthero confutabatur, archiepiſcopatum tamen loco mercedis accepit. Quam ſortis felicitatem *Johannes Faber* etiam expertus, epiſcopus Viennenſis impii calami beneficio factus eſt, ut recte facetus *Eraſmus*, *pauperem ac tenuem Lutherum multos locupletaſſe*, *dixerit*. Idem interrogatus à Friderico Saxoniæ electore de Luthero, ab ironia exorſus, *duo magna Lutheri peccata eſſe dixit, quod ventres monachorum & coronam papæ attigiſſet: & poſtea ſubnexuit, juſte taxare eum errores & emendationem eccleſiæ poſcere: ſed lenitatem ſe in eo deſiderare*. Inſurrexerunt etiam in illum *monachi Juterboccenſes* & alii. *Epiſcopus* quoque *Miſnenſis* publico edicto ſcripta ejus damnavit. Sed ſemper robuſtior novis hoſtibus apparuit. Interim *Carolus V.* ad imperii axioma poſt Maximilianum evectus, auguſtalia induerat. Ad illum ſtatim, ut & ad archiepiſcopum Moguntinum, atque ad Adolphum, Martisburgenſem epiſcopum, ſupplicibus literis miſſis petiit, ne inauditus damnaretur, nec ſolis adverſariorum calumniis aures paterent: librumque ſimul egregium edidit *de libertate Chriſtiana*, quo luculenter demonſtrabat, ſola nos fide ſine operibus ſalvari, & vere à peccatis & damnatione liberari: in hac tamen libertate Chriſtianos non debere eſſe otioſos, aut male vivere, ſed operibus bonis, ſine ſuperſtitione tamen, nulla in illorum meritis poſita fiducia, neceſſario ſtudendum eſſe. Hunc librum ipſi *Leoni X.* inſcripſit, eidemque demonſtravit, ſe, dum de verbo Dei contentio eſt, nihil de perſona ejus male cogitaſſe; quin potius optima illi velle contingere in æternum: ſedere illum, ut agnum, in medio leonum, & curiam ejus Romanam quavis Babylone & Sodoma eſſe corruptiorem: par eſſe, ut non adulatores, ſed qui meliora ſuadent, audiantur. Edidit etiam paulo poſt eximium librum *de captivitate Babylonica eccleſiæ*: inq; eo conteſtatus, ſe, qui antea indulgentias non penitus rejiciendas cenſuerat, nunc rectius eas cenſere adulatorum Romanorum eſſe nequitias, & papatum eſſe robuſtam Romani epiſcopi venationem. Expoſuit ſimul *ſuam doctrinam de Sacramentis*, & monſtravit, quot modis per impiam tyrannidem

ſacramenta in abuſum trahantur. Edidit etiam prolixum librum, pia prudentia *ad Chriſtianam nobilitatem per Germaniam* conſcriptum, in quo initio tria Romanenſium propugnacula conculcabat, quorum *primum* eſt contemtus poteſtatis politicæ, quam ſtatui eccleſiaſtico ſubjecere; *alterum*, ſcripturæ explicatio è cerebro pontificis petenda: *tertium*, ejusdem pontificis ſupra concilii autoritatem evectio. Deinde monſtrabat, quid in conciliis ſit tractandum, quamque variis technis papa divitias mundi Romam ad ſe pertrahat. Tandem conſulebat in medium, quomodo eccleſiæ ſtatus ſit emendandus: & XXVII. articulis totidem curiæ Romanæ artes, quibus Chriſtiano orbi imponit, convellebat. Interea Cæſar anno XXI. *in comitiis Wormatienſibus*, impulſu *Marini*, *Alexandri & Caraccioli*, oratorum pontificiorum, nec reluctante Friderico electore, Lutherum, ſecuritate ei denuo publica fide præſtita, per Caſparum Sturmium caduceatorem, *evocat Wormatiam:* ubi Eccius & complices graviter in conſeſſu principum Lutherum accuſaverant. Ille, plurimis iter exemplo Huſſi diſſuadentibus, ſe, ſi vel tot inſurgant dæmones, quot in tectis ædium cernantur tegulæ, nihil morari univerſum Stygis cœtum, magno animo dixit, & coram Cæſare, frequentique principum conventu, à ICto Eccio de ſcriptis editis, & *an, quæ ſcripſiſſet, omnia vellet propugnare*, rogatus, *libros quidem pro ſuis cognovit:* quum autem eorum *alii* fidei & pietatis doctrinam contineant, *nonnulli* pontificiorum errores reprehendant; *reliqui* in quosdam privatim ſcripti ſint; nec *illos* ſe retractare poſſe reſpondit, ſi vellet viri boni officium tueri; nec *iſtos*, quia tyrannidem papæ immenſam nolit ſtabilire; nec *hos* denique, quum vehementia ſua non ſit, niſi ob defendendam fidei doctrinam, adhibita. Quin &, cum, volente id Cæſare, *Richardus*, *archiepiſcopus Trevirenſis*, *Joachimus elector Brandenburgenſis*, & nonnulli alii principes & epiſcopi, ad hanc rem delecti, privatim illum per Væum, ICtum, Badenſem Cancellarium, adhortarentur, *ut arbitrium de ſe, totoque negotio, Cæſari Ordinibusque permitteret:* negavit ſe id facturum, *niſi ex verbo Dei judicaretur: quo judice ſi concilium cogeretur, ei ſe ſubmiſit: cæteroquin certum eſſe de doctrinæ ſuæ veritate judicium ex illo Gamalielis reſponſo ſumendum, quo conſilium dixerat, quod eſt ex hominibus, facile diſſolutum iri; quod ex Deo eſt, diſſolvi non poſſe.* Eadem conſtantia uſus eſt, cum denuo Væus, & cum eo *Peutingerus*, JCti, nomine principum & epiſcoporum eum convenirent, ut Cæſari & Ordinibus poteſtatem de libris editis judicandi deferret. Facta tandem eſt ei diſcedendi facultas, & dies

dies XXI. ad redeundum dati. Diſcedentem Cæſar, *tanquam dæmonem ſub humana ſpecie, vel phreneticum*, edicto publico proſcripſit: quod apud Goldaſtum & Bzovium verbotenus legi poteſt. Ideoque in ſuum *Patmum, arcem nempe Wartburgenſem*, prope Iſenacum, provido nonnullorum conſilio interceptus, deducebatur, ubi per decem menſes delituit, & pluſculos libros conſcripſit, interque eos tractatum *de confeſſione, de votis monaſticis, de Miſſa; explicationem etiam evangeliorum & epiſtolarum dominicalium.* Witebergæ interim Auguſtiniani fratres *Miſſam privatam abrogarunt*, ejusque facti luculentas rationes electori dederunt.

XVIII. Sic igitur jam bis in comitiis publicis cauſam ſuam Lutherus egit: &, quanquam ſcriptura ſacra non potuit, edictis tamen Cæſareanis & pontificiis condemnatus eſt.

Damnatus etiam eſt à *Sorbonistis*, theologis Pariſienſibus, quorum autoritas ſemper fuit maxima. Quin & *Henricus, rex Angliæ*, librum adverſus ejus tractatum de captivitate Babylonica ſtylo conſcripſit virulento, cumque per oratorem ſuum pontifici in purpuratorum conſeſſu exhibuit, eaque opera ita placuit, ut titulo *Defenſoris fidei* papali diplomate ornaretur, & quicunque librum regis legerent, X. annorum & totidem Quadragenarum indulgentia bearentur. Dubitatum tamen eſt, fueritne ipſe rex adoleſcens libri, qui exercitati theologi videri poterat, autor, an alter ſub nomine regis. *Mauritius* etiam, *epiſcopus Wormatienſis*, calamum in eum ſtrinxit. *Georgius dux Saxoniæ*, infeſtiſſimum ſe eidem præbuit. *Eraſmus* quoque *Roterodamus* ſe illi nunc demum libro de libero arbitrio oppoſuit. Huic aſſociarunt ſe *Latomus, Lovanienſis Magiſter*, ab eruditione celebris, & *Hier. Emſerus, profeſſor Lipſienſis.* Sed nec regii ſplendoris nomine, nec epiſcoporum & ducum autoritate perterritus, pari vehementia & verborum acerbitate, ſumma tamen modeſtia attemperata, reſpondit. Et quidem *cum rege Angliæ ſic egit*, ut, cum initio duo crimina ipſi eſſent objecta, quod ſæpius ſibi eſſet contrarius, & quod pontificem & eccleſiam convitiis inſectaretur, *inter res, de quibus ſcripſit, diſtingueret*: quarum *aliquæ* in ſacris literis docentur, ut de fide, ſpe, charitate; *aliquæ* ſunt extra illas, ut de papatu, indulgentiis, purgatorio, Miſſa. *In illis* aiebat ſe ſemper eadem docuiſſe: *in his* fatebatur ſe initio non ſatis turpitudinem Papatus intellexiſſe, & tandem, cum deprehen-

Oſiand. Cent. 16. lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 31. p. 81. Luth. Tom. 1. Lat. Jen. pag. 496. Melanchth. Reſp. ad Colon. Tom 2. oper. pag. 93. Dannh. in Vita Luth. cap. 9. §. 16. p. 66.

hendiſſet, totum regnum papale eſſe mera portenta & mendacia, ipſamque abominationem in loco ſancto ſtantem, coactum ſeſe eſſe, quædam ſuorum retractare, ſicubi bona de Papatu & de iis, quæ extra Scripturam docentur, ſcripſiſſet. *Porro* demonſtrabat, ſe recte agere, quod pontificem, cum ſua eccleſia in reprobum ſenſum datum, non molliter, ſed, ut meruit, tractet: ſic vehementem fuiſſe Chriſtum, prophetas & apoſtolos in impios. *Tandem* totum regis librum, quia nulla ſcripturæ autoritate, ſed tantum uſu & conſuetudine hominum confirmarit aſſerta, ineptum eſſe cenſebat, & in ſpecie erroribus de indulgentiis, Papatu, Sacramentis convulſis, nullius hominis ſplendorem apud ſe in quæſtionibus fidei quicquam valere ſignificabat. Ita conviciantem regem reſponſo heroico excepit. Id ægre tulere in Anglia *epiſcopus Roffenſis, Joh. Fiſcherus, & Thomas Morus Cancellarius, ſub nomine Guilhelmi Roſſæi*, & regem conati ſunt à maſculis Lutheri telis defendere. Idem egere in Germania *Eccius, Murnerus, Dietenbergius.* Sed nihil animo concidens, ſemper erectior, libros ejusmodi ſubinde edidit, quibus nervi omnibus hoſtibus eadem opera incidebantur, nempe *de poteſtate ſeculari: de matrimonio: de magiſtratu: de falſa caſtitate vitanda ad equites ordinis Teutonici*: ſimulque conſuluit emergenti ex abyſſo abominationum Babylonicarum eccleſiæ variis libris, *ut de inſtituendis miniſtris eccleſiæ ad S. P. Q. Pragenſem: formula Miſſæ & communionis pro eccleſia Witebergenſi: formula baptiſandi & ordinandi: de adoratione panis euchariſtici ad Waldenſes fratres in Bohemia & Moravia: de juſtis cauſis clauſtra monaſtica deſerendi: de poteſtate cujusvis eccleſiæ in dijudicanda doctrina: de vocandis presbyteris: de erigendis ſcholis: de mercatura recte tractanda.* Subſequenti etiam tempore ab amicis in ſpem adductus, fore, ut *rex Angliæ*, ſi humaniter tractaretur, veriorem amplecteretur doctrinam, ſemiſſe admodum ad eundem ſcripſit, *ut apud Sleidanum* videre licet. Sed rex more ſolito aſpere reſcripſit, Luthero interim graviter dolente, quod humaniore ſcripto, quod amicis ſuadentibus conſignaverat, ferociorem hoſtem reddidiſſet. Nihil tam bilem ei movit, quam quod, dum in ſuo Patmo deliteſcebat, *Caroloſtadium* furere, ſtatuas templis ejicere, & ſectæ anabaptiſtarum, qui cum Deo ſibi colloquia eſſe fingebant, accedere intelligeret. Rediit igitur Witebergam ex eremo, & quidem non revocatus rediit, ſuiq; conſilii cauſas ad Fridericum electorem luculentas expoſuit: & nunc tandem *cæleſtes prophetas* (ſic anabaptiſtas vocavit) *Zwinglium, Schwenckfeldium, & alios Sacramentarios*, tanquam falſos fratres, nactus adverſarios, non niſi plurimis ſcriptis eorum

eorum pertinaciam retundere potuit,& vix quidem potuit. Interea temporis Leone X. ſub fine anni XXI. defuncto, conquieverat aliquamdiu Romæ Lutheranum negotium, cum de novo pontifice *Hadriano VI.* non ſine longiori VII. menſium mora interpoſita,ex Hiſpania in Italiam transfretante,nemo non eſſet ſollicitus. Et ille quidem,etſi nihil penſius habebat, quam religionis diſſidia in Germania componere, cum tamen Italiam ſævis bellorum fluctibus agitatam,Rhodum à Turcis occupatam,patrimonium eccleſiæ exhauſtum, & cardinales factionibus divulſos videret: ante omnia Romanæ curiæ reformationi,quam animo deſignaverat, operam eſſe navandam exiſtimavit. Sed tantis in prima de hac reformatione conſultatione diſtrictus & impeditus fuit difficultatibus, ut fateri cogeretur, *miſeram eſſe pontificum conditionem, quibus deſit recte faciendi facultas, etiam cum maxime velint.*

XIX. Hadrianum pontificem in ſuo genere ſatis laudabilem deſcribis: utinam etiam conſtantem!

Cum ſtudium reformationis in animo ejus deferbuiſſet, vel potius inde vi quadam evulſum eſſet, *Cheregatum*, epiſcopũ Fabrianenſem miſit, qui *Noribergæ in comitiis*, anno XXII. celebratis, nuncium ageret, & edicti Wormatienſis, ut & decreti pontificii executionem contra Lutherum proſcriptum ſeptem imprimis rationibus urgeret. Per *Hieronymum Rorarium* quoque, ſuum cubicularium, ad Fridericum electorem dedit literas,ut ad premenda veſtigia majorum, in defendenda eccleſia Romana, eum adhortaretur. Elector literas illas ſuſq; deq; habuit. Principes vero, Noribergæ in comitiis congregati, cum audiiſſent, nuncium quidem ingenue hanc rerum perturbationem peccatis ſacerdotum & præſulum adſcribere, ultro confeſſum, Romæ etiam abominanda quæq; eſſe perpetrata, omnia tamen ad ſolam amuſſim utilitatis curiæ Romanæ, non autem ad modulum neceſſitatum Germaniæ metiri, *concilium pium, liberum & Chriſtianum, de aſſenſu imperatoris, in urbe aliqua Germaniæ*, quam ocyſſime celebrandum, depoſcunt: & adverſus curiam Romanam & univerſum ordinem eccleſiaſticum querimoniam inſtituunt, *deq; injuriis nationi Germanicæ illatis centum gravamina* Romam mittunt, quæ *ad tria capita generalia* redegerant: *quod* nempe pontifices & ſacer ordo graviſſima ſervitute populum premerent, *quod* Germaniam facultatibus exſpoliarent, *quodq;* juriſdictionem magiſtratus ſecularis ſibi vendicarent. Et feſtivum eſt, quod, cum pontificis legatus *malorum omnium remedia non ſimul eſſe tentanda, ſed pedetentim eſſe procedendum* dixerat, Lutherus id ſic accipiendum

Sleid. lib. 3. Hiſt. pag. 73. ſeq & lib. 4. pag. 75. & 76.

endum eſſe cenſeret, *ut ſinguli pedes atq; paſſus intervallum habeant aliquot ſeculorum.* Decretum comitiorum Noribergenſe hoc tandem tenore prodiit, *ne Lutherani libros emitterent aut excuderent, utque concionatores per univerſam Germaniam, ea reticentes, quæ turbis ciendis ſerviant, ſanctum Dei evangelium pure, ſecundum doctrinam ab eccleſia approbatam, pro concione docerent, diſputationibus omnibus ad concilii notionem reſervatis.* Sed cum nihil minus, quam edictum hoc, obſervaretur, & conventus principum denuo anno XXIV. Noribergæ haberetur, *Clemens VII.* (nam Hadrianus interim vita exceſſerat) eo nuncium miſit *Laurentium Campegium,* S. Anaſtaſiæ Cardinalem, qui tanquam re integra procederet, nec quicquam, quod Hadrianus egiſſet, attenderet. Hic eſt ille Campegius, *qui multo eſſe gravius peccatum dixit, ſi ſacerdotes fiant mariti, quam ſi plurimas domi alant meretrices*, ut teſtatur *Sleidanus libro 4. Comm.* Tantus igitur conjugii & veræ ſanctitatis oſor edictum Wormatienſe contra Lutherum urget: cleri per Germaniam reformationem pollicetur: ſed de curiæ Romanæ abuſibus corrigendis, deque gravaminibus amoliendis, quæ hactenus ab eccleſiaſtico ordine Germania ſuſtinuerat, altum premit ſilentium. Ideoque novum decretum conventus Noribergici ad XVIII. diem Aprilis prodit, *ut pontifex primo quoquo tempore de aſſenſu Cæſaris liberum concilium in Germania indicet: ut viri pii & docti, qui colligant, quæ diſputanda ſint in collegio, congregentur: ut magiſtratus curent evangelium juxta doctrinam ſcriptorum probatorum prædicari: ut picturæ ignominioſæ & libelli in opprobrium curiæ Romanæ facti prohibeantur: ut denique ad XI. Novemb. Spiræ conveniant Ordines, deliberaturi, quid ſequi oporteat interim, dum concilii fiat initium.*

XX. Num imperator & epiſcopi in hæc principum decreta conſenſere?

Joh. Sleid. lib. 4. Hiſt. p. 83. ſeqq. Oſiand. Cent. 16 lib. I. cap. 35. p. 94.

Diſcedentibus à conventu Noribergico principibus, Campegio ſollicitante, duces Bavariæ & epiſcopi cum Ferdinando, Cæſaris fratre, *Ratisbonæ* conveniunt, & edictũ Wormatienſe executioni mandari, in Miſſæ celebratione nihil immutari, monachos ordinis deſertores ſevere puniri, & Campegii conſtitutionem, de reformatione cleri Germanici, deque leviculis quibusdam ceremoniis, XXXVII. capitibus comprehenſam, recipi jubent. Etſi autem principes ægre ferebant, legatum pontificium paucorum interventu id, quod ad omnes pertinet, decreviſſe, &, neglectis iis, quæ maximi eſſent momenti, de leviſſimis quibusq; emendandis cogitaſſe: Cæſar tamen, acceptis Noribergenſium Ordinum placitis,

citis, vehementer commotus, literis ex Hiſpania miſſis graviter principes increpabat, quod, ſe inconſulto, tantam rem egiſſent: & conventum Spirenſem, quem decreverant, omnino inhibebat, quin potius edicto Wormatienſi omnes parerent, ſevere imperabat. Paulo tamen poſt, cum motus ſerviles ab agreſtibus Germaniæ incumbere perſentiſceret; à Turca etiam grave periculum impenderet: conventum *Auguſtæ Vindelicorum* indixit. Eo cum pauci venirent, novo conventui in annum XXVI. *Spira* deſignatur. Ibi cum res ad tumultum & civilis belli metum ſpectaret, eccleſiaſticis decretum Wormatienſe urgentibus: Ferdinandus, frater & legatus Cæſaris, decreti rigorem ſic attemperavit, *ut interea, donec nationale vel œcumenicum concilium haberetur, omnes in ſua provincia & juriſdictione ſeſe ita gererent, ut Deo & Cæſari facti ſui rationem reddere poſſent.* Qua ſerenitate evangelici quodammodo recreati, *initium fœderis* fecerunt, ut, ſi quem evangelii cauſa periclitari contingeret, mutua ſubminiſtrarentur auxilia. Hoc fœdere niſi anno XXVIII. militem contra pontificios ſcripſerunt, decepti ab *Ottone Paccio*, poſtea Antverpiæ ob falſam delationem in fuga decollato, qui Lantgravio obtulerat exemplar fœderis pontificii, in perniciem omnium Lutheranorum facti, promiſeratque, ſe αὐτόγραφον etiam allaturum. Has turbas Palatinus & Trevirenſis ſanis conſiliis ſedavere. Atque ſic arma poſita ſunt. Interea temporis Italia maximis motibus concuſſa eſt. Nam cum *Clemens pontifex* cum principibus Italiæ & rege Galliæ, Franciſco I. jam è captivitate liberato, (ad Ticinum enim à Cæſaris copiis captus, & poſtmodum, obſidibus datis, dimiſſus fuerat) fœdus, ceu vocavit, ſanctiſſimum contra imperatorem optime de ſe meritum iniret: Columnii & Neapolitani, partes Cæſaris ſequentes, collecta manu, XX. Septembris anno XXVI. Romam occupavere: Vaticanum, & D. Petri baſilicam, & tertiam ſuburbii novi partem diripuere: nec prius Papam, qui in Hadriani molem profugerat, vexare deſiere, quam inducias pactus, Mediolano copias revocaret. Quamprimum autem Roma exierant, fulmina pontificia in eos vibrata ſunt. Cæſaris igitur exercitus, in quo XIII. millia & amplius Germanorum Lutheri dogma ſequebantur, violatas obtendens inducias, ductoribus prorege Neapolitano, *Carolo Borbonio Gallo*, exule, & *Georgio Franisbergo ſeu Fronſpergio Germano*, verſus Romam contendit. Ibi licet Clemens Papa cum Prorege Neapolitano inducias VIII. menſium paciſceretur, Columnios à diris exſolveret, & LX. aureorum millia promitteret: Borbonius tamen, nec hac re, nec Fronsbergii morbo apoplectico deterritus, ſexto die Maji, anno XXVII. urbem

aggreditur, & perimitur quidem, glande plumbea trajectus: ſed nihilominus urbs denuo capitur, injuriis militum exponitur, diripitur, cardinales & præſules indigniſſime habentur, Clemens in Hadriani mole ſeu arce S. Angeli tanquam captivus detinetur, nec niſi elapſis totis VI menſibus, dimittitur: hac tamen lege, ut ne in Mediolanenſi aut Neapolitano negotio Cæſari ſe opponat, ſed potius, ut reditus aliquos eccleſiaſticos ei concedat. Hanc cladem prædixerat vir quidam pauperculus, *Johannes Baptiſta*, qui Romam circumiens, pœnitentiam prædicavit, & urbis calamitatem prædixit: cumque in carcerem eſſet conjectus ob parrheſiam tantam, à Cæſaris tandem exercitu liberatus eſt.

XXI. *Miram rerum metamorphoſin narras! Papa evangelicos videbatur oppreſſurus, & ipſe exitio propior, quam reliqui omnes, factus eſt. Sed perge filum hiſtoriæ hujus contexere.*

Sleid. lib. 6. Hiſtor. ad A. 1529. p. 160. Thuan. lib. 1. pag. 59. Oſiand. Cent. 16. lit. 2. cap. 9. pag. 131.

Carolus V. comitia *Spiræ* anno XXIX. indixerat. Eo miſit pontifex *Johannem Thomam Mirandulanum*, qui in diſſociandis evangelicis ſtrenuam navavit operam. Cumque à ſuperioris Spirenſis conventus edicto, quo ſua cuique religio usque ad concilium permittebatur, novo decreto facto diſcederetur: *elector Saxoniæ* cum quinque principibus, *Georgio Brandenburgico, Erneſto & Franciſco Luneburgenſibus, Landgravio & Anhaldino*, & præterea *XIV. civitatibus*, à Spirenſi hoc decreto ad Cæſarem, ad futurum concilium, ſive generale ſive nationale, ad omnes denique judices non ſuſpectos provocavit, & novum illud decretum, legatis etiam in Italiam miſſis, deprecatus eſt. Hinc nomen PROTESTANTIUM enatum eſt. Interim Carolus imperator ex Hiſpaniis in Italiam, anno XXIX. exeunte, reverſus, Bononiæ totos IV. menſes ſubſtitit, & coronam imperii à pontifice ſuſcepit: qui omnibus nervis hoc agere viſus eſt, ut Cæſarem à concilio indicendo averteret: *eſſe enim longe optimum, factuque facillimum, vegeto edicto, abſolutoque imperio, hos turbarum fluctus componere, & ad vim atque arma potius decurrere, quam licentiæ populari, magnatum ambitioni, atque hæreſiarcharum contumaciæ frenum laxare.* Etſi autem multis gravium verborum ponderibus hanc truculentiam ſenex juveni perſuadere voluit; ille tamen ut obtineret concilium, tam prudenter, tamque animoſe omnes ejus rationes oratione extemporanea confutavit, ut raram prudentiam in nobili illo Cæſaris pectore nemo

nemo non miraretur, *uti videre eſt in hiſtoria Auguſtanæ confeſſionis Chytræi.* Qui vero ab initio, in concilii cogendi negotio, à ſua ſententia dimoveri ſe non paſſus eſt; tandem tamen promiſit, *ſe ſeveritate uſurum, ſi lenitate ad gremium eccleſiæ Romanæ principes non poſſet retrahere.* Indixit igitur ad VIII. April. anno XXX. *auguſtiſſima Auguſtæ comitia*, cum diſſidii in religionis negotio componendi gratia, tum propter Turcicam expeditionem procurandam.

XXII. Suntne hæc illa comitia, in quibus Auguſtana confeſſio exhibita eſt?

Sunt ſane. Et quidem *Proteſtantes* ex XVII. articulis, à Luthero conſcriptis, per Philippum Melanchthonem, *confeſſionis formam* conficì curaverant, quæ duabus conſtat partibus. *Prior* capita doctrinæ XXI. complectitur, cui dixerunt Proteſtantes nihil ineſſe, quod diſcrepet à ſcripturis, ab eccleſia catholica, aut etiam à Romana eccleſia, quatenus illa ex ſcriptoribus nota eſt. *Altera* VII. abuſus & errores, qui in eccleſiam ſine certa autoritate irrepſerant, repudiat. *Doctrina Proteſtantium* multis hactenus calumniis à mancipiis papæ erat onerata. Par igitur erat, ut imperatori & ordinibus rationem fidei redderent, & ſe à ſuſpicione hæreſium & fanaticarum opinionum purgarent. Quapropter *in I. articulo primæ partis*, contra veteres & novos hæreticos, tres in unitate eſſentiæ divinæ perſonas, cum decreto ſynodi Nicænæ, confitebantur. *In II.* peccati originalis in omnes homines propagati fœditatem agnoſcebant: ut ſepararent ſe à Pelagianis, adde ab illis in eccleſia doctoribus, quibus peccatum originale eſt tantum macula aliqua recens nati, pœna potius, quam culpa, quæ non habeat veram peccati rationem: quaſi natura poſt lapſum in ſuis naturalibus ſit pura & integra, & tantum dono aliquo ſupernaturali ſpoliata. *In III.* (*conſultum enim eſt, ſeriem articulorum Auguſtanæ confeſſionis etiam ex hiſtoria noſſe*) fidem ſuam teſtabantur de perſona & officio Chriſti: qui non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis factus eſt hoſtia: ut ita ſe ſepararent ab iis, qui Chriſtum tantum ajunt pro peccato originali mortuum, quaſi pro actualibus peccatis, eorumque pœnis, ipſi ſatisfacere teneamur. *In IV.* negabant, homines poſſe propriis viribus & meritis juſtificari, quia gratis juſtificantur propter Chriſtum, per fidem; ut reprobarent omnes, qui nec de gratia Dei, nec de merito Chriſti, nec de fide ſalvifica recte ſentiunt, quibusque Dei gratia

Sleid. lib. 7. Hiſtor. pag. 172. Chytr. in Hiſt. Saxon. lib. 13. p. 369. Thuan. lib. 1. pag. 18. Matth. Dreſſer. Millen. 6. part. 1. pag. 450. & ſeqq. Oſiand. Cent. cit lib. 2. cap. 13. à pag. 147. ad 182.

tia non eſt amor erga genus humanum & philanthropia; nec meritum Chriſti cauſa totalis atque integra ſalutis; nec fides, fiducialis apprehenſio gratiæ evangelicæ & meriti Chriſti, ſed nudus aſſenſus de illis quæ credit eccleſia; nec juſtificatio, imputatio juſtitiæ Chriſti per fidem, ſed renovatio per bona opera. *In V.* contra Anabaptiſtas fatebantur, per miniſterium verbi & ſacramentorum donari Spiritum ſanctum & fidem accendi. *In VI.* demonſtrabant, fidem iuſtificantem non eſſe ſine bonis operibus; per quæ tamen nemo poſſit juſtificationem coram Deo mereri: ut ita improbarentur, qui opera ſupererogationis audent fingere. *In VII.* confitebantur unam ſanctam eccleſiam perpetuo manſuram: congregationem nempe ſanctorum, in qua evangelium docetur, & ſacramenta recte adminiſtrantur, licet ſub ceremoniis diverſis: ut improbarentur, qui illum tantum cœtum habent pro eccleſia, in quo decreta pontificis, tanquam norma credendorum & agendorum, cenſentur, & illi econtra crederentur apoſtolicam conſtituere eccleſiam, apud quos pura doctrina ſonat, & ſacramenta rite adminiſtrantur. *In VIII.* occaſionem calumniandi illis præſcindebant, qui poſſent putare, in eccleſia illa, ubi mali & hypocritæ piis admixti ſunt, ſacramenta & verbum non eſſe efficacia, ſi per malos adminiſtrantur: ut ita probatum darent, nos adhuc veræ & antiquæ eccleſiæ membra eſſe, licet malorum & hypocritatum mores, ritus, & errores, veræ doctrinæ admixtos, deſeruerimus. *In IX.* baptiſmum agnoſcebant neceſſarium ad ſalutem, ut per quem gratia Dei ſive adultis ſive infantibus baptiſatis offeratur, contra Anabaptiſtas. *In X.* doctrinam probabant, qua contra Zwinglianes corpus & ſanguis Chriſti dicitur vere adeſſe, & diſtribui veſcentibus in cœna Domini: & ita ſimul improbabant Miſſam privatam, qua ſolus ſacerdos veſcitur; calicis uſum laicis præceptum; & hoſtiæ conſecratæ circumgeſtationem atque adorationem. *In XI.* tam contra Zwinglianos, quam contra pontificios, ſine neceſſaria omnium delictorum enumeratione, tanquam impoſſibili, ſe retinere profitebantur abſolutionem privatam. *In XII.* lapſis poſt baptiſmum, cum adſunt pœnitentes, ajebant non debere abſolutionem negari: idque tam contra Anabaptiſtas, adde Zwinglianos, qui negant, ſemel juſtificatos poſſe amittere ſpiritum ſanctum, & aliquibus impeccantiam adſcribunt; quam contra Novatianos, qui lapſis gratiam negabant: & denique contra ſcholaſticos, qui jubent gratiam mereri per ſatisfactiones noſtras, & alias partes pœnitentiæ fingunt, quam contritionem & fidem: nec contritionem definiunt

unt per terrores conſcientiæ incuſſos, agnito peccato; ſed per liberum voluntatis actum pro peccatis aſſumptum cum propoſito confitendi: fidemque negant eſſe partem pœnitentiæ. *In XIII.* damnabant eos, qui ſacramenta docent ex opere operato juſtificare, nec fidem requiri in eorum uſu: quum potius ideo illis utendum ſit, ut fides illis excitetur & confirmetur. *In XIV.* ordinem eccleſiaſticum probabant: & illum deteſtabantur, qui publice in eccleſia docet & ſacramenta adminiſtrat, niſi rite vocatus. *In XV.* ritus ajebant illos eſſe ſervandos, qui ſine peccato ſervari poſſunt ad tranquillitatem & bonum ordinem eccleſiæ, dummodo ne conſcientiæ onerentur, quaſi cultus talis ad ſalutem ſit neceſſarius; traditiones enim humanas ad promerendam gratiam adverſari evangelio & doctrinæ fidei. *In XVI.* legitimas ordinationes civiles probabant contra Anabaptiſtas, ſic tamen, ut magis Deo, quam hominibus obediatur, nec in civilibus officiis diſcernendis collocetur evangelica perfectio, quæ conſiſtit in timore Dei & fide. *In XVII.* extremum judicium, inque illo vitam æternam pro electis; perpetuos cruciatus pro impiis & diabolis agnoſcebant: ut ſe ſegregarent ab Anabaptiſtis, qui pœnarum infernalium finem futurum credunt: & à Chiliaſtarum Judaicis opinionibus procul eſſe cenſerentur, qui pios ante reſurrectionem mortuorum putant regnum mundi occupaturos. *In XVIII.* calumniæ ſe opponebant, qua diffamabantur, quod nullam in humana voluntate largirentur libertatem ad civilem juſtitiam efficiendam, dum negabant illi ineſſe vim ſine ſpiritu ſancto efficiendæ juſtitiæ Dei: idque contra Pelagianos & illos doctores, qui naturæ & liberi arbitrii viribus nimium tribuunt, quaſi præcepta Dei quoad ſubſtantiam actuum ſervare poſſint. *In XIX.* aliam calumniam retundebant, qua accuſabantur, quod omnia, adeoque etiam peccata, cum Zwinglio crederent fieri neceſſario. Cauſam peccati ſtatuebant voluntatem malorum; non Deum. *In XX.* aliam calumniam convellebant, qua ferebantur bona opera prohibere: doctrinam fidei, quæ tamdiu jacuerit ignota, ſe dicebant admiſiſſe: inde conſtare, quod opera noſtra non poſſint reconciliare Deum: inde plurimum conſolationis & pavidis conſcientiis tranquillitatem afferri: interim neceſſaria eſſe bona opera, non ut confidamus per ea gratiam mereri, ſed propter voluntatem Dei: Spiritum ſanctum, qui per fidem accipitur, corda renovare, & gignere in iis novos affectus, ut parere bona opera poſſint, quæ meliora ſint puerilibus & non neceſſariis operibus, ceu ſunt certæ feriæ, certæ jejunia, fraterni-

tates, peregrinationes, cultus ſanctorum, roſaria, monachatus, & ſimilia. *In XXI.* quia tandem dicebantur injurii eſſe in Sanctos, memoriam illorum apud nos proponi dicebant, ut fidem eorum & opera bona imitemur: ſed non ut eos invocemus, quum Deus nobis ſit unus mediator, pontifex & interceſſor. *In altera parte* improbabant I. quod conſuetudine non admodum vetere, contra mandatum Domini, & veteres canones patrumque ritus, altera cœnæ Dominicæ ſpecies laicis ſubtrahatur, & ita ſacramentum dividatur: ob quam diviſionem ſe etiam teſtabantur proceſſiones hactenus fieri ſolitas merito intermiſiſſe. II. *quod*, quum de matrimonio ſacerdotum extet mandatum, & mos veteris eccleſiæ, inprimis Germanicæ, ante annos quadringentos notus ſit, non tantum illud prohibeatur, ſed & præſentia eorum conjugia diſtrahantur, impuruſque cœlibatus, qui plurima parit ſcandala & adulteria, quique à Paulo *I. Tim. IV.* vocatur doctrina dæmoniorum, præferatur conjugio; quum tamen nulla lex humana, nec votum poſſit Dei mandatum tollere, & melius ſit ſecundum Cyprianum nubere, quam non ſervare promiſſam caſtitatem. III. *quod* Miſſæ turpiter prophanentur, collatæ ad quæſtum, quodque illa opinio diſſentiat à ſcripturis ſanctis, & lædat gloriam paſſionis Chriſti, qua Chriſtus putatur ſua paſſione ſatisfeciſſe pro peccato originis, & inſtituiſſe Miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, quæque eſſet opus, delens ex opere operato peccata mortuorum & vivorum. IV. *quod* in confeſſione auriculari immodice extollantur ſatisfactiones, nulla interim fidei & meriti Chriſti & juſtitiæ fidei habita mentione, quodque requiratur enumeratio omnium delictorum, qua tamen, juxta illud Pſalmi: *Delicta quis intelligit?* &: *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile*: conſcientiæ onerantur, ut nunquam acquieſcere poſſint: quia plurima peccata neque viderent, neque meminerint. V. *quod* diſcrimen ciborum & ſimiles traditiones humanæ, ſtatuantur eſſe opera & cultus neceſſarius, ad promerendam gratiam utilia & pro peccatis ſatisfactoria: & Chriſtianiſmus totus in certarum feriarum, rituum, jejuniorum, & veſtitus obſervatione ponatur, omniaque vitæ genera in conjugio, magiſtratibus, aut aliis functionibus civilibus, præ monachatu habeantur imperfecta & immunda. VI. *quod* in monaſteriis, quæ tempore Auguſtini fuere ſcholæ ſacrarum literarum & aliarum diſciplinarum, multa contra canones quotidie patrentur: multi errore in hoc vitæ genus incidant, inque eo cogantur manere: puellæ & adoleſcentes propter victum in monaſteria detrudantur:

tur: vota à multis habeantur baptiſmo paria, imo meliora: vita monaſtica, tanquam ſtatus perfectionis, plus mereri credatur, quam magiſtratuum aut paſtorum ſine fictitiis religionibus. *VII. quod* tandem poteſtas eccleſiaſtica epiſcoporum cum poteſtate gladii commiſceatur: pontifices, poteſtate clavium freti, non ſolum novos cultus inſtituerint, caſuumq; reſervatione & violentis excommunicationibus conſcientias oneraverint, ſed & regna mundi transferre, leges magiſtratuum abrogare, legitimam obedientiam tollere conati ſint, poteſtatem gladii vel juriſdictionem, quam jure humano à regibus & imperatoribus donatam habent, ex mandato evangelii habere ſe exiſtiment: jure ceremonias condendi, quod ſibi attribuunt, ad illaqueandas conſcientias abutantur; & multas traditiones contra evangelium & mandatum Dei condiderint: traditiones etiam tales urgeant, quæ bona conſcientia ſervari non poſſunt: injuſta nova onera, præter conſuetudinem eccleſiæ catholicæ recepta, non remittant: quum tamen à Proteſtantibus non id agatur, ut dominatio eripiatur epiſcopis, ſed hoc unum ab illis petatur, ut patiantur evangelium pure doceri, & relaxent paucas quaſdam obſervationes, quæ ſine peccato ſervari non poſſunt. Hac confeſſionis forma inſtructi Proteſtantes *Auguſtam* intrant, Luthero Coburgi ſubſiſtente. Cum & Cæſar XV. Junii, pridie ejus diei, quo feſtum corporis Chriſti à Pontificiis celebrandum erat, Auguſtam ſubiret, ſtatim *de concionibus noſtratium intermittendis* actum eſt. Qua in re tamdiu difficiles ſe præbuerunt Principes, donec imperator, qui ſine cujusquam contumelia decerent, conſtitueret, & alterius etiam partis concionatores deſiſtere juberet. In ipſa autem corporis Chriſti feſtivitate, cum ſacris ſuperſtitioſis intereſſe Principes proteſtantes nollent, legatus pontificis *Campegius*, & reliqui nuncii, *Petrus Paulus Vergerius* (poſtea noſter factus) & *Vincentius Pimpinellus*, ſuadebant, ut initio comitiorũ facto elector Saxoniæ juberetur Cæſari, ad Miſſam prodeunti, gladium pro more præferre. Vel ſic enim adigere eum voluerunt ad ritus pontificios ſua præſentia cohoneſtandos. Ille, exemplo Naamani, humeros ſuo regi ad idolum colendum procedenti accommodantis, confirmatus, officii ſui civilis partes ſubiit. Cumq; negotii religioſi tractatio primo loco ſuſcipienda eſſet, cum principibus & civitatibus Proteſtantium, publicam confeſſionis ſuæ lectionem & exhibitionem, XXV. Junii, qui erat dies ſabbati, in palatio Cæſaris obtinuit. Illi ſubſcripſerant *Johannes elector Saxoniæ*, *Georgius marchio Brandenburgicus*, *Erneſtus dux Lunæburgenſis*, *Philippus Lantgravius Haſſiæ*, *Johannes*

hannes Fridericus dux Saxoniæ, *Franciſcus dux Lunsburgenſis*, *Wolffgangus princeps de Anhald*, *ſenatus Norimbergenſis & Reutlingenſis*. Fuit conſcripta Germanice & Latine. Exemplar Germanicum, poſtquam ex illo *Chriſtianus Beyer*, electoris Saxoniæ cancellarius, confeſſionem ſonora admodum voce legiſſet, oblatum eſt *Alexandro Schweis*, imperatoris ſecretario, qui illud electori Moguntino, tanquam imperii cancellario, traderet. Latinum autem Cæſar ſua manu ad ſe recepit. Solemnitati huic Chriſtianiſſimæ, & lectioni articulorum noſtræ confeſſionis publicæ, legatus pontificius, ne quid, quod autoritati pontificiæ obeſſet, interveniret, non interfuit. Interfuit tamen imperator *Carolus* Auguſtiſſimus: frater ejus *Ferdinandus*: *V. electores*, (nam palatinus aberat) *multi epiſcopi: multi principes: plurimi principum & civitatum legati*. Quorum plerique de ſiniſtra, quam de proteſtantibus conceperant, opinione multum remiſerunt: ipſaque cœleſtis veritas, à Luthero ex verbo Dei prolata, ad varias nationes, confeſſione noſtra in varias linguas converſa, dimanavit. Ecce autem extremam præſulum ſuperbiam! Cardinalis *Matthaus Langius*, archiepiſcopus Salisburgenſis, ingenue eſt profeſſus, *Miſſæ reformationem ſibi videri honeſtam*, *libertatem cibis quibusvis veſcendi eſſe natura convenientem*, *imo poſtulationem eam*, *ut homines Chriſtiani humanorum mandatorum onere liberentur*, *juſtam & æquam eſſe*, *ſed ut miſellus monachus omnes reformet*, *id non eſſe concedendum*.

XXII. Mira DEI providentia ex hoc exhibitæ Auguſtanæ confeſſionis negotio ſatis ſuperq; elucet. Sed quid papa interim, aut ejus ſatellites?

Sleid. loc. cit. p. 173. Oſiand. loc. cit. c. 14. p. 183.

Cæſar, legati pontificii conſilium ſecutus, à XX. doctoribus, inter quos præcipui fuerunt *Eccius*, *Faber*, *Wimpina*, *Cochleus*, *Medardus*, ex colloquiis Eraſmi cognitus, *confutationem confeſſionis* ſcribi, &, elapſis ſex ſeptimanis, recitari curavit. Hujus exemplum cum ſibi dari peterent proteſtantes, propterea quod multa è ſuis dogmatibus in ea ad invidiam conflandam ſecus recitarentur, quam a ſe in ſcripto eſſent conſignata: promiſſum id quidem fuit, verum ea lege, ne quid ejus evulgaretur, aut typis procuderetur, nec amplius inſtitueretur de fide diſputatio. Id ſibi non æquum rati, per Philippum Melanchthonem conſcribunt pro confeſſione *apologiam*. In illa defenduntur articuli confeſſionis Auguſtanæ, qui non fuere a pontificiis recepti & approbati. *Approbati autem fuerant primus & tertius* de Deo & Chriſto; *nonus & decimus* de baptiſmo &

mo & cœna; *decimus ſextus* de ordine politico; *decimus ſeptimus & nonus* de extremo judicio & cauſa peccati. *Reliqui* aut toti aut ex parte fuerant rejecti, ſed id nullo jure, & contra ſcripturas ſacras, factum eſſe apologia demonſtrabat. Illa Cæſari finitis fere comitiis eſt oblata, ſed non accepta. Interea deligebantur *utrinque ſepteni*, *deinde terni*, qui de controverſiis conferentes, concordiæ rationes inirent: inter quos ex parte pontificiorum præcipuus fuit *Eccius;* ex noſtratium *Philippus*. Utut autem conciliationis viæ in aliis rebus non fruſtra tentabantur: convenire tamen haud poterant in præcipuis de Miſſa & de votis monaſticis articulis. Etſi enim in multis etiam aliis multa pontificii improbabant: tolerari tamen ea poſſe dicebant ad concilium usque. Sacerdotibus qvoqve permittebant conjugium, qui uxores jam habebant. Noſtrates vicisſim (qvod tamen Hasſiaci, Lunæburgici & Noribergenſes improbarunt) multa admodum de poteſtate & jurisdictione epiſcoporum erant largiti. Sed non debebat veritas cum erroribus confundi: totumqve negotium ad ſe denuo revocabat imperator, & proteſtantes cum privatim per internuncios, tum publice ad abdicandas ſuas in religione opiniones ſollicitabat. Cum eos in ſententia perſeverare, nec ullis artibus ab incepto dimoveri cerneret, *decretum Auguſtanum* fieri curavit, qvo omnes pontificii ritus, & omnia dogmata ſtabiliebantur, imo imperabantur: ejecti monachi recipi & in integrum reſtitui jubebantur: confesſio proteſtantium ſolide ex ſcripturæ teſtimoniis confutata fuiſſe dicebatur. Sollicitum hoc habuit electorem Saxoniæ, præſertim cum minæ interſpergerentur, & ſollicitationes de religionis pace fruſtraneæ eſſent. Ideoqvo rem totam Deo commiſit, & cum ſociis decesſit, relictis Auguſtæ conſiliariis & legatis. Cum autem, edicto Cæſareo per Germaniam divulgato, adverſus proſtantes ſeveræ dicerentur ſententiæ fiſcales à Camera Spirenſi, ex qva omnes aſſeſſores religioni noſtræ aſſentientes erant excluſi: & multi fiſco adverſus proteſtantes experirentur: aliis zelum obtendentibus; aliis injuriarum acceptarum vindictam cogitantibus: aliis denique adverſariorum bona invadere cupientibus: cum quoqve Saxo negotio eligendi Romani regis contradiceret, & hac ratione omnia offenſionibus paterent: proteſtantes, quorum jam erant VII. principes, & XXIV. civitates, ad vim hoſtilem, ſi qua inferretur, propulſandam, *fœdus* anno ſeculi XXXI. iniere, quod vocamus *SMALCALDICUM*. Hoc uti à Dano, Megapolitano, Pomerano, Lubecenſibus, Lunæburgenſibus, Noribergenſibus, à Georgio item Brandeburgenſi

Sleidan. lib. 7. Hiſt p 189 Oſiand. Cent. cit. l. 2. c. 7. p. 113. cap. 18. pag. 197. & 199.

genſi detrectatum fuit: ita in illud Helvetii ob ſacramentarium errorem non recepti ſunt. Fœderis hoſtes ſe profitebantur, inqve adverſum confœderationem coibant *dux Bavariæ, dux Cliviæ, Georgius dux Saxoniæ, Ericus & Wilhelmus duces Brunſvicenſes, ut & Colonienſes, Moguntini, Metenſes & Aquenſes.* Lutherus, cum jam omnia bellum ſpirarent, edidit librum ad ſuos Germanos, in quo eos, *ne impio edicto parerent, nec e pro idolis & libidinibus pontificiorum pugnarent*, hortabatur. Rebus ita turbatis, Cæſare jubente, de concordiæ rationibus ſtatim actum: ipſeque decreti Auguſtani vigor, ingruente bello Turcico, paulatim remiſit. Et paulo poſt, anno XXXII. *Schweinfurti*, coram interceſſoribus archiepiſcopo Moguntino & Palatino principe, *primæ pacis religioſæ fundamenta* jacta ſunt; ut inter Cæſarem, omnesqve imperii ordines, eccleſiaſticos & ſeculares, pax publica ſanciretur, nec quisqvam alteri moleſtiam religionis cauſa crearet, *usq; ad generale, liberum, & Chriſtianum concilium*: cujus convocationem primo quoqve tempore ſe maturaturum promiſit Cæſar. Hac pace deinde XXIII Julii *Norbergæ*, invito papa, promulgata, omnes actiones forenſes, religionis cauſa jam intentatæ, ſuſpendebantur.

Sleid. ad A. 1537 p. 282. usqve ad pag. 290.

XXIV. Siccine prima hæc fuit religionis libertas, publico Cæſaris decreto conceſſa? Sed quid de concilio factum eſt?

Papa id promittit, ſi nec extra Italiam celebretur, nec jus ſuffragiorum aliis, quam ſibi & ſuis, ſecundum pontificum decreta tribuatur. Proteſtantes eas conditiones, tanquam iniquas reſpuunt. Circumvolvuntur aliquot anni, quibus tantum abfuit, ut pontifex concilio cogendo incumberet, ut illud omnibus modis impediret, ne aut autoritatis ſuæ detrimentum, aut curiæ commodorum imminutionem pateretur. *Mantua* tamen tandem concilio deſtinatur. Ea civitas improbatur a proteſtantibus, qvi in Germania locum eligi malunt, &, ne pontifex judicis partes obtineat, qvi ſit adverſarius, poſtulatur. Dum hæc conſilia agitabantur, *Vergerius*, pontificis in Germaniam nuncius, principes proteſtantes obibat, ut illis ſpem concilii certam faceret: eaque occaſione pervenit Witebergam anno ſeculi XXXIV. & ſpecioſis rationibus animum Lutheri pertentavit, num ab odio papæ inflecti poſſet, ſed de ſolita animi firmitate nihil eum dimovit; quin potius id audiit: *nuncium & pontificem ipſum facilius fidem Lutheri amplexaturos, quam illum eam deſer-*

deſerturum. Interim proteſtantes *Smalcaldiæ*, ubi anno XXXVII conventum agebant, *articulos* ſcribi curabant, *qui futuro concilio exhiberentur.* Illi dicti ſunt *Smalcaldici*, diviſi *in tres partes:* qvarum *prima* agit de divina majeſtate; *altera* de officio Chriſti & redemtione noſtra, contra Miſſam, invocationem ſanctorum, monaſteria, & papæ dominatum affectatum; *tertia* de reliquis fidei articulis, ut de peccato, lege, pœnitentia, evangelio, ſacramentis, clavibus, confesſione, excommunicatione, ſacerdotum conjugio, eccleſia, juſtificatione, votis, traditionibus, cum addito libello de papatu, & de poteſtate & jurisdictione epiſcoporum. Hoc tempore præerat rebus Romanis Paulus III. cui percommode accidit, quod dux Mantuanus præſidium urbi ſuæ durante concilio tuendæ, & ſumtus eam in rem poſtularet, nec jurisdictionem loci pontifici cedere vellet. Sic enim optata ſubminiſtrabatur occaſio, odioſum concilium prorogandi. Alium tamen locum pontifex ſe concilio inventurum ſimulans, tandem *Vicentiam* elegit. Sed Venetis ſolitudinem hujus urbis, & alia cauſantibus, facile illis erat, pontificem ab hoc inſtituto dimovere. Ille igitur concilii diem denuo produxit. Interim, cum in *conventu Francofurtano* anno XXXIX, *colloquium theologorum* de religione placidum decerneretur, ut periculum fieret, num vel hoc modo extra cognitionem concilii res componi poſſent: nunc tandem ſerio de concilio pontifex cogitare cœpit: veritus, ne colloqvium illud ſuæ cauſæ damno eſſet. *Vicentiam* igitur denuo anno XLI. concilio adjudicat. Veneti vero eam huic rei non concedunt. Ferrariam, Bononiam, Placentiam, Tridentum Cæſari nominat. Illi *Tridentum* placet. Sic tandem diſſentientibus tamen proteſtantibus, qui nec poteſtatem indicendi concilium papæ concedebant, nec locum probabant, *Concilium Tridentinum* ad Calendas Novembris, anno XLII. indicitur. Comparent duo oratores Cæſaris, *Mendoza & Granvellanus*, & tres legati pontificis, *Pariſius*, *Moronus*, *Reginaldus Polus*, cum pauculis epiſcopis. Sed cum à papa in mandatis datum eſſet nunciis, ut lento pede progrederentur: cumque bellum Gallicum ingrueret, abierunt primum Cæſareani; deinde etiam pontificii, poſtquam VII. continuos menſes prorſus otioſi ibi hæſiſſent. Teritur iterum in concilii expectatione multum temporis: donec denuo ad idus Martias anni XLV. non à Cæſare ſed à papa indiceretur. Hujus legati *Montanus*, *Marcellus & Reginaldus Polus*, abſoluta concilii prorogandi, diſſolvendi & transferendi, ſed non de rebus decernendi (omnia enim ad papam referebantur) poteſtate circum-

Laur. Surius ad A. 1537. p. 298. Sleidan. l. XI. p. 191. Oſiand. Cent. 16 l. 2. c. 37 p. 253. ad 305. Balduin. ad Artic. Smalcald. Deutſchm. ad eosd.

muniti, dicto tempore aderant. Integri IX. menſes utque ad XIII. Decembris, quo demum tempore concilium inchoabatur, effluxere: nec quicquam interea actum eſt, niſi quod in ceremoniis & ordine ſedendi conſtituendo tempus tereretur, & Cæſar virulentis machinationibus & perſuaſionib9 ad bellum contra Lutheranos incitaretur. Hoc concilium proteſtantes, *in conventu Wormatienſi* cum Ferdinando congregati, *pro legitimo nequaquam agnoverunt*, & veriti ne, illo aperto, ſuperioris pacificationis decretum vim amitteret, petierunt, ut pax religioni ſemel conceſſa *usque ad legitimum concilium*, toties promiſſum, denuo confirmaretur. Scripto etiam ſuam à concilio Tridentino alienationem profeſſi ſunt. *Nec enim fuit legitime indictum:* jus enim indicendi concilii competere pontifici negant imperii ſtatus: *nec tutum*, quia non in Germania, ſed in Italia, non in libera civitate, ſed in ea, quæ epiſcopo Tridentino paret, celebrabatur: *nec œcumenicum*, qvum in illud rex Galliæ & tres qvartæ partes Germaniæ non conſentirent, nec quisquam ex Anglia, Scotia, Dania, Svecia intereſſet, nec ullus laicorum admitteretur, quibus etiam locus quondam in conciliis datus eſt: *nec liberum*, qvum in eo nemini, niſi mancipiis papæ, loqui vel ſententiam ſuam defendere fas eſſet, tanta cum pontificis impudentia, ut, cum *Vergerius & Jacobus Nachiantes veritatis* nonnullam rationem haberent, ſubito ex concilio excluſi ſint: *nec bono reip. Chriſtianæ congregatum*, qvum faſtigii Romanæ curiæ conſervandi ergo omnia unice agerentur: *nec veteribus conciliis*, multo minus *S. ſcripturæ conforme*: ſed *conciliabulum mancipiorum papæ, Simoniacorum, pſeudo doctorum.*

XXV. Proh Deum immortalem! Quale mihi concilium, quem hominum in eo, nihil divini quærentium, ſed ad ſui papæ nutum compoſitorum, conventum deſcribis?

Id lubentius dices, ſi tibi *Andreæ Duditbii*, epiſcopi Quinqueccleſienſis, Cæſarei ſimul & totius cleri Hungarici in ipſa ſynodo Tridentina oratoris, poſtea repurgatæ religionis in Polonia confeſſoris, epiſtolam ad Maximilianum II. Cæſarem enarravero, qua ſuam de calice laicis, & conjugio ſacerdotibus concedendo refert ſententiam. Eam *Petrus Suavis Polanus i.e. Paulus Sarpius Venetus*, hiſtoriæ concilii Tridentini his verbis præfixit: *Quid profici potuit in eo concilio, in quo numerarentur*

Petr. Suav. l. 6. Hiſt. Concil. Trid. p. 627. & 651.

rentur, non ſuis momentis ponderarentur ſententiæ? Si cauſa, ſi ratione pugnandum fuiſſet, ſi pauci quidam ſocii nobis adfuiſſent, viceramus quamvis pauci, magnas copias adverſariorum. Sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuiſſemus, in optima cauſa victores diſcedere non potuimus. Singulis noſtrum centenos de ſuis papa potuit opponere: ac, ſi centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos ſuis laborantibus ſubſidio mitteret. Itaq; videre erat quotidie epiſcopos famelicos & egentes, ex majori parte barbatulos adoleſcentes, luxuq; perditos, Tridentum volitare, conductos ad ſententiam ſecundum papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & ſtolidos, ſed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores papæ acceſſerant, tum vero victrix exultabat iniqvitas: neque decerni jam quidquam potuit, niſi in eorum ſententiam, qui papæ potentiam luxumq; defendere, ſummam religionem arbitrabantur. Erat aliqvis vir gravis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat? hic, ut non bonus catholicus, terrore, minis, ac inſectatione à concilio ad probandum, quæ nollet, traducebatur. In ſumma: in eum ſtatum res eſt deducta, iſtorum, qui illuc facti inſtitutiq; venerant, improbitate, non ut jam epiſcoporum, ſed larvarum, non hominum, ſed ſimulacrorum, quæ nervis moventur, concilium illud videretur. Erant epiſcopi illi conductitii pleriq;, ut utres ruſticorum muſicum inſtrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Nihil habuit cum illo conventu Spiritus S. commercii. Omnia erant humana conſilia, qvæ in immodica, & ſane quam pudenda pontificum dominatione conſumebantur. Illinc reſponſa tanquam Delphis aut Dodona expectabantur: illinc nimirum Spiritus ille S. quem ſuis conciliis præeſſe jactant, tabellarii manticis incluſus mittebatur: qui, qvod admodum ridiculum eſt, cum aliquando, ut fit, aquæ pluviis extreſcebant, non ante advolare poterat, quam inundationes deſediſſent. Ita fiebat, ut Spiritûs non ſuper aquas, ut eſt in Geneſi, ſed ſecus aquas ferretur. O portentoſam & ſingularem dementiam! Ratum nihil eſſe poterat, quod epiſcopi, tanquam plebs, ſciſcerent, niſi papa autor fieret.

XXVI. Hæccine ſynodus ſancta vocaretur? hæccine œcumenica? Qvamdiu vero duravit, & quidnam decrevit?

Duravit, ut verbo dicam, usque ad annum LXIV. diutisſime: decrevit iniqvisſima; Schiſmate laboravit validisſimo: bis diſſoluta fuit: ter Sleidan. in Hiſt. ſui temp. p. 377

p. 449 455 521. 531 553. 628 651 ſeqq. Laur. Surio p. 410. 260. 379. 382. etc. Oſiand. Cent. 16. l. 2. c. 47. p. 540. cap. 58. & ſeqq. Acta Concil. Trid. Antw. impr. ap. Joh. Steſſium C.loniæ ap. Matern. Cholin. A 1565. & Romæ apud Paul. Manutiū 1564 Onuphr. Panvin. in Pio IV. p. 380. 381. Joh. Balæus l. 7. in Marcello Thuan. l. 7. Hiſt. p. 131. l. 8. p. 162. l. 26. p. 528. l. 32. p. 638. l. 35. p. 705. ſeqq. Martin. Chemniz. & Heidegger. in Refut. Concil. Trident Seckend. in Hiſt. Lutheraniſmi l. 3. p. 561. 573.

ter convocata. Seſſiones toto XVIII annorum tempore viginti quinque habitæ ſunt: & quidem *cum Lutherus anno XLVI 18. Februar. exuvias corporis deponeret*, jam ter conſederant; nec tamen quicquam in fidei articulis decreverant. Promulgatum eſt *in prima ſeſſione 13. Dec.* anno XLV. decretum de concilio inchoando; *in altera 7. Jan. ſequente anno* de modo ſervando in concilio; *in tertia 4. Febr.* ſymbolum fidei recitatum. Hactenus nullum uſum in ſynodo habuerant doctores theologi; quorum initio XX deinde XXX. & pene omnes monachi, numerabantur, dum interea XLIII patres (tot enim numeratos in ſecunda ſeſſione invenio) univerſale concilium conſtituebant, nempe *tres legati pontificis: Cardinalis Tridentinus: IV. archiepiſcopi, interque eos duo perſonati ſeu titulares: XXVIII. epiſcopi: tres abbates & tres monachorum præpoſiti.* His conſidentibus, theologi in loco conſeſſus ſtabant. Orator regis Romanorum cum procuratore Cardinalis Auguſtani in ſcamno oratoribus deſignato ſedebat, & juxta eos decem è vicinia nobiles. *In quarta ſeſſione 9. April. anno XLVI. canonicæ ſcripturæ confundebantur cum apocryphis & traditionibus*: atque Latina verſio declarabatur authentica, addito edicto, ne quidquam contra ſenſum Romanæ eccleſiæ ſentiatur. *In quinta ſeſſione 17. Jul.* decretum *de peccato originali* contra Anabaptiſtas editum eſt, ſed in illis quæſtionibus libertas opinandi relicta eſt: *ſitne concupiſcentia peccatum & habeat in nobis rationem peccati, necne: ſit ne illud tantum reatus, an privatio, an etiam poſitiva aliqua pravitas: ſitne vitium, an naturæ conditio: culpane an pœna: hæreatne in toto homine, an ſaltem in inferioribus viribus: fueritne virgo Maria in peccato originali concepta, an ab illo immunis: maneatne illud poſt baptiſmum, an penitus tollatur: puniaturne in infantibus non baptiſatis igne infernali, necne?* Cum enim de hiſce & ſimilibꝰ in congreſſionibus antecedaneis theologi inter ſe non convenirent: talia decreta ſunt condita, unde quid eccleſia Romana ſentiat, non conſtet. Interim in V. ſeſſione duo decreta in puncto reformationis addita: unum *de prælectionibus in ſcholis*; alterum *de prædicationibus in templis*: quarum curam ſibi ſubtractam & ad Academias atque ad fratrum regularium generales devolutam epiſcopi dolebant; ſed fruſtra. *In ſexta ſeſſione 13. Jan. anno XLVII* (cum jam XLV. theologi conveniſſent) doctrina *de gratia Dei & de juſtificatione* eſt propoſita XVI. capitibus & XXXII. canonibus: & ipſa fidei catholicæ veritas in multis damnata. Diſſidentibus enim theologorum ſententiis, *quidnam ſit liberum arbitrium, fides, juſtificatio & bona opera: ſitne fides tantum*

aſſen-

aſſenſus, an quoq; fiducia: ſitne opera bona meritoria & ſatisfactoria: an eadem ſint abſque fide peccata, necne: an habitus gratiæ idem ſit cum habitu charitatis, an diſtinctus: an imputationis vox retinenda: poſſitne aliquis certus eſſe de gratia necne: poſſitne abſq; auxilio divino bonum præſtari: ſitne humani arbitrii credere, necne: poſſitne voluntas ſeipſam præparare: ſintne aliquæ partes hominis in prædeſtinatione & probatione? tandem decretum eſt quaſi per Spiritus S dictamen, *partem juſtificationis eſſe noſtram ſanctificationem: quemlibet de ſua ſalute dubitare debere: præcepta Dei in hoc ſtatu eſſe poſſibilia: liberum arbitrium poſſe ſe diſponere ad gratiam: hominem in ſui converſione etiam aliqvid agere: non ſola nos fide juſtificari: nec tantum per imputationem juſtitiæ Chriſti nos ſalvos fieri, ſed etiam per qualitates noſtras nobis per gratiam inhærentes: gratiam illam eſſe charitatem inhærentem: amiſſa gratia non ſimul fidem veram amitti: pœnitenti ſæpe remanere reatum pœnæ purgatorio exolvendæ: bona opera juſtificati eſſe ipſius merita.* Præterea cum de prælatorum & paſtorũ à functionibus ſuis abſentia multæ eſſent querelæ, & alii *reſidentiam præſulum* eſſe juris divini contenderent; alii id negarent & diſpenſationibus locum darent: in decreto reformationis nonnullæ quidem exemtiones, ut privatorum ſacerdotum & capitulorum ſublatæ ſunt, ſed epiſcopis nulla reſidentia eſt injuncta, i.e paſtoribus facta eſt potentia ſuis ſe ovibus non ſiſtendi. Hujus & prioris ſeſſionis effectus hic fuit, ut paulo poſt *Dominicus Soto & Catarinus*, quorum præcipuæ partes in decretis formandis fuerant, *in quæſtionibus de natura & gratia* ſe invicem laceſſerent, & uterq; verba decreti ad ſuum ſenſum pertraheret. Id enim in decretis concinnandis ſtudioſe egerunt patres, ut propter diſſentientes verba talia ponerentur, ut diverſos, imo pugnantes ſenſus admitterent. *In ſeptima ſeſſione 3. Mart. habita,* doctrina *de ſacramentis in genere, baptiſmo & confirmatione* eſt propoſita XXX canonibus: *ſeptenarium eſſe ſacramentorum numerum: ex opere operato ea gratiam conferre: imprimi in aliquibus characterem: intentionem miniſtrorum in illis eſſe neceſſariam: peccatum in baptiſmo penitus extirpari: baptiſmum Johannis non habuiſſe eandem vim cum Chriſti baptiſmo: peccata poſt baptiſmum commiſſa non ſola fide remitti: confirmationis miniſtrum eſſe ſolum epiſcopum, non alium ſacerdotem:* theologis interim dubitantibus *ſitne aliqua vis effectiva in ſacramentis?* quod negabant Franciſcani, affirmabant Dominicani: *ſintne ſacramenta veteris & novi teſtamenti paris virtutis in gratia conferenda: quid, an ſit ille character, quem baptiſmus imprimat?* Decreta etiam reformationis XV. ſunt edita *de qualitatibus & conditionibus* *epiſco-*

epiſcoporum, ſed cum multorum in ipſo conſeſſu contradictione. in quæſtionibus de eorum reſidentia, & an plura in unum posſint beneficia conferri, aut beneficia uniri, & quousque pontifex in illis diſpenſare queat. *In octava ſesſione 21. April.* nihil aliud agebatur, quam ut decretum pontificis legeretur *de concilio Bononiam, urbem papæ imperio ſubditam, transferendo*, ſub prætextu peſtilentis morbi. Et ſic Tridenti concilium ab Italis ſolutum eſt, contradicentibus tamen & manentibus illic patribus Cæſareis Hiſpanis, qui Bononiam ire noluerunt. *In nona & decima ſesſione, 21. April. & 2. Jul. Bononiæ habitis*, nihil actum, niſi ut ſesſio prorogaretur, & qui Tridenti ſubſtiterant, literis invitarentur, ut ſe quoque Bononiam conferrent: ſed fruſtra, præſertim cum *epiſcopi Germaniæ in conventu Auguſtano* datis ad pontificem literis peterent, ut ſynodus Tridentum revocaretur. *Cæſar ipſe* per legatos, *Vargam & Velaſcum*, de vitio & defectu ſynodi Bononienſis publice proteſtabatur. Hanc translationis controverſiam papa ad ſe, tanquam judicem, pertinere dicebat, & Brevi pontificio, ceu vocant, patres Cæſareos, qui Tridenti ſubſtiterant, ad cauſam coram delegatis diſceptandam invitabat. Sed illi, voluntatem Cæſaris cauſati, petebant concilium priſtino loco & urbi imperiali reſtitui. His diſſenſionibus factum eſt, ut epiſcopi & theologi omnes ſenſim Bononia dilaberentur, exceptis quibusdam pontificis ſtipendiariis. Cum interea bellum in Germania arderet, & formula interreligionis multas ibi turbas daret, & concilium jam toto biennio obdormiiſſet, pontifex etiam *Paulus III.* fata, ibi impotenti ira acceleraſſet, omnes, qui hactenus Bononiæ remanſerant, in ſua quisque diſceſſere. Hinc concilio veternus aliquot annorum. *Julius III.* Pauli ſucceſſor, etſi multæ cauſæ ipſum à concilio dehortari viderentur, tandem tamen decretum edidit de illo Tridenti reſumendo, & legatum Marcellum Creſcentium, cum duobus nunciis, Pigluno & Lipomanno, Tridentum anno LI. miſit. Ibi *undecima ſesſione 1. Maji* decretum de reſumendo concilio legitur. Quod cum intellexiſſent proteſtantes in Germania, (quia jam an. XLVII. principes à Cæſare in comitiis Auguſtanis armatis, ſive beneficiis illecti, ſive minis territi, fuerant polliciti, ſe, ſi promiſſa & conditiones præſtarentur, concilio aſſenſuros: nec civitates eorum reſponſionem ſe correcturas dixerant) confesſiones ſuæ doctrinæ conſcribi juſſerunt: unam in Saxonia per Melanchthonem; alteram in Würtenbergico ducatu per Brentium, quæ concilio exhiberentur: hac conditione, ut omnia ab initio Tridenti decreta retractarentur: ut theo-

ut theologi Auguſtanæ confesſionis non ſaltem audirentur, ſed & vocem deciſivam haberent: ut pontifex præſidis locum non obtineret: ut idem epiſcopis, quo libere dicerent ſententiam juramentum remitteret. Interim *duodecima ſeſſione 1. Sept.* decretum prorogationis promulgatur, variis interim proteſtationibus Cæſaris & regum contra modum in concilio ſervatum interpoſitis. *In decima tertia ſeſſione 11. Octobr.* euchariſtia VIII. capita & XI. canones promulgabantur, quibus *transſubſtantiatio* panis & vini in corpus & ſangvinem Chriſti, & *adoratio atque aſſervatio panis conſecrati* confirmabatur, dubiis interim relictis theologis, in multis controverſiis non expeditis. Octo etiam capita *de jure & officio epiſcoporum* ſunt addita. Sed nulla hic eſt cura habita principum & regum, quorum jurisdictioni multa per oppoſitam jurisdictionem epiſcopalem, in immenſum tandem auctam, ſunt ademta: ſed nec epiſcopis à pontifice ſua libertas eſt reddita, quibus omnem pene jurisdictionem ereptam ſibi ſoli hactenus addixerat: præter illam, qvam ipſi9 adhuc beneficio poſſident, in ſeculares quidem armatam, ſed ſub ſuo nutu. In hac ſesſione nec diſceptatio nec definitio facta eſt, *an calicis uſus in cœna ſit neceſſarius?* quia proteſtantes prius de illo audiri cuperent. Illi autem de aliis etiam audiri voluerant: & multa in prioribus ſeſſionibus notaverant; multa etiam in hac ipſa inveniebant, quæ probare non poſſent. Interim ſalvus illis conductus, volente id Cæſare, à patribus concilii eſt datus. Qui cum in Germaniam eſſet miſſus, nec viſus eſt ſufficiens & certis clauſulis deformatus. Neque ſatis tutum videbatur Proteſtantibus, ſuos theologos laqueis poſitis committere. *In ſeſſione decima quarta 25. Novemb.* capita IX. & canones XV. *de pœnitentia*; capita itidem III. & IV. canones *de extrema unctione* proponebantur. *Pœnitentia & extrema unctio referebantur inter ſacramenta: contritio, confeſſio & ſatisfactio ſtatuebantur pœnitentiæ partes: omnium peccatorum enumeratio jubebatur: ſacerdotes in cenſendis peccatis conſtituebantur judices: jus reſervandi aliqvos caſus tradebatur epiſcopis: extremæ unctioni tribuebatur gratiæ collatio & remisſio peccatorum.* In decreto reformationis, VII. capitibus, *jurisdictio epiſcoporum* denuo ſic augebatur, ut ſalva tamen ſemper eſſet ſedis apoſtolicæ dignitas. Interea *ducis Würtembergici, ut & eccleſiarum Suevicarum legati*, Tridentum venerunt, confesſionem fidei ſuæ exhibituri & aliam formulam ſalvi conductus pro theologis ſuis poſtulaturi. Sed cum in concilio audiri vellent, jubebantur legato pontificio prius ſe ſiſtere. Illi eccleſias ſuas negabant præſidentiam papæ aut

ejus legato, in concilio, cui ipſe ſubſit, concedere. Legatus contra, papæ autoritati nihil detrahi paſſus, negabat ſe conceſſurum, ut proteſtantes ſcripto doctrinam ſuam offerrent, nedum propugnarent: è libris illam eſſe petendam & examinandam. Aderant etiam *legati electoris Saxoniæ*, & admisſi in congregationem generalem, quæ ante ſesſionem ſolebat præmitti, poſtulabant, ut, quia theologis è ſuis electis, & jam Noribergæ ſubſiſtentibus, imperatum ſit confesſionem fidei offerre; tali cautionis formula illis proſpiceretur, qua quondam Bohemis ad concilium Baſilienſe profecturis: præſertim qvum à patribus Tridentinis pro hæreticis & ſchiſmaticis pronunciati ſint, qui neqve illuc vocati ſint, neqve auditi. Poſtulabant etiam, ne in articulis controverſis pergeretur ante ſuorum adventum, utque articuli controverſi, ſuperioribus annis definiti, quorum major pars gravisſimos contineret articulos, denuo ad incudem, præſentibus theologis Proteſtantium, revocarentur: & qvum Conſtantienſi & Baſilienſi conciliis decretum ſit, pontificem in cauſis fidei, & quæ ipſum ſpectant, ſubjici concilio, & omnes, qui concilio interſunt, religione tantiſper ſolvi debere, qvo ipſi obligantur, decreto huic nunc quoque ſatisfieret. *Würtembergici*, poſt hos auditi, confesſionem doctrinæ ſuæ patribus exhibebant, venturosque ajebant theologos, qui eam tuerentur, ſed certis conditionibus, ut de utriusque partis voluntate judices deligantur; ut hactenus decreta vim legis ne obtineant; ut ab initio omnia repetantur. Sed nihil horum indultum. *Sesſione decima quinta, anno LII. 25. Mart.* decretum prorogationis eſt promulgatum; & alter ſalvus conductus Proteſtantibus datus, quanqvam & ipſe non ſufficiens. Aderant interim theologi, quatuor Würtembergenſes, & duo Argentinenſes, interqve illos *Brentius* & *Marbachius*, parati ad ſuam confesſionem defendendam. Sed nec actionis initium impetrabant. Diu Patres Tridentini occaſionem captarant diſcedendi. Dabatur ea tandem, cum rumor increbeſceret *de armis Mauritii Saxoniæ Electoris adverſus Cæſarem correptis. & Auguſta jam capta.* Ideoque Itali epiſcopi omnes Tridento diffugiebant: & legati, *ſesſione decima ſexta 28. April.* decreto facto de concilio in biennium ſuſpendendo, ſubſeqvebantur. Illud biennium ſubſtitit in decennio, *Marcello II. & Paulo IV.* nunquam veram concilii vel eccleſiæ laborantis curam habentibus, quanquam quandoqve ſimulabant aliquam eccleſiæ reformationem, evocatis Romam ex diverſis nationibus epiſcopis. Interim bilem illis movit, *quod* in Germania, inq; ipſa Auſtria & Bavaria, libertas religionis

nis eſſet conceſſa; *quod* in Hiſpania & Gallia ipſis invitis à clero pars bonorum eccleſiaſticorum exigeretur, *quod* rex Poloniæ per legatum peteret Miſſæ lingua populari celebrationem, cœnæ utramq; ſpeciem, ſacerdotum conjugium, annatarum ſublationem, concilii nationalis celebrationem; *quod* denique Albanus dux injuriis Pauli III. in Cæſarem incitatus ad Portas Romæ, tanqvam aliquis Hannibal, cum exercitu à Neapoli aliquando adeſſe auderet: *quod* deniq; diris in profeſſores fidei inquiſitionibus, quibus in ſolo Belgio ultra L. ɪɔ variis abſumti ſint mortibus, nihil proficeretur. Tandem cum *Pius IV.* pontifex eſſet conſtitutus, & jam de concilio nationali in Gallia habendo conſilia agerentur: denuo ille concilio œcumenico, vel quaſi, incumbendum eſſe rebatur. Gratum id quidem erat Hiſpanis, Italis & Polonis. Sed Cæſar & Gallus non tam Tridentinum continuari, quam novum inſtitui poſtulabant. Nihil illis curatis pontifex 3. Kal. Decemb. anno LX. *ad concilium circa ſubſequens feſtum paſchatos evocabat præſules ſolenni diplomate*: quod ſtatim *Vergerius*, antea epiſcopus Juſtinopolitanus & nuncius apoſtolicus, peculiari libro oppugnavit: ut demonſtraret, concilium non ad Chriſti doctrinam ſtabiliendam, ſed ad animarum ſervitutem & oppresſionem eſſe indictum, qvum ad illud non alii eſſent evocati, quam qui papæ juramento obſtricti tenebantur. Regibus etiam diploma pontificium non admodum placuit: *aliis* carpentibus, quod relinquatur incertum, *ſitne nova concilii indictio an continuatio prioris*: *aliis*, qvod hactenus papa videretur ſibi poteſtatem ſupra concilium uſurpaſſe; *aliis* nullam ejus in cogendo concilio poteſtatem agnoſcentibus; *rege Galliæ quoq;* integram communionem cœnæ poſt colloquium Posſiacenum poſtulante. Tandem *ſeſſio decima ſeptima Tridenti anno LXII. 18. Jan.* celebrabatur: præſulibus, præter cardinales, CXII. præſentibus: in qua nihil actum, niſi ut decretũ legeretur de concilio aperiendo, & futura ſesſio indiceretur. *In ſeſſione decima octava 26. Febr.* decretum factum, ut *index librorum vetitorum* conficeretur: per quem poſtea factum eſt, ut multi egregii autores & libri, qvos totis quatuor vel quinqve ſeculis omnes in eccleſia Romana manibus verſaverant, interqve eas Eraſmi annotationes à Leone X. probatæ, damnarentur. In hac ſesſione denuo ſalvus conductus datus eſt proteſtantibus, ſed clauſulis iſtiusmodi, quas illi non probabant. *Sesſione decima nona & vigeſima 14. Maji & 4. Jul.* nihil agebatur, niſi ut ſesſio prorogaretur. Magna enim diſcordia inter patres oborta erat *de reſidentia præſulum & aliis quæſtionibus reformationis*: de quibꝰ prius Papæ animus explorandꝰ erat,

ex cujus arbitrio per legatos omnia agebantur. *Seſſione tandem vigeſimâ prima* 16. Jul. capita IV. & canones totidem *de communicatione ſub utraq; ſpecie & parvulorum* ſunt promulgata: in qvibus negabatur, *fideles omnes, dei præcepto vel neceſſitate ſalutis, ad utramque ſpeciem eucharistiæ ſumendam teneri:* ſimulque indicabatur, in aliud tempus rejici articulos duos propoſitos ſed nondum excuſſos, *an nempe rationes pro communione laicorum ſub una ſpecie ita ſint retinendæ, ut calicis uſus nemini cuiquam permittatur, & quibus conditionibus calicis uſus cuiquam nationi aut regno concedendus ſit, ſi honeſtis rationibus concedendus videatur.* Inde IX. capita decreti de reformatione ſunt prælecta: quæ cum omnes ſperarent magni fore momenti; ut de quibus ſex menſibus eſſet deliberatum, montes viſi ſunt ridiculum murem parturire, quia res leviculæ, quibus jam antea ſatis in canonibus antiquis proſpectum erat, vix levi brachio attingebantur. Antequam in novam ſeſſionem coirent Patres, immenſum inter ſe diſſentire pergebant de variis quæſtionibus, *an Miſſa ſit ſacrificium; an calix populo reddendus,* quod Cæſaris, Bavari, Hungarorum & Polonorum oratores poſtulabant; *an reſidentia præſulibus imperanda.* Et quanqvam variæ querelæ de dura Patrum ſynodi ſervitute, & de maxima principum injuria, ſpargebantur: legati tamen pontificii omnia diſponebant ad finem concilio celeriter imponendum. *Seſſione vigeſima ſecunda habita 17. Sept.* legatis & oratoribus cum CLXXX. præſulibus præſentibus, IX. capita & totidem canones *de Miſſa*, tanquam ſacrificii pro vivis & mortuis incruenti, quod etiam in honorem ſanctorum celebrari debeat, & quidem ignota vulgo lingua, ſunt ſtabiliti: XXIII. epiſcopis publice reclamantibus ea parte, qva *Christus dicitur ſeipſum in Miſſa offerre.* Additum eſt decretum de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ: ut & XI. generalia capita de reformatione clericorum: ſimulqve ſignificatum, *negotium de communicatione calicis ad pontificem eſſe referendum*, qui pro ſua prudentia id efficiat, quod reipubl. Chriſtianæ ſit utile. Hic tamen magna patrum pars aſſenſum negabat. Indicta tandem eſt *ſeſſio vigeſima tertia ad 12. Novemb. anni LXII. ſed poſtea prorogata uſque ad 15. Jul. anni LXIII.* interea temporis totis decem menſibus graves motus in concilio extitere. *Oratores Cæſaris XX.* poſtulatis petierant, *ut ſummus pontifex ſeipſum & Romanam curiam reformari pateretur; ut abſtineret a diſpenſationibus ſcandaloſis; exemtiones revocaret; monaſteria ſub epiſcopi poteſtate conſtitueret; pluralitatem beneficiorum tolleret; conducititios presbyteros removeret; epi-*

ſcopos

ſcopos ad reſidentiam, ne per vicarios officia exercerent, cogeret; Breviaria & Miſſalia purgaret; linguam vernaculam in officiis divinis introduceret; tantas divitias cleri & ordini monaſtico in monaſteriis non permitteret; de priſtino rigore ſuper diſcrimine ciborum, jejuniis ac conjugio clericorum aliquid remitteret. Poſtulabat item rex Galliæ XXXIV. articulis per oratores, *ut ſacerdotum libidines & flagitia acerrimis canonum pœnis coërcerentur: ut epiſcopi ipſi verbum Dei docerent in concionibus: ut abbates capita religionis ex libris V. & N. T. in monaſteriis, tanquam antiquitus ſcholis, explicarent: ut antiqvum Leonis & Gelaſii decretum de communione ſub utraq; ſpecie renovaretur: ut lingua vernacula populus de uſu & efficacia ſacramentorum præmoneretur: ut ſuperſtitiones & abuſus in imaginibus & reliquiis ſanctorum colendis, inque indulgentiis, peregrinationibus & fraternitatibus tollerentur:* & quæ reliqua fuere. Sed hæc parum attendebantur, frementibus licet oratoribus. Nihil interim patres concilii tam excruciabat, quam *quæſtiones de epiſcoporum reſidentia & inſtitutione: an* nempe *jure divino teneantur reſidere in illa eccleſia, cujus epiſcopi ſunt, & an immediate ſuam autoritatem habeant à Chriſto, necne, & quæ tandem qvantaque ſit Papæ autoritas.* Hic multi mordicus defendebant, *non par eſſe, ut epiſcopus eccleſiam ſuam abſens per vicarium curet: reſidentiam eſſe juris divini: autoritatem igitur ordini epiſcopali à Chriſto immediate conceſſam, nec illam ſedi apoſtolicæ eſſe acceptam ferendam: claves enim non ſoli Petro fuiſſe conceſſas, ſed & reliquis apoſtolis: in jure presbyterii & ſacerdotii epiſcopos, cardinales & papam convenire, licet hiſce quædam prærogativa detur: & propterea concilium,* i. e. conventum plurium epiſcoporum, *eſſe ſupra papam, nec autoritatem ejus poſſe per papam reſtringi: id patere ex Conſtantienſi & Baſilienſi conciliis, in quibus papa ſubjectus eſt concilio: iniqvos igitur eſſe, qui abſolutam papæ in eccleſia defendant poteſtatem ſive in diſpenſando ſive in aliis rebus; legem divinam nulli diſpenſationi eſſe obnoxiam; iniquiores eſſe, qui idem Chriſti & papæ tribunal cum Jeſuitis aſſerunt.* Quin & duo in ipſo concilio, jam in mortis confinio, nempe *Cardinalis Manthuanus*, & poſt eum inſignis theologus, *F. Petrus Soto*, audebant Papam literis commonefacere, ne amplius vanis promiſſis de reformatione principibus verba daret, uti jam duos integros annos factitatum: commodaret tandē aſſenſum reſidentiæ & inſtitutioni epiſcoporum declarandis de jure divino. Sed ille, certus animi, nihil mutandū, id ſtudioſe egit, ut concilium aut denuo Bononiam transferretur: aut, omiſſis illis controverſis rebus, ad finem præcipitaretur: Præſertim qvū

novus imperator *Maximilianus*, confirmationem ſuæ electionis poſtulans, reverentiam quidem & obſequium Papæ ultro offerret, ſed de obedientia præſtanda jurare recuſaret, & jam aliquot articulos in conſultationem ſuis adduxiſſet, *an concilium poſſit ordinem, quem Papa decrevit obſervandum, mutare: an papæ conveniat directio concilii: an idem poſſit illud, inconſultis principibus Chriſtianis, diſſolvere vel ſuſpendere: an Patres in concilio non debeant liberi eſſe ad dicendas ſententias: quodnam remedium inveniri poſſit, ſi Prælati Itali in obſtinatione perſiſtant, & res decerni non ſinant.* Stetit igitur pontifici ſententia, ut finis quoqvomodo feſtinaretur concilio. Ita tandem *ſeſſio vigeſima tertia 15. Jul. anno LXIII.* eſt habita: in qva capitibus IV, & canonibus VIII. decernebatur, *in N. T. eſſe viſibile externum ſacerdotium, ſacrificio quotidiano conficiendo deſtinatum: ei inſervire miniſtrorum majores & minores ordines: ſubdiaconatum ad majores ordines referendum eſſe: hunc ipſum miniſtrorum ordinem eſſe ſacramentum, & in illo imprimi characterem, qui deleri non poſſit, & per nos minorum & majorum ordinum gradus aſcendi ad ſacerdotium: ſacram hierarchiam divinitus inſtitutam conſtare ex epiſcopis, presbyteris & miniſtris, licet epiſcopi habeant aliquam poteſtatem cum presbyteris, qui iis minores ſint, communem.* Addebantur XIIX capita de reformatione: in quibus cum flagranti deſiderio expectabatur, quid tandem de *Reſidentia epiſcoporum*, quæ quæſtio totos decem menſes tot Prælatos diſtinuiſſet, eſſet decretum: nihil tanto hiatu dignum inveniebatur. Inſumebantur decreta vulgaribus & generalioribus: materia de epiſcoporum inſtitutione & reſidentia, an ſit juris divini, intacta relinqvebatur. Proteſtantium nulla habita eſt ratio. Vana ſpe omnes erant lactati. Ipſius quoqve regis Galliæ orator proteſtationem ſolennem contra acta, Concilii interpoſuit. *Seſſio vigeſima quarta indicta erat ad 16. Sept. ſed prorogata eſt ad 11. Novemb.* Condiderant antea legati, maxima tamen patrum diſſenſione, XIII. articulos de principum reformatione: ſed quia diſplicuerunt principum oratoribus, nihil illorum publicatum. In ſesſione prælecti ſunt canones XII. *de matrimonio*, & capita *de reformatione conjugii*: in quibus decernebatur, *matrimonium eſſe ſacramentum gratiam conferens: eccleſiam poſſe in gradibus affinitatis & conſanguinitatis diſpenſare: matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolennem religionis profesſionem alterius conjugum diſſolvi: propter adulterium, matrimonii vinculum non diſſolvi: clericos in ſacris ordinibus conſtitutos non poſſe matrimonium contrahere: donum continentiæ Deum non denegare*

recte

recte petentibus: matrimonia clandeſtina ſine conſenſu parentum inita eſſe, rata & vera, adeoq; eſſe ſacramentum, quamdiu eccleſia illa non fecerit irrita. Addebantur XXI capita de reformatione, in quibus feſtucæ tantum ex oculis tollebantur, non trabes. *Seſſio vigeſima quinta ultima, indicta 9. Decemb. & anticipata 3. & 4. Decemb. durabat biduum.* In ea *purgatorium, invocatio ſanctorum & ſacrarum imaginum, indulgentiæ, delectus ciborum*, decreto probabatur: officia regularibus & monialibus capitibus XXII. præſcribebantur: cura indicis expurgatorii librorum, catechiſmi, Breviarii & Miſſalis, ad papam remittebatur: capita quoque XXI. de reformatione promulgabantur: & ita finis concilio imponebatur, cum clauſula, *ut confirmatio à pontifice peteretur.* Sic decretis, non à concilio definiente, ſed à papa confirmante, vis ac robur eſt tributum. Patrum, qui ſubſcripſere, fuerunt CCLV. nempe IV. legati, II. Cardinales, III. Patriarchæ, XXV. archiepiſcopi, CLXVIII. epiſcopi, XXXIX abſentium procuratores, VII. generales ordinum. Oratores regum non ſubſcripſere, ut antea convenerat, qvia Gallus, facta proteſtatione indignabundus abierat. Pares certe curiæ Pariſienſis multa invenerunt, quare concilium non reciperetur in Gallia, quia multa in illo deprehendebantur juri & conſvetudinibus in Gallia receptis derogare.

XXVII. Jam intelligo, Dudithii ſupra allegati judicium de iniqvitate & confuſione & turpitudine concilii Tridentini vere latum eſſe.

Præter XXV. illas ſeſſiones, quibus decreta, ſeorſim prius facta, ceremoniis pompoſis, fiſtulis etiam æneis exploſis, publicabantur, frequentes congregationes paucorum monachorum doctorum & epiſcoporum habitæ ſunt: in quibus, (*ut ex libro XII. commentariorum Sleidani & hiſtorica relatione Joachimi Urſini manifeſtum eſt, qvi ordinem publici conſeſſus in concilio, & modum condendi articulos fidei, eleganter deſcribunt*) quæ debebant deinde decerni, ad lubitum pontificis diſputabantur. Hæc antequam in ipſa ſeſſione ſolenni divulgarentur, in generali congregatione, in qua omnes aderant, proponebantur, ut conſenſus omnium ita accederet ne quicquam deinde in contrarium publice objectaretur. Si unus ex epiſcopis animi ſui ſenſa expoſuerat, & nemo contradicebat, à notariis ſcribebatur: *Sacroſancta ſynodus ait*; ſin multi idem affirmabant, ſcribebatur: *epiſcopi acclamarunt, affirmarunt.* Et hæc dicta

Petr. Suavis in Hiſt. Concil. Trident. Mart. Chemnit. in Exam. ejus & Heideggerus in Anat. Concil. Trident. Joach Urſin in Hiſt. Relat. & Nullitate Concil. Trident. Joh. Fried Gerhard. in Diſcuſſ. error. Concil. Trid. Cæſar. Aquilin. de Tribus Hiſtoricis Concil. Tridentini.

ſta habebantur loco definitionum & pro dictamine Spiritus Sancti. Sin quicquam dicebatur in contrarium, in illo expectanda erat judicum aut præſidum deciſio: quæ tamen non fiebat, niſi ad nutum pontificis, ſine cujus arbitrio, prius per literas requiſito, nihil penitus ſtatuebatur. Illa enim tria legatis ſevere injunxerat: *ne ullum decretum promulgaretur, priusqvam Romam eſſet miſſum: ne in capitibus indubitatis tempus conſumeretur: ne unqvam qvacunq; de cauſa ad diſputationem de autoritate papæ veniretur.* Quin &, ſi qui epiſcopi aut theologi paulo liberius eſſent locuti, illorum nomina ſtatim legati ad pontificem Romam detulerunt, ut inhiberentur. Interim non omnia, quæ gerebantur, ut in antiquis conciliis, ſed tantum decreta in Acta conciliorum ſunt relata: Illa nempe, quæ in ſeſſionibus ſolemnibus publicabantur, & legatis ad pontificis nutum placuerant. Et ita *ſeſſiones nihil aliud erant, quam pura ceremonia*, illi, addita, quod antea in confeſſionibus ſive plurium ſive omnium intra privatos parietes erat geſtum. Quin & cum canones condebantur, *nullibi ut diximus, ſine ambiguitate ponebantur verba*, niſi cum damnandi erant, qui pontifici contradicunt: in reliquis ita temperabantur, ut diverſe in eccleſia Romana ſentientibus de plerisq; articulis ſuis cuique maneret ſenſus. Subinde interim regum legati querebantur jam de forma rerum tractandarum, jam de libertate ſuarum eccleſiarum peſſumdata, jam de aliis. Non igitur ſine cauſa proteſtantes, cum à Cæſare admönerentur, ut ſe concilio per Pium IV. Tridenti redintegrato ſubmitterent, cauſis ſcripto publico per doctores & conſiliarios ſuos confecto expoſitis, ob qvas ſæpius ad liberum concilium provocaſſent, & adhuc de novo provocarent, ſe demonſtrarunt non refugere cenſuram orthodoxæ & catholicæ eccleſiæ: ſed concilia pontificum ob prægnantes & graves cauſas non agnöſcere, nec per ſe ſtetiſſe, quo minus liberum & Chriſtianum concilium in Germania hactenus habitum ſit. Conditiones etiam expoſuerunt, quibus ſe conſenſuros profitebantur, ut à futuro concilio generali judicentur. I. *ſi illud in Germania celebretur. II. ne à papa indicatur. III. ſi papa decretis ſubjaceat. IV. & patres à juramento pontifici præſtito immunes ſint. V. ſi ſcriptura judex ſit. VI. ſi proteſtantes vocem deliberativam & deciſivam habeant, ipſisque ſalvus detur conductus, tum quoad perſonas, tum quoad religionis exercitium. VII. nec numero, ſed pondere ſuffragia æſtimentur. VIII. hactenus interim acta concilii Tridentini pro irritis habeantur. IX. ſi concordia in concilio inita non fuerit, pacificatio Paſſavienſis inviolata maneat. X. ut de omnibus articulis præ-*

prædictis cautio ſufficiens detur. Sed his omnibus neglectis, pontificium pſeudoconcilium continuatum, &, ceu antea prorogatum, ita magna tandem feſtinatione finitum eſt. Confer *Innocentium Gentiletum JC. tum in examine Concilii Tridentini, & Joachimum Urſinum in hiſtorica relatione ejusdem concilii, imprimis Petri Suavis hiſtoriam & Chemnitium in examine Concilii Tridentini.* Cæſar *Ferdinandus cum duce Bavariæ*, & poſt eum *Maximilianus*, ipſo Spondano ad annum LXIV. non negante, multa egerant pro reſtituendo calice & conjugio ſacerdotum, & rationes doctorum, alias cum pontifice ſentientium, obtulerant: tantaq; fuit in Germania & Polonia calicis ſitis, etiam in magna parte catholicorum, (ceu vulgo vocant) ut verba Chriſti: *Bibite ex hoc omnes*: aureis literis in Bibliis exprimerent, libris omnibus & catechiſmis adjungerent, perpetuoq; detonarent adverſus fures calicis. *Philippus rex Hiſpaniæ*, ut idem Spondanus hæc & ſubſequentia teſtatur, improbabat finem concilio ſine ſuo conſenſu impoſitum, & rationes decretorum promulgandorum & exponendorum diſplicebant. *Carolus, rex Galliæ*, per oratores multa arguebat contra Galliæ jura & regiam autoritatem præcepta, & ſingula concilii decreta illis rationibus diſcusſit, quibus factum eſt, ut hactenus concilium in Gallia ſine publica promulgatione permanſerit. *Carolus Molinæus* etiam, JCtus magni nominis apud Pariſienſes, publico ſcripto demonſtravit, *concilium eſſe nullum, vitio indictum, habitum & terminatum, contra antiqua Patrum decreta, & contra regni Francici dignitatem & libertatem*: & quanqvam ob id à ſenatu Pariſienſi in carcerem conjectus eſt, juſſu tamen regis liber evaſit. *Petrus Svavis Polanus* ſupra memoratus, demonſtrat initio hiſtoriæ, concilium omniū exſpectationi fuiſſe diſſonum. Nam *cum viri pii ſperaſſent, eccleſiam, quæ fatiſcere cœpta erat, rurſus per illud uniendam, tantum ſchiſma eſſe conſtabilitum, ut reconciliationis ſpes omnis decoxerit; cum principes crederent, ordinem eccleſiaſticum reformatum iri, majorem quam unquam alias, ex qvo fuit nomen Chriſtianum, in eccleſiam eſſe invectam deformitatem; cum epiſcopi ſperaſſent dignitatem antiſtitum, quam pene univerſam ipſis ademtam ad ſe traxerat pontifex, integram reſtituendam eſſe, eandem pleniſſime eſſe ſubtractam; cum deniq; formidaſſet curia Romana, fore, ut immenſa ſua potentia à parvis hactenus initiis in infinitum aucta, in ordinem redigeretur, eam ita eſſe roboratam, ut nunquam tanta tamq; firmis radicibus innixa credatur.*

XXVIII. Sed ex hoc Tridentino labyrintho tandem ad alias hiſtorias, quarum ſeriem interrupiſti, revertamur.

Chytr. XVI. p. 41. ſeqq. Thuan. l. 24. p. 48. Alſted. in Chronol. p. 604. Hortleder. T. 2. l. 2. cap. 20. 28.

Qva ratione, *vigore Wormatienſis edicti quodammodo ſubſidente*, inter Caroli V. fratrem, legatumque Ferdinandum, & principes evangelicos anno XXVI. *ut ſua cuiq; religio libera permitteretur*, primum convenerit, & cum ſecuritatem ſibi & ſuæ religioni procuraturi eſſent proteſtantes, *fœdus Smalcaldicum* anno XXX. inierint, donec tandem *prima pacis religioſæ fundamenta* anno XXIX. *Schwinfurti & Noribergæ* jacta ſint, ſupra dictum eſt. Cum autem eo tempore, quo concilium pontificium Tridenti celebrari cœpit, papa Paulus III. hanc fœderis rationem anno XLVI. cum Cæſare iniiſſe diceretur, ut, qui concilium repudiaturi eſſent, copiis ex Italia, Hiſpania & Germania conſcriptis, ad curiæ Romanæ obedientiam retraherentur, largas etiam indulgentias contra hæreticos, ceu vocabat, militaturis promiſiſſet, Proteſtantes imprimis Saxo & Landgravius, exercitum validum conſcripſerunt. Cæſar ſpecie vindicandæ in paucis rebellionis utrumque eorum in comitiis Ratisbonæ anno XLVI. proſcripſit, &, quia bellum à ſe religionis cauſa ſuſcipi diſſimulabat ipſis nonnullorum proteſtantium, ut *Mauritii & Auguſti Saxonum, Johannis & Alberti Brandeburgicorum* armis juvabatur. *Saxo atq; Landgravius*, etſi initio impetum in Bavariam feciſſent, ſeque ſociis ex civitatibus fœderatis junxiſſent, & caſtra Cæſarea oppugnaſſent ad Ingolſtadium, inqve conflictibus nonnullis virtutem probaſſent: tamen cum autoritate pares ſibi invicem ob æmulationem non cederent, bellas rei bene gerendæ occaſiones è manibus amiſere. Tandem cum *Ferdinandus rex* cum copiis Bohemorum & Hungarorum una parte; *Mauritius & Auguſtus Saxones* alia, in Saxoniam erumperent; *exercitus etiam Cæſarei* partim ex Italia Bavariæ; partim ex Hiſpania Haſſiæ imminerent, in ſua diſcedere ſunt coacti. *Cæſar*, campo victoriarum ſibi in Germania ſuperiore aperto, à *civitatibus, Palatino Rheni & duce Würtenbergico*, qui nomen Smalcaldico fœderi dederant, largam pecuniæ ſummam & tormenta plura accepit: omnibusque copiis ad Ægram collectis, ipſum *Johannem Fridericum*, qui paulo ante Lipſiam fruſtra oppugnarat, & paulo poſt *Albertum Brandeburgicum & Landgravium Leuchtenbergenſem*, prælio *prope Rochlizium* victos in poteſtatem redegerat, trajecto Albi, quem Saxonicus exercitus retrogreſſus reliquerat, *prope Mulbergam*

Sleidan. lib. 17. p. 525. Hortled. Tom. 1. l. 3. c. 16. p. 273.

Thuan. l. 4. pag. 115. Sleid. l. 19. p. 576. Chytr. l. 16. p. 431. Pont. Heutr. lib. 12. Auſtr. 13.

cum Erneſto duce Brunſvicenſi in acie cepit, & rigida eum ſententia capitis damnavit. Executio jam erat officialibus demandata in caſtris ad Witebergam: ſed interceſſionibus electoris Brandenburgici & ducis Clivenſis Cæſar mitigatus, Johannem Fridericum, Witeberga, Mageburgo & Halberſtadio, ipſoque electoratu privatum, detinuit in qvinquennali captivitate: tamqve animoſum eum deprehendit, ut mori ſe diceret malle, qvam, cum in aliis ſe arbitratui Cæſaris permiſiſſet, illam probare conditionem, qua jubebatur approbare, quicquid concilium Tridentinum de religione ſtatueret, vel liber interreligionis juberet. Filiis ejus permiſſæ paternæ in Thuringia ditiones: hac tamen conditione, ut *arx Gothana* deſolaretur. *Mauritius* ſucceſſit in electoratu. *Landgravius* paulo poſt, Halis Saxonum, Cæſari ſupplex factus, ſe illius commiſit clementiæ. Sed & ipſe, omnibus interceſſionibus fruſtra habitis, quinqvennali cuſtodia detentus eſt. *Bohemi*, qui à partibus fœderatorum ſteterant, poſt acceptam cladem & pœnas certas dictatas, à rege Ferdinando in gratiam recepti ſunt. Sic tandem conſtitit, *quid crux illa aureo fulgens colore* portenderit, quæ in dorſo Johannis Friderici, cum naſceretur, conſpecta eſt, *teſtante id Bucholzero ad annum 1503.* Crucem ſcilicet geſtavit, toti orbi conſpicuam, ceu ſacerdos pius & ſenex de eo auguratus fuerat. Sed ut Deo triumphus de electore placuerit, *prodigioſum fulmen* teſtatur, quod Miſenæ templum horis pomeridianis accendit, & ipſas campanas incendio liqvefecit, cum ante meridiem in eo ſacrificuli gratias Deo ob electorem pridie captum cecinifſent, *ceu legere eſt apud Georgium Fabricium in annalibus urbis Miſenæ.* Cæſar interim, cum ſpes concilii exigua eſſet, anno XLVIII. formulam *Interreligionis Interimiſticam*, in comitiis Auguſtanis armatis, conſcribi, publicari, *& Declarationem religionis* in receſſibus imperii nominari curavit. Sphyngis vel monſtri hujus quod nec papæ, nec evangelicis placuit, autores fuerunt *Julius Pflugius*, epiſcopus Naumburgenſis, *Michael Sidonius*, chorepiſcopus primum Moguntinus, nunc tandem epiſcopus Martisburgenſis factus, & *Johannes Agricola Islebius*, electori Brandenburgico à concionibus. Hi librum, qui eſſet quaſi compendium concilii Tridentini, procuderant, blandis tamen verbis, ut Lutheraniſmum in multis ſaperet. Recte enim *Thuanus libro V. hiſtoriarum*, *Capita*, inquit, *complectebatur, recepta hactenus* (pontificiæ) *religioni prorſus conſentientia, niſi qvod ſacerdotum conjugium non penitus damnabat, nec carnis & ſanguinis Chriſti ſub utraq; ſpecie communionem omnino rejiciebat,*

Thuanus lib. 5. p. 143. usq; 146 Sleidan. lib. 20. pag. 625. & 633. Chytr. l. 16. p. 439. Oſiander. Cent. 16. lib. 2. c. 68. p. 24. usque 490.

bat, ſed utrumque eſſe tolerandum proponebat, donec de tota re ex concilii ſententia decerneretur. Quo factum eſt, ut liber, quantumvis Cæſar graviſſimis verbis id vetuiſſet, contrariis editis ſcriptis ab utraque parte impugnatus ſit. Quin &, cum exploſus jam eſſet, ejus tamen occaſione de adiaphoris, ſynergia, bonis operibus, & aliis rebus diſputatum eſt, unde curſus evangelii valde impediebatur. Formulam etiam *emendationis eccleſiaſticæ* Cæſar XXII. capitibus, de miniſtrorum ordinatione, electione & officiis, deque ſcholis, hoſpitalibus locis, ſacramentorum adminiſtratione, & aliis in eccleſia functionibus & ceremoniis, à præſulibus & aliis viris doctis conſcribi curavit. Sed hæc eadem fata ſenſit, quæ ipſe liber Interreligionis.

XXIX. Num in hanc metaxycam interreligionis formam conſenſerunt Proteſtantes?

Oſiand. l. cit. c. 69. p. 497. ſeq. Alſted. in Chronol. p. 619 ſeq. Thuan. l. 5 pag. 152 lib. 6. p. 169. Pont. Heuter. Auſtr. l. 13. c. 5. Haræus p. 659. Sleid. l. 22 p. 684 688. ſeq. 720. 723 Beſſelmejer. ap. Schard. p. 1684. Horſted. Tom. 2. l. 4. Chytr. lib. 17. p. 438.

Etſi nonnullæ eccleſiæ, & præ reliquis *captivus Saxoniæ elector* cum filiis, *Johannes Brandenburgicus*, *& Wolffgangus Bipontinus*, eam prorſus rejecerunt: metu tamen Cæſaris percuſſi reliqvi, & inter eos *tres electores ſeculares*, aliqvid humani paſſi ſunt. Nunqvam tamen ab iis obtineri potuit, ut in ſolidum libro adſtipularentur, aut ad ejus leges ſe & eccleſias penitus adſtringerent. Miſſa interim per hoc *INTERIM* (welches hatte den Schalck hinter ihm / ut dicere ſolebant) remigravit *Argentinam*, *Ulmam*, *Conſtantiam*, *& in multa loca*, unde fermentum pontificium jam ejectum erat, & multa doctorum noſtratium exilia ſunt procurata. *Brentius*, Hala Svevorum diſcedens, occultum apud ducem Würtenbergicum hoſpitium invenit. *Muſculus*, Auguſta relicta, Bernæ *eſt receptus*. Oſiander à Noribergenſibus dimiſſus, Uratiſlaviam, hinc in Boruſſiam venit. *Sarcerius*, *Snepfius*, *Aquila*, *Amsdorfius*, *Gallus*, *Illyricus*, *& multi alii*, latibula quæſiverunt. Tandem cum multi multa cauſati, decretum religionis nuper evulgatum repudiarent, inter omnes reliqvos, *Magdeburgici*, *ut antea Johanni Friderico adhæſerant*, *ita* rejectioni libri contemtum addidere: & anno XLVII. proſcripti, armis ſe tutati ſunt. Bello tandem poſt obſidionem XIV. pene menſium compoſito, *Mauritius*, ad qvem Saxoniæ electoratus pervenerat, quiqve hactenus cum Alberto *Brandenburgico & Georgio Mecklenburgenſi* Magdeburgum obſederat, cum captivorum ducum liberationem precibus obtinere non poſſet, inito cum Gallo fœdere, conſentiente & arma jungente *Alberto Brandenburgenſi*, bellum Cæſari denunci-

nunciavit: Auguſtam deditione cepit: ad Alpes contendit: Cæſare interea Oeniponte Villacum ſe recipiente. Sic non ſaltem captivi dimiſſi, ſed & à proteſtantibus, ſcripto Auguſtæ divulgato, miniſtri eccleſiarum ejecti per Germaniam ad obeundum munus revocati, & tandem palladium illud Germaniæ ſaluberrimum *transactio videlicet ſeu pacificatio Paſſavienſis*, fauſto omine erectum eſt, decreto anno LII. facto, *ne altera pars judicis perſonam ſibi in alteram ſumat, ſed concilio legitimo, vel colloqvio, vel aliis pacatis mediis lis de religione componatur.* Hæc transactio Paſſavienſis poſtea, *in comitiis Auguſtanis, anno LV.* ſolemni conſtitutione pacis religioſæ, repetita & perfectior facta, vim legis conſecuta eſt: omnesque juſſi ſunt, *ſepoſitis ſimultatibus, & ſuſpenſa eccleſiaſtica juriſdictione, pacifice inter ſe vivere, nec intuitu religionis alterum vel alterius ſubditos turbare, donec Chriſtiana fidei unione & amica compoſitione omnia tranſigantur.* Huic religionis paci etſi infenſiſſimis ſeſe oppoſuerunt animis pontificii, conſtitit tamen illa, multis in comitiis corroborata. Quin &, cum *rex Galliæ Carolus IX.* felicem transactionis ſucceſſum in Germania animadverteret, pari modo anno LXI. per univerſam Galliam *religionis libertatem conceſſit.* Eandem obtinuerunt *Poloni, Bohemi, Hungari.*

Thuan. l. 10 p. 319. Chytr. l. 17 pag. 458. 460. Pont. Heuter. Auſtr. l. 13 c. 15 Sleid. l. 24. pag. 783. & l. 16 pag. 855.

XXX. Sed per concilium Tridentinum pacem religionis ſublatam eſſe forſan dicent pontificii.

Qvum concilium illud, tanquam quod ex nutu pontificis, neglecta S. ſcripturæ norma, dependebat, ſemper improbaverint proteſtantes: per illud ædepol pacificatio, mutuo Cæſaris & proteſtantium conſenſu conſtituta, & ob id non ſemel in receſſibus imperii *æterna, perpetua, & abſoluta Conſtitutio* vocata, invitis iis, quorum intererat, reſcindi aut retractari nequiit: præſertim qvum inter terminos & metas certas ſit prudenter conſtricta, inter quas ejus vigor volvitur, malevolis fruſtra contranitentibus. Quos ſane pudeat concilii ſui Tridentini: quod, ut ſupra diximus, nec Chriſtianum fuit, cum Chriſti verbum in eo judicis partes non ſuſtineret: nec liberum, cum ex arbitrio pontificis dependeret. Suſpecti erant aſſeſſores, jurata papæ, quem toties idololatriæ & tyrannidis adverſus eccleſiam Chriſti reum egimus, mancipia; ſuſpecta omnia. Mitto proteſtationes noſtratium contra illud ſolenniter factas. Mitto ipſam transactionem Paſſavienſem, qua in cauſa religionis alter alteri leges & formam fidei præſcribere prohibetur. Mitto denique, ita omnia

Hornbeek Examen bullæ papalis, qua Papa abrogare nititur pacem German. Anonym. Examen edicti de pace Relig. Iniqvit. Judic. Theolog. ab Ernesto de Euſebiis ſuper pace Relig. Georg. Pauli Apolog. pro dictatis ſuis Scholaſt. de pace relig. Mich. VVendland. Diſc. de pace Relig. & Juriſd. Imper. in Pontiſ.

omnia in pace religionis eſſe comprehenſa, ut ſalvo imperii ſtatu everti neqveant. *Conſule Sprengerum de pace religionis, Cranium de conſtitutione religionis, Arumæum in diſcurſibus Academicis, & imprimis pupillam S. R. J.* anno Auguſtanæ confeſsionis Jubilæo *à theologis electoralibus Saxonicis editam*, in qua VII. rationibus animoſe reſpondetur, quibus pacem religionis nos ulterius nihil concernere cenſent papæ mancipia.

XXXI. Mitterem te hinc ad alia, niſi in duobus eſſem informandus, ut ſciam reſpondere primum illis, qui pacem religionis Cæſari invito eſſe extortam dicunt; deinde his, qui proteſtantes multis modis, & imprimis eccleſiaſticorum bonorum invaſione, contra ipſam pacis conſtitutionem, deliquiſſe, ſeqve illa indignos feciſſe aſſerunt.

Primum quod attinet: *Franciſcus Burgkhardus* (verius *Andreas Erſtenberger*) conatur quidem in ſua *Autonomia*, oder in der Fürſtellung mehrerley Religion/ comprobare, hanc pacem Cæſari vi ferroque eſſe extortam. Unde etiam vocant *pacem loricatam*. Sed cujus tandem vim ferrumque Cæſar & monarcha omnium potentisſimus, tot tropæis clarus, tot regnorum & provinciarum dominus florentisſimus extimuiſſet, ſi quis eum cogere fuiſſet auſus? Auguſtam ſane paulo ante, triumphanti ſimilis, ingreſſus fuerat, *ut Thuanus libro IV. hiſtoriarum & Paulus Jovius libro XLV. referunt.* Et licet tum videri poſſet ab exercitu imparatior, cum Mauritius illum ob alias cauſas, non ob religionem armis inſequebatur: innumeræ tamen ſuppetebant rationes, quibus militem conficeret: vir admiranda in adverſis conſtantia, & animi præſentia in periculis, *ut iterum ſcribit Thuanus libro XXI.* Præterea, quanquam ob bellum à Mauritio ſibi illatum Carolus id conceſſit, quod alioquin non facile conceſſurus videbatur: omnem tamen coactionem ab hoc negotio abfuiſſe, teſtantur non ſolum clauſulæ ipſius transactionis, & toties repetitæ negotii pacificatorii ratihabitiones & confirmationes, ſed & *ipſa Ferdinandi confesſio*: qui ſæpe ſibi gratulatus eſt, *quod turbata patria tranquillitatem reſtituerit, & qvod tolerantiæ formula in religionis disſidio ſibi in mentem venerit.* Teſtis tandem omni exceptione major eſt ipſa hiſto-

Hauptwertheid. des Auzapf. c. 10 Avian. lib. 4. prax. Eccleſ. p. 352. Dannhauer Theol. Conſc p. 1 Dial. 3. qſt. 15 p 659. ſeq. & in Hodomor. Papæ prooem. p. 11. 14. Dorſchæus in Anticriſi Theol. contra Erneſt. de Euſebiis. Oſiand. in Caſibus Conſc. §. 81. c. 1. p. 1.

hiſtoria, ex qua novimus, tum temporis, cum pragmatica conſtitutio de pace religionis ſeu edictum pacificatorium Auguſtanum anno LV. factum eſt, non ſolum omnem armorum ſtrepitum conquieviſſe, ſed ipſum etiam Mauritium, jam ante biennium in prælio Brunſvicenſi globuli ictu trajectum, expiraſſe.

XXXII. Sed quid ad invaſionem bonorum eccleſiaſticorum?

Ipſi proteſtantes nullius bona ſe occupaſſe, ſed poſt reſtauratam puritati ſuæ doctrinam, bona quæque ad legitimos honeſtosque uſus, quibus principio fuerant deſtinata, ſed ab eccleſiaſticis poſtmodum interverſa, denuo applicuiſſe, in *conventu Haganoico* anno XL. reſponderunt. Didicerant hoc à Luthero, qui *abuſum tolli, non ipſa bona eccleſiaſtica alienari jubet, ne avaritia, ſed Chriſtiana fides monaſteriis ſit adverſa.* Idem paſſim in illos invehitur, *qui prætextu emendationis eccleſiarum, eccleſias iis bonis ſpoliant, quæ ad conſervationem miniſterii & ſcholarum conferenda erant: quibus & pauperibus ſi recte proſpectum ſit, non negat, ſuperflua ad reip. commodum converti poſſe.* Conſule *Saxoniam Evangelicam Höpfneri ſect. 1. part. 3. cap 2.* ſcriptum ſane æternitate dignum. Ex his omnibus patet, non poſſe noſtrates invaſionis bonorum eccleſiaſticorum incuſari. Interim de paragrapho pragmaticæ ſanctionis XIIX. quem nominant *Reſervatum eccleſiaſticum*, den geiſtlichen Vorbehalt/ non ſine magna contentione hactenus diſceptatum eſt. Ferdinandus enim cum inter utriusque religionis proceres non conveniret, vi Cæſareæ commisſionis decrevit, ut *eccleſiaſtici, ceu ſunt epiſcopi & prælati, à pontificia religione recedentes, à beneficiis quoque eorumque fructibus, honore & exiſtimatione illæſa, excludantur ſimul, & aliis locum concedant.* Ut igitur juxta hunc textum, tanquam validum & nunquam abrogatum omnes epiſcopatus & prælaturæ, poſt pragmaticam conſtitutionem ab evangelicis occupatæ, pontificiis reſtituantur, *Franciſcus Burgkhardus in Autonomia, & alii* poſtulant. *Proteſtantes* econtra nunquam ſe hujus puncti controverſi, ſeu poſtulati pontificiorum, deciſionem regiæ majeſtati commiſiſſe, aut ſua ſubſcriptione poſtulatum illud ratum habuiſſe, ſed potius omnibus in comitiis proteſtationibus ſolemnibus impugnaſſe, aſſerunt, *I. quia* ignominioſum eſſet eccleſiaſticis, ſi non poſſent, citra periculum commisſi beneficii & dignitatis, Auguſtanam amplecti confeſſionem. *II. quia* via veritatis multis præcluderetur, *III. quia* proteſtantes, appro-

Prolixè tractavit hoc argumentum Johannes Creccelius, Monachus ante Auguſtan9. poſt præco verbi Divini in Collectaneis Hiſtor. de Origin. & fundat. Monaſter. de eorundemq; uſu & abuſu, Efurti 1614.

approbando hoc poſtulatum, tacite ſuam doctrinam eſſent damnaturi. *IV. quia* multi veræ religionis amantes abſtraherentur à cognitione divina *V. quia* obſtaculum daretur futuro concilio. *VI. quia* plures jam à pontificia receſſerunt religione, qui citra periculum tumult9 revocari non poſſent: ob has cauſas proteſtantes reſervato huic eccleſiaſtico non acqvieviſſe, ſed eodem tempore, quo promulgatum eſt, proteſtando ſeſe contra illud præmuniviſſe, nec pro transactionis ſeu pacificationis religioſæ parte unquam illud habuiſſe, & eam ob cauſam ſeqventi anno de ſuo diſſenſu aperte fuiſſe conteſtatos. Deus, in cujus manibus regum ſunt corda, Divum noſtrum imperatorem eo dirigat, ut, eccleſiæ veræ patrocinio ſuſcepto, omnes abominetur, quos cœtus malignantium in orthodoxos armat. Amen.

XXXIII. Jam, quid rerum in eccleſia poſt pragmaticam pacis religioſæ ſanctionem & finitum concilium Tridentinum geſtum ſit, audire allubeſcit.

Cœperunt omnia tumultibus eſſe plena: idque non ſolum in Germania, ſed & in Gallia, Belgio, Anglia, Italia, & ubi non? Pontificii enim, omnia ad concilii Tridentini decreta ordinaturi, nihil reliquerunt intentatum, qvod ad extirpandos evangelicos commodum videbatur. *Calviniani*, ſub Philippi nomine & autoritate, virus cum occulte, tum publice diſſeminantes, horrendi ſchiſmatis autores extiterunt. *Hæretici* alii multos, ſuarum opinionum fœditate aſperſos, ad impios conatus abduxere. Imprimis *Hiſpanica inquiſitio* (quæ quondam adverſus Mauros & Judæos, Maranitas vocatos, anno cIↃ CCCCLXXVIII. inſtituta fuerat) varias nationes perculit. Nam monachi Dominicani, cum ſuis *hæreticæ pravitatis*, ceu vocant, *inquiſitoribus*, vim omnem truculentæ inquiſitionis in Chriſtianos, evangelicæ veritatis amantes, circa annum LIX. direxerunt, & truci flamma non tantum in gregarios fidei confeſſores, ſed & in illuſtres perſonas ſolemni tripudio deſævierunt. Si quis, vel unico teſte, Lutheranæ religionis ſuſpicionem ſuſtinebat. nulla ejus excuſatio vel audita, vel accepta eſt: ſed tormentis tamdiu membra accuſati diſtracta ſunt, donec fidei confesſio extorqveretur. Perverſam & præpoſteram judiciorum in hac inquiſitione formam, contra naturalem æquitatem & omnem legitimum ordinem obſervari ſolitam, tum etiam immanitatem tormentorum, quibus plerumque contra veritatem, quicquid delegatis judicibus libet, à miſeris & innocen-

Hugo Grot. l. 1. & 2. Annal Belgic. Nicol Burgund. de morib. Belgicis. Thuan. l. 40. pr. Everh Rheidan in Ann. Belg. l. 1. Emman. Meteran. Hiſt. Belg l. 2. p. 59. Famian Strada de bello Belg. l. 5. p. 173. Thuan. lib. 40. Hiſtor. p. 804. Chytr. l. 21. Sax. p. 634. Simon.

nocentibus reis, ut ſe cruciatibus eximant, per vim extorquetur, jam *Neapolitani*, cum inquiſitores anno XLVII. à Prorege Petro Toletano recipere juſſi deteſtarentur, ingenti tumultu ſe illi oppoſuere: & jam L. milia ad arma convenerant. Pacata tamen ſunt omnia, cum Cæſar ſanxiſſet, *ut in illo regno inquiſitionis mentio amplius non fieret.* Hac inquiſitione cum etiam *Belgæ* peterentur, novis epiſcoporum ſedibus eam in rem inſtitutis, nec eam deprecari poſſent, *primi tumultus pro libertate religionis* anno LXVI. in Belgio exorti ſunt: qui tamdiu florentisſimas has regiones divexarunt, donec *ordines Belgii generales anno LXXXI. obedientia regi Hiſpanorum renunciata*, ſibi gubernatorem præficerent. Et licet regiis exercitibus atqve inaudita tyrannide confeſſores fidei premerentur, felici tamen ſucceſſu adverſus omnem injuriam hactenus protecti ſunt: uti aliquanto prolixius in priori ſyntagmate rem deduximus. Et hæc quidem Belgii fata fuerunt. *Galliam* non minores motus concuſſerunt. In ea enim anno XXIII. duobus in locis gratia evangelica annunciari cœpit, *Gratianopoli* in Delphinatu per *Petrum Sebevillam*, & *Meldæ* per *Jacobum Fabrum* Picardum, *Gvilielmum Farellum* Delphinatem, *Arnoldum & Gerhardum Ruffum* Picardos, Lutetia ab epiſcopo, *Guilielmo Briſſonetto*, ad veritatem docendam evocatos. Quanquam autem epiſcopus in veritate agnita non perſtitit, doctoresqve novitios iterum dimiſit; receperunt tamen ſe illi in alia Galliæ loca, & multas pasſim ecclesias condiderunt. JOH. CALVINUS imprimis anno cIↃIↃIX. Novioduni in Picardia natus, nobilem operam præſtitit in regno Galliæ pontificiis tenebris ſubtrahendo: qvanquam ſimul in erroribus Zvvinglii interpolandis nimis fuit ſtrenuus. Ad juriſprudentiam initio Aureliis & Avarici animum applicuerat: cui tamen deinde Lutetiæ ſtudium theologiæ prætulit, inqve illo ſic brevi profecit, ut radiis evangelicæ veritatis, à pontificiis hactenus obſcuratæ, ſtatim percelleretur, pluresqve alios præcipuæ autoritatis viros in Gallia eadem luce collustraret: eo quidem tempore, quo jam Zvvinglius, Oecolampadius & Caroloſtadius diem obierant. Engoliſmæ primam *inſtitutionem Chriſtianæ theologiæ* telam exorſus eſt, librumq; auctiorem poſtea anno ſeculi XXXVI. Franciſco regi Galliarum inſcribebat, poſtea inter damnatos libros à rege redactum. Multos pasſim, & imprimis in Toloſana & Pictavienſi Academia, habuit aſſeclas, interque eos *Margaretam Navarræ reginam, regis Franciſci ſororem.* Quanqvam autem rex edictis omnes urgebat, qui papæ idolomanias deteſtabantur, pedetentim tamen ſatis

Schard. de Reb. geſt. ſub Maxim II apud Urſtiſ. tom. 4.

Melch. Adami in Vit. Theol. extr. p. 63. Thuan. l. 63. p. 187. Freher. p 199. Seckend. in Hiſt. Lutheran. Ind. 1. Joh. VVigand. in Hiſtor. Sacram. Nicol. Reuſn. in Icon.

magni cœtus in Gallia ſub ſuis paſtoribus convenere, *inqve Pariſiis Franc. Landrus & Depenſius* evangelii præconium faciebant: qui duo cum coram rege jam ab evangelicis alieniore (initio enim cum ſorore Margareta magni eos fecerat) palinodiam canerent, & *theologi Pariſienſes* XXV. doctrinæ capita publica propoſuiſſent, contra quæ nemo ſub gravi pœna quicqvam faceret aut doceret, Calvinus *antidotum adverſus Sorboniſtas, & præterea librum de Sanctorum reliquiis* edidit, & pontificiæ eccleſiæ religionem omnibus ridendam expoſuit. Tandem, cum ad *Renatam, Ludovici XII. regis Gallorum filiam, Herculis ducis Ferrarienſis uxorem*, profectus, in ea nauſeam idololatriæ commoviſſet, *Genevæ* in Sabaudia, ubi jam *Farellus & Viretus Helvetius* ſemina repurgatæ religionis ſparſerant, anno XXXVI. conſedit: ea inter Reformatos per Galliam autoritate, ut ad ejus conſilia & *ad formulam catechiſmi ab eo anno XLV. perſcripti*, eccleſiarum ſuarum ſacra omnia ordinarent. Ubi notetur, quod *Genevenſes* jam ante adventum Calvini, cum anno XXXV. à duce Sabudiæ oppugnati, & gravi obſidione ob religionis purioris confeſſores receptos afflicti eſſent, & hoſtem feliciter avertiſſent, totum ſuperſtitionis Romani antichriſti fermentum expurgaverint, & rem geſtam tabulæ æneæ ante prætorium inſculpſerint. Biennium tantum hæſit Calvinus Genevæ. Poſt ob diſſenſum in nonnullis rebus cum aliis anno XXXVIII. abiit *Argentinam*: ubi, autore potiſſimum *Joh. Sturmio JCto & Senatore*, nova ſchola ſurgebat, & *Bucerus* negotio ſacramentario componendo celebris erat. Hic primam in Germania Gallicam eccleſiam pro Gallis quibusdam exulibus cum licentia ceremoniarum peculiarium impetravit. Poſtquam biennio ſubſtitiſſet Argentinæ, rediit Genevam, & ibi usqve ad obitum ſubſtitit. Interea *Petrus Martyr*, alias *Vermilius*, natione Florentinus, & *Bernhardinus Ochinus*, Senenſis, præcipui in Italia concionatores, veritate purioris religionis perſpecta, in Germaniam ſeſe recepere: & paulo poſt cum Bucero & Fagio in Angliam, poſt Henrici VIII. fata, *à Thoma Crammero*, archiepiſcopo Cantuarienſi, evocati, eccleſias juxta Calvini mentem reformavere. Sed tempore Mariæ reginæ inde digreſſi, in Germaniam rediere. Ochinus poſtea in Poloniam & Tranſilvaniam migravit, tandemque ad Arianorum partes acceſſit. Regis interim Gallicani, etſi nunquam nō maximis à pontifice contentionibus, pro libertate contra ſacram tyrannidem defendenda, diſſidebant, nihilo tamen minus etiam tum, cum oppugnarent papam, papatum defenderunt, & epiſcopis animadvertendi in evangelicos

licos poteſtatem fecerunt. Hinc toties martyrum ſanguine maduerunt *Henricus II. & Franciſcus II.* pravæ in Gallia inquiſitionis autores: nec deſtiterunt prius in confeſſores fidei deſævire, quam *ille* in haſtiludio, *hic* aure putrefacta corrueret. Franciſcus II. quidem paulo ante obitum edicto ſupplicia diſſentientium in religione vetuerat: ſed cum non ceſſarent *Guiſii, duces Lotharingiæ*, hoſtes religionis repurgatæ jurati, exitium diſſentientibus machinari, graves in regno extabant querelæ: & jam conſilia de rege è manibus Guiſiorum, à quibus totus pendebat, liberando videbantur agitari, idque imprimis *in conjuratione*, ceu vocant *Nannetenſi & Ambroſiana*. Perſtitere tamen Guiſii in odio adverſus religionem, & nationale concilium, quod in Gallia paſſim poſtulabatur, omnibus nervis impediere. Defuncto Franciſco cum *Caroli IX.* pueri decennalis tutelam mater *Catharina* adminiſtraret, anno LXI. pax aliqua, per DECRETUM, ceu vocant, JULIANUM, & anno ſequenti per DECRETUM JANUARIUM, reformatis eccleſiis eſt conceſſa: ſed nullo effectu. Eodem enim anno Guiſius *Vaſſiaci* in eas ſævitiæ *fecit* initium, & curavit, *ut SCto in Ludovicum Condeum & omnes reformatæ religionis aſſertores conderentur.* Hinc bella ex bellis: & quanqvam pax vel tribus repetitis vicibus conſtituta eſt, tandem tamen *in nuptiis Pariſienſibus* Henrici Navarræi & Margaretæ ſororis Caroli IX. laniena famigerata, qva

Chytr. l. 20. p. 516. Hareus tom. 3. p. 6. & 7. Thuan. 28 p. 33 & lib. 29. p. 74. Petr. Suav. in Hiſt. Concil. Trid. l. 5. p. 504. & l. 6. p. 528.

LVtetIa Mater natos DeVoraVIt ſVos,

innumerabilē hominum innoxiorum numerum immenſo facinore ſuſtulerunt, *ut poſtea clarius innoteſcet, quando de martyriis & perſecutionibus eccleſiarum dicturi ſumus.* Hanc calamitatem in Gallia ſors quidem temperavit lætior, cum *Henricus III. & IV.* libertatem religionis purioris confirmarent. Sed uterque ob hanc animi æquitatem *Jeſuiticis ſicariorum telis* miſere interemtus obiit. Verum nec ſic confeſſoribus veritas, quam adverſus papatum tutabantur, extorqveri poterat. Eorum enim conſtantia tam feliciter varia perſecutionum tela Dei gratia ſuſtinuit & eluſit, ut nunc temporis etiam ſua religione frui queant, licet difficultatibus preſſi ingentibus. Jeſuitæ vero, quorum diſcipulus *Joh. Caſtellus* Heinricum IV. ſica petierat, jam anno XCIV. collegiis exire, & ut ante XXXIX annos, ita denuo Galliæ regno cedere juſſi ſunt. Sed cum hæ curiæ Romanæ fulcra viderentur neceſſaria, iterum iterumqve ſunt reſtituta. Interim cum poſt concilium Tridentinum, quod regis Galliæ majeſtas, ab affectata majeſtate pontificia admodum læſa, recipere

non poterat, in ipſis Pariſiis *à Thoma Blanzio theologo*, præſide, & *Florente Jacobo*, reſpondente, anno CIↃIↃXCV. hæc theſis publice eſſet propoſita, *papam in omnes reges ſupremam tam in ſpiritualibus, quam temporalibus poteſtatem obtinere*, regio edicto præſes & reſpondens in carcerem ſunt conjecti, & theſes revocato ad meliorem mentem utroque, concerptæ & laceratæ. Et hodienum *theologi Pariſienſes* negant *pontificem eſſe ſupra concilium*: inqve ſchola Sorbonica anno hujus ſeculi X. ad ignem damnatus eſt *liber Joh. Marcana de rege & regis inſtitutione*, in qvo decretum concilii Conſtantienſis de vi principibus ſupremis non inferenda, improbatum fuerat. Illo ipſo anno *liber Bellarmini de poteſtate pontificis in temporalibus* ſub pœna læſæ majeſtatis eſt interdictus. Poſt biennium in ſynodo Pariſienſi *contra librum de politica & eccleſiaſtica poteſtate* definitum eſt, *non expedire, ut in Gallia Tridentinum concilium promulgetur: nec ullam poteſtatem in temporalibus eſſe ſupra regiam: neq; ullo prætextu reges poſſe in necem dari*. Et quanquam clerus poſtea anno XV. illud reciperet, fraudi tamen id ſibi reliqvi non putarunt. Qvod attinet *HUGONOTORUM* nomen, illud anno CIↃIↃLX. Turonii initium ſumſit, ubi ad portam Hugonis convenire ſolebant Reformati. Dicunt tamen nonnulli, eos ab ædibus alicujus Hugonis, in quibus ſacra Pariſiis facere conſueverant, appellatos eſſe. Alii hunc addunt rationem, qvod *Guiſii*, à Carolo M. ſanguinem ducentes, odioſo nomine adverſarios ſuos *Condæos*, originem ex Hugone trahentes, vocaverint Hugonottos. *Thuanus* rem ſic enarrat *libro XXIV*. Apud Cæſarodunenſes Hugonoti ridiculũ ſimul & odioſum nomen primum innotuit, qvo qui antea Lutherani dicebantur, pasſim poſtea in Gallia vocari cœpere. Hujus autem hæc origo fuit, qvod, cum ſingulæ urbes apud nos peculiaria nomina habeant, quibus mormones, lemures, manducos, & cætera hujusmodi monſtra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac ſimplicibus feminis terrorem vulgo indigitant, Cæſaroduni Hugo rex celebratur, qui noctu promœria civitatis obequitare, & ovios homines pulſare ac rapere dicitur. Ab eo Hugonotti appellati, qui ad ea loca ad conciones audiendas & preces faciendas itidem noctu, quia interdiu non licebat, agminatim in occulto conveniebant. *Bzovius* ad annum 1381. refert, *Hugonem Aubriottum Burgundum, Wicleffitam*, ſeculo XIV. ab epiſcopis carceri mancipatum, & inde concurſu plebis eductũ, nomen Hugonotis reliquiſſe. *Spondanus* putat, corruptum eſſe nomen ab Helvetico Eidgenoſſen ſeu Hens-gvenaus, quod putat apud eos ſignificare gentes & homines ſeditioſos.

XXXIV.

XXXV. Quid interim in his Galliarum turbis reliquæ nationes? quænam in illis eccleſiarum facies?

Dania & Norvegia fidem repurgatam ſub rege Friderico I. ſuſcepit, & ad normam à Johanne Buggenhagio Pomerano præſcriptam, anno XXXVII. ceremonias inſtituit. Septem omnino eccleſiarum Superintendentes in Dania conſtituti ſunt; in Norvegia quatuor: qui omnibus ſacris, tanquam ſupremi inſpectores, præeſſent. *Svecia* etiam ſub Guſtavo, anno XXV. mature fidem orthodoxam approbavit, ſeque poſtea, ſuosque faſces, rejecto nativo rege Sigismundo, maluit duci Carolo committere, quam Jeſuitas, quos Sigiſmundus anno XCVIII introducturus erat, recipere. *Bohemia*, jam à temporibus usque Husſi à pontifice disſidens veritatem agnovit. Rudolphus tandem anno cIↃIↃCIX. libertatem religionis literis, quas ſic vocant, majeſtaticis ei conceſſit. Inter Picardos autem (ſic vocant, qui Romanum pontificem appellant Antichriſtum) cum nonnulli eſſent, qui Lutheranæ confeſſioni aſtipularentur; nonnulli, qui Sacramentariis: *ſyncretiſmus Bohemicæ confeſſionis* utrosqve conjunxit. Nunc pontificiis decretis utriqve exulant. Eadem fata manſerunt *Moraviam & Styriam atq; Auſtriam:* qvas qvidem illuminavit lux evangelii; nunc autem exploſa dereliqvit. Ferdinandus enim, patri anno cIↃIↃc. in Styria ſuccedens, exercitium religionis noſtræ prohibuit, & omnes ad unum Lutheranos excedere juſſit. Ad imperium evectus, Bohemos ſimul, & qui Bohemis adhæſerunt, exercitio repurgatæ religionis privavit. *Hungaria* cum *Illyrico* & *Tranſſilvania*, atqve *Polonia* cum *Lithuania* αὐτονομίαν religionis etiam obtinuerunt, & pro ea tuenda adhuc fortiter excubant. Ex *ipſa* ITALIA Lutherus anno XLII. à *Mutina & Bononia*, ut & poſt biennium ex *Venetiis & Vicentia*, literas ab illis accepit, qui ipſi applaudebant. Et jam tempore Clementis VII. cum à Cæſareanis vexaretur papa, permulti in privatis civitatum ædibus, & maxime *Fiënzæ*, pontificis territorio, evangelium prædicabant, *teſte Petr. Suav Polon. in hiſt. concil. Trid. lib. I.* Jam ſupra diximus, *Varaglinum*, Capucini ordinis autorem, Pedemontanum, veritatem fidei agnoviſſe, & martyrium conſummaſſe. Idem teſtatur Sleidanus. lib. XXI ubi *Vergeriorum* converſionem & conciones evangelicas deſcribit. *Petrus Martyr, Florentinus*, de qvo jam ſupra diximus, variis dignitatibus in Italia defunctus, non paucos, & inter eos *Johannē Valdeſſi*-

Chytr. lib. 5. p. 378. ſeq.

Chytr. lib. 11.

Joh. Laſitius de Reb. Geſt. Fr. lib. 4. & 5.

deſium Hiſpanum JCtum ſecum ex tenebris eduxit, & Lucæ atqve Piſis animoſe evangelium docuit, atqve ex Italia pulſus, Argentinæ, in Anglia, in Helvetia, theologiam profeſſus eſt. *In Renatæ, Ludovici XII. regis Gallorum filiæ, Herculi duci Ferrariæ nuptæ*, aula, luce evangelii illuſtrata, floruerunt *M. Antonius Flaminius, Marcellus Palingenius, Daniel Toſſanus, & alii.* *Galeacius Caracciolus, marchio Vici, Pauli IV. ex ſorore nepos*, poſthabita marchionatus dignitate, cujus heres erat, relicta pulcerrima uxore cum VI liberis Genevam religionis cauſa ſe contulit, & immotus in agnitione veritatis perſtitit: vita privata, ſed ſatis beata, contentus, & anno LXXXVI. uxore ſuperinducta priori, quæ divortium fecerat, pie defunctus. *Johannes Bernhardinus Bonifacius*, marchio Oriæ, perpetuo exilio Chriſtum omnibus vitæ hujus bonis prætulit. Subolfacere enim Itali cœperant, quod ſuo tempore, *Nic. Machiavellus Florentinus lib. 2. diſp. de rep. cap. 12.* dicit: *nusquam minus pietatis vel religionis eſſe, quam in iis hominibus, qui Romæ viciniores habitant: & ſi quis conferat cum religionis cultum, qui hac ætate in uſu eſt, cum prima Chriſtianæ religionis inſtitutione ac veris fundamentis, cum non poſſe vel illius interitum non metuere, vel divinam ultionem non formidare: ipſos Helveticos, qui ſoli veterem religionis cultum & diſciplinam militarem conſervare videantur, corruptos iri curiæ Romanæ pravitate, ſi ad illos deferretur.* Cæterum, quam longe lateqve *Auguſtana confeſſio*, in varias linguas translata, ſtatim, poſtquam exhibita eſt, *in omnia regna transmiſſa ſit*, ſupra indicatum eſt.

Mart. Cruſius in Legat. Conſtantinop.

Transmiſſa etiam eſt poſtea *ad ORIENTALES ECCLESIAS per Tubingenſes*, cum ſpe aliqva purioris religionis illic locorum propagandæ ducerentur. Spes quidem illa decollavit, poſtquam variis ſcriptis inter *Jeremiam, patriarcham Conſtantinopolitanum, & Tubingenſes* actum eſt: anno tamen hujus ſeculi XXVI. *Cyrillus patriarcha* confeſſionem edidit, longe propiorem noſtræ, quam pontificiæ religioni. Sed hic ipſe poſt XI. annos à præfecto urbis eſt dejectus, & in mare præcipitatus, *Cyrillo alio* ex Iberia illi ſubſtituto: qvi tamen & ipſe ſeqvente anno in carcerem eſt conjectus & à ſede depoſitus. Surrogatus eſt illi *Parthenius*, metropolita Adrianopolitanus. Sic perſtant quidem Græcæ eccleſiæ in damnatione dominatus & tyrannidis pontificiæ; nec tamē quos errores in doctrina cum papa communes habent, quanquam in multis rectius, quam ipſi ſentiunt, miſſos faciunt. *Angliam* quod attinet, variam ſe in religione præbuit. *Henricus VIII.* qui regnum anno CIↃ IↃ IX. à patre Henrico VII. in ſe devolutum ſuſceperat, non ſaltem calamum in Lu-

therum

therum, ut diximus, ſed & gladium in fidei purioris confeſſores ſtrinxit. *Defenſor* ob id *fidei* à Leone X. eſt renunciatus. Poſtea, cum Catharinam Arragoniam, quam fratri Arthuro nuptam, per Julii II. diſpenſationem duxerat, anno matrimonii XX inceſtuoſas nuptias cauſatus, Clemente VII. nondum conſenſum, quem promiſerat, præbente, repudiaſſet, & Annam Boleniam, equitis filiam, duxiſſet: omnes qui divortium improbab[illegible]nt, faſtidiit, & inter eos omnium primo *Thomam Wolſæum*, à rege in Anglia ſecundum & potentisſimum, utpote epiſcopum Eboracenſem, regni cancellarium & Cardinalem, quod initio divortium quidem ſuaviſſet, ſed poſtea pro illo ſententiam ferre nollet, dignitatibus exuit. *Joh. Fiſcherum*, epiſcopum Roffenſem, & *Thomam Morum*, cancellarium, Wolſæi ſucceſſorem, pervivaces pontificis defenſores, ſecuri ſubjecit. Inde latius progreſſus, pontificis autoritatem, à quo excommunicatus fuerat, per univerſum regnum abrogavit: eccleſiaſticos, ut ſe, tanquam eccleſiæ Anglicanæ caput, à Chriſto proximum, agnoſcerent, adegit: omne cum pontifice commercium ſubditis & ſolutionem annui tributi ſub nomine numi Petrini interdixit: *Thoma Crmmero*, archiepiſcopo Cantuarienſi, autoritatem in regno papalem, ſed ſub rege conceſſit: primitias promotionum eccleſiaſticorum, qvas *annatas* vocant, abrogavit: cœnobia minora omnia circiter CCCLXXVI. ut pro illis novi epiſcopatus conſtituerentur, evertit: *Thomam Cromwellum*, fabri ferrarii filium, per varios dignitatum gradus tandem primum ſigilli cuſtodem & ſummum ſecretarium factum, novo & inaudito hactenus titulo, *regis in eccleſiaſticis vicarium generalem* conſtituit: dies nonnullos faſtos redegit in profanos: biblia in vernaculam linguam Anglicam converti curavit: imaginum & reliquiarum cultui aliquem modum ſtatuit: ingentes opes ex ſanctorum tumulis corraſit: monachos & proceres, hæc rata habere nolentes, tanquam proditores, ad rogum & ſecurim damnavit: lacticiniorum eſum tempore Quadrageſimali permiſit: liturgiam eccleſiaſticam Anglica lingua per omnes eccleſias edicto publico propoſuit: omnes pro d[illegible]functorum animabus miſſificationes abolevit. Sed dum in his omnibus pontificis autoritatem poſthabebat: in illos, ut hæreticos, animadvertebat, qui confitebantur *I. eucha[illegible]iſtiam in una ſpecie non recte adminiſtrari. II. verum corpus Chriſti non eſſ[illegible]na præſens, aut panis ſubſtantiam non transſubſtantiari. III. ſacerdot[illegible]cros ordines ſuſceptos uxorem ducere licere. IV. vota caſtitatis non eſſe ſe[illegible]da. V. Miſſam privatam non eſſe celebrandam. VI. peccatorum*

Burnet. in Hiſt. Eccl. Angl.

torum confeſſionem auricularem non expedire. Multi ob religionis purioris profeſſionem, interqve eos *Cromwellus*, jam comes Eſſexiæ declaratus, occiſi ſunt. Henricus VIII. defunctus, ex Italia uxore Johanna Seimeria, ex vivæ matris utero execitum filium *Edvardum VI.* adoleſcentulum novem annorum, heredem regni reliqvit. Tutores, ſub quibus ille degebat, & imprimis *Eduardus Seimerus, dux Somerſetenſis*, ejus avunculus, atqve *Thomas Crammerus*, archiepiſcopus Cantuarienſis, fermentum pontificium penitus expurgarunt: ad ſcita Zvinglii imagines & ſtatuas in univerſum omnes ejecerunt, auricularem confeſſionē prohibuerunt: matrimonia clericis permiſerunt: euchariſtiam ſub utraque ſpecie omnibus exhibendam, nec pro defunctis amplius miſſificandum cenſuerunt: epiſcopos conſentire nolentes ad vitam privatam redegerunt. Edvardo VI. intra ſextum regni annum non ſine lenti veneni ſuſpicione defuncto, *Maria*, ejus ſoror ex alia matre, nempe ex Catharina Arragonia, prima Henrici VIII. uxore, pontificiæ ſuperſtitioni pertinaciter addicta, depoſitos epiſcopos reſtituit: novos dejecit: plures ex proceribus, interqve eos *Thomam Crammerum*, archiepiſcopum Cantuarienſem, *Nicolaum Ridlaum* Londinenſem, *Hugonem Latimerum* Wigornienſem, *Johannem Howpertum* Gloceſtrenſem, *Rob. Ferrarium* Menevenſem, epiſcopos, *Johannem Rogerium*, theologiæ prælectorem, *Rol. Taylerum* theologiæ doctorem, *Laur. Sanderum* concionatorem, *Joh. Bradſordum* virum doctiſſimum, *& ingentem aliorum utriusq; ſexus numerum*, ſævitia flam̄arum abſumſit: *Buceri & Fagii*, jam pridem mortuorum, corpora exhumavit & combuſſit: monachos reduxit. Sed & illa anno regni ſexto defuncta, ſoror ejus de uxore Henrici IIX. ſecunda, *Eliſabetha*, Miſſam denuo cum aliis ſuperſtitionibus abrogavit, & eccleſias ad normam eccleſiarum Helveticarum reformavit. *Helvetia* enim, dum ſeceſſum fecit à papatu, à Luthero ſimul ſecedere cœpit: id qvod paulo poſt videbimus. Cæterum etſi Eliſabethæ tempore *Puritani* cœperunt omnes in eccleſia ordines, nomenque epiſcoporum deteſtari; epiſcoporum tamen poteſtatem, etiam in reformata eccleſia, non imminuit, nec igne & gladio in Romanenſes deſæviit, niſi forte aliqui, ut *Edmundus Campanus* Jeſuita cum aſſeclis, adverſus regni quietem pro papa quicquam conarentur. Quam cum *Jeſuitæ* etiam turbarent *Jacobi VI.* tempore, & anno CIↃIↃCV. regem cum omnibus regni proceribus in publicis comitiis conſidentibꝰ pulvere pyrio ſubterraneo, ſub curia defoſſo, perdere conſtituiſſent, igni illis & aqua poſthac in Anglia interdictum eſt. Qvid in cauſa religionis

ligionis tempore *Caroli*, Jacobi VI. filii, ultimi Anglorum regis, geſtum ſit, diximus in ſyntagmate hiſtoriarum politicarum.

XXXV. Commode de veritate cœleſti adverſus papatum in varias provincias transportata diſſeruiſti. Nunc quinam in Germania, quo tempore jugum pontificium excuſſerint, lubet audire.

Eduardus, princeps Friſiæ orientalis, primus fuit, qui, Lutheri ſcriptis lectis, anno XX. ſuperſtitiones nonnullas abrogavit. Hunc anno ſequenti *Wormatienſes, Erphortenſes, Goslarienſes, Halberſtadienſes, Hamburgenſes, alii* ſecuti, prima evangelii ſemina læto corde ſuſceperunt, & ringentibus pontificiis præcones veritatis admiſerunt. Omnium tamen primi *monachi Auguſtiniani Witebergæ* hoc ipſo anno XXI. Miſſam privatam, ejusque canonem abrogarunt, & academiæ, Lutherique in Patmo ſubſiſtentis, conſenſum meruerunt. Lutherus anno XXIII. *formulam, in S. ſynaxi in Saxoniæ electoratu obſervandam, ſecundum Chriſti inſtitutionem* præſcripſit, privatamque peccatorum confeſſionem, quam Caroloſtadius temere abrogaverat, reſtituit, & poſt biennium demum uſum lingvæ vulgaris in ſacris introduxit, ut, quæ à miniſtris gererentur, ab univerſa eccleſia intelligi poſſent. Ab hoc tempore paſſim *moniales* libros ſuperſtitioſos deponere, habitum religioſum exuere, monaſteriis valedicere, matrimonium contrahere: miniſtri etiam eccleſiarum uxores ducere, interque eos primus *Bartholomæus Feldkirchius*, præpoſitus Kembergenſis, & qui illum, non ſine ingenti pontificiorum rancore, anno XXIV. inſecuti ſunt, miniſtri Witebergenſes. *Ipſe Lutherus*, poſt reformatam apud *Magdeburgenſes* eccleſiam habitu monaſtico depoſito, & ſacerdotali aſſumto, *Catharinam à Boren*, monialem jam rectius ſentientem, in torum adſcivit, ordinationem miniſtrorum ad apoſtolicas ceremonias revocavit, & primum *Georgium Rorarium* Lutherano ritu ſacris initiavit, atque *viſitatione eccleſiarum* per electorem Johannem impetrata, miniſtros ubique illis præfecit, ad plebem rectius informandam. Ad hujus viſitationis exemplum multi principes, multæ civitates ſuas eccleſias reformare cœperunt. Certatim accurrunt in Boruſſia *Albertus Brandeburgicus, magiſter ordinis Teutonici*, qui anno XXV. purioris fidei confeſſione edita, finem ordini Boruſſiæ impoſuit; in *Mechlenburgia Henricus*, Magni filius; in Svecia *Guſtavus*; in Lunæburgia *Erneſtus*; in

Saubert. de Mirac. Aug. Conf.

Haſſia *Philippus Landgravius.* Accurr[illegible] *[illegible]cenſes, Lubecenſes, Go[illegible]nſes.* Accurrunt [illegible] *[illegible]enſes & Argent[illegible]ſes*: ſed hi ſimul in flammas & i[illegible]gines, i. a Zwinglio docti, ſævierunt. Annus poſt milleſimum ſexcenteſimum trigeſimus quartus *Würtenbergicis* ſub Ulrico, & *H[illegible]desheimenſibus*; trigeſimus quintus *Pomeranis*: trigeſimus nonus *Marchiacis* ſub Joachimo I; &, mortuo Georgio, *Lipſienſibus* auſpicatus fuit. Subſecutus eſt *Palatinus, Tranſilvani*, & qui non? Ipſi etiam *Bavari & Auſtriaci* quodammodo ex tenebris levati ſunt. Nam anno LV. cum ſumtus in bellum Turcicum eſſent conferendi, intercedentes pro libero religionis exercitio ſibi concedendo calicis communionem impetrarunt: ſic tamen, ut in cæteris eccleſiæ Romanæ ſanctionibus & ceremoniis nihil innovaretur. *Colonienſibus* felicitas major affulſit, ſed brevi durans. Nam *Hermannus*, archiepiſcopus Colonienſis, Philippum, Bucerum, Hedionem, & Johannem Piſtorium ex Haſſia, anno XLIII. evocavit, ut eorum opera archiepiſcopatum reformaret. Et quidem Bonnæ, epiſcopali ſede, aliiſque locis evangelium jam prædicabatur. Sed Groppero apoſtata, & reliquis ex academia theologis Colonienſibus, ad pontificem & Cæſarem provocantibus, non ſaltem Hermannus à Cæſare ſimul & pontifice eſt in jus vocatus, ſed & excommunicatus, utque dignitatem archiepiſcopalem anno XLVII. Adolpho Comiti Schaumburgico cederet, & ſuperſtitioni pontificiæ oviculas ſuas triſtes derelinqueret, coactus. Eadem fata manſerunt *Salentinum*, comitem Iſenbergicum, *quintum*; & *Gebbardum Truchſeſium, ſextum ab Hermanno archiepiſcopos*, qui, cum ductis uxoribus reformationem religionis, juxta pacem utrique religioni in imperio datam, meditarentur, *ille* quidem anno LXXVI. ſua ſponte epiſcopatu abiit: *hic* poſt ſexennium fulmine papali percuſſus, quanquam copiis conſcriptis ab initio defendere ſe conabatur, ſucceſſorem accepit Erneſtum Bavarum. Sic cum in *Polonia* anno LII *Stanislaus Orichovius* contra cœlibatum eccleſiaſticorum inſurgeret, & ipſe uxorem ad cœlibatum monachalem voto damnatus duceret, eoque ipſo alii ex eccleſiaſticis eum imitarentur, ipſe quidem ab epiſcopis excommunicatus eſt, ſed occaſio data eſt ampliori evangelii prædicationi.

Seckend. lib. 3. Luther. §. 50. p. 337. ſeq.

XXXVI. Quanto conatu Colonienſes vel tribus vicibus ad veritatem emergere annisi ſunt! Sed

quid

quid reliqui, quos Romanenſes premebant epiſcopi?

Quantum quidem eluctabantur ex tenebris pontificiis, tantum in iis continendis laborabant pontifices. *Martisburgenſes* jam anno XLIV, acceperant Adminiſtratorem *Auguſtum Saxoniæ ducem*; epiſcopum vero *Georgium Anhaltinum principem*, ſacris concionibus celeberrimum, utrumque purioris religionis. *Naumburgenſes*, loco *Julii Pflugii*, acerrimi Romanæ curiæ propugnatoris, acceperant *Nicolaum Amsdorfium*, nobilem Miſnicum, theologum eximium, per ipſum Lutherum officio epiſcopali initiatum. Sed bello Germanico anno XLVII. exardeſcente, Pflugius reſtitutus eſt Naumburgi, Martisburgi vero *Michael Sidonius* epiſcopalem ſedem occupavit: donec, utroque defuncto, Auguſtus, epiſcopatibus ſibi à Canonicis traditis, inſpectionem eccleſiarum Superintendentibus orthodoxis commendaret. Sic quoque quanquam *Magdeburgenſis civitas* tota ad ritus Lutheranos eſſet ſtatim ab initio reformationis compoſita, Canonicis tamen, quorum alii papæ, alii orthodoxiæ adhærebant, tamdiu negotia alia ex aliis enata ſunt, donec, *Friderico & Sigismundo fratribus*, marchionibus Brandenburgicis & archiepiſcopis, illo quidem anno LII. hoc anno LXVI. defunctis, *marchioni Joachimo Friderico*, electoris Johannis Georgii filio, archiepiſcopatus traderetur, & Canonicis conſentientibus abolita pontificia ſuperſtitione, eccleſia collegiata reformaretur. *Argentinenſis quoq; epiſcopatus* variis motibus conquaſſatus eſt. Nam Canonicis inter ſe diſſidentibus, nonnullisque partes pontificis, aliis noſtratem religionem defendentibus, anno XCII. eligebatur Tabernis epiſcopus à pontificiis, aditu urbis excluſis, *Carolus Lotharingus Cardinalis*; à Lutheranis *Johannes Georgius, Adminiſtratoris Magdeburgenſis filius*. Et res quidem armis acta eſt: ſed per interpoſitionem Cæſaris Rudolphi induciis mox factis, utrique epiſcopo arces aliquot ex principum arbitrio datæ ſunt: tandemque Brandeburgenſis, accepta legitima ſatisfactione, anno cIↄIↄCIV. ceſſit Lotharingo. Multas alias civitates diſſidium religionis ſollicitos habuit, interque eas præcipue *Aquisgranum & Donawerdam*. Quarum utraque quidem reformationem religionis Auguſtanæ admiſit: illa tamen jam anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo; hæc anno cIↄIↄCVI ad Miſſam recipiendam vi adacta eſt. Interea adverſis fœderibus *Proteſtantes Halæ Suevorum*, an. ſeculi cIↄIↄCX. & *Romano-Catholici Herbipoli* circa

Caraffa in German. Reſtaur.

idem tempus coiere. Fœdus ſuum illi vocabant *Unionem*, hi *Ligam*. Occaſionem dederat *mors ultimi ducis Cliviæ, Juliaci & Montium, Johannes Wilhelmus*: de cujus ampliſſimis provinciis cum inter diverſos principes diverſis nominibus lis oriretur, ut in altero Syntagmate recenſuimus, Leopoldus tandem Auſtriacus, eas nomine Rudolphi imperatoris ſequeſtravit. *Johannes Sigismundus*, elector Brandenburgenſis, & *Philippus Ludovicus*, Palatinus Neoburgicus, præ aliis id ægre tulere, nec ſine cauſa ſuſpicati, fore, ut religio vim pateretur, auxilia circumſpexere: *ille* ex Belgio confœderato; *hic* ab Hiſpano: unde tandem factum, ut *ille* in partes Reformatorum; *hic* ad pontificiorum concederet. Multæ inde turbæ. Dum belli eventum omnes anxie expectabant, *Mülheimium*, à Brandeburgico & Neoburgico propugnaculis munitum, per Spinulam juſſu imperatoris ſolo æquabatur. *Bohemi* cum ſe in purioris religionis exercitio impediri cernerent, rebellione facta, & diademate Friderico Palatino impoſito, arma corripuere. Hinc *bellum illud tricennale* ab anno ſeculi XVIII. conflatum eſt, quo totius Germaniæ fundamenta ſunt concuſſa. Turbas illas alibi deſcripſimus: in quibus Bohemi cum novitio rege poſt paucos menſes victi, in illum ſtatum cum vicinis Moravis & maxima parte Sileſiorum, omnibusque Cæſaris provinciis hereditariis redacti ſunt, ut Evangelici ab illis adhuc exulent. Ad id impediendum, cum res Romanæ eccleſiæ videbantur admodum ſtabilitæ: nonnulli principes imperii, ut Badenſis, Mansfeldius, Halberſtadenſis, rex quoque Daniæ, arma induebant. Econtra Cæſar electoratum, Palatino ademtum, conceſſit Bavaro; &, cum omnes adverſarios in ordinem redegiſſet, anno ſeculi XXIX. *rigido edicto XIV. epiſcopatus & multas alias prælaturas & cœnobia*, quæ poſt Paſſavienſem transactionem Proteſtantes ad puriorem religionem traxerunt, *pro pontifice repetiit*. Simul, ut edictum executioni daretur, legati per imperii fines dimittebantur. Initium reformationis factum eſt *Auguſtæ Vindelicorum*. Auguſtanæ confesſionis presbyteris illic miſſio data. Idem factum *Kauffburii*, in civitate imperiali: item *per Auſtriam* infra Amaſum, *Halberſtadii*, & álibi. Cæſaris filius, *Leopoldus Guilhelmus*, remoto Saxonici electoris filio Auguſto, archiepiſcopus Magdeburgicus & Bremenſis renunciabatur. Evangelici principes quidem graves edicto oppoſuere cauſas: & cum multi ex adverſariis publicis ſcriptis aſſererent, *electores, principes & theologos proteſtantes ab Auguſtana confeſſione, anno* CIↃIↃXXX. *in imperii comitiis oblata, immane receſſiſſe, & propterea pacificatione religioſa amplius indignos eſſe*: theo-

Brachel. & Thulden. in Hiſt. ſui temp. Chemn. in Marte Suec. Lansberg. in bello German. Everh. VVasſenberg. Comm. de bello ſub Ferd. II. & III. Petr. Bapt. Burgus in Marte Sueco German. Joh. Petr. Lotich. in Bello Germ.

theologi Saxonici, juſſu electoris, *apologiam pro confeſſione Auguſtana*, tanquam pro PUPILLA edidere, & ſe Auguſtana confeſſione invariata etiamnum uti frui demonſtravere: ipſeque elector cum reliquis ordinibus Proteſtantibus, variis querelis conatus deprecabatur. *Magdeburgum* interim, cum novum archiepiſcopum nollet recipere, duplici obſidione preſſum, & tandem in altera anno XXXI. penitus in cineres redactum eſt. *Hæc omnia & multa alia, quæ agebantur, fraudi ſibi eſſe rex Sveciæ, Guſtavus Adolphus* ſenſit: ideoque in Germania cum milite anno XXX. aderat, & evangelicos omnes in partes trahebat. Sed cum, multis clarus victoriis, diem poſt triennium, in prælio Lützenſi victor obiiſſet, nova ubique rerum facies. Marte paſſim dubio, per *novam pacificationem Pragenſem* inter Cæſarem & Saxonem, bonorum eccleſiaſticorum reſtitutio per XL. annos ſuſpendebatur. In pacis conditiones plerique principes & civitates conſenſere. Regina Sveciæ Chriſtina, adhuc ſub tutoribus, Haſſus & Vinarienſis, non pacem, ſed breves XL. annorum inducias Evangelicis datas, indignati, præſertim quia ſine conſenſu reginæ transactum erat, arma non depoſuerunt prius, quam anno ſeculi XLVIII. *Oſnabrugis pragmatica de pace tam religioſa, quam politica ſanctio* promulgaretur, qua omnes & ſinguli, excepſis provinciis Cæſaris hereditariis, in eum ſtatum in eccleſiaſticis reſtituebantur, quo ante XXIV. gaviſi fuerant. Qua ipſa ſanctione octavus electoratus ceſſit Palatino; reginæ Sveciæ archiepiſcopatus Bremenſis, epiſcopatus Verdenſis, Pomerania citerior, Wiſmaria & locus in collegio principum in ſcamno ſeculari quintus; electori Brandeburgico archiepiſcopatus Magdeburgenſis, quamprimum inde admiſtrator deceſſerit & epiſcopatus Halberſtadienſis, Midenſis & Camminenſis; duci Mechlenburgico epiſcopatus Sverinenſis & Ratzenburgenſis; domui Brunſvicenſi & Luneburgenſi alternativus cum pontificiis epiſcopatus Oſnabrugenſis, cum nonnullis prælaturis & penſionibus; domui Haſſiacæ abbatia Hirsfeldenſis. His vero, & quæ noſtro tempore in negotio religionis aguntur, miſſis, de duobus adhuc tecum agam, & deinde ad leges noſtræ methodi reſpiciam. Primum, quod obſervabis, erit de *Calendario Juliano* abrogato *& Gregoriano* introducto; alterum de *negotio Sacramentario*.

XXXVII. Quid igitur de Gregoriano calendario, quo Julianum abrogatum eſt, hiſtoria noſtra dignum habes?

Mezeræus Tom. 3. p. 143. Meterr. lib. XI. Thuan. lib 76. p. 575. Chytr. lib. 25. p. 714. Georg Fabric. Orig. Sax lib 9. p. 130.

Julianum calendarium eſt illud, quo Julius Cæſar, anno ante natum Chriſtum quadrageſimo quarto, faſtos hactenus ad lunam directos correxit, annumque ad curſum ſolis accommodavit, & ad CCCLXV. dies & VI. horas definivit. Quæ ſex horæ cum ſingulis quadrienniis diem conſtituant, is in Februarium menſem ad diem Matthiæ intercalatur, ut ita anno quarto, qui inde dicitur biſſextilis, CCCLXVI. dies adſcribantur. Etſi autem hoc Julianum calendarium ſatis accommodatum eſt ad negotia cum œconomica & politica, tum eccleſiaſtica conficienda, erroribus tamen & defectibus ſuis admodum laborat. Inter quos præcipuus eſt, quod quantitas anni in eo juſto major conſtituitur. Aſſignantur enim ei, præter CCCLXV. dies, VI. horæ: cum ſaltem præter dictos dies habeat V. horas, XLIV. minuta. Quam ob cauſam quinta fere horæ pars, videlicet undecim minuta, tribuitur anno, quam non habet. Nam quarto anno ex V. horis & XLIX. minutis per quaternarium multiplicatis, non progrediuntur XXIV. horæ, ſeu integer dies, ſed ſaltem XX II. horæ. XVI. minuta. Atque ita quartis quibusque annis XLIV. minuta accreſcunt, quæ tamen adeſſe non debuiſſent: ſingulisque trecentis annis accedunt duo dies, ſeptem horæ. Cum igitur jam ab eo usque tempore, quo Julius calendarium correxit, hoc anno cIↄIↄCLVII. anni M D CXCVIII. præterfluxerint, accreverunt XII. dies, XXIII horæ, IX. minuta: ab eo autem tempore, quo Nicænum concilium habitum eſt, decem amplius acceſſerunt dies. Unde factum eſt, ut, cum tempore Julii Cæſaris æquinoctium vernum in XXIV. vel XXV. Martii, tempore concilii Nicæni in XXI. ejusdem incideret, nunc in X. vel XI. Martii incidat, nosque ita à die æquinoctii vero poſt J. Cæſaris tempora quatuordecim diebus poſt concilium Nicænum diſceſſerimus, & poſt aliquot ſecula ulterius diſceſſuri ſimus. Accedit, quod cyclus lunaris XIX. annorum (quibus elapſis novilunia & plenilunia in priſtinas calendarii ſedes redire dicuntur) deficit & juſto minor eſt. Non enim novilunia, tranſactis XIX. annis ad easdem prorſus ſedes revertuntur: ſed ante XIX. annos completos, VIII horis, XLIII. minutis, quæ in calendario Juliano negliguntur. Hinc factum eſt, ut indices noviluniorum aliquot dierum ſpacio ad hoc usque tempus receſſerint, & cyclus lunaris ad monſtranda novilunia prorſus inutilis factus ſit. Hi ſunt illi errores calendarii Juliani.

XXXVIII

XXXVIII. Suntne autem tanti, ut rebus & ritibus eccleſiaſticis ſint impedimento?

Chytr. lib. 26. p. 741. lib. 27 p. 756. Joſeph. Scaliger. de Emend. Tempor. Mich. Mæſtlin in Exam. Calend. Gregor. Herlic. de Calendar. Gregor.

Sunt equidem tanti, ut ob eos, tota fere anni ratione, & imprimis paſchatos celebratione immutata, eccleſiæ orientales & occidentales peſtifero olim certamine diu diſſiderent: donec tandem in concilio Nicæno conſtitueretur, ut XXI. dies Martii haberetur pro æquinoctio, & plenilunium, quod vel in ipſum æquinoctium incidit, vel proxime ſequitur, ſit ipſum paſcha. Quia autem à tempore Nicæni concilii decem diebus æquinoctium; novilunia vero ab æquinoctio plusquam XIV. diebus receſſerunt: hinc fit, ut qui juxta præſcriptum concilii Nicæni paſcha celebramus, illud quatuor nonnunquam ſeptimanis ſerius celebremus, quam par eſt. Hoc jam tum animadverterunt doctores, cum concilium Conſtantienſe & Baſilienſe annis abhinc ducentis amplius celebraretur, &, ut emendatio calendarii ſuſciperetur, ſvaſerunt. Sixtus IV. etiam rem tantam Johanni Regiomontano, Purbachii diſcipulo, commiſit: ipſeque Maximilianus I. & Leo X. academias de hoc negotio aſtronomico conſuluerunt: & hoc à Stœflero reſponſi acceperunt, *paulatim & clam æquinoctium in ſuam ſedem eſſe reducendum, per ſucceſſivam XI. dierum retractionem, ſi ſcilicet XI. dies biſſextiles* (nam tot dies dicit excreviſſe) *omitterentur, quadraginta quibusque annis ſine intercalatione numeratis.* Tandem concilium Tridentinum emendationem calendarii pontifici commiſit. Et ſic Gregorius XIII. formam calendarii, *opera Aloyſii & Antonii Liliorum fratrum*, beneficio novi cycli epactarum emendati, circa exitum comitiorum, Auguſtæ anno LXXXII. habitorum, ad Rudolphum II. miſit, ut in Germanico imperio illam promulgaret, ſicut cæteri orbis Chriſtiani reges in Italia, Hiſpania, Gallia, Belgio, & Polonia ſe facturos receperant. Erat autem ratio emendationis ejusmodi inſtituta, (*ſunt verba Chytræi*) ut æquinoctia & ſolſtitia, quæ propter anni quantitatem, juſto majorem, à nati Chriſti temporibus quindecim fere diebus anticipaverant, ad eas ſedes revocarentur, quas tempore concilii Nicæni, in quo canon de feſto paſchatos celebrando hactenus in eccleſia uſurpatus, primum conditus fuerat, olim tenuerunt. Decem igitur dies inter quartam & decimam quintam octobris interjectas præteriri & eximi, ac pro elapſis haberi hoc anno voluit, ita ut ea dies, quæ quartam Octobris proxime ſequitur, non quinta, ſed decima quinta, & ſic deinceps, ad exitum usque anni numerarentur. Utque hæc con-

ſtitutio

ſtitutio firmior eſſet, ſancitum fuit, ut ſingulis quadringentis annis (quibus tres dies propter imperfectionem Julii calendarii accreſcunt) ter anni biſſextiles diſſimulentur.

XXXIX. Cum igitur tanti defectus calendarium Julianum deforment, & Pontificii graves emendationis cauſas allegent: cur Gregorianum non amplectimur?

Strauch. de Computo utroque Julian. & Gregor Marpurgenſ. Theolog. Faſcic. I. p. 461. Voet. Diſpp. part. 3. 1346. Jacob. Eltod. in Calendar. intermed.

Si Pontifex nova calendarii emendatione ſibi in noſtras eccleſias autoritatem non vendicaſſet: ſi primatum apud nos amiſſum cuniculis hiſce non repetiiſſet: ſi ſub pœna excommunicationis calendarium omnibus Chriſtianis non mandaſſet: ſi à nobis is eſſe non crederetur, qui temporis & legum mutationem ex apoſtoli prædictione ſibi arrogat: ſi denique inſigni dolo noſtras eccleſias non circumveniſſet, ut aut majeſtatem papæ fictam vel hac in parte agnoſcerent, aut imperatori de obedientia debita ſuſpecti fierent, & bellum adverſus ſe excitarent: Auguſtus elector, & reliquæ Lutheranorum eccleſiæ in emendationem conſenſiſſent. Sed fraus pontificis mature ſentiebatur: & noſtrates evidentiſſimis rationibus demonſtrabant, *correctionem Gregorianam nec eſſe neceſſariam, nec tempeſtivam, nec probam.* *Non* quidem *neceſſariam*; quia veteris calendarii uſus etiamnum citra ἀταξίαν absque odioſa hac ſubtilitate eſſe poteſt; mundus etiam ſenecta ſua jam ad diem illum reſtitutionis omnium inclinat, & ſolœciſmum aſtronomicum facile elevat; præſertim qvum impoſſibile ſit, perfectam temporis correctionem invenire: *nec tempeſtivam*, quia noſtræ eccleſiæ primum audiri, ritus & errores magis deplorati in Romana curia prius corrigi, & Cæſari tanta res, non quaſi imperari aut obtrudi, ſed autoritate ejus fieri debuiſſet: *nec tandem probam*, quia pontificii nec certas motuum tabulas compoſuerunt, nec certam anni quantitatem invenerunt, nec ad tempus incarnationis Chriſti (quod convenientius & magis Chriſtianum fuiſſet) ſed ad tempus concilii Nicæni correctionem inſtituerunt; præterea, ſublato veteri computo eccleſiaſtico, & decem inde diebus exemtis, de feſtis fixis ſummam invexerunt diſcordantiam: nec, quibus diebus feſta mobilia ſingulis annis poſt natum Chriſtum celebrata ſint, indicare, nec hebdomadum ferias retro numerare poſſunt. Conſuli poſſunt, præter *Joſephum Scaligerum & Michaelem Mœſtlinum*, mathematicum Tubingenſem, theſes

ſes & antitheſes, ſub fine chronologiæ *Henrici Büntingii* poſitæ, cujus divinum ingenium hoc in negotio ſatis deprædicare non poteſt *noſter Herlizius*, ipſe in refutatione calendarii Gregoriani omnium accuratiſſimus. Quandoquidem ergo tot difficultatibus laborat, & tot impoſturis nobis imponit calendarium Gregorii, non ſine cauſa noſtrates, ut & tota eccleſia orientalium in Græcia, Moſcovia, Aſia, Africa, illud detrectarunt. Tu interim, *quas turbas cum alibi, tum præcipue apud Auguſtanos* anno LXXXXIV. & anno ſequenti *apud Rigenſes in Livonia*, dederit, apud prolixores hiſtoricos, & imprimis apud *Chytræum in chronico Saxoniæ* legito. Apud *illos* enim *Georgius Mylius*, paſtor; apud *hos* Johannes Rivinus, ſcholæ rector, in ſummum capitis periculum, inciderunt, cum nollent ullam obedientiæ pontifici, vel hac ratione præſtandæ, ſignificationem præbere, ſed ad computum antiqvum ſacra obirent.

XL. Lubet nunc, quod promiſiſti, negotium Sacramentarium audire.

Quemadmodum pontifex *Leo X.* alios indulgentiarum papalium inſtitores in alias provincias ablegavit: ita *Samſoni Mediolanenſi*, Franciſcano, Helvetiam turpiſſimo mercatu emungendam commiſit. Ille igitur, cum indulgentiis, paſſim apud Helvetios publicatis, credulo populo jam CXX. aureorum millia extorſiſſet, Tigurum tandem conceſſit. Circa hoc tempus *Ulricus Zwinglius* Glaronæ, & paulo poſt Baſileæ docebat. Ille jam olim anno cIↃIↃV. à præceptore ſuo *Thoma Wittenbachio*, ſi *Abrahamo Sculteto in annalibus* credimus, ſolam mortem Chriſti eſſe λύτρον pro peccatis mundi; indulgentias vero papæ figmentum eſſe, dixerat: &, qvum eſſet vir ingenio & doctrina pollens, quamprimum novum indulgentiarum præconem adeſſe ſentiret, eum ejusqe defenſores oppugnavit, tanto cum applauſu exceptus, ut ſenatus Tigurinus publico edicto omnibus ſuæ ditionis concionatoribus ad mittenda hominum commenta autor eſſet, & vetitum carnium eſum, ſacrisque perſonis conjugium permitteret, die diſceptationi publicæ conſtituta: in qua cum Zwinglius LXVII. concluſionibus ſuam doctrinam confirmare, & abuſus erroresque præſulum confutare paratus eſſet; *Jacobus Faber* autem Hugonis, epiſcopi Conſtantienſis vicarius, poſt Viennenſis Præſul factus, in arenam deſcendere nollet, & univerſum negotium ad pontificem remitteret, evangelium latius propagatum eſt. Et quanquam *Baſilienſes & Bernates*, & poſt eos *Genevenſes, Conſtantienſes, & Argentinenſes,*

Sleidan. lib. 5. p. 140. lib 6. fin. lib. 7. p. 213. lib. 8. p. 221 Freher. in Theatr. part. 1 Sect 3. p. 104. Natal. Alex H. ſt. Eccleſ. ſec. XVI part. 1. c. 2. art. 10. p. 495. Seckend. in Luth. Ind. 1.

ductu *Oecolampadii, Capitonis, & aliorum*, veritatis patrocinium ſuſceperant: nihilominus tamen XII. Helveticorum pagi *in conventu Lucernenſi* religionem majorum eſſe retinendam, & vel armis defendendam decreverunt. Veritas tandem, anno XXVIII. *diſputationi Bernenſi* ſubmiſſa, divortium fecit inter ipſos pagos, ut, aliquibus evangelio ſubſcribentibus, reliqui nihil apud ſe immutatum cuperent.

XLI. Quantum intelligo, Helvetii doctores unanimiter cum Luthero papam oppugnarunt. Qua igitur ratione in negotio S. cœnæ ab eo disſidere cœperunt?

Sleidan. lib. 3. p. 72. & lib. 5. p. 139. *Andreas Bodenſteinius*, vulgo ob patriam *Caroloſtadius* dictus, profeſſor & eccleſiaſtes Witebergenſis, ex cujus manu Lutherus olim lauream theologiam acceperat, cum Lutherus in Patmo ſuo an. ſeculi XXI. deliteſceret, fanatico prorſus ſpiritu, anabaptiſtis favere, & belli Sacramentarii telam exordiri cœpit: *homo ferus, ſine ingenio, ſine ſenſu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animadvertimus*, ut ſcribit *Melanchthon in præfatione libri de ſententiis veterum de cœna Domini.* Hic in foro, non ex jure humano, ſed ex lege divina eſſe pronunciandum contendit; ſcholas vaſtavit, & ad labores manuum cunctos adhortatus, veſtitu ſacerdotali depoſito, & aſſumto ruſticano, non doctor, ſed frater Andreas vocari voluit, & ligna in urbem ſpiritu perverſo advexit. Sed nondum ſatis erat, ita in Munzeri & anabaptiſtarum gratiam furere. Ut enim ingens illud incendium, quo Lutheranæ eccleſiæ à ſe capitali odio diſſidere cœperunt, inflammaretur, imagines templis nova εἰκονομαχία ejecit, confeſſionem auricularem ſuſtulit, & abſurda nonnulla in quæſtione de euchariſtia aſſeruit. Quæ ita moverunt Lutherum, ut, non exſpectans electoris conſenſum, ultro Witebergam reverſus, conatibus ſe pravis opponeret. Caroloſtadius igitur ad bonam mentem redire videbatur. Sed poſt triennium anno XXIV. Orlamundam, oppidum in Thuringia, evocatus, cum Witebergam reliquiſſet, placita Munzeri & Ciconiæ denuo probavit. Quin & in doctrina de cœna aliam ſe ſententiam, quam Lutherum, fovere conteſſus, ab eo, non ut prava de ſe opinione turgido, *ceu non nemo objicit*, ſed ut ſtrenuo veritatis aſſertore, arrham aurei numi accepit, qua

ad

ad publice ſcribendum, & ad intermittendas occultas calumnias provocabatur. Ideoque ſubito eos petiit, quos non prorſus alienos eſſe à ſua ſententia acceperat. Ii erant, præter Capitonem & Bucerum, Zwinglius, Oecolampadius, Helvetii, quos Ludovicus Lavaterus dicit jam antea quidem dogma illud ſuum de ſacramentis parturiiſſe, nihil tamen ejus ad populum hactenus protuliſſe. ſed anno XXIV. primum docuiſſe, *verba inſtitutionis non κα]ὰ τὸ ῥητὸν*, ſed *κα]ὰ τὴν διάνοιαν per tropum eſſe intelligenda.* Illic igitur locorum liberiorem quaſi auram nactus, libellos varios de cœna Domini edidit, quibus corpus Chriſti præſens eſſe, & realiter comedi in ſacramento negavit, inque verbis inſtitutionis particulam HOC demonſtrativam tantum corporis dixit, ut ſenſus verborum eſſet: *Edite panem hunc: hic enim ſedet corpus meum.* Et licet ſenatus Tigurinus, qui Caroloſtadium ad archidiaconatum promoverat, libellos ejus publice proſtare prohiberet, Zwinglius tamen apud Tiguros, & Oecolampadius Baſileæ, tametſi eum non aſſecutum eſſe judicarent, quod voluit, id tamen, quod ſcripſit, rem eſſe ſtatuerunt, & ipſum dogma, rationi & carnalibus ratiocinationibus conforme, retinentes, explicationem verborum inſtitutionis improbarunt. Zwinglius enim per EST intelligi dixit SIGNIFICAT. Oecolampadius per CORPUS intellexit MEMORIAM CORPORIS, quaſi edere corpus Chriſti nihil aliud ſit, quam credere, corpus ejus pro nobis eſſe mortuum. Quæ ipſa tamen ſententia poſtea innumeris fere expoſitionibus interpolata eſt. Alii, in ſubjecto propoſitionis tropum quærentes, per δεικ]ικὸν HOC, vel panem ſolum, vel totam actionem denotari voluerunt. *Alii* in copula aut metaphoram, aut enallagen Grammaticam quæſiverunt. *Alii*, in prædicato mutando occupati, per CORPUS aut *cum Calvino* intellexerunt virtutem & ἐνέργειαν corporis, aut *cum Piſcatore Herbornenſi* ſignum corporis, aut *cum Heidelbergenſibus* corporis obſignationem, aut *cum Marpurgenſibus* medium exhibitionis, aut *cum Zanchio, Bucano, & Beza* totam perſonam cum omnibus beneficiis. *Alii* cum Molinæo & Grynæo in verbis ſequentibus (*Quod pro vobis datur*) Quod expoſuerunt per QUATENUS. *Alii*, qvum revera voces ſingulæ tropum reſpuant, *cum Pareo* in phraſi tota ſeu in integra propoſitione tropum quæſiverunt. *Alii* tandem, *cum Keckermanno* ad Logicæ ſubſellia confugientes, propoſitionem hanc [HOC EST CORPUS MEUM] relativam extrinſecam & analogicam vocarunt. Zwinglius cum Caroloſtadio expreſſe negavit, ſacramenta ad confirmandam fi-

dem inſtituta eſſe, & in novam de omnipræſentia carnis Chriſti dilapſus, novo Neſtorianiſmo occaſionem præbuit.

XLII. Hui vortiginem eorum, qui à ſimplicitate fidei recedunt! Sed quid in hoc euchariſtico bello, quod Caroloſtadius movit & Tigurini continuarunt, Lutherus? quid alii?

Joh. VVigand. Sacrament. *Bucerus, Capito & reliqui theologi Argentinenſes*, cum Caroloſtadii libros contra Luherum legiſſent, ſcripto conteſtati ſunt, quid de Lutheri & Caroloſtadii controverſia ſentiendum. Ipſe etiam *Lutherus libro adverſus cœleſtes prophetas* orthodoxiam defendit. Cui *Zwinglius commentarium de vera & falſa religione ad Franciſcum, regem Galliæ*, ut & librum quem vocabat *ſubſidium de Euchariſtia; Oecolampadius* item *tractatum de germana verborum inſtitutionis ſignificatione* oppoſuere. Econtra *XIV. theologi Suevici*, interque eos *Brentius & Snepfius*, in *Syngrammate Suevico* ſuper verbis cœnæ pro Luthero in arenam deſcendebant. Illos *Oecolampadius Antiſyngrammate*; & hos viciſſim *Theob. Billicanus, paſtor Nordlingenſis, & Bilibaldus Birchcimerus, ſenator Noribergenſis*, oppugnabant. *Caroloſtadius* interea, interceſſione ipſius Lutheri uſus, in Saxoniam anno XXV. reverſus, uti ab electore juſſus fuerat, quiete vixit per triennium. Quo elapſo, ad ingenium rediit & ad Helvetios; ſpectroque tandem, ut dicitur, territus, quod ſub forma tetrici viri concioni ejus interfuerat, & inde egreſſum, filio illius arrepto, mortem poſt triduanum ſpacium ei prædixerat, fata extrema obiit. *Helvetii* interim, omnibus pacis conditionibus poſthabitis, quam Bucerus urgebat, quanquam non debita fide, in *Lutherum, Bugenhagium, & Suevicos theologos*, piam de cœna Domini ſententiam defendentes, variis ſcriptis inſurgebant. Quapropter Lutherus ſolidiſſimis rationibus in duobus libris, quorum primus erat de *verbis Chriſti:* HOC EST CORPUS: *adhuc inconcuſſis*; alter *confeſſionem de cœna* continebat, præſentiam veram corporis Chriſti adſtruxit. Idem egere aliis libris, *Pomeranus*, Witebergæ; *Oſiander & Althamerus* Noribergæ; *Urbanus Rhegius* Auguſtæ; *Brentius* Halæ Saxonum; alii alibi. Nec tacebat par Helvetiorum. Cum hæc diſſidia, quibus Lutherus cum ſuis ſacramentorum vim & carnis Chriſti præſentiam in cœna defendebat; Zwinglius & Oecolampadius tropos & *ἀλλοίωσιν* præſentiæ Chriſti opponebant, curſum evangelii non parum ſiſterent,

rent, infirmos offenderent, diſciplinæ eccleſiaſticæ obſtacula ponerent, ipſamque pontificiam factionem admodum armarent: *Philippus Landgravius Hassiæ*, conciliandi Saxones cum Helvetiis gratia, utrosque *Marburgum* anno XXIX. evocavit. Illi privatim primo: deinde publice collocuti, in reliquis quidem religionis articulis, quos XIV. capitibus ſub finem diſputationis comprehenderant, conſenſerunt; in negotio vero S. cœnæ controverſo neutri alteris cedere voluere. Ideoque Lutherus Zvvinglianos pro fratribus agnoſcere recuſavit; caritatem tamen Chriſtianam, quantam conſcientia ferat, pollicitus eſt. Et quia, Landgravio urgente, ex utraque parte ſe à publicis polemicis ſcriptis abſtinenere velle promiſerant, Lutherus totus XV. annis promiſſum ſervavit. Zvvingliani interea jactitabant falſis rumoribus, ad ſuas partes tranſiiſſe Lutherum: & longe lateque ſua dogmata ſpargebant. Ipſa Zvvinglii opera collecta imprimi curabant. & vel hac ratione Lutherum provocabant. Qvapropter & ipſe *confeſſionem ſuam brevem de S. cœna* anno XLIV. promulgavit, inque ſua ſententia conſtans ad mortem permanſit. Cæterum colloqviumMarpurgenſe anno ſubſequenti cIↃIↃXXX exceperunt *comitia Auguſtana*, in quibus cum *confeſſio noſtrarum eccleſiarum* magna cum ſolennitate exhiberetur, & publice legeretur, *civitates quatuor*, Zvvinglio adhærentes, *Argentinenſis* videlicet, *Conſtantienſis*, *Memmingenſis* & *Lindavienſis*, illi ob decimum articulum, qui erat de cœna domini, ſubſcribere noluerunt, & peculiarem fidei ſuæ confeſſionem à Bucero conſcriptam, Zwinglio probatam, *per Caſparum Hedionem* obtulerunt: cujus quidem *confutatio, ab Eccio & Fabro* conſcripta, non ſine magna Cæſaris querela ob ſtatuas è templis ejectas, publice audita fuit, ipſa non item. Inſuper & *Zwinglius ſuam confeſſionem* ad Cæſarem miſit, eamque adverſus Eccium defendit, ut Lavaterus teſtatur.

XLIII. Siccine tres confeſſiones in Auguſtanis comitiis exhibitæ ſunt, proteſtantium, quatuor civitatum Zvvinglianarum, & ipſius Zvvinglii?

Sed *Argentinenſes*, primi inter quatuor civitates, anno ſubſequenti, cum agebatur de fœdere adverſus pontificios, dogma de cœna Domini uberius ad mentem Lutheri explicuerunt, & ſolenniter anno XXXII. confeſſioni Auguſtanæ; ejusque apologiæ Swinfurti ſubſcripſerunt. *Zwinglius* vero in bello civili, religionis cauſa à Quinquepagicis adverſus Tigurinos ſuſcepto, occubuit: & Oecolampadius paulo poſt ex an- Abr. Calov. in Proleg. in Auguſt. Confeſſ. §. 9.

 thrace

thrace diſceſſit. Cauſam illorum poſthac adverſus Lutherum defendendum *Henr. Büllingerus* ſuſcepit. Interim *Bucerus*, qui jam partibus Lutheri paulo addictior videbatur, negotium conciliandarum de euchariſtia opinionum ſtudioſe urſit: ſed tanta verſutia, ut plerisque perſvaderet, inter piam Lutheri doctrinam & profanam Zwinglii opinionem nihil quicquam eſſe diſcriminis. Obiit Helvetios: tranſiit ad Haſſos; Philippum ad ſe evocari curavit: omnibus fere impoſuit: omnibus diſplicuit. Nam etſi anno XXXVI. cum XI. theologi, interque eos *Capito, Bucerus & Muſculus*, nomine Svevicarum eccleſiarum Wittebergam veniſſent, *concordia aliqua inter Saxonicas & Svevicas eccleſias*, ipſumque Bucerum, coaluit, & Svevici, valere juſſis Zwinglianorum περιττολογίαις, ſanam de cœna orthodoxiam amplectebantur: tantum tamen abſuit, *quod tamen ait Hoſpinianus*, ut vel Lutherus ad caſtra Zwinglianorum tranſierit, vel cum Helvetiis concordiam inierit, ut potius cum Bucero, vere tandem reſipiſcente, & ſociis ejus in nullam actionem ἐνωτικὴν ante conſenſerit, quam cancellatis erroribus ſe impoſterum credituros, ſancte & cum lacrymis etiam teſtarentur, *panem in euchariſtia eſſe verum corpus Chriſti, & non tantum à dignis ore & corde ad ſalutem comedi, ſed & ab indignis ore ad ipſorum judicium & condemnationem.* Nihilominus poſt hæc tempora bellum euchariſticum mirum in modum invaluit, & florentiſſimas regiones pernicioſo errore corripuit. Imprimis *Philippus Melanchthon*, ut vivo adhuc Luthero, Auguſtanam confeſſionem in decimo articulo in gratiam Helvetiorum mutaverat, & ita non ſine Lutheri indignatione nutare cœperat: ita, cum, defuncto Luthero, in aſſerenda carnis Chriſti majeſtate & ejus in cœna præſentia, non ſaltem timidiſculus appareret, ſed & cum ipſis Calvinianis clanculario primum; deinde palam colluderet: autoritate ſua quamplurimos, & imprimis anno LIX. *Palatinos* induxit, ut, Heſhuſio, aliisque purioribus religionis aſſertoribus ejectis, veritati & confeſſioni Auguſtanæ nuncium mitterent.

XLIV. Ergone magnus ille Melanchthon aliquid humani in hoc quoque negotio paſſus eſt?

Luc. Oſiand. Cent.16 lib.3.c. 43. Abr. Calov. in Proleg. in A. Conf. § XI. Aſſelm. de Philippiſmo fugiendo.

Ad ſe quidem tandem rediit: nec tamen ſua reſipiſcentia tam profuit eccleſiæ, quam lapſu nocuit. Interim acceſſerunt adhuc aliæ cauſæ propagati Calvinianiſmi: præſertim cum *Joh. Calvinus*, poſtquam Genevenſes cum Tigurinis, ejus & Farelli opera, mutuum conſenſum inie-

inierant, ſubtilius venena ſacramentaria inſtillaret, & ſe orthodoxis theologis, maſcule pro myſterio S. cœnæ ſeſe gerentibus, opponeret. Quicunque Zwinglianorum *vel ex Anglia*, reginæ Mariæ indignationem declinaturi, *vel ex Gallia*, inquiſitorum crudelitatem vitaturi, profugerant, in dogmate ſuo diſſeminando admodum ſtrenui deprehendebantur. *Johannes Laſcus*, ex Anglia anno LIII. in *Daniam* profectus, cum erroris patrocinium, *Noviomago*, aulico regis concionatore, obſtante, in illo regno non inveniret: *Bremæ* ſic *Alb. Hardenbergium* ad Zwinglianiſmum diſpoſuit, ut paulo poſt ejus opera orthodoxi cum *Muſæo* anno LXIII. ejecti ſint. *Inde Embdæ in Friſia* ſedem fixit. Poſt *Francofurtum ad Manum profectus, eccleſiam ibi peregrinorum* (ſic vocabat ſuos) aperuit. Hinc profectus *Stutgardium*, ad ducem Würtebergicum, impetrabat colloquium cum *Brentio*: qui ei myſterium, quod hactenus ignoraverat, denudabat, nempe *Chriſtum etiam in cœna ad patris dexteram ſedere*. Tandem in *Polonia* ſubſedit, & ad mentem Helvetiorum evangelium ibi expoſuit. Interea Calvino ſe oppoſuere *Joach. Weſtphalus*, paſtor Hamburgenſis, *Heshuſius* & alii. Cum ille mordaciter reſponderet, *Bullingerus* etiam atque alii eidem ſuccenturiarentur: conflictus ſemper ingravabantur. Tandem *Theod. Beza, Wilhelm. Farellus, Caſp Cormelus* & *Joh. Badæus*, anno LVII. in Germania ex Gallia pro fratribus, admodum à rege Gallorum preſſis, Proteſtantium principum Germanorum interceſſionem pro captivis impetraturi aderant. Rex enim plures eorum, qui ad ſacra juxta ritus Reformatorum convenerant, anno LI. in carcerem conjecerat. Hi Galli confeſſione fidei oblata, *ſe idem cum noſtratibus ſentire* teſtabantur: & hoc bono dolo (*ſic enim ipſi ſe ad fratres Helvetios excuſabant*) imponebant multis: cumque poſtea Bezæ concederetur, ut *in colloquium Mompelgarti* cum *Jacobo Andreæ* de capitibus fidei controverſis deſcenderet: *non tantum præſentiam carnis Chriſti in terris, ſed & gratiæ & meriti Chriſti univerſalitatem negavit: neceſſumque dixit fuiſſe, ut, DEO ſic ordinante, primi homines laberentur: & hinc DEUM propoſuiſſe ſibi abſolute, quod velit aliquos ex lapſis, quos in hunc finem creavit, ut in ipſis iram & juſtitiam oſtenderet, reprobare: quia hos nunquam dilexerit, nec vocaverit, aut, ſi maxime vocet, tamen eorum converſionem nolit.* Cum igitur Helvetii & Galli, nimis rationi indulgentes, initio docuiſſent, *Chriſtum nec velle, nec poſſe corpus ſuum ore comedendum in cœna exhibere*; noſtræ autem eccleſiæ voluntatem ejus probarent ex verbis inſtitutionis; poteſtatem ex majeſtate carni Chriſti

commu-

communicata: factum eſt, ut ab erroribus de cœna poſtea dilaberentur ad errores *de unione naturarum perſonali, communicatione idiomatum reali, & officio Chriſti.* Cumque noſtrates in quæſtione de ſacramentorum efficacia, *eadem dicerent eſſe organa & media fidei accendendæ & conſervandæ*, Calviniani eadem cœperunt *tantum habere pro quibusdam gratiæ ſignis: fidemque docuerunt, prout Deo viſum fuerit, vel ante baptiſmum conferri, vel poſt illum: nec regenerari reprobos aut fide donari, ſi vel millies baptiſentur, qvum Chriſtus ad eos non pertineat: ſed nec ab indignis corpus in S. cœna manducari*: quos tamen Lutherus dixit non quidem ſpiritualiter fide, vi tamen verborum inſtitutionis ſacramentaliter ore illud ſumere. Hac occaſione perventum eſt *ad quæſtiones de origine fidei & cauſis ſalutis*: &, cum Lutheri aſſeclæ dicerent, *neminem reprobari, niſi ob prævuſam impœnitentiam & incredulitatem*, Calvinus cum ſuis dixit, *ideo reprobari impios, quia ordinati ſint ab æterno ad interitum, & quia Deus illos nunquam dilexerit, nec eo animo, ut ſalvos vellet, vocaverit, ſed nec Chriſtus eos unquam redemerit.* Hæc ultima controverſia *de gratiæ & meriti Chriſti particularitate, deque abſoluta prædeſtinatione*, tandem cœpit magis occupare diſſidentes theologos, quam prior illa de cœna: ipſique Reformati in plures inter ſe abiere factiones. *Whitakerus, Zanchius, Urſinus, Danæus, Piſcator Herbornenſis*, rigidam Bezæ ſententiam ſecuti, *providentiam Dei dixere omnibus actionibus, etiam malis, neceſſitatem imponere, Deoque volente & procurante Adamum eſſe lapſum: paucis abſolute fidem eſſe decretam: pro illis ſolis Chriſtum mortuum, & gratiam irreſiſtibilem illis deſignatam.* Uno verbo: *abſolutam paucorum electionem & plurium rejectionem ante prævuſum lapſum factam eſſe ſtatuebant.* *Jacobus Arminius*, unde dicti *Arminiani*, primum paſtor Amſtelodamenſis, deinde in Academia Leydenſi Franciſci Junii ineunte hoc ſeculo XVII. ſucceſſor, cum pro hac ſententia librum moliretur, contrarium cœpit ſentire. Inde variis conventibus, collationibus & ſcriptis adverſis data eſt anſa, *Gomaro*, Profeſſore & ipſo Leydenſi, adverſus Arminium præcipuo actore. Qui cum Arminio faciebant interque eos præcipui, *Uytenbogardus, Simon Epiſcopius & Joh. Arnold. Corvini*, dici cœperunt *Remonſtrantes*, propter *Remonſtrantiam Ordinibus* anno ſeculi noſtri X. pro ſua ſententia oblatam. Qui adverſus eam ſentiebant, *Contra Remonſtrantes* vocabantur, propter *Contra-Remonſtrantiam* anno ſequenti iisdem Ordinibus exhibitam. Horum tamen Contra Remonſtrantium aliqui cum Gomaro dixerunt, *Deum ante decretum creationis aliquos decreviſſe ad declarandum miſeri-*

Abr. Calov. in Conſid. Armin. & Syntag. in Veneno Matæ l Armini næ. N. sqq. in Contin.

miſericordiam facere beatos; ad juſtitiam reliquos miſeros: & propterea ab æterno conſtituiſſe, ut protoplaſtorum voluntas arcano impulſu determinaretur ad peccatum: aliqui poſtea ex miſeria eriperentur, & illis ſolis mediator & irreſiſtibilis gratia, fidesque donaretur, reliquis omnibus ſine mediatore, gratia & fide abſolute relictis. Et hi dicti ſunt *Gomariſtæ & Supralapſarii.* Alii cum *Delfenſibus* ſic digeſſerunt decreta Dei, *ut non quidem dicerent, reprobos ad damnationem creatos & ad peccandum præordinatos, Deum tamen docerent ſtatuiſſe certas quasdam perſonas ex lapſis, nulla præviſæ fidei habita ratione gratis ſervare, & illis ſolis mediatorem & fidem gratia irreſiſtibili dare, reliquos ſine Chriſto & efficaci vocatione relinquere.* Et hi dicti ſunt *Sublapſarii:* quorum ſententiam amplexa eſt *Synodus Dordracena.* Alii cum *Camerone, Amiraldo & Teſtardo in ſchola Salmurienſi*, clariſſimis ſcripturæ dictis convicti, cum non poſſent negare gratiæ univerſalitatem, nec tamen vellent abſoluta Dei decreta, in negotio ſalutis noſtræ à Beza aſſerta, miſſa facere, *Deum dixere omnes ſalvos velle, ſed ſub conditione abſolute impoſſibili, ſi ſcilicet credant evangelio per media in natura propoſita.* Et hi dicti ſunt *Hypothetici & Salmurienſes*, quibus ſe acriter ſuperioribus annis oppoſuit *Spanhemius cum Leydenſibus. Arminiani* interim, qui de ſacramentis & perſona Chriſti idem cum reliquis Reformatis docent, dum in uno articulo de prædeſtinatione ab iisdem diſſident, *in multis ſimul Socinianiſmi & Pelagianiſmi* accuſantur. Inter eos imprimis *Conr. Vorſtius*, à variis conflictibus, quos *cum Piſcatore Hernbornenſi* pro Arminianis inſtituit, notus, propter abſurdas de Deo opiniones, cenſura notatus, & ab officio remotus eſt, ejusque libri in Anglia combuſti. *Ordines* interim *Hollandiæ & Weſtfriſiæ*, hæc diſſidia Belgarum ſuorum deteſtati, anno ſeculi XIV. decretum condidere, quo doctrina Gomariſtica de abſolutis DEI decretis videbatur improbari. Illud hinc à *Jac. Triglando* confutatum: iſthinc à *Joh. Utenbogardo Arminiano* defenſatum. Conſtitutum ſequenti anno decretum alterum, quo totius mundi reconciliatio per Chriſtum facta ſtatuminabatur: ſed ContraRemonſtrantes inde magis irritati. *Guil. Ameſius* contra gratiam univerſalem; *Nic. Grevinchovius* pro illa acriter diſceptabant, totumque Belgium bello religioſo ardebat. Quapropter anno ſeculi XIX. *ſynodus nationalis Dordracena ab ordinibus eſt convocata:* ad quam undique theologi Reformatorum, *præſide Joh. Bogermanno*, eccleſiæ Leovardienſis Paſtore, confluxere ex Gallia, Anglia, Germania. *Remonſtrantes* ad cauſam dicendam citati, adverſus judicis incompetentiam excepere, quia Contra-Remonſtrantibus, tanquam parti, munus judicis committeretur:

Hornbeck. in Præf. Socin. Confut. Spanh. in Synopſi contr. de Relig. cum Socin. p. 137. ſeq. & cum Armin. pag. 237. ſeqq.

teretur : &, cum condemnabantur, cauſam indefenſam eſſe damnatam in actibus ſynodalibus publice editis arguebant. Synodalibus illis actibus Ameſius oppoſuit *Anti Synodalia*, & P. Molinæus *Anatomen Arianiſmi*. Sed illi *hiſtorica relatione*, *Antidoto & Cenſura* ſeſe vindicare perrexerunt, & hodienum ſub certis conditionibus ſuos cœtus in Belgio frequentant. Ad illos ante aliquot annos *Dan. Tilenus*, theologus quondam Heidelbergenſis magni nominis, ſeſe recepit, cum prius colloquio amico cum *Joh. Camerone*, *Salmurienſi* theologo, congreſſus eſſet, hoc eventu, ut Camero poſthac & ipſe gratiam quandam univerſalem aſſerere inciperet. Et hæc agebantur in Belgio. *In Anglia* non minores Reformatorum turbæ: ubi ſciſſi ſunt in *Independentes* ſeu *Puritanos*, qui nec regi nec regimini eccleſiaſtico parebant, & omnes reges pro Chriſti hoſtibus habebant, *& in Presbyterianos*, qui probabant ordines eccleſiaſticos. Independentes primum in nova Anglia, ſi *Salmaſio* fides habenda, duce *femina Hutchinſohnia*, adverſus civilem & eccleſiaſticum ſtatum, adinſtar Anabaptiſtarum, multa moliti ſunt. Inde ſe in Hollandiam & Angliam diſſeminavere. Tria eorum genera: *Separatiſtæ : Non conformatiſtæ: Conformatiſtæ. Illi* ab eccleſia Anglicana ſe ſegregant totos, diſtincti in *Bruniſtas* rudiores, ab autore Bruno ſic dictos, nullâ feſta, nulla patrum allegata, nullos in eccleſia ordines admittentes : & in *Robinſohnianos* remiſſiores. *Iſti* non totos ſe ſeparant. *Hi* licet ſtatum regni non probent, ſe tamen illi accommodant. Ad hæc diſſidia tollenda anno ſeculi XVIII. *in Scotia* celebrata eſt *ſynodus Perthenſis*, & propoſiti *quinque Anglicanarum ceremoniarum articuli controverſi*, nempe *de genuflexione in ſacra cœna, celebratione aliquot dierum ſacrorum præter Dominicos, baptiſmo privato, privata adminiſtratione S. Cœnæ & confirmatione Anglicana.* Quibus cum non ceſſarent ſe Puritani opponere; majora indies incrementa ſchiſma ſumſit. Inde anno XXXVIII. *Edenburgi in Scotia conventus Nationalis* eſt habitus IↃCC. [illegible]rum, præſentibus plurimis proceribus & nobilibus : in quo Puri[illegible]*rgiam ſeu librum ritualem* ab epiſcopis conſcriptum, & à Rege Scotis, ut conformarent ſuas eccleſias Anglicanis, propoſitum penitus reſpuebant, & libertatem in quinque articulis Perthenſibus poſtulantes, omnem epiſcoporum autoritatem, ipſumque nomen eliminari volebant. Hinc etiam ſtatim *in conventu Glaſguenſi*, fruſtra intercedente rege, epiſcopi ab omni adminiſtratione ſunt depoſiti, & ita occaſiones ingenti illi bello datæ, quo tota Britannia in alium ſtatum redacta eſt. Ab hoc enim tempore illæ turbæ magis

de his inferius in Contin.

gis magiſque invaluerunt, quibus tandem factum eſt, ut independentium molitionibus *Carolus rex, Jacobi VI. filius*, ſecuri coram omni populo ſubiiceretur. In Germania dogmata Helvetiorum *Bremæ*, ut diximus, Muſæo vi excluſo per Hardembergium; in *Friſia* per Leſcum in *principatu Anhaltiæ* per Amlingum: in *Palatinatu*, ejecto Heshuſio, per Cleovitium & Boquinum; in *Haſſia* per Mauritium Landgravium; in *Marchia* per Joh. Sigiſmundum electorem, propagata ſunt. Hoc imprimis ſuſpectum reddidit Lutheranam doctrinam, quod ejus ſectatores, *Brentius* in academia Tubingenſi, & *Flacius Illyricus* in Jenenſi, falſo de neſcio quibus monſtroſis dogmatibus, accuſarentur, *ac ſi panem & vinum eſſentialiter eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, & hæc ipſa ore corporaliter accipi, & idioma omnipræſentiæ τῷ λόγῳ proprium humanæ naturæ, tanquam in omnia loca extenſæ, accidens factum eſſe docerent.* His calumniis *Crypto-Calvinianorum*, præſertim *Wittebergenſium*, traducebantur orthodoxi. Ideoque principes evangelici, cum interea anno LXI. ſtatuæ in Belgio per tumultum ejicerentur, Auguſtum electorem monuerunt, ut in doctrinam ſuorum theologorum inquireret. Wittebergenſes tamen & Lipſienſes ita reſponderunt, ut, dum Lutheri doctrinam ſe unice amplecti ſimularent, fucum electori facerent, & cum alia ſe indigna committerent, tum duos theologiæ ſtudioſos, *Conradum Schlüſſelburgium, & Albertum Schirmerum*, orthodoxiam Lutheranam publice aſſerentes, carceri primum mancipatos, Witteberga excedere juberent. Præterea cum de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, deque συνεργίᾳ voluntatis in converſione hominis & de adiaphoris monſtroſas foverent opiniones, *ex libro Interimiſtico* hauſtas, *& colloquium Altenburgicum*, ad diſſidia iſtiusmodi amolienda adornatum, doloſe abrumperetur, *Jacobus Andreæ*, autoritate Julii Brunſvicenſis, & Wilhelmi Landgravii Haſſiæ, ut negotium totum, ſi poſſet, amico colloquio componeret, Auguſto commendabatur, [illegible] Wittebergenſes, multis uſi tergiverſationibus, utut ad ſententiam vel affirmate vel negate promendam invitarentur, generalioribus loquendi formulis virum ludificabantur, & ad Philippum Melanchthonem, & corpus doctrinæ ab eo conſcriptum, fraudulenter provocantes, articulis, quos in hunc finem ille conſcripſerat, ſubſcribere dedignabantur. Quin & inſcio & inconſulto electore, *novus catechiſmus Wittebergenſis* prodiit, quem tanquam catechiſmo Lutheri exauctorato & exploſo oppoſitum, plures ſibi ſumſerunt confutandum; Wittebergenſes vero apologia & aliis vindiciis, imprimis *Streo-*

mate, defenderunt, *D. Cracovii* & nonnullorum aulicorum favore ſubnixi. Tandem elector, *conventu Dreſdenſi* theologis ſuis anno LXXI. indicto, juſſit, ut ſuam de cœna Domini ederent confeſſionem. Sed denuo pro confeſſione edebatur cothurnus, perque cuniculos recte etiam ſentientes, ad ſubſcriptionem pertrahebantur, inque ipſa academia Witebergenſi *exegeſis controverſiæ de cœna*, qua dogmata Calvinianorum aperte inculcabantur, evulgata eſt. Indixit igitur Auguſtus elector anno LXXIV. alium *conventum Torgenſem*, & articulis affirmativis ſimul & negativis propoſitis, omnes categorice ad omnes reſpondere juſſit.

XLV. Exſpecto ſane, quorſum tandem Crypto-Calvinianorum techna inclinaturæ ſint.

Leonh Hutter. in Concordia Concorde per toti itemin Calviniſta Aulico Politico, Oſiand. in Cent. XVI. part. 2. paſſim.

Articuli illi Torgenſes etſi ab initio oculatiſſimis etiam ſatis probi videbantur: latuit tamen aliquibus in locis nonnihil præſtigiarum Calviniſticarum. Id cujus culpa factum ſit, non conſtat. Nam ſatis orthodoxum eorum fuiſſe autorem, certum eſt. Subſcripſerunt autem dictis articulis omnes: multi etiam, qui diſſenſum hactenus conteſtati fuerant. *Witebergenſes* tamen id facere recuſabant. Ideoque non tam propter Calvinianiſmum, quam clancularíam Calvinianiſmi incruſtationem, & perfidiam atque deceptionem, Torga Lipſiam adducebantur in cuſtodiam. Subſcripſerunt ergo & ipſi, neſcio quibus conditionibus. Sed paulo poſt omnes dimiſſi ſunt: & quidem Superintendenti *Fr. Widebramo* ſurrogatus eſt *Eberhardus Schnebergius*, paſtor Miſnenſis; *Caſparo Crucigero juniori Paulus Crellius*, Conſiſtorialis Miſnenſis; *Henrico Mullero Johannes Avenarius*, Jena evocatus; *Chriſtophoro Pezelio Martinus Oberndorferus*. *Peucerus Medicus*, gener Melanchthonis, præcipuus in hac tragœdia actor, *Gregorius Cracovius* JCtus, & *Johannes Stoſſelius*, Pirnenſis Superintendens, gravibus de cauſis carceri incluſi ſunt. *Wolffgangus Crellius* Logicus & *Johannes Hermannus* medicus proſcribebantur. Alii ſua ſponte diſcedebant. Atque ita longe maxima mutatio in academia Witebergenſi contigit. Ipſe elector tandem de concordiæ ineundæ rationibus ſaluberrima conſilia agitans, anno LXXVI. *conventum theologorum Liechtenberga* ad Albim indixit, ut de mediis conſultaretur, quibus & Calvinianorum ſtrophis & convitiis omnis via præcluderetur, & unanimis conſenſio inter orthodoxos ſtabiliretur. Conſuluerunt theologi, *ſancita privatarum & perſonalium injuriarum*

dam-

ἀμνηςία ſancita, corpus doctrinæ Philippicum non eſſe pro canone habendum, ſed theologos plures ad hoc negotium evocatos, præſentibus principibus, de controverſiis omnibus judicium ferre debere. Acceſſit *Georgii Erneſti Principis Hennebergici* dexteritas: qui non ſaltem electori Auguſto opus illud *ἑνωτικὸν* de concordia ineunda ſuaſit, ſed & in nuptiis ducis Würtenbergici poſtea quibusdam principibus perſuaſit. Hi ſub nomine *Epitomes articulorum*, de quibus inter theologos Auguſtanæ Confeſſionis controverſiæ ortæ ſunt, in theſi & antitheſi, *ſcriptum concordiæ ineundæ accommodatiſſimum*, per Oſiandrum & Bidembachium, theologos Würtenbergicos, in theſi & antitheſi adornatum, & Maulsbronnæ ab aliis theologis reviſum, ad electoram Saxoniæ transmiſerunt. Ille denuo Torgæ conventu theologorum cum Saxonicorum, tum aliarum eccleſiarum indicto, nervoſum quoddam & copioſius ſcriptum adornari curavit. Hoc primo *DECLARATIO controverſorum articulorum* vocabatur, quia articulorum prædictorum epitomen declarabat: poſt ei auguſtus ille *FORMULÆ CONCORDIÆ* titulus datus eſt. Alii vocabant *librum Torgenſem*. Symbolicum hoc eccleſiarum Auguſtanæ confeſſionis ſcriptum duodecim conſtat capitibus. I. *de peccato originis* contra Manichæiſmum Flacianorum. II. *de libero arbitrio, deque modo & cauſis converſionis*, contra Stoam & Manichæiſmum Zwinglianorum, quibus opinio placet de abſoluta omnium rerum neceſſitate: & contra Pelagianiſmum & Papiſmum Strigelii & aliorum Synergiſtrnm, ut & contra enthuſiaſmum Anabaptiſtarum. III. *de juſtitia fidei coram Deo* contra Stancariſmum, quo Chriſtus tantum ſecundum naturam humanam dicitur noſtra eſſe juſtitia; Oſiandriſmum, quo ſtatuitur noſtra juſtitia tantum ſecundum divinam naturam, & Papiſmum eorum, qui nos putant per charitatem infuſam aut obedientiam inchoatam, & non per ſolam fidem in Chriſtum juſtificari. IV. *de bonis operibus*, contra Majoriſtas, qui bona opera cenſent eſſe ad ſalutem neceſſaria, & Antinomos, qui bona opera putant eſſe ad ſalutem pernicioſa. & Anabaptiſticum errorem, quo docetur, quod fides per peccata mortalia non amittatur, quodque ſancti & electi ſpiritum ſanctum etiam in graviſſimis ſceleribus retineant. V. *de lege & evangelio* contra errorem Agricolæ Islebii, quo evangelium proprie habetur pro concione pœnitentiæ arguente, accuſante & damnante peccata, quum illud tantummodo ſit concio de gratia Dei. VI. *de tertio uſu legis* contra errorem Islebii & Antinomorum & Libertinorum, quo lex Dei negatur piis & credentibus proponenda.

Hutterus, Hülſem. Deutſchmann. Seb. Schmidius & alii in Form. Conc.

VII. *de cœna Domini*, contra Sacramentarios, dum negant corpus & ſanguinem Chriſti vere & ſubſtantialiter in S. cœna eſſe præſentia, atque cum pane & vino diſtribui & ore ſumi ab omnibus illis, qui ſacramento hoc utuntur. VIII. *de perſona Chriſti*, contra eosdem, dum docent, unam Chriſti naturam alteri nihil realiter communicare, nuda nomina tantum communicari, & humanitatem nihil habere cum divinitate commune, neque hanc cum illa. IX. *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, contra eos, qui vel Chriſtum vere & realiter ad inferos deſcendiſſe cum Beza negant, vel nimis ſubtiliter, poſthabita ſimplicitate fidei, de modo & aliis circumſtantiis deſcenſus diſputant. X. *de ceremoniis eccleſiaſticis ſeu adiaphoris*, contra Adiaphoriſtas, qui putant, tempore perſecutionis ſalva conſcientia poſſe abrogatas ceremonias, per ſe indifferentes, iterum in uſum revocari, poſtulantibus id adverſariis. XI. *de æterna prædeſtinatione*, contra Calvinianiſmum eorum, qui docent, Deum nolle, ut omnes homines ſalvi fiant, ut & contra Papiſmum illorum, qui in nobis ipſis aliquam cauſam electionis divinæ eſſe putant. XII. *de aliis hæreſibus & ſectis, quæ nunquam Auguſtanam confeſſionem ſunt amplexæ*, contra Anabaptiſtas, Schwenckfeldianos, novos Arianos & Antitrinitarios. Adjectus eſt Formulæ Concordiæ *Catalogus teſtimoniorum cum ſcripturæ, tum purioris antiquitatis*, oſtendentium, quid utraque non modo de perſona deque divina majeſtate humanæ naturæ Chriſti tradiderit, ſed etiam, quibus loquendi formulis uſa ſit. Adverſus hanc formulam concordiæ etſi non ſaltem ab heterodoxis, ſed & iis, de quorum religione ſincera ſatis conſtabat, iniquiores ferebantur cenſuræ: tandem tamen robur nacta, omnibus hæreticis, laus Deo, ſudes eſt in oculis. Nam elector VI. theologos, *J. Andream*, *A. Muſculum*, *C. Cornerum*, *N. Selneccerum*, *M. Chemnitium*, & *D. Chytræum* in cœnobio *Bergenſi* convocavit: per quos reviſione & correctione, ſeu emendatione *libri Torgenſis* ad cenſuras undiquaque petitas inſtituta, ſalutari operi omnes ii ſubſcripſere, qui ſana religione frui exoptabant. Et quidem non modo ultra octo millium theologorum, ſed & tres electores, XX. principes, XXIV. Comites, IV. Barones, & XXXV. civitates imperiales nomen ſuum adjecerunt. Si qui ſubſcribere recuſarunt (recuſarunt autem multi, ut Sveci, Dani, Brunſvicenſes, Boruſſi, Pomerani, Politicas cauſas prætexentes) ſua tamen recuſatione ipſum librum concordiæ haud improbarunt, ſed peculiaribus ſcriptis conſenſum ſunt conteſtati. Si quoque nonnulli adverſariorum Formulam hanc ſalutarem, quæ hactenus ſtetit & ſtabit vo-

lente

lente Deo Lutheranorum concordia, variis allatrarunt ſcriptis, (ut *Calviniani in conventu Francofurtano, Neoſtadienſes, Sturmius Argentinenſis rhetor, Anhaltini, Bremenſes, Pantaleon candidus, perſonatus Palmerius*) tanta tamen noſtrorum animoſitate excepti ſunt, ut, ſi conferas apologias à Chemnitio, Kirchnero, Selneccero, Schlüſſelburgio adornatas, imo ſi vel *unicum Hoſpiniani & Hutteri de hoc negotio conflictum* non pigeat ſpeculari, quam facile ſit veritati de mendaciis triumphum agere, manifeſte conſpicias. Quam miſerabilis autem ſtatus poſt Auguſti electoris obitum Wittebergam exceperit, ex aliis cognoſces.

XLVI. Imo ſi quid, quod mea ſcire intereſt, poſt hæc tempora contigit, id à te diſcere malim.

Auguſto defuncto, *Calviniani in aula Chriſtiani I. latitantes*, autoritatem electoris prætexentes, ſtatim Wittebergenſes juſſerunt, ne in controverſia ſacramentaria, pro ſuggeſtu verba facientes, coram plebe quicquam contra diſſentientes proferrent, ſed nec quicquam de rebus ſacris in publicum emitterent, niſi ad aulam prius miſſum. Imo dimiſerant jam *Polycarpum Lyſerum & Johannem Matthæi*, ne novæ ſuæ hierarchiæ, quam meditabantur, eſſent obſtaculo. Cumque *unicus G. Mylius* pravis conſiliis reſiſtere videretur, nec corpus doctrinæ Philippicum, prout juſſus fuerat, novis miniſtris pro forma fidei commendare vellet, non ſolum cancellariatus dignitate eſt exutus, ſed & ſtipendio annuo imminuto multatus. His machinationibus factum eſt, ut Jenam evocatus, anno LXXXIX. Wittebergam injuriis Calviniſticis relinqueret. Sic deturbatis orthodoxis, in iſtorum locum ſuffecti ſunt, qui aut Calviniſmum alibi aperte profeſſi fuerant, aut eum occulte fovebant. *Exorciſmus* publicis electoris edictis eſt prohibitus: cumque plures theologi non parerent iisdem, proclamabantur *Flaciani, Ubiquitiſtæ, Capernaitæ, Eutychiani, Neſtoriani, Semipapiſtæ, Exorciſtæ, & qui non?* Libidini *Urbani Pierii, Salmuthi, Gundermanni, Kimedontii* omnia patebant, adeo ut Salmuthus etiam in convivio imaginem Lutheri pictam, poculo petitam, probris afficeret. Sed cū aurea concordiæ formula tantis in turbis tam nefarie eliminaretur, *Fridericus Wilhelmus*, cui, defuncto Chriſtiano I. electoratus adminiſtratio demandabatur, veritatem egregie vindicavit, & anno XCI. *Ægidium Hunnium* ad reformationem infauſtorum reformatorum juxta normam Scripturæ inſtituendam Marpurgo evocavit. Cujus auſpiciis

Saxo-

Saxonia electoralis concordia religioſa ſine dolo frui cœpit, & adhuc fruitur. In *Palatinatu* etiam, cum *Fridericus III. elector*, qui ab Helvetiis & Gallis perſuaſus, Auguſtanæ confeſſioni, renunciaverat, diem obiiſſet, filius ejus *Ludovicus V.* manu & ore ſententiæ Formulæ Concordiæ ſubſcripſit. Sed eo poſt ſexennium anno CIↃ IↃ LXXXIII. defuncto, patruus & tutor relicti heredis, *Johannes Caſimirus*, opera *Grynæi*, Helveticam religionem in Palatinatum electoralem introduxit. Unde occaſio variis ſcriptis polemicis, variis etiam colloquiis, eſt data. Paulo poſt *liber Staffortenſis* prodiit, Formulæ concordiæ oppoſitus, quem *marchio Badenſis Erneſtus Fridericus* edi curaverat. Prodiit etiam *Informatio Heidelbergenſis* pro cauſa mutatæ ad ritus Reformatorum religionis. Sed *Tubingenſes* illa & alia ſcripta ad examen revocarunt, & quicquid opponebatur, *Examinis continuatione*, *promotione*, *concluſione*, *triumpho*, *tropæo*, *diverſis annis*, ſub initio hujus noſtri ſeculi, maſcule convellebant. Et quanquam multis ſubinde de pace inter noſtras & Reformatorum eccleſias ineunda fuere ſolliciti, *Henricus Borbonius* etiam, *rex Navarræ*, anno ſuperioris ſeculi LXXXIII. *teſte Thuano lib. LXXIX.* in ampliſſima legatione in Angliam, Belgium & Germaniam miſſa, proteſtantibus aliquam animorum & conſiliorum unionem contra pontificios perſuadere voluit: *quamdiu tamen Chriſtus negatur pro omnibus mortuus, gratia ſtatuitur tantum particularis, electio & reprobatio abſoluta docetur, carnis Chriſti majeſtas imminuitur, res cœleſtis ex euchariſtia tollitur, adoratio ad ſolam divinam naturam in Chriſto reſtringitur: impoſſibilis videtur omnis conciliatio; impius ſyncretiſmus:* præſertim quia ipſi Calviniani ſuis in loco de perſona Chriſti & de cœna Domini complicibus, ſi de abſolutis decretis in Synodo Dordracena quondam aſſertis per omnia non conſentiunt, ſua communicatione indignos habent, ut patet *ex proceſſu Belgarum contra Arminianos, & actionibus Leydenſium contra Amyraldiſtas & Crocianos.*

Oſiand. Cent. 16. part. 2. lib. 4. cap. 20. pag. 963.

XLVII. Quia, ad eccleſiaſticam Lutherani ſeculi hiſtoriam rectius intelligendam, doctorum ſeries mihi videtur eſſe annectenda, hac in re te mihi quoq; des pervelim.

Recte cenſuit *Ramus* in præfatione ſcholarum mathematicarum, *majorem doctorum hominum & operum proventum ſeculo uno nos vidiſſe,* quam

quam totis antea quatuordecim majores noſtri viderunt. Vis inſignes *philoſophos?* Quis *Hieronymo Cornelio Agrippa*, illo vanitatum deriſore; *Cardano & Scaligeris*, ſubtilitatum magiſtris, *Zabarella*, *Picolhomineo*, *Schegkio*, *Toleto*, *Titelmanno*, *Svarezio*, *Fonſeca*, *Conr. Geſnero*, *G. Agricola*, *Cœlio Secundo Curione*, *Ramo*, *Hadriano Junio*, *Patritio*, *Percrio*, *Beato Rhenano*, *Sim. Grynæo*, *Maſio*, *Timplero*, *Cacmanno*, *Goclenio*, *Danæo*, *Kekermanno*, *Arniſæo*, *Sagittario*, *Martinis*, *Scheiblero*, *Gilberto*, *Cæſalpino*, *Taurello*, *Alſtedio*, *Verulamio*, *Charteſio* ſagacior? Vis *aſtronomos?* Ecquis *Luca Gaurico*, *Er. Reinholdo*, *Stadio*, *Vadiano*, *Ariano*, *Purbachio*, *Joh. de Indagine*, *Liliis*, *Schreccefuſio*, *Leovitio*, *Ranzovio*, *Rhetico*, *Stoefflero*, *Schœnero*, *Mæſtlino*, *Brahco*, *Lansbergio*, *Galilæo*, *Keplero*, *Longomontano*, *Origano*, *Magino*, *Crugero*, *Eichſtadio*, peritior? Vis *geometras & arithmeticos?* Quis *Clavio*, *Gemma Friſio*, *Stifelio*, *Nepero*, *Pitiſco*, *Schwentero* accuratior? Vis *geographos?* Quis *Ortelio*, *Mercatore*, *Bertio*, *Cluverio*, *Merula* ſolertior? Vis *chronologos?* Quis *Buchholzero*, *Buntingio*, *Funccio*, *Scaligero*, *Calviſio*, *Petavio*, *Helvico*, *Helvigio*, circumſpectior? Quæris *philologos* & elegantiæ politioris in utraque lingua ſectatores? *Vivem* age intuere, *Roterodamum*, *Camerarios*, *Xylandrum*, *Linacrum*, *Vallam*, *Egnatium*, *Lipſium*, *Caninium*, *Sambucum*, *Bembum*, *Sadoletum*, *Calepinum*, *Gyraldum*, *Lycoſthenem*, *Perottum*, *Petrarcham*, *Pontanum*, *Victorium*, *Ferd. Nonium*, *Jac. Sturmium*, *Cruſium*, *Henr. Stephanum*, *Calcagninum*, *Manutios*, *Junios*, *Turnebos*, *Lambinos*, *Crugeros*, *Heinſios*, *Baudios*, *Grotios*, *Voſſios*, *Barclajos*, *Salmaſios*, & infinitos alios, mecumque ingentes ingenii in tantis viris dotes mirare. Quid dicam de *oratoribus* clariſſimis, *Mureto*, *Majoragio*, *Politiano*, *Puteano*, *Caſelio*, *Lanſio?* Quid de *Hebrææ & Syræ linguæ doctoribus*, *Tremellio* è Judæis Chriſtiano, *Mercero*, *Vatablo*, *Pagnino*, *Ariamontano*, *Avenario*, *Münſtero*, *Forſtero*, *Schindlero*, *Bertramo*, *Pellicano*, *Buxdorſio*, *Amama*, *Capella*, *Aviano*, *L. Empereurio*, *Rittangelio*, *Boblio*, *Ledeburio?* Quid de *Arabicæ linguæ ſectatoribus*, *Raphelengio*, *Baptiſta*, *Erpenio*, *Kirſtenio*, *Golio?* Quid de *Poëtis* nihil antiquitati cedentibus, *Eobano*, *Palingenio*, *Sibero*, *Sannazario*, *Aretino*, *Stigelio*, *Sabino*, *Flaminio*, *Fracaſtorio*, *Buchanano*, *Lotichio*, *Septimio*, *Friſchlino*, *Panormitano*, *Campano*, *Douſa*, *Taubmanno*, *Oweno*, & quem ultimum è Pomeranis noſtris non debuiſſem nominare, *Seccervitio*, illiſque Gallis, *Marotto*, *Ronſardo*, *Salluſtio Bartaſio?* Quid de *muſicis egregiis*, *Orlando*, *Glareano*, *Vulpio*, *Philippo de Monte*, *Prætoriis*, *Schedio*, & imprimis noſtro *Dulichio?* Quid de *medicis*, *anatomicis*, & *botanicis*, *Bapt. Montano*,

Boecl. in lib. Memor. ſec. XVI. ex edit. Burch. May. & Gulich. ad Tabb. Chronol. Schraderi.

Zzz 2 *Gen-*

Cratone, Mercuriali, Matthiolo, Fernelio, Lonicero, Dryandro, Cluſio, Aldrovandino, Carrichtero, Lazio, Belloino, Cornario, Fuchſio, Veſalio, Eraſto, Quercetano, Columbo, Bauhino, Platero, Bartholino, quique omnium inſtar eſt, *Sennerto*, illisque *Chymicis, arte Spagyrica* pene nova ſuperbientibus, *Theophraſto Paracelſo, Thurnheuſero, Crollio, Poppio, Agricola, Beguino?* Quid de acutisſimis *JCtis, Budæo*, illo ob eruditionem Galliæ portento, ceu Eraſmus vocavit, *Alciato, Duareno, Tiraquello, Giſanio, Zaſio, Cujacio*, quem *Pithæus*, ipſe JCtus eximius, Romani juris interpretem primum & ultimum vocavit, *Gallio, Ranconeto, Goveano, Molinæo, Donello, Weſenbecio, Schneidewino, Hotomanno, Paurmeſtero, Cotmanno, Treutlero, Obrechto, Berlichio, Mynſingero, Vultejo, Gothofredo, Goddæo, Arumæo, noſtrisque Joachimo & Matthia Stephanis?* Quid de accuratisſimis *temporum ſcriptoribus, Cominæo, Guicciardino, Cuſpiniano, Jovio, Sleidano, Spondano, Onufrio, Centuriatoribus Magdeburgenſibus, Baronio, Bzovio, Hoſpiniano, Sidonio, Chytræo, Cromero, Leunclavio, Reineccio, Meterano, &* quem primum debuiſſem nominare, *Thuano*, quique omnes hiſtorias in unum quaſi theatrum produxit, *Zwingero?* Quid de *Politicis* circumſpectiſſimis, *Tholoſano, Bodino, Althuſio*, &, qui ſolus viſus eſt hiſtoriæ uſum intellexiſſe, *Machiavello*? Quid de *genealogis, Reuſnero, Bibitio*? Sunt ſane hi omnes, & qui cum iis, ut debebant, recenſeri hic non poſſunt, egregii teſtes, literatiſſimo nos vivere ſeculo: quo, quod homini noſſe datum eſt, ex ipſis fundamentis ita ſolide cernitur erutum, ut vel ipſe Ariſtoteles, Plinius & Hippocrates in noſtro mundo invenirent doctores. Non eſt igitur, ut putemus, omnia apud majores fuisſe meliora. Noſtra quoque ætas, *ut loquar cum Tacito*, multa laudis & artium imitanda poſteris tulit. Si Seneca rhetor, ut eſt in prœmio libri primi controverſiarum, duo millia nominum, quo ordine erant dicta, referebat, & ducentos verſus, à ducentis datos, ab ultimo incipiens uſque ad primum recitabat; ſiq; Cyrus omnium militũ nomina tenebat; nihil concedit illis juvenis ille Corſicanus LL. in Academia Patavina Studioſus, qui, *referente Mureto in libro III. variarum lectionum*, triginta ſex millia nominum, eo, quo tradebantur, ordine absque hæſitatione repetere potuit: nihil *Ludovicus Pontanus*, Spalatenſis JCtus, qui, teſte Ænea Sylvio in hiſtoria concilii Baſilienſis, non tantum titulos legum, ſed etiam integrum corpus recitavit: nihil *Suarezius*, qui tam firmæ memoriæ fuit, ut Auguſtini ſcripta verbis ipſiſſimis citatis allegaverit. Quid dicam

dicam de *Judæo*, qui, ut ait Ludovicus Vives in librum II. de civitate Dei cap. XVII. in ſe uno invenit & doctorem, & diſcipulum, & docendi viam, rationemque: & cujus decimam partem alii ſub magnis magiſtris vix diſcunt, ipſe id totum a ſe magiſtro edoctus eſt? Quid de *Scaligeris*, quorum alter, *Julius pater*, ut ſcribit ad Ferrarium, veſpere poſt expedita diurna negotia ad ſexaginta verſus (CXX. fuiſſe, eosque Jonicos majores Joſephus filius dixit) commentus eſt, & altero die, poſt varios labores confectos, poſt prandium, illos ipſos ad verbum ſine ulla hæſitatione ſcribi juſſit, decemque & ſeptem Æſchyli verſus ſemel modo lectos ſumma fide memoriter illico reddidit: alter *Joſephus filius*, qui nihil legerat (quid autem non legerat?) quod non ſtatim meminiſſet. Nihil, *inquit de illo Caſaubonus*, tam obſcurum aut abditum in ullo vetere ſcriptore, Græco, Latino vel Hebræo, de quo interrogatus non ſtatim reſponderit. Hiſtorias omnium populorum, omnium ætatum, ſucceſſiones imperiorum, res eccleſiæ veteris in numerato habebat; animalium, plantarum, metallorum, omniumque rerum naturalium proprietates, differentias, & appellationes qua veteres, qua recentes tenebat: accurate locorum ſitus, provinciarum fines, & varias pro temporibus illarum diviſiones callebat: nullam diſciplinarum, ſcientiarumve graviorum reliquerat intactam; linguas tam multas tam exacte ſciebat, ut ſi vel hoc unum per totum vitæ ſpacium egiſſet, digna res miraculo potuerit videri. Intra viginti & unius dierum ſpacium edidicit totum Homerum: intra quatuor menſium tempus, quicquid de poëtis Græcis reſtabat, devoravit. Ea imprimis conſiderentur, quæ, antiquis minus cognita, nunc per viros abſolutæ eruditionis inventa innotuerunt, ceu ſunt *tubus opticus*, qui multa in cœlis incognita, ut quatuor ſidera Medicea, ceu vocat Galilæus Galilæi, circa Jovis ſtellam, & alia in Lunæ obſervatione, lacteo circulo, & fixis innumeris detexit: *doctrina Logarithmorum* à Johanne Nepero, Barone Scoto, primum propoſita, qua plurima problemata arithmetica, geometrica & aſtronomica minimo negotio expediuntur: *Canones Tangentium & Secantium*, ab Eraſmo Reinholdo, & *Canones ſinuum* à Johanne Regiomontano primum traditi. Sed miſſis iſtis omnibus in hac eccleſiaſtica *hiſtoria de eccleſiæ doctoribus* ſollicitos nos eſſe oportet: quorum quidam ſunt orthodoxi; reliqui pravarum opinionum aſſertores. Illos vocamus *Lutheranos*; hos *Pontificios*, *Calvinianos*, *Photinianos*, *Anabaptiſtas*, uno nomine *Hæreticos*, aut certe

Heterodoxos. Illorum hiſtoriæ pauliſper jam inſiſtamus. Hos ſuo loco videbimus.

XLVIII. Fateor, me vitas & hiſtoriam piorum in eccleſia Lutherana doctorum diu deſideraſſe. Tu deſiderio quæſo meo ſatisfacito.

Utinam illud opus eccleſiæ utiliſſimum tandem aggrederetur, qui abſolveret. Quam mira enim providentiæ divinæ exempla in hiſtoriis theologorum noſtri ſeculi occurrant, cum ex aliis, tum ex libris, quos *Melchior Adamus & Biſmarcus de vitis Theologorum* ſcripſere, manifeſtum eſt. Interim quum pagellarum ratio habenda ſit, catalogum hunc potius, quam hiſtoriam, præcipuorum accipe.

CATALOGUS DOCTORUM IN LUTHERANA ECCLESIA.

Abrahamus A. Rector primum Academiæ Holmenſis, deinde poſt repudiatum librum liturgicum, de pontificia ſuperſtitione ſuſpectum, quem rex Johannes in Svecia publicari curaverat, in exilium ejectus, tandem archiepiſcopus Upſalienſis, *tractatum edidit de ſacerdotio Chriſti, & forum Adiaphororum:* quo probavit, fieri etiam adiaphora tempore confeſſionis neceſſaria: item alia ſcripta elenchtica contra Liturgiam regno Sveciæ obtruſam.

Pantaleon de viris Germ. Illuſtr. p. 324.

Joh. Æpinus D. Hamburgenſis, primus ex Evangelicis doctor Theologiæ cum Caſp. Crucigero & Joh. anno 1533. renunciatus, juventutem primo Gryphiswaldiæ & in ſchola Stralſundenſi docuit: deinde Hamburgum evocatus, eccleſiis illius loci primus Superintendens conſtitutus: *acerrimus libri Interimiſtici oppugnator, tractatu de juſtificatione hominis & ſacris concionibus formandis, aliisque ſcriptis clariſſimus.* Obiit anno 1553. Ante Æpinum Hamburgi *M. Otto Stiefel, M. Steph. Frieze & Joh. Zegenhagen,* egregiam operam ab anno 1521. navaverant, & jam anno 1525. ſenatus autoritate, rogantibus civibus præconium evangelii publice fecerant: quique ab eo tempore in presbyterio Hamburgenſi vineam Domini illic locorum excoluerunt, illos D. Joh. Mullerus, paſtor Hamburgenſis, in præfatione Lutheri defenſi, longa ſerie uſque ad annum 1634. enumerat, interque eos imprimis *Joachimum Weſtphalum, D. Philippum Nicolai, M. Jacob. Reineccium, M. Joh. Schelhamerum & M. Georg. Dedekinnum* à fide publicis ſcriptis defenſa celebrat. *Joh.*

Joh. Aſſelmannus D. Weſtphalus, juvenis admodum, annorum XXII. ad docendam Roſtochii theologiam à ſenatu evectus, in ſcriptis, polemicis præſertim, elegans & nervoſus, & ex *Cenſura Lampadiana, de omnipræſentia Chriſti, Locuſtis Calvinianis & Syntagmate variarum diſputationum, de cœna, Philippiſmo, Prædeſtinatione, aliisque articulis*, in ipſo ætatis flore anno 1624. occubuit. Mœbius in Hiſtor. vitæ in præfat. operum nuper Lipſiæ editor.

Joh. Agricola, Islebius, Lutheri conterraneus anno 1492. natus, Superintendens in Marchia, noſter primo, deinde ſuus, tandem Pontificiorum: ſuus quidem, cum anno 1538. errorem Antinomorum ſpargeret, donec à Luthero ad palinodiam adduceretur; pontificiorum autem, cum librum interimiſticum conſcriberet, homini Epicuræo ſimilior, quam pio Theologo, ut ſcribit Oſiander ad annum 1566. quo obiit Agricola, *commentario in Lucam, & adagiis Germanicis* clarus. *Mich. Agricola*, paſtor in Finlandia Aboenſis, *primus N. T. traduxit in linguam Finnonicam*: unde non parum incrementi acceſſit reformationi eccleſiarum in Finnonia. *Steph. Agricola* initio repurgationis eccleſiarum Auguſtæ erat inter primarios presbyteros, Urb. Rhegii collega, & deinde paſtor Curienſis, qui ſubſcripſit articulis Schmalcaldicis. Melch. Adami p. 405. Freher. p. 211.

Corn. Agricola vaſto volumine *Concordantiarum Biblicarum* edito, quod noviſſime M. Lanckiſchius inſigni auctario locupletavit, magnam ſibi apud poſteros famam peperit.

Wilh. Alardus, paſtor Crempenſis in Holſatia, præter *hymnos elegantiſſimos*, plenos devotionis, varias edidit *homilias*, & præterea *adverſus Bezam ſcripſit de diverſis miniſtrorum gradibus*. Idem poſtea quoque *Panacæa ſacra, Athanaſia, Pœnitentia Moſaica, Chriſtiano crucifixo, Alphabetho aureo filiorum Dei, Pœnitentiali prophetico, Nucleo Biblico, Chriſtiano ſecundum nomen, ortum, augmentum, crucem, vitam, fidem & dignitatem è Patribus & Hiſtoria Eccleſiaſtica delineato, Epitome Biblica Rhythmica, Epigrammatis ſacris, Excubiisque ſive tribus centuriis hymnorum ſacrorum inclaruit*. Alius adhuc ejusdem cognominis *Franciſcus Decadem Concionum paſſionalium*: & viciſſim alius *Lampertus* Poëta *Lauri folia ſ. Poëmata ſacra, ſacrorum quoque Epigrammatum Centuriam, & duos amorum ſacrorum libros* edidit.

Fr. Albanus D. Vangio, anno 1635. caſtris pontificiorum deſertis, ad evangelicos ſe contulit, & Wittebergæ edita *Anatomia Papatus & Aſino monachali*, errores, quibus hactenus diſtrictus fuerat, animoſe detexit: quadriennio poſt defunctus.

Er. Alberus D. avus maternus ſoceri mei M. Davidis Reutzii, Superintendentis Pomeraniæ orientalis, paſtor Magdeburgenſis, ſepties ob conſtantiam animi exul, *Poëſi ſacra & profana, nonnullisque cantionibus & dictionario clarus*, ab Eraſmo Roterodamo in Hyperaſpiſtæ Diatribe tomo IX. p. cIↃ XXXI. è ſchola Lutheri θεοδίδακτος vocatus. *Plures tractatus pro religione edidit contra Caroloſtadii & Oſiandri errores, ut Harmoniam evangeliorum & judicium de ſpongia Roterodami*, tandemque Neobrandenburgi in Mechlenburg pie obdormivit, hoc epicedio à Nathane Chytræo condecoratus:

Hic ſitus Alberus, magni collega Lutheri
Qui fuit, & verbi buccina clara ſacri.

Valentinus Albertus ſcriptis quibusdam Polemicis germanico Idiomate editis innotuit, qualia ſunt, Deſcriptio *Eccleſiæ preſſæ. Reſponſio ad quadam Papicolarum dudum protrita ſophiſmata. Reſponſio ad libellum cui titulus:* Inſtrumentum pacis Lutheranorum. *Solida oſtenſio Lutheranos in Sileſia ab Auguſtana Confeſſione non defeciſſe.*

Valentinus Alberti Profeſſor Philoſophiæ juxta ac Theologiæ in Academia Lipſienſi egregiam Eccleſiæ operam libello quod vocat *Intereſſe Religionum, Apologia Auguſtanæ Confeſſionis adv. Jeſuitam Dezium*, aliiſque Polemicis adverſus Philipp. Jacob. Spenerum &c. navavit.

Bernhardus Albrecht Homiliis de *quatuor noviſsimis* & *Gaudio ſuper Gaudio* ſeu vita æterna. Ejusdem quoque cognominis *Georgius Hierarchia Oeconomica, Tuba noviſſima, Dulci Amaro, Hierarchia Politica & Eccleſiaſtica, Poſtilla Symbolica, Meletematis Feſtivalibus, Idea Pœnitentis & Confitentis*, duobus *Concionum miſcellanearum voluminibus*, aliiſque *de cœna & pœnitentia, reſurrectione* & *inferno &c.* inclareſcere ſtuduere.

Chriſtoph. Albinus, alias Weiſſe / D. in Academia Francofurtana profeſſor, ſocer D. Chriſtoph. Pelargi.

Chytr. Saxon. lib. 21. p. 558. *Al. Aleſius* D. Scotus, anno 1533. Wittebergam venit. Inde progreſſus Lipſiam, ſacras literas fideliter uſque ad annum 1565. docuit, ex *commentario in Johannem, & expoſitione catechiſmi notus.*

And. Althamerus, Noribergenſis Paſtor, ex *libris pro Luthero in negotio Sacramentario, Silva Biblicorum nominum, & Conciliationibus locorum Scripturæ:* ut & *ſcholiis in Tacitum*, innotuit circa annum 1531.

Chriſtophorus Althōferus in lucem emiſit *Harmoniam Evangeliſtarum*, ſ. obſervationes in IV. Evangeliſtas, *Abyſſum deſperationis Pontificiæ* ſ. Collegium, quo oſtenditur XV. diſputationibus, hominem religioni Pontificiæ addictum, qua talem, neceſſario tandem deſperare. *Anti-Becmannum* quoque ſ. Apologiam ſceptri Regalis Schrōderi.

Petr. Amandus D. Pomeranus, Paſtor Veteroppidanus Regiomonti, & inde ob vehementiam in populo ad imagines per vim ejiciendas concitando, ejectus, Stolpæ paſtor, & hinc Goslariæ.

Joh. Amsderdamus, primus Bremenſium paſtor.

Nic. Amsdorſius, nobilis Miſnicus, profeſſor primum Witteber-gensis, theologus deinde Magdeburgenſis, tandem ad epiſcopatum Naumburgenſem, quem petebat Julius Pflugius anno 1541. evectus. Hinc in bello Germanico epiſcopatu excuſſus, quem invito electore Pflug accepit, Magdeburgi ſubſtitit, *& ſcriptis adverſus Zwinglianos* depugnavit. Præfationem etiam ſcripſit in tomos Lutheri, & in bullam indulgentiarum Pauli III. contra proteſtantes, à ſe verſam. Interreligionis quidem formulam improbavit: Georgium tamen Majorem, bonorum operum ad ſalutem neceſſitatem mordicus defendentem, oppugnaturus, in contrariam lapſus partem, ut eo fortius meritum eorum ex juſtificatione excluderet, bona opera ad ſalutem dixit eſſe perniitioſa. Natus anno 1483. Naumburgi obiit anno 1563. Melch. Ad. in vit. Theol. p. 61. Seckend. Hiſt. Luth. Ind. I. Freher. in Theatr. part. 1. ſect. 3. pag. 112.

Jac. Andreæ D. Weiblingenſis Würtenbergicus, natus anno 1528. primum diaconus Stutgardenſis; poſt Tubingenſis; hinc Superintendens Göppingenſis: tandem præpoſitus Tubingenſis, & Academiæ Cancellarius, ab adverſariis, quia fabri fuit filius, *Smidlinus ſeu Fabri ius* vocatus: qui multis in Daniam, Saxoniam, Franconiam, Sveviam, Galliam profectionibus religionis cauſa, juſſu magiſtratus, ſuſceptis, & concordiæ negotio inter Lutheranos feliciter per quinquennium confecto, anno 1590. pie obdormivit: celebris ex multis colloquiis, *Wormatienſi*; *Poſsiaceno* in Galliis; *ad Tabernas Alſatiæ* cum Cardinale Guiſio; *Maulbrunnenſi* cum Boquino Calviniano; *Argentinenſi* ſemel cum Zanchio; iterum cum Flacio; *Hertzbergenſi* cum Amlingo; *Lindavienſi* cum Rupio & Schoflero Flacianis; *Memmingenſi* cum Klebero Calviniano; *Mompelgartenſi* cum Beza; *Phedertheimenſi* cum anabaptiſtis; *Badenſi* cum Joh. Piſtorio apoſtata. Scripſit *contra Bredenbachium* pro Brentio; *Hoſium*; *Latomum* de uſu calicis; *Staphylum*; *Gregorium de Valentia*; *Ingolſtadien-* Joh. Herbrand. in Orat. parent. Joh. Valent. Andreæ nepos in vita ejus. Melch Adami. p 636. Freher pag. 277. ſeqq. Fechr. in Hiſt. ſeculi ſuper p. 92. Thuan. lib. 99. p. 101.

golſtadienſes; Sperlingium de majeſtate hominis Chriſti; *orthodoxi conſenſus refutationem*, librum cedro dignum: *contra Bezam* de unione perſonali: *contra Paræum* de adoratione carnis Chriſti: *contra Grynæum* de cœna: *epitomen colloquii Mompelgartenſis:* item *varias diſputationes & orationes*, *epiſtolarum centurias*, *varia Germanica.*

Joh. Valent. Andreæ deſcripſit vitam Jacobi Andreæ ſub titulo *Fama Andreana refloreſcens.* Edidit quoque *vocem liberam* ſeu quatuor tractatus de emendanda Eccleſia, *Rei Chriſtianæ & literariæ ſubſidia*, *Civem Chriſtianum* ſ. peregrini quondam errantis reſtitutiones &c. Alius ejusdem nominis *Samuel*, nominis quoque ſui famam poſteritati commendavit. *Examine Generali Cabbalæ Philoſophicæ, Mori item, qua Hiſtoriam creationis novo modo fruſtra illuſtrare conatus eſt*; nec non *Epiſtola Apologetica ad eundem Heinricum Morum, in qua vindicatur examen Cabbalæ Philoſophicæ in cap. 1. Geneſeos.*

Chriſtoph. Angelus Græcus natione, Eccleſiæ ſuæ ſtatum & Ritus libello utiliſſimo deſcripſit; eundem vero poſtea in latinum vertit & notis illuſtravit Georgius Fhelavius Eccleſiaſtes Dantiſcanus in templo Parochiali.

Caſp. Aquila M. Salfeldienſis eccleſiæ in Thuringia miniſter, cum ſibi eum aſſentiri Islebius paſſim jactaret, animoſe ſcripſit *adverſus librum interimiſticum:* ſicuti antea *conſolatoriam* ſcripſerat ad Joh. Fridericum electorem captivum, quæ extat apud Goldaſtum.

Freher. p. 300. *Dan. Arcularius* D. theologus Marpurgenſis, cujus *commentaria in Eſaiam*, *pſalmos pœnitentiales & graduum*, *Acta apoſtolorum*, *atque A. C.* ut & *Loci communes*, *& arca fœderis poſthuma*, ſeu *methodica univerſæ theologia explicatio* extat.

In Hiſt. Vitæ Hort. Paradyſi ejus præmiſſa Gulich. p. 849. *Joh. Arndius*, Superintendens Lünæburgenſis, *ſcriptis practicis*, quibus ad pietatis ſtudium excitat, *& commentario in pſalmos*, *catechiſmum & evangelia Dominicalia*, & imprimis libro, quem vocat *verum Chriſtianiſmum*, clariſſimus. Sed non uno modo libri ejus lectores affecerunt, aliis, ut L. Oſiandro, eos in opinionum ſuſpectarum patrocinium interpretantibus, & plurima improbantibus; aliis, ut Henr. Varenio, & Paulo Egardo, ad excitandum verum pietatis affectum utiliter eos adhibentibus & defendentibus.

Joſua Arndius, Eccleſiæ Guſtrovienſis miniſter, *Lexico Antiquitatum Eccleſiaſticarum*, *Manuali legum Moſaicarum quoad ſenſum literalem & myſticum, adjectis typis & collatione cum jure Gentium & Civili, Demon-*

ſtratione

ſtratione Theologica Anti-Walenburgica, *libello de frequenti communione*, *Tractatu practico de ſuperſtitione*, *& alio quodam ſingulari de una fide ad ſalutem neceſſaria* inclaruit.

Goth. Artbuſius M. de rebus in regno Antichriſti ad hæc uſque tempora maxime memorabilibus aliquot libris commentatus eſt.

Seb. Artomedes M. Langenſalzenſis Francus, paſtor Cniphovianus Regiomontanorum in Boruſſia, vernacula lingua *in homiliis ſacris* elegantiſſimus. Obiit anno 1602.

Petrus Artopæus ſeu *Becker*, Göslinenſis, trium linguarum peritus, Rector primum apud Stetinenſes ſcholæ ſenatoriæ, poſtea paſtor ad D. Mariæ, plurimis ſcriptis inclaruit, & varios libros Biblicos explanavit, ex quibus mihi videre licuit *commentarium in Apocalypſin: Protomartyrium Habelis de prima, vera, veteri & perpetua eccleſia, & evangelicas conciones Dominicales per artificia dialectica & rhetorica breviter tractatas, ſubnexis epiſtolarum argumentis.* Qua ratione vero ſenex admodum ab officio remotus ſit, quia Oſiandro ſuffragari videbatur, dixi in noſtra Pomerania. Obiit anno 563.

Joh. Avenarius, al. Habermann/ D. Egranus, Theologus primum Jenenſis: hinc in locum D. Henrici Mülleri, ob Calviniſmum Wittebergа dimiſſi anno 1574. ſuffectus: tandem Superintendens Cizenſis; *egregio Lexico Hebraico, Grammatica etiam Hebraica: homiliis in evangelia & epiſtolas Dominicales, vita Jeſu Chriſti, & imprimis pio precum libello celebris.* Obiit anno 1590. Freher. p. 208. Gulich. p. 901.

Matth. Aulberus, primus paſtor Reuchlinenſis eccleſiæ.

Joh. Aurifaber D. Vratislavienſis, Wittebergenſium & Roſtochienſium theologus, poſtea Boruſſorum anno 1552. epiſcopus vicarius Samlandienſis à factione Schalichiana & Funcciana conſtitutus. Unde Vratislaviam, quam patriam habuit, anno 1556. rediit, & ſucceſſor Johanni Heſſo datus, obiit anno 1568. *Lutheri epiſtolas* edidit. Freh. pag. 215. Seckend. in Hiſt. Luth. Ind. 1.

Matth Aurogallus M. eximius Hebraicæ linguæ in Academia Wittebergenſi Profeſſor, cujus opera Lutherus in edendis Bibliis uſus eſt. Obiit anno 1543.

Reinh. Backius D. eccleſiaſtes Magdeburgenſis, poſtea Grimmenſis Superintendens; nunc eccleſiæ cathedralis Magdeburgenſis Paſtor: *expoſitione Evangeliorum Dominicalium, Commentario in Pſalterium & Amphitheatro mortis nobilis.*

Bacmeiſteri Dd. ex urbe Lünæburgenſi oriundi, in Mechlenburgia Gulich. ad Chron. Schrimagni p. 798.

magni nominis. *Pater*, prænomine *Lucas*, primum reginæ Daniæ, Chriſtiani III. viduæ, à ſacris aulicis; deinde profeſſor & Superintendens Roſtochienſis poſt D.Simonem Pauli: anno ætatis LXVIII. ſeculi noſtri VIII. defunctus. *Filius*, itidem *Lucas*, profeſſor & ipſe theologiæ Roſtochianus; poſtea Superintendens Guſtrovienſis, ex *diſputationibus XXII. contra concilium Tridentinum*, *aliisque contra Calvinianos* notus eſt.

Johann Wilhelm Beyerus Norimbergenſis, Profeſſor Theologiæ in Academia primum Jenenſi, deinde Hallenſi, poſt Superintendens Vinarienſis, *Compendio Theologiæ Poſitivæ*, quod ex ſoceri ſui Johannis Muſæi ſcriptis compoſuit, *Collatione Doctrinæ Pontificiorum & Proteſtantium*, alia quoque *Quakerorum*, *Compendio Theologiæ Moralis* ac *Diſſertationibus* varii Argumenti immortalem ſibi ap. poſteros gloriam peperit.

Gulich. p. 879. *Frid. Balduinus* D. Dreſdenſis, primum ephorus Olſnicenſis; poſt profeſſor & Superintendens generalis Wittebergenſis, *diſputationibus in articulos Smalcaldicos*; *explicationibus epiſtolarum Paulinarum*; *homiliis Evangeliorum Dominicalium*; *Commentario in Joſuam, Judices, Epiſtolam ad Hebræos, & Pſalmos pœnitentiales & graduum*; *arte culis viſitationis Miſnicæ*; *inſtitutione miniſtrorum verbi*, *adventu Chriſti & paſſione Typica*; *hyperaſpiſte Lutheri*; *Anti Serario*, *Anti-Scioppio*; *Anti-Pazmanno*, *tractatibus de pane vita*, *Euchariſtia*, *Caſibus conſcientiæ* clarus. Obiit anno 1618.

Balthaſar Balduinus Harpocrate proſcripto ſ. de juſto zelo adverſus Hæreticos alioſque malitioſos; nec non *Papa & Papatu proprio gladio jugulato*, quo ſcripto è Paparum effatis ac teſtimoniis veritas Lutheranæ religionis oſtenditur, innotuit.

Chr. Barbaroſſa M. Superintendens Hadelienſis, edidit *nucleum Poſtillarum*, *analyſin catecheticam*, *& alia practica*, ut & *fundamenta doctrinæ de præſentia corporis Chriſti in cœna.*

BARTHOL. BATTUS D. Hamburgenſis, theologus Gryphiswaldenſis, præceptor meus venerandus, cujus parentes anno cIↃIↃLXIV. per pontificiam tyrannidem Antverpia extorres facti, Hamburgum conceſſerunt, *ſyſtemate theologiæ* XXI. diſputationibus incluſo, *libellis aureis de juſtificatione & bonis operibus*, *deque poſſibilitate apoſtaſias Sanctorum*, *ut & Commentariis in A. C. inque Pauli epiſtolas ad Galatas, Ephesios & Philippenſes celebris.* Obiit anno 1634. Filius ejus *Abrah. Battus D.* jam in cathedra eccleſiaſtica & ſcholaſtica patris claret.

Michael

Michael Baumann, Philoſophiæ quondam in Academia Wittebergenſi Adjunctus, inde Director Illuſtris Gymnaſii Coburgenſis *Idea Chriſtianiſmi* bipartita, & aliis adhuc *Homiliis Dominicalibus*, quibus *Noviſſima* hominis pertractat, *Lexico Allegorico Evangelico*, nec non *Analectis Typicis ſacris* ſecundum locos Theologicos digeſtis, in catalogum celebrium Theologorum referri meruit.

Balthaſar Bebelius, theologiæ primum in Academia Argentoratenſi, poſt electorali Wittebergenſi profeſſor plurimis ſcriptis doctiſſimis nominis celebritatem conſecutus eſt, inter quæ eminent *Antiquitates Eccleſiæ Noachicæ*, deinde *Moſaicæ*, tum quoque *Evangelicæ, tribus poſt Chriſtum natum ſeculis*; & tandem etiam *quarto. Antiquitates Germaniæ primæ. Antiquitates Eccleſiæ Judaicæ* è quatuor Evangeliſtis erutæ. *Exercitatio Theologica de praexiſtentia animarum* contra Sandium. *Examen ſeriæ diſquiſitionis de ſtatu & loco animarum ſeparatarum.* Anti-Wagnereccius ſ. *Apologeticum pro Joh. Georgio Dorſchæo adv. Heinr. Wagnereccium Jeſuitam. Polemoſophia victrix* contra Walenburgicos pro Joh. Conr. Dannhauero aſſerta. *Diſſertatio de unitate eccleſiæ & libertate ceremoniarum eccleſiaſticarum*, in qua reſpondentis vices ſuſtinuit dilectiſſimus quondam diſcipulus meus Chriſtianus Lucius. *Diſſert. de certitudine gratiæ & ſalutis. Libellus de principio Officii Chriſtiani naturali & revelato.* Germanico autem Idiomate: *Reſponſio ad libellum Pontificium, cui titulus* kurtz und gut. *Conſideratio Raſuræ Monachorum. Narratio de Feſto Corporis Chriſti &c.*

Joh. Jac. Bernhardi D. Profeſſor primum Statthagienſis, *diſputationibus quibusdam* innotuit.

Corn. Beccerus D. theologus Lipſienſis, *pſalmis Davidicis, in vernaculos rhythmos eleganter verſis, celebris.* Obiit in flore ætatis anno 1604. & N.

Fridemannus Bechmann, in Academia Jenenſi primum Logicæ & Metaphyſicæ, poſt quoque Theologiæ Profeſſor, Præceptor quondam meus ad mortem uſque mihi omni honoris cultu venerandus, *Annotationibus uberioribus in Compendium theologiæ Leonh. Hutteri, theologia Conſcientiaria*, & quæ nunc demum prodiit *Polemica* æternam ap. omnes nominis famam ſibi acquiſivit.

Martinus Beer ſcriptis Polemicis *contra Viſum Erbermannum Jeſuitam, de invocatione ſanctorum* & perſeverantia Eccleſiæ ad finem uſque mundi: Homileticis etiam, utpote de *immolatione Iſaaci*, *Paſſione Chriſti* aliisque innotuit. Alius quoque *Dominicus* cognominis ejusdem *Hodogeticum* edidit *ad Scholam Pietatis Gerhardi*, uſum ejus libri oſtendens in Homiliis Dominicalibus.

Joachimus Beringius D. paſtor Marianus & profeſſor Gryphiswaldenſis, cujus filius *Johannes Beringius* D. in paſtoratu & profeſſione patri ſucceſſit, Vice Superintendens per Pomeraniam occidentalem.

Wenceslaus Bergmann, in ſuperiori Luſatia paſtor libro de *Tremenda mortis hora* mortem quotidie meditantibus egregia & illuſtria exempla ob oculos poſuit; quod ipſum non minori fructu præſtitit *Johannes Gottfried Lembach in Nuncio Mortis*, ejusdemque Continuatione; qui ſane libri lectu digniſſimi; jungendi cum ſupra laudati Beyeri diſſertationibus de Agone Mortis, Prægustu vitæ æternæ, atque æternæ ex altera parte damnationis.

Jac. Beurlinus D. Dornſtadienſis, Præpoſitus & Cancellarius Tubingenſis, in legatione ad colloquium Poſſiacenum, ex peſte, Pariſiis anno 1561. mortuus; *commentariis in Johannis epiſtolam & theologia ſcholaſtica* clarus.

Hartm. Bejerus, eccleſiaſtes in patria eccleſia Francofortana ad Mœnum, tempore Interimiſtico pulſus & revocatus: ſcripſit *commentaria in omnes libros Biblicos*, ut & *contra Sidonium de Miſſa*, & *contra Theobaldum Thammerum*. Obiit anno 1577.

Fauſtinus Blenno M. Pyrizenſis, primum Stargardiæ, Stetini & Stralſundiæ Rector Scholæ, deinde profeſſor philoſophiæ Gryphiswaldenſis, tandem Pyriziæ in patria contra idolomaniam pontificiam, poſtquam Lutheri ſcripta legerat, concionari cœpit. Ob id in grandem mulctam damnatus, civili vitæ ſe mancipavit, & primum ſecretarius oppidi patrii, poſt ſenator, tandem conſul conſtitutus eſt. Sed cum lux veritatis tenebras papatus paſſim diſcuſſiſſet, & Pyriziæ paſtor & præpoſitus quæreretur, non inventus eſt alius magis idoneus, quam conſul Pyricenſis. Electus ab omnibus, paruit divinæ vocationi, & uſque ad annum 1560. cum jam annum ætatis LXXIII. attigiſſet, ſtrenue defunctus eſt officio. *Filius & nepos ejusdem nominis*, parentis munus rara felicitate tamdiu ſuſtinuerunt, donec integrum ſeculum *ſub tribus Fauſtinis Blennonibus*, avo

ſcilicet

ſcilicet, patre, & nepote, paſtoribus & præpoſitis Pyrizenſibus, decurreret. *Abnepos* illo ipſo nomine Stetini paſtor eſt ad D. Gertrudis.

Theobaldus Billicanus, Nordlingenſium paſtor, qui *pro Luthero contra Zwinglium* ſub primo certaminis ſacramentarii tempore depugnavit.

Bidembacchii Dd. ex Haſſia oriundi, in ducatu Würtenbergico inclaruerunt. Et quidem *Balthaſar*, patruus *Felicis*, duci à concionibus ſacris & præpoſitus Stutgardiæ, *commentario in libros Samuelis, & homiletica explicatione epiſtolæ ad Romanos celebris*, obiit anno 1578. *Eberhardus*, eccleſiaſtes primo aulicus, deinde Superintendens, nominis memoriam thematibus connubialibus & funebribus, & concionibus pœnitentialibus, & aliis ſcriptis, poſteritati commendavit. Obiit anno 1613. Fecht in App. ad ſupplem Hiſt. Eccleſ. ſec. XVI. p. 130. Gulich p. 812.

Eſt & alius *Wilhelmus Bidenbachius*, qui poſtea *Conſenſu Jeſuitarum & Chriſtianorum in doctrina religionis*, nec non *Reſponſione ad Jeſuitarum aſſertiones ex Epiſtola priori ad Timotheum* innotuit.

Bilibald. Birkheimerus. Videatur ſub finem hujus quæſtionis.

Joh. Bohemus D. theologus Regiomontanus, aulæ concionator, & profeſſor Theologiæ primarius, præceptor meus venerandus, chronologus inſignis, acerrimus adverſus Calvinianorum & novatorum ſtrophas Chriſti pugil. Edidit doctas diſputationes *de evangelicis promiſſionibus, collegium Anti-Rhatmannianum & de ſervo arbitrio*: & obiit anno 1648. ætatis 70. Filius ejus *Mich. Bohemus D.* profeſſor Regiomontanus turbis Latermanni affinis implicitus, anno 1650. fervente συρράξει obiit. *Martinus Bohemus*, paſtor Laubanii in Luſatia, *ſpectaculo paſſionis Chriſti; theologica contemplatione hominis; calendario eccleſiaſtico & aliis homiliis* notus. *Euſebius Bohemus Licent.* epitomen hiſtoriæ eccleſiaſticæ edidit. Gulich p. 18

Chriſtoph. Binderus, D. aulæ Würtenbergicæ eccleſiaſtes, ſophiſtam πολυκέφαλον de Jeſuitarum ſophiſtica edidit.

Johannes Binchius theologus de Eccleſia Chriſti meritiſſimus *Melliſicium Theologicum* edidit, idque commode in partes quinque ſecundum locos Theologicos digeſſit.

Janus Birkenrodius, Profeſſor Theologiæ in Regia Hafnienſi celeberrimus, *Synopſi locorum Theologicorum* utiliſſimo Scholaſticæ & Academicæ juventuti libro, *Sacris de ortu mundi antiquitatibus* ex Heſiodo aliiſque Poëtis Græcis, *Serie Chronologica actorum Petri & Pauli*, *Notitia Dei naturali* prout ducit ad revelatam, *Diatribe de*

Legis Moſaicæ origine & autoritate contra Eduardum Herbertum Anglum, *Serie Chronologica annorum Jeſu Chriſti*, *Opere creationis diei primi & ſecundi* contra Richardum Simonem, *Lumine Hiſtoriæ ſacræ veteris & novi teſtamenti* contra eundem & Iſaacum Voſſium, *Anti-Burneto* ſ. de opere creationis diei tertii & telluris forma, *Syntagmate etiam Concionum Latinarum in feſtis Anniverſariis* famæ immortalitatem meruit.

Seb. Boëthius M. in Salinis Saxonicis ſuperiori ſeculo paſtor & inſpector. *Henricus Boëthius* ſcripſit *homilias ſeptem de nativitate Chriſti*, & tractatum de impiorum reſurrectione.

Sam. Bohlius, Pomeranus, theologus Roſtochienſis, amicus meus ſingularis, ſcientiæ in Hebræa lingua profundæ, edidit præter alia *commentarium ſuper orationem tertiam Eſaianam*, *tractatusque varios de formali ſignificatione eruenda*, *diviſione decalogi*, *ſcrutinio ſcripturæ ex accentibus*, *matrimonio comprivignorum*, *Ethicam ſacram ſ. Commentarium in Proverbia Salomonis*, *nec non Commentarium Rabbinicum in Malachiam*: morte præmatura anno 1639. abreptus.

Moller. in Iſag. ad Hiſt. Cimbr. part. 4. p. 434. *Herm. Bonnus*, Weſtphalus, primus Superintendens Lübecenſis, illuc ex academia Gryphiswaldenſi evocatus. Deſcripſit *quorundam martyrum vitas*: *Chronicon Carionis latinitate donavit*: *Chronicon Lübecenſe edidit*: *loca inſignia*, *quæ diebus Dominicis proponuntur*, *explicavit*. Ob. anno 1548.

Pet. Bornerus D. Theologus Lipſienſis, qui ſolus fere academiæ onus & ſpem literarum in ea urbe ſuo tempore ſuſtinuit, in ipſo bello Germanico obiit, anno 1557.

Gulich p. 1205. *Joh. Botſaccus* D. Rector primum & profeſſor gymnaſii Dantiſcani, nunc primarius in illa urbe paſtor: *variis contra errores pontificiorum*, *Calvinianorum*, *& Socinianorum ſcriptis* ſe eccleſiæ Chriſti probat. Cum inſigni fructu illa legit *Promtuarium ejus allegoricum*, *Anti-Streſonem*, *Anti-Stegmannum*, *Anti-Crellium*, *Contradictiones pontificias*, *Gymnaſium Chriſtologicum*, *de Cœna*, *Anti-Brocium*, *Moralium volumen*, *Anti-Valerianum*, *Demonſtrationem contra ſanctitatem Eccleſiæ Romanæ*, *Artem concionandi*, *Breviarium Theologiæ*.

Joh. Botvidius D. Regis Sveciæ Guſtavi Adolphi Superintendens caſtrenſis; poſt epiſcopus, amicus meus ſuſpiciendus, *de infinita Dei miſericordia*, *prædeſtinatione*, *& religione Moſcovitarum diſcurſus doctiſſimos in Academia Upſalienſi habitos edidit*.

HERM.

HERM. BRAUN, Paſtor Grumb. in Haſſia, *Homilias Dominicales* edidit.

Joh. Brentius D. Veilenſis Svevus, anno 1499. natus; fideliſſimus Lutheri ὑπερασπιστής, proximus merito ab illo numerandus, acerrimus veritatis adverſus pontificios & omnipræſentiæ carnis Chriſti contra Calvinianos vindex: cujus utiliſſimam operam eccleſia *in colloquiis Auguſtæ, Haganoæ, Wormatiæ, Ratisbonæ*, & tunc, cum *ad Concilium Tridentinum* deſtinatus eſſet, ſenſit. Halæ Svevorum per XXVI. annos primum docuit. Sed ob negatum libro Interimiſtico applauſum, inde de ſuo ab Hiſpanis periculo admonitus, diſceſſit, & ab Ulrico Würtenbergico ſuſceptus, libris ſanctiſſimis, *commentario in univerſa pene Biblia, & aliis tractatibus de Chriſto, cæna, adminiſtratione Reip. caſibus matrimonialibus* eccleſiæ conſuluit, obiitque ſeptuagenarius anno 1570. Cujus viri fata vide *libro XX. commentariorum Sleidani*. Libri ejus in *VII. Tomos* digeſti proſtant.

Chytr. l. 22. Sax. pag. 602. Fecht. in ſuppl. Hiſt. ſec. XVI. Appar. cap. 4. p. 78. Schard. Rer. Germ. Tom. 4. p. 145. Sleid. lib. 20. p. 630. & lib. 22. p. 707. Melch. Adami p. 436. Freher. p. 220. Herb. Orat. de O>.tu Brentii. Balth. Bleyſchlag in memoria Brentii renovata.

Joh. Briſmannus D. Cotbuſienſis Luſatus, ex Minorita confeſſor fidei, Luthero familiaris. Witteberga in Boruſſiam accerſitus cum Sperato & Polyandro primus ibi evangelium docuit ſub epiſcopo Sambienſi, Georgio Polentio, Vicepræſ.s in epiſcopatu. Obiit anno 1549. & D. Andream Oſiandrum habuit ſucceſſorem.

Caſp. Eraſm. Brochmannus D. Profeſſor Haffnienſis, egregio *ſyſtemate Theologico, ſacris controverſiis, ſpeculo veritatis controverſæ, commentario in epiſtolam Jacobi, & aliis libris*, eccleſiæ Chriſti profuit.

Gulich p. 1061. & 1131.

Johannes Brunsmann Norwegus, Philoſophus & Theologus Doctiſſimus *Diſſertationibus Miſcellaneis & Monogamia victrice*, qua oſtendit, unas tantum eodem tempore concedendas eſſe Chriſtiano nuptias, magno ap Doctos pretio habetur.

Mart. Bucerus, Seleſtadienſis Alſatus, monachorum Dominicanorum ordinem, lecto Lutheri libro de votis monaſticis, anno 1522. deſeruit, & ſuam operam Argentinenſibus addicens, ita inclaruit, ut eo non ſaltem Ulmenſes, ſed & Hermannus, archiepiſcopus Colonienſis, in eccleſiis conſtituendis uteretur, *ut eſt apud Sleidanum libro 7. & 14.* Cumque inter Lutherum & Zwinglium invaleſceret diſſenſio de cœna Domini, Zwinglii quidem partes primo ſecutus eſt, deinde tamen Luthero ſe addixit, omnibus id agens viribus, ut conciliationi inter utrumque locus daretur. Sed cum formulam concordiæ, inter quoſdam civitatum theologos & Lutherum conſcriptam & ſubſcriptam

Chytr. Sax. lib. 1.. p. 219. ſq. lib. 14 p. 364. usque 370. lib. 17. p. 457 Thuan. lib. 1.7. Panc in vit. p. 237. Freher. in Theatr. p. 155. Joh. Fecht in Appar. ad ſupplem. Hiſt. Eccl. ſec. XVI. p. 60. ſq. Natal. Alex. ſec. XVI p. 1 op. ... Tiff. ſcripto pecul. de Buc. & Verpoorten de eod.

ptam, more Calvinianorum apud Helvetios interpretatus eſſet, vehementer Lutherum commovit, qui poſthac in amicorum numero eum nunquam habuit. Nec ipſis Zwinglianis placuit. Operam præſtitit non exiguam eccleſiæ, cum ſcriptis, quibus præter librum de vera animarum cura, veroque paſtoris evangelici officio, & defenſionem Chriſtianæ reformationis Hermanni archiepiſcopi, *in Pſalterium, Eccleſiaſten, Sophoniam, IV. Evangeliſtas & Pauli epiſtolas* commentatus eſt, adverſus *Latomum Hervagium* acriter depugnavit, tum in *colloquio Ratisbonæ* anno XLVI. habito, tum denique in Colonienſibus ad fidem convertendis, evocatus, ut diximus, ab archiepiſcopo. Interimiſtico libello animoſe contradixit, tandemque in Angliam anno XLIX. cum Paulo Fagio, Hebraicæ linguæ peritiſſimo, ad academiam Cantabrigienſem abiit. Ibi anno LI. mortuus eſt. Paulo ante obitum literis ad Brentium conteſtatus eſt, diſplicere ſibi, quod P. Martyr Zwinglianiſmum velit in Anglia diſſeminare. Librum etiam inchoaverat, in quo orthodoxiam defendere conſtituerat. Maria Angliæ regina, pontificis partes ſecuta, poſt quadriennium, ejus & Fagii oſſa è ſepulchris eruta cum maxima hominum indignatione concremavit. Sed Eliſabetha quarto poſt anno, judicio adverſus innocentes reſciſſo, eos in integrum reſtituit.

Abr. Bucholzerus, Paſtor primum Sprottavienſis, poſt aulicus concionator Croſnenſis, tandem paſtor Freyſtatenſis in Sileſia, *chronologia* clarus, obiit anno 1584.

Andreas Henricus Bucholz, doctiſſimo libro de Eccleſiæ Romanæ Pontifici ſubjectæ *Indulgentiis*, Editis *Rationibus, cur Evangelici in caſtra Pontificiorum tranſire nequeant*, & Poëmatibus quibusdam ſacris Eccleſiæ inſerviit.

Chytr. lib. 8 Saxon. p. 110. lib. 10. p. 251. lib. 15 p. 378. & lib. 19. p. 514. Melch. Adam: p. 311. Freher. p. 175. Seck. in Hiſt. Luth. Ind. I. Vincentii Orat. de vita ejus.

Joh. Bugenhagius, *Pomeranus*, D. Julini anno 1485. ex familia ſenatoria natus. Rector ſcholæ Treptovienſis, ob eruditionem ſingularem, ſummamque prudentiam & animi moderationem, omnibus bonis commendatiſſimus, cum & ante Lutheri reformationem *Pſalmos Davidis atque Matthæi evangelium* explicuiſſet, & poſt eam pontificiorum fermentum ſtrenue expurgaret, multosque athletas in religionis ſinceræ patrocinium feliciter præpararet, fugere tandem coactus, venit Witteberg am, ibique Profeſſoris, ut & Paſtoris & Superintendentis ſeu epiſcopi munus fideliter obiit, & à plurimis evocatus, Hamburgi, Lubecæ in Pomerania, Dania, & ducatu Brunſvicenſi, formam evangelii

lii recte docendi præſcripſit, tandemque ſenex, cum belli Germanici vehementiam in obſidione Wittebergæ non parum ſenſiſſet, anno 1558. pie obdormivit: celebris imprimis ex *commentario in Pſalmos, epiſtolas Pauli, Deuteronomium, Jobum, IV. libros regum, Jeremiam, Threnos & Jonam, indicibus in evangelia Dominicalia, confesſione, & contra fures calicis tractatu de cœna, hiſtoria paſſionis Chriſti cum annotationibus concinnata.* Thuanus libro XX. eum vocat virum moderato ingenio & eruditione rara excultum. Ducem Holſatiæ in regem Daniæ inunxit: tres amplos epiſcopatus in Dania & in Pomerania ſibi oblatos maluit repudiare, quam ab eccleſia Wittebergenſi, quam per XXXVI. annos gubernavit, & à Lutheri & Philippi conſuetudine avelli. A Carione dicitur intra triennium XXXIV cI). eccleſias juxta leges evangelii in viſitationibus compoſuiſſe ad purioris doctrinæ liturgiam. Filius ejus *Joh. Bugenhagius* D. itidem fuit theologus Wittebergenſis, poſtea præpoſitus Kembergenſis.

Henr. Büntingius natus anno 1545. paſtor Grunovienſis in ducatu Brunſvicenſi, *Itinerario Biblico, Harmonia evangeliſtarum, Chronologia & accurata eclipſium recenſione*, ita inclaruit, ut nomine fortunam ſuperaſſe videatur.

Ant. Burchardus M. profeſſor primum in gymnaſio Stetinenſi, ubi Gulich. p. 184. *progymnaſmata Aphthonii* feliciter enucleata edidit: deinde eccleſiaſtes Lubecenſium, à quibus ob controverſiam de fœderibus, quæ mutuæ συμμαχίας cauſa cum diverſæ religioni addictis non eſſe ineunda dixit, dimiſſus, Paſtor tandem Chilonienſis in Holſatia, anno 1628. obiit: *& fontes conſolationum atque diſcurſum de deſcenſu Chriſti, contra Calvinianos*, præter alia plurima ſcripta *de fœderibus*, quæ vidi manu ſignata, typis exſcribi curavit.

Statius Buſcherus, Compendio Theologiæ Practicæ & *Crypto Papiſmo novæ Theologiæ Helmſtadienſis*, quo primus Syncretiſmi arcana detexit, plurimam Eccleſiæ operam præſtitit: Inde librum illum contra G. Calixtum & Hornejum paſſim vindicarunt Theologi tam Lipſienſes quam Wittebergenſes. *Antonius* etiam *Buſcherus ſchola pietatis in* explicandis Lectionibus Epiſtolicis aliisque ſcriptis Homileticis innotuit.

Andr. Cœlichius D. Superintendens Mechlenburgicus, multis in publicum editis homiliis, & tractatu de peccato originali celebris.

Job. Cæſar M. Cüſtrinenſis eccleſiaſtes, edidit *homilias in Joëlem, Habacuc & Sophoniam.*

Petr. Calaminus D. Wittebergæ præpoſitus templi arcis & profeſſor, ob Calvinianiſmum dimiſſus.

Balth. Cellarius in vita ejus Orat. funeb.

Georgius Calixtus Holſatus D. Helmſtadienſis Profeſſor *primis jam diſputationibus theologicis* anno 1611. communicationem omnipræſentiæ carni Chriſti factam ceu Eutychianam impugnavit, & à Calvinianis ad Profeſſionem Theologicam invitatus eſt. Syncretiſmum poſtea, Marci Antonii de Dominis Spalatenſis Archi-Epiſcopi ductum ſequutus, non cum reformatis tantum, ſed etiam cum Papiſtis, *tractatu de arte nova Nihuſii; Reſponſo primo Moguntinis dato; Epicriſi de Colloquio Thorunienſi*, cum variis novitatibus in iſtis libris, ut & in *Compendio Theologico, Harmonia Evangeliſtarum & Apologia contra Buſcherum* prodidit. Hinc exorto Latermanniano certamine, cum expreſſo nomine cenſura notaretur, integris ſcriptis prædictum Syncretiſmum & φορτικὰ ἀκούσματα, *judicio de Reformatorum controverſiis Latino & Germanico: diſputatione de Concordia eccleſiæ: diſputatione de myſterio Trinit. in V. T. explicite haud cognito, & contra apparitiones Filii Dei ſub V. T. Appendice contra D. Scharffium: refutatione Germanica D. Welleri: Exercitatione de peccato originali* propugnavit. Edidit præter tractatus *de immortalitate animæ, reſurrectione corporum, conjugio clericorum & Miſſa*, epitomen theologiæ moralis. Obiit antiquitatis ſcrutator acutiſſimus, anno 1656 ætatis 70. profeſſionis 42. Filius ejus *Frid. Ulricus Calixtus, SS. Th. D.* anno 1652. à patre renunciatus, cathedram ejus jam exornat.

D. Joh. Fried. Mayer in Orat. Funebri. Gulich. p. 1184.

Abraham Calovius, Morungenſis Boruſſus D. ſtrenuus inter modernos theologos athleta, primum Regiomonti; dehinc Dantiſci; nunc Wittebergæ Theologus profeſſor & Electoratus Saxonici Superintendens Generalis. Edidit juvenis *Encyclopædiam Mathematicam, Metaphyſicam divinam, methodum docendi, ſtereoma de cœna contra Bergium, diſputationes in Auguſt. Confeſſionem & Paraſceven Anti-Crellianam*, Roſtochii. *Deinde Decadem diſputationum de Sociniſmi origine; Criticum ſacrum; Theologiam naturalem & revelatam; Veſtibulum Epiſtolæ ad Ebræos; & Anti-Schafferum nomine Facultatis Theologicæ*, Regiomonti: *Mataeologiam Papiſticam; Examen doctrinæ Reformatorum de perſona Chriſti; Anti-Crellium; Theologiam Apoſtolicam Romanam; Inſtitutionum partem primam & ſecundam*, Dantiſci; ad hæc Wittebergæ *Iſagogen Theologiæ; Synopſin controverſiarum; Sociniſmum profligatum; Apodixin de Trinitate;*

te; Conſiderationem Arminianiſmi; Syncretiſmum & Harmoniam hæreticam Calixti; confutationem Pſeudo-Stereomatis Bergiani; Tomos aliquot locorum communium; Diſputationes de pace religioſa; & fide antediluviana (quæ homileticis aliiſque Germanicis exceptis, XC. alphabeta, uti vocant, complent) uſque ad ætatis annum XLIV. adornavit. In Academia Pruſſorum *cum D. Joh. Bergio colloquium publicum* anno 1640. inſtituit: partes quoque vice-moderatoris Theologorum Auguſt. confeſſionis *in colloquio Thorunienſi* anno 1645. ſuſtinuit.

Wolfg. Fabr. Capito Hagenoæ anno 1481. natus, concionator primum & conſiliarius archiepiſcopi Moguntini, poſt paſtor Argentinenſium, trium facultatum promotus doctor, *inſtitutionibus Hebraicis, & doctis in nonnullos prophetas commentariis, ut & tractatibus de Miſſa & matrimonio* clarus, ſed in Zwinglianam factionem nonnihil inclinatus: qua de cauſa literis Lutherus graviter cum eo expoſtulavit, ut videre licet *tomo 1. Jen. Germ. pag. 55.* Obiit anno 1541. Fecht. in App. ad Suppl. ſec. 16. Seckend. Ind. 1. Freher. in Theatr. pag. 113. Melch. Adami p. 88.

Joh. Bened. Carpzovius D. Lipſienſis profeſſor, diſputationibus de locis theologicis & ſcripto contra Mühlmannum apoſtatam innotuit. Gulich p. 1098.

Jac. Cherizius M. Paſtor Halberſtadienſis, *homilias in evangelia Dominicalia edidit.*

Mart. Chemnitius D. Brizenſis Marchiacus, in aula Alberti, ducis Boruſſiæ, quidvis aliud, ut ipſe refert, quam aulicus, matehmaticis principis exercitiis & inſtructiſſimæ bibliothecæ præfuit per triennium: cui quicquid in antiquitatis ſtudio præclari præſtitit, acceptum tulit. Inde cum etiam Rectoratum ſcholæ Regiomontanæ oppidanæ aliquamdiu adminiſtraſſet, Brunſvigam ad munus presbyterii evocatus eſt. Inde cum collega D. Morlino in Pruſſiam accerſitus, *ad adornandum corpus doctrinæ & ad politeian eccleſiæ ſarciendam*, cum illic D. Morlini curæ epiſcopali Pruſſiacæ eccleſiæ commendarentur, ad ephoriam Brunſvicenſis eccleſiæ evectus eſt: theologus *incomparabilis, libro de præcipuis capitibus theologiæ Jeſuitarum*, & ejus in accuratiſſimo examine concilii Tridentini contra Andradium Jeſuitam defenſione, Harmonia evangelica, locis communibus, aureis de duabus Chriſti naturis & cœna Domini libris; à ſumma etiam fide, quam in negotio F. C. adhibuit, clarior, quam ut ſumma ejus laus, rara eruditione & pietate parta ab adverſariis, quos vere triumphavit, obſcurari queat. Obiit anno 1586. ætatis. 63. *Chriſtianus Chemnitius* D. & Profeſſor Jenenſis, nuper breve examen Thuan. lib. 79. p. 667. lib. 84. p. 115. Spizel. in Templo Honor. reſerato Melch. Adami p. 572. Freher. p. 264. Gulich. p. 741. & 880.

men contra Schefflerum apoſtatam edidit. Idem Præceptor quondam meus porro *Prælectionibus Theologicis* locos Theologicos Huttero Cundiſianos, *Diſputationibus in Formulam Concordiæ*, *Inſtructione futuri Eccleſiæ miniſtri*, *Methodo concionandi*, *Quæſtionibus in Geneſin & Commentario in Epiſtolas Pauli* nominis celebritatem adeptus eſt.

David Chriſtiani, *Diſputationibus de Meſſia* & *Tractatu de Paradyſo*, *Anti-Motivis Catholicis* ſ. Refutatione & examine motivorum & cauſarum ob quas hodie multi ad Romano Catholicam religionem tranſeunt; *Diſputationibus Anti Jeſuiticis*, quibus doctrina de ſacra Scriptura præcipue vindicatur, nec non *Jeſuita Pſeudo-Irenarcha* ſ. Cenſura in Epiſtolam Irenicam Johannis Roſenthal Jeſuitæ, erudito orbi innotuit.

Fecht. p. 132. *Dav. Chytræus* D. Palatinus ex Menzinga, natus anno 1520. ex academia Wittebergenſi Roſtochium evocatus, tam inclaruit, ut multi reges & principes eum ad conſtituendas in ditionibus ſuis ſcholas & eccleſias evocarent: philoſophus, poëta, hiſtoricus & theologus inſignis: ex negotio concordiæ promoto, *commentariis in Pentateuchum*, *Joſuam*, *Judices*, *Ruth*, *Prophetas*, *Pſalmos*, *Siracidem*, *Matthæum*, *Johannem*, *epiſtolas Dominicales & Apocalypſin*, *hiſtoria A. C. Chronico Saxoniæ*, *prælectionibus de filio Dei*, *catecheſi*, *regulis vitæ & ſtudiorum*, & *tractatu de noviſſimis notiſſimus*: quæ omnia proſtant in duo volumina digeſta. Obiit anno 1600. *Natan Chytræus* philoſophus, primum profeſſor Roſtochienſis, deinde Rector Bremenſis, ad Calvinianos digreſſus, ob anno 1599.

Daniel Claſen JCtus quidem in Academia Julia celeberrimus, ſed Theologus quoque non minus celebris, quod *Exercitationes in Paſſionem Chriſti*, nec non *Tract. de Oraculis gentium*, ac libri tres *de vaticiniis Sibyllinis* teſtantur.

Orat. funebr. operib. ejus ſubjecta. *Steph. Clozius*, Weſtphalus D. Roſtochienſis Profeſſor, poſtea Superintendens in Holſatia, edidit Angelolatriam, Pneumaticam tractatum de baptiſmo, nec non ſudore Chriſti ſanguineo & Cypreſſorum lucum ſ. conciones funebres.

Joh. Cluverus, D. Stormarus, è paſtore Meldorpienſi & Marnenſi Profeſſor Soranus, & poſtea auſtralis Dithmarſiæ Superintendens, *harmonia evangeliſtarum*, *computo chronologico*, *epitome hiſtoriarum mundi*, *compendio theologiæ*, *tuba Zionis*, *orthotomia apoſtolica & egregio in apocalypſin commentario* ſe commendavit. Obiit anno 1633. ætatis 49.

Andr.

Andr. Cnopſius, Cuſtrinenſis, collega primum fuit Bugenhagii in ludo Treptovienſi: poſt Rigenſes eccleſias in Livonia rexit, & *oden illam:* HErr Chriſt der einige GOttes Sohn: eccleſiæ reliquit. Quid præſtiterit in reformatione eccleſiarum Pomeraniæ & Livoniæ, refert *Thuanus lib. XXI.*

Georg. Cœleſtinus D. theologus Marchicus Coloniæ, aulicus concionator Joachimi II. & Joh. Georgii electorum, *fundamenta doctrinæ de Cœna Domini, & hiſtoriam Comitiorum Auguſtæ*, anno 1530. *habitorum* quatuor tomis publicavit.

Joh. Cögelerus D. Paſtor ad D. Jacobi Stetinenſis, & Superintendens Pomeraniæ ulterioris, *imaginum catechеticarum & Biblicarum autor, cujus etiam nonnullæ homiliæ* extant, *& objectiones cum ſolutionibus in epiſtolam ad Romanos & Galatas:* item tractatus in Geneſin.

Mich. Caletus, paſtor eccleſiæ Dantiſcanæ ad D. Mariæ, è *duobus ſcriptis contra D. Fabricium & Jacobum Adami, Calviniſequas Dantiſcanos, notus.*

Chriſtoph. Cornerus D. Francus, in oppido à fagis nominato natus Adami p. 664.
anno 1518 Superintendens Marchiæ & paſtor atque profeſſor Francofur- Freher. p. 290.
tanus, *unus ex autoribus libri Concordiæ: cujus commentaria in epiſtolas & evangelia Dominicalia, in Pſalterium, Haggæum, epiſtolam ad Galatas, Symbolum Athanaſii, extant.* Obiit anno 1594.

Joh. Colerus M. Parchenſis Superintendens, *ſcripſit contra Calvinianos Guſtrovienſes, & Aciem caſtrorum ordinandam* edidit.

Ant. Corvinus, Saxo, fidelis Lutheri παραστάτης, inſpector eccleſi- Sagitt. in In-
arum Brunſvicenſium, *ſcriptis contra Anabaptiſtas, & Pontificios, expo-* trod. ad Hiſt.
ſitione catechiſmi, evangeliorum & epiſtolarum Dominicalium, colloquiis Eccl.ſcript.cap.
Theologicis, ut & theologia Auguſtini & Chryſoſtomi ex libris eorum depromta, notus. Obiit anno 1553. Eſt alius *Andreas Corvinus*, ex IV. ultimis 13. Sluter. in Propylæo Hiſt. Chriſt. p. 24.
Centuriis Magdeburgenſibus cognitus. Alius *Joh Corvinus* D. Megapolitanus, Dantiſci ad D. Mariæ in templo parochiali paſtor, optime de eccleſia Dantiſcana meritus, ob certas cauſas inde digreſſus, Lubecæ ad mortem ſubſtitit: vir pius & conſtans, amicus meus devenerandus, quocum orthodoxiam eo tempore, quo primam hujus Syntagmatis editionem adornabam, in celeberrima urbe defendebant, & adhuc, qui ſuperſtites ſunt, defendunt in eodem Mariano templo *Joh. Botſaccus* D. Corvini ſucceſſor, *Nathan Dilger* poſt patrem M. Dan. Dilgerum; *M. Frid. Schreningius*, & poſt M. Adr. Stoddertum, *G. Feblavius:*

 in

in æde SS. Trinitatis, & ſacello *D. Annæ* poſt D. Abr. Calovium *Joh. Maukiſch D.* Rector Gymnaſii, *Chr. Pambius & Abr. Hayſeus:* Ad D. Johannis *M. Joh. Jac. Cramerus* & poſt M. Mart. Statium & M. Chr. Brackermannum *Joh. Albinus & Wilh. Slotius:* ad D. Catharinæ, poſt M. Joh. Roſteuſcherum, Mich. Blackium & Joh. Mochingerum *M. Joh. Fabricius, Walth. Magirus & Mich. Albinus:* ad D. Bartholom. poſt Mich. Coletum *M. Mich. Falcke & Frid. Zwickerus:* ad D. Barbaræ poſt Jac. Slakovium & Balth. Ern. Hettenbachium *Frid. Sohnerus, & M. Joach. Simonis:* ad D. Corporis Chriſti, poſt Georg. Gilbertum *Caſp. Bartholdi:* ad D. Jacobi, poſt Mart. Stoltium *M. Melchior Pauli:* ad Spiritus S. poſt Andr. Oſmitium *Joh. Heinius:* ad S. Salvatorem *Joh. Fabricius:* ad Gertrudis *Joh. Sivertus:* ad D. Lazari poſt Paul. Hirſchium *Joh. Laſſenius.*

Joh. Cothmannus D. in academia Roſtochienſi, *deſcriptionem fundamenti Papatus, tractatum contra Bergium de cœna*, ut & de *conjugio comprivignorum contra Bohlium edidit.*

Dan. Cramerus D. Rezenſis Marchicus, theologus Stetinenſis, præceptor primum meus, deinde collega in illuſtri Pædagogio venerandus, multos annos in vinea Domini ſolertiſſime operatus, *non ſaltem Jeſuitis & Zwinglianis ſe fortiter ſcriptis oppoſuit, ſed & didacticis libris Bibliorum voluminí lumen addidit*, hiſtoricus, philoſophus, poeta, orator, & theologus eximius. Extant præter ſcripta ejus poëtica, oratoria, hiſtorica & philologica, *apologiæ contra Beurhuſium & Stevartium, ſcholæ propheticæ, tractatus de ſublimi corporis ſpiritualis myſterio, prædeſtinatione, regno Chriſti, decalogo diſtinguendo, deſcenſu Chriſti, hæreſiologia, commentarius in univerſa Biblia, Emblemata ſacra, homiliæ in paſſionem Chriſti & catechiſmum Lutheri.* Obiit anno 1627. Illum filii feliciter æmulantur, amici mei venerandi, *M. Joh. Jacobus*, paſtor Dantiſcanus ad D. Johannis, cujus *claſſicum pœnitentiæ contra Rathmannum, & eccleſiaſtes Chriſtianus, de vanitatibus humanæ & Chriſtianæ vitæ*, & alia ſcripta contra pontificios cum tanto patre dignum declarant: *M. Philippum*, paſtorem Schippenbeilenſem in Boruſſia, & *M. Fridericum*, archidiaconum ad D. Jac. Stet. *Andreas Cramerus* M. Paſtor, Magdeburgi in controverſia de uſu Philoſophiæ in theologia nonnulla edidit.

Hartmannus Creidius, plurimis in Evangelia & Epiſtolas Homiliis Eccleſiæ profuit, quas annuatim ſingulari Methodo pertractavit. Modo enim Auditoribus notitiam Dei & ſui: modo Querelas, Medelas, Cautelas, modo aliud è conſuetis textibus argumentum propo-

propoſuit; ſcripſit & *Conciones Funebres* atque *Miſcellaneas*, nec non *in Threnos Jeremiæ* & *Epiſtolam Jacobi.*

Ad. Crato, Northuſanus an Fuldenſis, primus Haſſiæ Superintendens, anno 1531. poſt diſputationem Homburgenſem, à Philippo Landgravio conſtitutus, obiit anno 1558.

Paul Crellius D Islebius, profeſſor Wittebergenſis, initio cum Crypto-Calvinianis ſenſit: poſtmodum ad ſaniorem mentem rediens, utile Chriſti organon fuit, forti tandem apoplexia, non à dæmone interfectus, *ut ex Peucero Hoſpinianus recenſet, anno 1579. ætatis 48. obiit, & opus Concordantiarum Biblicarum poſthumum* poſteritati reliquit. Alius fuit *Crellius* JCtus, Cancellarius electoralis Saxonicus: qui, quod inſigni uſus perfidia, talia molitus erat, quæ electori viſa ſunt intolerabilia, & religioni fraudem fecerat, anno 1601. ultimo ſupplicio affectus eſt.

Adam. p. 518. Freher. p. 248.

Caſp. Cruciger, D. Lipſienſis, natus anno 1504. orthodoxiam ad extremum uſque vitæ halitum Wittebergæ anno 1584. emiſſum, aſſeruit, theologus, aſtronomus, medicus & philologus inſignis, *commentario in epiſtolas Pauli, evangelium Johannis, & de judiciis Synodorum* celebris. Cujus *filius ejusdem nominis* à conſtantia patris admodum degeneravit, & Auguſtanam Confeſſionem in quæſtione de Sacramentis primum occulte, tandem aperte oppugnavit, & ab Electore anno 1574. Witteberga dimiſſus, non tantum Sacramentariæ hæreſeos, ſed & Synergiſmi, Majoraniſmi & Antinomiæ reus eſt factus: mortuus Caſſellis in Haſſia anno 1597.

Alb. in Chron. Miſn. tit. 25. p. 703. Biſmarck in Orat. de vita ej. Seckend. Ind. 1 Freher in Theatr p. 102. Pantal. p. 273.

Joh. Crugerus D. Paſtor Jacobæus Stetinenſis, *Heptalogium Chriſti in Cruce, Controverſias theologicas, Meditationes ſacras & commentarium in aliquot capita Geneſeos* edidit, & obiit in præmatura ætate anno 1616.

Gothof. Cundiſius D. Superintendens Martisburgenſis; poſtea profeſſor Jenenſis, *quæſtionibus ex Johannis epiſtola prima, ut & notis in compendium Hutteri celebris.* Idem quoque edidit *Refutationem Theologiæ Antilogiæ Lutheranorum compilatæ per Georgium Tyskiviciuin. Elucidationem Epiſtolæ Pauli ad Romanos,* & *Tractatum Theologicum De Lege, Evangelio, Pœnitentia & Juſtificatione.*

Gulich. p. 1052.

Joh. Conr. Dannhawerus, Kündringenſis è Briſgoja, primum eloquentiæ; poſtea theologiæ profeſſor apud Argentinenſes, plurimis ſe ſcriptis eccleſiæ commendare pergit; inter quæ præter *epitomen dialecticam,*

Idem p. 1056.

cticam, rhetoricam, dialecticam ſacram, logicarumque diatribarum decada & tractatum de memoria, præcipua ſunt, *Chriſicis: Hodomoria ſpiritus Papæi & Calviniani: Hodoſophia Chriſtiana: Chriſtoſophia: Antichriſtoſophia: doctrina de ſacramentis: meletemata de miraculis: Hecdecas homiliarum: Alethea ſancta: Hermenevtica ſancta: Lac catecheticum: Myſterium ſyncretiſmi detecti: Sigalion hyperaſpiſtes in Cræſiaden, ſeu dialogus apologeticus pro myſterio ſyncretiſmi detecti: Gamaliel Hebræo-Teuto: Præ Adamita.*

Chriſtophorus Dauderſtadius, *Expoſitione Epiſtolarum Dominicalium, Pſalmorum, Diſpoſitione Tripartita Quinquennali Evangeliorum Feſtivalium, Meditatione ſeptem verborum Chriſti, & Apodixi Meſſiæ* ſ. invicta demonſtratione, quod Chriſtus ſit promiſſus Meſſias nomen ſuum Eccleſiæ commendavit.

Georgius Dedekennus M. eccleſiaſtes Hamburgenſis, *duobus voluminibus conſiliorum theologicorum & politicorum, ut & praxi conſcientiarum, & tractatu de cauſis peccatorum* operam eccleſiæ navavit.

Johannes Deutſchmannus, Magni Calovii gener, Facultatis Theologicæ in Academia Wittebergenſi Senior plurimis ſcriptis notus; Eorum Syllabus hic eſt: *Diſputationes de Attributis divinis. Apologia Auguſtanæ Confeſſionis Anti-Crociana* ſ. Vindiciæ Hoëanæ contra Crocium. *Collegia quinque Anatomiæ Auguſtanæ Confesſionis. Repetitio Auguſtanæ confesſionis. Conſideratio librorum Symbolicorum. Methodica Expoſitio præcipuorum Articulorum Smalcaldicorum. Compendium Theologicum Leonh. Hutteri Analytico-Exegeticum. Explicatio Symboli Apoſtolici. Harmonia Evangelico Moſaica* ſ. Moſaica Gnomologia, in qua habentur Oracula Moſaica Evangelica per anni circulum ad Evangelia Dominicalia relata. *Meditationes ſacræ in Hiſtoriam Dominicæ paſſionis ſecundum Matthæum.*

Pant. in Vit. Celebr. Germ. p. 184. *Vitus Ditericus*, alias *Theodorus* vel *Theodoricus*, eccleſiaſtes Noribergenſis eloquentiſſimus, *annotationes breves ſeu ſummaria in libros V. & N. T. ut & librum de officiis Paſtorum, inſtitutionem Chriſtianæ vitæ & doctrinæ, poſtillam pro pueris, modum orandi, & ſententias conſolatorias edidit*, & anno 1549. obiit. *Conrad. Ditericus.* D. primum Gieſſenſis profeſſor, poſt Ulmenſium eccleſiarum Superintendens, *inſtitutionibus catecheticis abſolutisſimis, myſteriologia Sacramentorum, analyſi evangeliorum, homiliis in Eccleſiaſten & librum Sapientiæ, Concionibus pœnitentiali-*

bus, *aliiſque ſcriptis cum philoſophicis*, *tum theologicis* inſervit eccleſiæ. *Joh. Dietericus D. de privata abſolutione*, *deque actis colloquii Marpurgenſis* ſcripſit. *Henr. Theodoricus M.* Hilperhauſenſis Francus, fuit ſuperiori ſeculo paſtor & Superintendens Lignicenſis.

Johannes Conradus Dietericus Conradi fil. Profeſſor in Academia Gieſſena celeberrimus, inſignis & Hiſtoricus & Theologus æternam famæ celebritatem ſibi peperit *Antiquitatibus Biblicis veteris Teſtamenti*, quibus Decreta, Prophetias, ſermones, conſuetudines atque ritus, nec non dicta V. T. de rebus Judæorum & Gentilium expendit. Itidem *Antiquitatibus Novi Teſtamenti* ſ. Lexico Philologico Theologico Græco-Latino, quo multa loca ex antiquitate ſacra & profana pertractat. *Johannes vero Dietericus* Superintendens Gieſſenſis *Refutationem quoque Calumniarum Lampadii edidit*, quibus ille in continuatione Mellificii Hiſtorici Pezelii paſſim cauſam Lutheranam noſtroſque Theologos, qui adverſus Reformatos ſcriptis claruerunt, inſectatus erat.

Joh. Dinkelius M. Paſtor & Superintendens Coburgenſis, *homilias contra Papicolas ex catechiſmo* edidit, & obiit anno 1603.

Johannes Dolingius Pomeranus, *Anti-Chriſto* ſ. de finali Anti-Chriſti interitu & *Diſſertatione de Anathematiſmis* ſ. condemnationibus Eccleſiaſticis præcipue Calvinianorum in Concionibus ad Populum & ſcriptis publicis, nomen ſuum Eccleſiæ commendavit.

Joh. Georg. Dorſcheus D. theologus primum Argentinenſis, poſtea Roſtochienſis celeberrimus, ſtrenuus in vinea Domini operarius, notus ex theologia Zachariana, tractatu de cœna contra Zwingerum, & de miſſa contra Herberum, Anti-Cornæo ſeu vindiciis interventionis pro myſterio SS. Trinitatis, Fatis Romæ papalis, Hodegetico catholico, Exercitatione ad concilii Nicæni I. διατύπωσιν de ſacra ſynaxi à Gelaſio Cyziceno proditam, Collatione ad Concilium tam Sirmienſe, quam Francofurtanum, Parallelis monaſticis & Academicis, Indice iniquitatis ad parallela monacho academica, de votis monachorum, Admirandorum Jeſu Chriſti ſeptenario, Sceletomania pontificia contra reliquiarum cultum, Scrupulis religionis remotis, Latrone theologo & theologo latrone, Thoma Aquinate confeſſore, amicus meus venerandus. Orat. funebr. in obitu ejusd.

Joh. Draconites D. Francus, profeſſor & eccleſiaſtes primo Marpurgi, deinde Roſtochii & Lubecæ, tandem in Boruſſia epiſcopus Pomezanienſis: Biſmarck. in Vita & eb. geſt.

Ccc cc zanienſis:

Præcip. Theol. Adami p. 405. Freher. p. 210. Thuan. lib. 39. p. 361.

zanienſis: unde tamen Wittebergam anno 1555. abiit, ad *opus Biblicum Pentaglotton ſeu Quintuplex*, æmulatione Origenis conficiendum: quod tamen morte præventus non abſolvit. Vir valde laborioſus & doctus *tranſtulit ſacros aliquos libros ex Hebræo, & ſcripſit ſcholia in Pſalterium, Danielem, Obadiam, Malachiam: item Poſtillam per totum annum, plura carmina & homilias:* quæ *in duos Tomos* digeſta extant. Obiit anno 1566. ætatis 73.

Joh. Gabriel Drechsler, Gymnaſii Hallenſis Conrector, vir pius & eruditus ſcripſit diatriben de *una gutta ſanguinis Chriſti*, an dicenda ſit ſufficere potuiſſe ad redimendum univerſum genus humanum: item *de Larvis natalitiis*, quæ eo tandem monente paſſim jam abrogatæ ſunt.

Jacobus Dorfeldius, Rector Gymnaſii Oſnabrugenſis, Theologus & Philoſophus eximius edidit *Commentarium in Canticum Salomonis*, Librum *de Perſeverantia Sanctorum*, de *Norma Invocationis divinæ, Admonitionem de libero arbitrio & baptiſmo*; nec non *diſſenſum Calviniſtarum in fundamento fidei*: Illius autem *Myſteriologia de Regno Chriſti*, quam diſputationibus XVI. complexus eſt, multis hodie placet, qui Chiliaſmum in Eccleſiam introducere tentant.

Rup. Dürre D. theologus Würtebergicus, cum D. Jac. Beurlino anno 1554. in Pruſſiam, controverſiæ Oſiandricæ componendæ cauſa, legatus.

Johannes Conradus Dürrius, Philoſophus & Theologus Altorffinus edidit *obſervationes ad textum Auguſtanæ Confeſſionis, Iſagogen ad libros ſymbolicos Eccleſiæ Norimbergenſis, Commentationem Hiſtorico Theologicam de Religione Chriſtiana in Germaniam introducta.* Inter hæc vero præcipuam laudem merentur *Compendium Theologiæ moralis*, & *Everſio Chriſtianiſmi per hypotheſes & dogmata Socinianorum*. Magnam vero Eccleſia noſtra gratiam debet *Johanni Dürrio*, Superintendenti Serveſtano, ibidemque in Gymnaſio Profeſſori Theologo, qui Calviniſmum pro viribus ex illo Ducatu eliminare ſatagit, ediditque eam in rem *Defenſionem antiquæ fidei Anhaltinorum, Harmoniam publicam doctrinæ Chriſtianæ*, & *vindicias Catechiſmi Eccleſiarum Lutheranarum.*

Johann. Ebartus, Diaconus Wettinenſis in gratiam ſtudioſæ juventutis Compendium Hutteri, Tabulis & reſponſionibus ad præcipua adverſariorum argumenta utili labore illuſtravit.

Caſp.

Caſp. Eberhardus D. Schneidebergenſis, primum eccleſiæ Miſnenſis ephorus, poſtea profeſſor & Superintendens Wittebergenſis, anno 1574. D. Frid. Widebramo ſurrogatus: anno ſequenti, ætatis 53. mortalitatem exuit, verbi divini & Lutheranæ doctrinæ conſtans defenſor, cum annos XXX. eccleſias rexiſſet.

Paul. Eberus D. Kizingenſis Francus, in prima adoleſcentia anno ætatis XIII. equo excuſſus, corporis decus, ſtaturam & robur amiſit: eoque ipſo ad virtutis & ſapientiæ ſtudium alacrior factus, per XIV. annos Lutherum & Philippum indefeſſus audivit; factus tandem anno 1544. profeſſor Wittebergenſis, & tandem paſtor ac Superintendens: è calendario hiſtorico, hiſtoria populi Judaici, explicatione evangeliorum Dominicalium, & aliquot cantionibus eccleſiaſticis notus. Conſenſit cum iis, qui Philippi autoritate abuſi, in doctrina de S. Cœna & omnipræſentia carnis Chriſti in Calvini partem occulte tranſierunt, mortuus anno 1569. ætatis 58. antequam Crypto-Calviniani Witteberga removerentur. Succeſſit illi D. Frid. Widebramus, & huic D. Caſp. Eberhardus. Biſmarck. l. c. Adami p. 428. Freher. p. 219.

Henr. Eckhardus D. unus ex theologis Gieſſenſibus, poſt Superintendens Schwartzburgicus & Altenburgenſis, *compendio theologiæ Patrum*, *Faſciculo & Pandectis Controverſiarum*, *confutatione Piſcatoris*, *Tractatu de deſcenſu Chriſti*, *deque Papa Phariſaizante & de pœnitentia*: *item commentario in Pſalmos & epiſtolam Johanniticam*, nomen meruit. Innotuit noſtro tempore alius *Eckardus*, cui *Melchioris Sylveſtri* proprium nomen eſt, opuſculis quibusdam Theologicis, nimirum *Theologiæ Studioſo & Paſtore conſcientioſo*, *Quæſtionibus quoque Theologicis de caſibus quibusdam dubiis.*

Paul. Egardus, Paſtor Nortorpianus in Holſatia, ſcripſit *medullam SS. theologiæ ſeu meditationem in Catecheſin: Salomonem Eccleſiaſten: hominem microcoſmum ſecundum naturam & gratiam: vindicias Arndianas: theſaurum ſapientiæ ex Epiſtola ad Romanos. In quibus tamen multa, quæ limam Theologicam deſiderant.*

Paulus Egidii medullam Theologiæ, *Agoniam Chriſti & Theologiam Practicam* edidit.

Paul. ab Eitzen D. Superintendens Holſatus, orthodoxus quidem & oppugnator Calvinianorum acerrimus, ſed ob autoritatem Philippi & odium J. Andreæ nodum in ſcirpo quærens, cum Formulæ Concordiæ eſſet ſubſcribendum. *Proſtat ejus Poſtilla.* Moller in Hiſt. Cimbr. part. 2. p. 177. Hutter. in Concordia Conc.

Ottomar. Epplinus, aulicus in Boruſſia concionator, *judicia Patrum ad Evangelia Dominicalia comportavit*, Oſiandriſmi poſtea reus.

Jac. Faber, D. Stargardienſis, aulicus olim apud Stetinenſes concionator, & Superintendens Pomeraniæ ulterioris, vir magni apud nos nominis. Cujus nomen & utrumque officium ſuſcepit ſororius meus, *Jac. Fabricius* D. Coslinenſis, victorioſo Svecorum regi Guſtavo Adolpho, per biennium, ab ultimo Pomeranorum duce, cui tum erat à ſacris concionibus, conceſſus, ut in illius caſtris ſacra obiret, & conſiſtorium caſtrenſe dirigeret. Quod officium etiam ad mortem uſque regis ſuſtinuit, & deinde redux, poſt D. Dan. Cramerum, Paſtoratum ad D. Mariæ & Profeſſionem Pædagogii adiit, ſeque *homiliis variis, potiſſimum pœnitentialibus, Commentario in librum judicum, XXXV. quæſtionibus bellicis ad moderna bella rectius dijudicanda, Probatione Viſionum, & Diſputationibus in Geneſin, eccleſiæ commendavit.* Hujus collegæ in presbyterio Stetinenſi, cum anno ſeculi noſtri LIV. defungeretur, fuere in Mariano eccleſiæ collegiatæ templo *D. Joachimus Fabricius*, ejus gener, archidiaconus, nunc ſoceri in paſtoratu ſucceſſor & Vice-Superintendens, & David Rhanæus Subdiaconus, ſucceſſor patris Dionyſii Rhanæi: cui paulo poſt defuncto ſucceſſit *Balthaſar Bendelius*: in templo aulico *M. Matth. Decenius*, cui aliquot annis in aulicis concionibus collegialem operam præſtitit *Johannes Andreæ*, ex monaſterio ordinis Bernhardini ad nos transgreſſus, & poſt eum M. Franc. Reutzius: in templo Jacobæo *M. Jacobus Winnemerus*, paſtor, D. Chriſtoph. Schulteti ſucceſſor, *M. Fridericus Cramerus*, archidiaconus & *M. Franciſcus Reutzius* diaconus, antea eccleſiaſtes aulicus: in templo Nicolaitano *D. Ludovicus Jacobi*, paſtor, M. Sam. Fuchſii, & D. Chriſtiani Groſſii, nunc Superintendentis Generalis in Pomerania electorali ſucceſſor, ex archidiaconatu Jacobæo, in quo anteceſſorem habuerat Dan. Waſſerfuhrerum, qui ſucceſſerat Andreæ Garzæo, illuc evocatus, & *M. Joachimus Utebi*, M. Theodori Schambachii, cum ad archidiaconatum Marianum eſſet promotus, & Fauſtini Blennonis ſucceſſor: in Johannitano *M. Sebaſt. Höpfnerus*: in Petrino *M. Balth. Cansdorfius*, ſucceſſor M. Dan. Langii & Chriſtoph. Dithmari; in Gertrudiano *M. Fauſtinus Blenno*, ſucceſſor Laur. Lanckavelii. *Joh. Fabricius* D. Budiſſina-Luſatus, profeſſor, paſtor & præſes conventus eccleſiaſtici apud Argentinenſes, ex piis homiliis, diſputationibus & aliis ingenii fœtibus clarus. *Wolff. Fabricium Capitonem* ſupra cognovimus.

Paulus

Paulus Fagius ſeu Büchlein/ Palatinus, Capnionis diſcipulus, anno 1504. natus, Iſnenſis primum & Conſtantienſis paſtor, poſt Hebraicæ linguæ & theologiæ Argentorati, & inde, poſtquam ejus opera Palatinatus eſſet reformatus, ob interreligionem pulſus, in Anglia Profeſſor. *Plures libros partim ex Hebræo converſos, partim à ſe conſcriptos edidit*, vir in ſancta lingua ad miraculum doctus: qui Petri Büffleri liberalitate ſublevatus, *Heliam Levitam*, illum Judæorum doctiſſimum, Venetiis accerſendum curavit, & inſtituta typographica officina, maximum ad ſolidam rerum Hebraicarum intelligentiam momentum attulit. Anno 1550. in Anglia Cantabrigiæ obiit, ubi poſt quinquennium, juſſu Mariæ reginæ, à papicolis effoſſus & crematus eſt. Pantal. in Vir. Illuſtr. pag. 311. Seckend. Ind. 1.

Joh. Paul. Feewingerus Philoſophus & Theologus Altorffinus plurimis ſcriptis celebris, qualia fere ſunt: *Examen brevis iſtius diſquiſitionis, an & quomodo Evangelici Pontificios, ac nominatim Valer. Magni de Acatholicorum credendi regula judicium ſolide ac evidenter refutare queant. Diſſertatio de Photinianorum analogia fidei contra Joh. Crellium. Exciſio centum Argumentorum Jonæ Schlichtingii contra veram & æternam Chriſti Deitatem. Concuſſio normæ primæ religionis Photinianæ contra Danielem Zwickerum. Diſceptatio Theologica Anti-Photiniana de ratione in Theologia &c. contra Florianum Cruſium, vel Johannem Crellium. Immodeſta Modeſtia contra Valentin. Baumgarten.*

Dan. Feſſelius M. Fribergenſis Miſnicus, eccleſiaſtes Berolinenſis, *promtuarium biblicum ſeu concordantias Biblicas Pauli Crellii D profeſſoris Wittebergenſis* auctiores reddidit: deinde paſtor & Superintendens Cuſtrinenſis edidit adverſaria ſacra quinque libris, ſtrenuus adhuc in vinea Domini. Gulich p. 1223.

Juſt. Feurbornius D. Herfordienſis Weſtphalus, anno 1587. natus, profeſſor Gieſſenſis, poſtea anno 1624. profeſſor & Superintendens Marpurgenſis, denique anno 1650. iterum Gieſſenſis profeſſor, gener Menzeri, *diſputatione de peccato in Spiritum S. contra Eglinum; diſſertatione alia de eodem peccato; faſciculis ſex diſſertationum; Anti-Oſtorodo; tomo VII. Gieſſenſium, κενωσιγραφίᾳ; tomo IV. Marpurgenſi; diſputationibus in A. C.; ſyntagmate diſputationum; epitome errorum Calviniſticorum; diſquiſitionibus in Rom. IX. & X. & Joh. XVI. fundamenti deductione contra Caſſellanos, egregiam adoream meruit. Obiit* anno 1656. Idem. p. 1009.

Caſp. Finckius D. theologus primum Gieſſenſis, poſt Superintendens Idem p. 901.

dens Coburgenſis, *centuriis canonum Theologicorum, Poſtilla Evangelica & Academica, ſchediaſmatibus ſeu controverſiis Theologicis, & aliis tractatibus* famam meruit.

Chriſtoph Fiſcherus M. Lüneburgenſium Superintendens, *ex commentario Pſalterii, Harmonia Evangeliſtarum, Poſtilla Evangeliorum & Epiſtolarum Dominicalium, explicatione Catechiſmi, tractatu de Cœna notus. Sam. Fiſcherus D.* primum in valle Joachimica paſtor, deinde profeſſor & Superintendens Jenenſis, obiit anno 1601.

Pantal. Vir. Illuſtr. Germ. part. 3. p. 438. Fecht in Appar. ad ſupplem. Hiſt. Eccleſ. ſec. XVI. cap. 4. p. 72. ſeq. Melch. Adami p. 272. Freher. p. 236.

Matth. Flacius Illyricus D. Albonenſis, natus anno 1520. diſcipulus Joh. Baptiſtæ Egnatii, cum literas Venetiis addiſceret, inde religionis cauſa Baſileam, Tubingam, Wittebergam pervenit: inſignis theologus, immortali dignus nomine *ob Clavem Scripturæ, Catalogum Teſtium Veritatis, Gloſſam N. T. & plura alia ſcripta de Canone Miſſæ corrigendo: contagio fermenti Adiaphoriſtici: cavendis in religione mutationibus: ſectis & controverſiis doctrinæ Pontificiæ: primatu papæ: contra Adiaphoriſtas & Interimiſtas: imprimis autem ob Centurias Magdeburgenſes procuratas, fraudes religionis Interimiſticæ, technaſque Adiaphoriſtarum detectas, & Calvinianiſmum exploſum.* Sed cum de peccato originis, quod Synergiſtæ extenuabant, phraſibus uteretur durioribus, inter ſchiſmaticos haberi cœpit: Profeſſor primum Wittebergæ anno 1540. factus, deinde Magdeburgi tempore belli Germanici ſubſtitit, donec Jenam evocaretur. Unde ob contentionem, de libero arbitrio cum Strigelio exortam, abiit Ratisbonam: hinc Antverpiam evocatus eſt. Inde Argentoratum commigravit, & tandem Francofurti ad Mœnum anno 1575. obiit; vir longe doctiſſimus, & Chriſti amantiſſimus, ab iis imprimis exagitatus, qui Lutherani & orthodoxi videri volebant, & interea opinionibus Zwinglianis indulgebant.

Chriſtoph. Franckius Norimbergenſis, Theologus in Academia Kilonienſi primarius *Exercitationibus Wendelino*, & aliis *Limburchio oppoſitis* de Eccleſia Chriſtiana optime meritus eſt.

Seckend. Ind. 1. Biſmark in Vita ejus. Pantal. l. cit. p. 407.

Joh. Forſterus, Auguſtanus, theologus Wittebergenſis, *reformator Hennebergenſium, Lutheri in verſione Bibliorum ſuccenturiator induſtrius, autor dictionarii Hebraici*, natus anno 1495. obiit an. 1558. Eſt præter hunc alius *Joh. Forſterus* D. Aurobachius, itidem Profeſſor Wittebergenſis, & tandem Superintendens comitatus Mansfeldenſis, IV. *problematum Theologicorum decadibus, Theſauro Catechetico, homiliis in Evangelia, commentario in Eſaiam, cognitus.* Obiit anno 1613.

Eraſmus

Eraſmus Franciſcus, profeſſione non quidem Theologus, ſed ſcriptis de quatuor noviſſimis aliiſque perennem ſibi ap. Theologos famam peperit, tituli eorundem ita habent: Das Hahnen Geſchrey/ die letzte Rechenſchafft / Lampen der Klugen / das ewige Wohl und Weh. His addi poſſunt der Gegenſtrahl der Morgenröthe Chriſtlicher Warheit / Widerlegung der Verläumdungen Joh. Matthæi.

Ahasverus Fritſchius, Comitis Schwartzburgici lineæ Rudolphopolitanæ Cancellarius canitie jam & pietate venerandus, plurimis quoque opuſculis ad vitam Chriſtiano homine dignam extimulantibus inter Theologos non immerito referendus eſt. Ejus generis ſunt: Die geiſtliche Erfahrung eines Chriſten im Glauben und Chriſtenthum. Von Nothwendigkeit der Nachſinnung. Von Erbauung des Nechſten. Die verſchmähete Gottesfurcht. Von Türcke und Heydē beſchämtes Chriſtenthum. Die Quaal der Frommen. Hertzens-Seufftzer und Seelen-Geſpräch. Himmels-Luſt und Welt-Unluſt. Von täglich ſo genannten Peccatillis. Wahres Chriſtenthum. Todes-Gedancken. Erörterung der Fragen vom Chriſtenthum. Güldnes Kleinod. Probierſtein des wahren Chriſtenthums. Der Himmel auff Erden. Gebühr etlicher Standes-Perſonen. Heller Spiegel eines frommen Regentem. Pietas Tauleriana &c. &c.

Wolfg. Frantzius D. Voitlandus, primum profeſſor hiſtoriarum apud Wittebergenſes, poſtea Præpoſitus Kembergenſis, tandem theologus Wittebergenſis, *diſputationibus in A. C. vindiciis Anti Smalcianis, libro de Interpretatione Scripturæ, tractatu de indulgentiis & ſacrificiis, hiſtoria animaliū ſacra, commentario in Deuteronomion celeberrimus*, obiit an. 1628. ætatis 64. Gulich p. 884.

Mart. Frechtus, ex primis Ulmenſibus concionatoribus, anno 1536. inter alios Svevicos theologos Wittebergam miſſus Formulæ concordiæ Wittebergenſi ſubſcripſit. Deinde in vinculis aliquamdiu ob repudiatam interreligionem detentus, & poſt dimiſſus, Tubingæ docuit, *cujus Thuanus meminit libro V.*

Joh. Frederus M. Cöslinenſis, cum eſſet ex academia Gryphiswaldenſi à Stralſundenſibus ad paſtoratum & Superintendentis officium evocatus, ipſe, qui χειροθεσία pro more non erat conſecratus, alios tamen cum quodam eccleſiarum Pomeranicarum ſchiſmate ordinavit. Sed paulo poſt anno 1548. dimiſſus, in Mechlenburgiam abiit, & Superintendens Wismarienſis conſtitutus, anno 1562. cum uxore & tribus liberis, non

non ſine veneni ſuſpicione, eodem die obiit. Ejus filius *J. Frederus* D. fuit Profeſſor Roſtochienſis & gener Chytræi.

Herm. Heinr. Frey, Superintendens Swainfurtenſis, *θηροβιβλια* & *ιχθυοβιβλια* edidit, & obiit anno 1599. *Joh. Frey* M. Superintendens Gothanus & Hel.burgenſis obiit anno 1591.

Idem p. 1137. *Joh. Heinric. Friedlibius* D. antea profeſſor Gryphiswaldenſis, nunc paſtor eccleſiæ apud Stralſundenſes Jacobeæ, & presbyterii ſenior, amicus meus venerandus, præter tractatus in academia philoſophicos, & præter varias homilias, edidit Stœcheiologiam, theologiam, angelologiam, anthropologiam, Chriſtologiam, eccleſiologiam, myſteriologiam, eſchatologiam: Medullam theologiæ theticæ, polemicæ & caſualis, tertia editione auctam: Colloquia cum Judæo, cum pontificio in Goliathe, cum Calviniano in reti ſeductorio expanſo, (pro quo etiam apologiam contra Maſſonium edidit) tandem cum Photiniano in Achitophele: Obſervationes biblicas in V. & N. T. cum appendice hiſtoriæ ſecundum ſecula: Evangeliſchen Wegeweiſer cum epiſtolico jam tertium ſub prælo; Praxin beate moriendi.

Joh. Georg. Frimmelius M. primum Wittebergenſium; deinde Vratiſlavienſium eccleſiaſtes, ex certamine cum D. Georgio Franco Calviniano de cœlo beatorum notus.

Is. Frœreiſenius D. theologus Argentinenſis, *Hierogymnaſmata de præcipuis fidei articulis: Scrutinium panopliæ Bellarminianæ: Diſſertationes contra Weigelianos: Radulam ſcholaſtico-theologicam contra Herberum apoſtatam: Anatomiam Draconis fanatici: Facem catholicæ veritatis in lucem edidit.*

Thuan. lib. 35. p. 359 ſeq. Sagitt. Introd. in Script. Hiſtor. Eccl. cap. 11. p. 119. Melch. Adami p. 411.

Joh. Funccius M. Noricus, Andr. Oſiandri ſocer, & ſectator, natus anno 15 8. ex paſtore oppidi veteris Regiomontani paſtor aulicus poſt Speratum, & iterum paſtor veteris oppidi. *Chronologus inſignis.* Ob πολυπραγμοσύνην, tanquam perturbator pacis religioſæ & profanæ, coram rege Poloniæ à Statibus Prutenicis accuſatus eſt, quod duci ſuo, Alberto ſeni, ad prava conſilia autor fuiſſet: Paulo Schalichio, principi confuſionis & motuum cauſæ, adhæſiſſet: duci ſubditos ſuſpectos feciſſet. Sententia igitur regis cum Matthia Horſten & Joh. Snellen damnatus, & anno 1566. decollatus eſt. Verſus ejus noti ſunt:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge, ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

Nic.

Nic. Gallus, al. Hahne/ diaconus primum Ratisbonenſis, illuc à Luthero miſſus, inde tempore interreligionis ejectus, concionator aulicus Wittebergenſis. Hinc Paſtor Magdeburgenſium, & tandem Superintendens Ratisbonenſium, cum Flacio animoſe contra Philippiſtas ſenſit, obiitque anno 1570. *Philippus Gallus* Hallenſis, Paſtor Magdeburgenſis, ex *Poſtilla apoſtolica & prophetica, ut & comm. in Jonam* notus eſt. Extat etiam *Joh. Galli doctrina de cœna Domini.* Melch. Adami p. 324. Freher. p. 223. Fechs p. 72.

Georgius, Princeps Anhaltinus, Præpoſitus Magdeburgenſis, Coadjutor Martisburgenſis, *piisſimis concionibus, & aliis ſcriptis, inter* noſtrates theologos eminentiſſimus. Obiit anno 1553. Adami p. 245. Pantal. p. 227. Chytr. lib. 16. pag. 437.

Sim. Gediccus, paſtor electoris Brandeburgici Sigiſmundi aulicus, Reformatis, ceu vocant anno 1614. cedere coactus Martisburgi ab Electore Saxoniæ Superintendens eſt conſtitutus: notus ex *Poſtilla Evangelica, refutatione Sal. Finckii, Pelargo apoſtata, aliisque contra Calvinianos ſcriptis.*

Mart. Geierus L. profeſſor Hebrææ linguæ & eccleſiaſtes Lipſienſis, *commentariis in proverbia & eccleſiaſten Salomonis* inclaruit. Gulich. p. 1246.

Joh. Gerhardus D. primum Superintendens Heldburgenſis, poſt Coburgenſis, demum profeſſor Jenenſis, plurimis ſcriptis de ſcholis & eccleſiis optime meritus: clarus imprimis *Locis communibus ampliſſimis, eorumque qua primum tomum exegeſi: continuatione harmoniæ evangeliſtarum, à Chemnitio cœptæ, à Lyſero continuatæ & nunc demum perfectæ: ſcholæ pietatis: commentario in Geneſin, Micham, epiſtolas ad Romanos, ad Timotheum, ad Hebræos: poſtumo opere imperfecto, utili tamen in Apocalypſin: diſputationum voluminibus: confeſſionis catholicæ inſigni opere: Poſtilla Salomonæa: aphoriſmis theologicis: explicatione evangeliorum Dominicalium: Methodo ſtudii theologici.* Adamantius noſtri ſeculi, ſed ὀρθοδοξώτατος. Obiit anno 1637. ætatis 55. Filius ejus *Joh. Ern. Gerhardus* D. uti ſcriptis imprimis philologicis ſe hactenus commendavit, ita in cathedra paterna Jenenſi utilem jam ſacris ſtudiis impendit operam. Eminent inter illa dilectiſſimi quondam Præceptoris mei ſcripta, Orat. in obit. ejus Patrologiæ ejusd. ſuffixa.

Faſciculus diſputationum Theologicarum de Flacianiſmo & Strigelianiſmo. Diſputationum Theologicarum decades duæ. Conſenſus & diſſenſus Religionum profanarum. De *Eccleſia Coptica.* Frater illius *Joh. Frider. Gerhardus* ſpeculo Religionis Pontificiæ ſ. *Diſcuſſione errorum præcipuorum in Concilio Tridentino occurrentium* famam ſuam poſteritati commendavit.

Korthold in Hiſt. Eccleſ. p. 874.

Steph. Gerlachius D. theologus Tubingenſis, ex itinere Orientali, quod cum oratore Cæſaris, Davide Ungnado Barone, ſuſcepit, ut & *Anti Danæo & ejus Hyper-aſpiſte, doctisſimisque Diſputationibus notus.* Cum Conſtantinopoli hærebat, illo internuncio, profeſſores Tubingenſes Auguſtanam confeſſionem Græce verſam transmiſerunt patriarchæ Conſtantinopolitano, Jeremiæ. Inde occaſio variis epiſtolis, re tamen irrita, Græcis orthodoxiam quidem in pleriſque probantibus, ſed fermenti ſui tenacibus. Obiit anno 1612. *Melch. Gerlachius* M. *analyſin catechiſmi Lutheri* publici juris fecit.

Gulich. ad Tabb. Scrad. p. 790.

Sal. Geſnerus D. Sileſius anno 1559. Boleslaviæ natus, ex paupertate extrema eluctatus, Rector primum in patria ſchola; poſt Stetinenſis pædagogii: ubi cum Conrado Bergio & Joach. Stichio, qui in Sacramentariorum partes inclinabant, de orthodoxia in diſputationibus publicis nihil cedere vellet. & variis modis vexaretur; Stichius etiam ei, ad ſacram ſynaxin accedenti, conſecratum panem ſiniſtra, omiſſis verbis, quæ ex inſtituto eccleſiæ addi ſolent, porrigeret, Stralſundum, ac inde Wittebergam ad munus aulici concionatoris, evocatus eſt, ubi *commentario in Geneſin, Pſalmos & aliquot prophetas, libris de Conciliis & Labyrintho papiſtico, variiſque diſputationibus & homiliis, fidelem ſe Chriſti ſervum præſtitit, & anno 1605.* obiit.

Joh. Gigas, Northuſanus, natus anno 1514. Wittebergæ primum, poſt in Sileſia Freiſtadii & Sveidnizii docuit, & anno 1581. obiit, *ex homiliis, catecheſi & confesſione de S. cœna clarus.*

Gerh. Gildenhaurius, Noviomagus, theologus & hiſtoricus Marpurgenſis, cui ſucceſſit Andr. Hyperius.

Gulich. p. 1093.

Joh. Giſenius D. Weſtphalus, theologus primum Gieſſenſis, deinde Argentinenſis, tandem Rintelenſis, ex *Calviniſmo, Papiſmo & Photinianiſmo confutatis, analyſi Formulæ concordiæ, meditatione viæ ſalutis, examine theologico, catechiſmo ſeu parvis Bibliis, ejusque defenſione, tractatu de hæreſibus, reformatione evangelica, & vita Academica è S. literis deſcripta*, conſpicuus.

Idem p. 1092.

Sal. Glasſius D. Græcæ primum & Hebrææ linguarum profeſſor Jenenſis: poſt Sonderhuſanus Superintendens: inde Joh. Gerhardi ſucceſſor: tandem ephorus generalis Gothanus. *philologia ſacra: onomatologia Mesſiæ: Chriſtologia Moſaica: commentario in pſalmum CX. meditationibus epiſtolicis, & poſtillis in varia dicta prophetica clarus.* Obiit anno 1656.

Conradus

Conradus Graſſerus, Francus, theologus Thorunenſis, *hiſtoria Antichriſti, & plaga regia ſeu explicatione Apocalypſeos & Danielis, clarus*, obiit anno 1613.

Albertus Grawerus D. theologus Jenenſis, deinde Superintendens ducatus Saxo-Vinarienſis, *ex bello Calvini & Chriſti: Calvinianorum abſurdis abſurdorum abſurdiſſimis: libris de localitate & illocalitate corporis Chriſti, & aliis contra Photinianos, Calvinianos & Jeſuitas ſcriptis, commentariis in Michæam & A. C. celeberrimus.* Obiit anno 1617. Gulich. p. 876.

Jac. Groſs de Antichriſto orientali demonſtrationem inſtituit. *Chriſtianus Groſs* D. Wittebergenſis, profeſſor primum Theologiæ apud Stetinenſes & archidiaconus Marianus: deinde paſtor ibidem Nicolaitanus: tandem Superintendens electoralis in Pomerania ulteriore, utilem operam navat eccleſiæ, & præter *Hebraicam Grammaticam, Propheticam curam ægroti Iſraelis, doctas Diſputationes de Antichriſto & tractatum de fide Chriſtiana, deque fanatiſmo nonnullorum erronum*, edidit, de Syncretiſmo non parum ſuſpectus.

Georg. Grosheim D. Profeſſor Erfurtenſis, *janitore theologiæ & diſputationibus pro verſione Lutheri Biblica contra Jeſuitam Holzai* innotuit.

Andr. Grosbenning D. è Leodienſi ephoria vocatus profeſſor Roſtochienſis, cum ſe ſiſteret, morte præmatura abreptus, *doctam diſſertationem de Calviniſmo in fundamento fidei errante edidit.*

Sam. Gryneus, profeſſor primum Wittebergenſis, deinde Baſilienſis, obiit peſte anno 1541. clarus ob linguarum rerumque philoſophicarum & theologicarum peritiam.

Petrus Haberkorn D. Butisbacenſis Wetteravicus, profeſſor Gieſſenſis, clarus *orthodoxa Lutheranæ fidei vindicatione contra Ulr. Hunnium; Anti-Fabro; Anti-Valeriano; colloquio Reinfeldenſi; libro de miniſterico eccleſiaſtico. Diſpp. Anti-Walenburchicis, contra Forerum, Syntagmate & Decade Diſſertationum, Diſpp. Anti Syncretiſticis &c.* Gulich. p. 1219.

Matt. Hafenreffer D. theologus Tubingenſis, *Revelatore punctorum, Locis communibus & tractatu in ultima Ezechielis capita* eccleſiæ ſe commendavit. Gulich. p. 840.

Theodoricus Hackſpan, Philoſophus, Philologus & Theologus celeberrimus, cujus extant *Diſputationes Theologicæ & Philologicæ. Notæ Theologico Philologicæ in plurima & difficiliora ſcripturæ loca. Termini & Diſtinctiones Theologico-Philoſophicæ. Liber Nizachon Rabbi Lipmanni cum Tractatu de uſu librorum Rabbinicorum, & Prodromo Apologiæ pro Chriſtianis.*

Herman. Hamelmannus Lic. ex colloquio Jheverenſi anno 1577. habito notus, docuit in Weſtphalia, & *commentarios in Pentateuchum, de quatuor noviſſimis, deque impoſtura Pezelii, & erroribus Zwinglianis, ut & declarationem articulorum fidei ex F. C. & Weſtphalorum hiſtoriam ſeculi XVI.* conſignavit.

Mart. Hammerus M. Superintendens Schönburgicus, *variis Homiliis, & imprimis poſtilla Hiſtorica & Gnomonica, pietati eccleſiæ ſubvenit.*

Idem p. 1181. *Menno Hannekenius* D. profeſſor primum Marpurgenſis, nunc Superintendens Lubecenſis, *examine Manualis Becani & diſputationibus de juſtificatione contra pontificios* nomen meruit, ſucceſſor D. Nicolai Hunnii. Idem Menno Hannekenius edidit quoque *Syllogen Quæſtionum Theologicarum, Tractatum de ſcriptura ſacra & traditionibus, Synopſin Theologiæ, & Expoſitionem Analyticam in Epiſtolam ad Epheſios.* Philippus Ludovicus autem claret *Annotatis Philologicis in Joſuam, Commentatione de puritate Conſcientiæ, Diſcuſſione Judicii famoſi Cardinalis Bellarmini de Formula Concordiæ, Hodegetico Mareſiano, aliisque* plurimis.

Burch. Harbardi D. profeſſor Lipſienſis una cum Miro, Mylio & Hunnio ad repurgationem electoratus Saxonici à Calvinianis παρειςάκτοις anno 1592. adhibitus.

Joh. Lud. Hartmann Theologia Poſitivo-Morali & Paſtorali Evangelico, *Concionibus Miſcellaneis, Manuali Evangelico, veri Chriſtianiſmi impedimentis & adjumentis* notus. Philippus Hartmannus vero *Exegeſi vocum & Quæſtionum quinque primarum promiſſionum* de Meſſia claret.

Nic. Hauſmann, M. primum Schnebergenſis paſtor; deinde Zwickavienſis Superintendens, poſt concionator aulicus & Superintendens Anhaltinenſis: quem ob ſanctitatem vitæ maximi æſtimavit Lutherus, & quem peculiari elogio dignatus eſt Hieronymus Wellerus. Obiit anno 1538.

Joh. Hedericus D. paſtor in Moravia Lutheranus, ab *examinatione capitum doctrinæ fratrum Waldenſium* innotuit.

Pantal. p. 209. Seckend. Ind. 1. *Caſp. Hedio*, D. Eslingenſis, theologus primo Baſilienſis, deinde Moguntinus, tandem Argentinenſis, ſcriptis clariſſimus, vertendis libris feliciſſimus, & hiſtoricus egregius, obiit anno 1552, in partes Zwinglii tandem delapſus.

Jac.

Jac. Heerbrandus D. Juliacenſis ex Glengio, Profeſſor Tubingenſis, *compendio Theologico, idolomania Pontificiorum contra Gregorium de Valentia, volumine diſputationum theologicarum, vindiciis Lutheri contra Sigismundum Ehrenhoffer Jeſuitam, & nonnullis homiliis clariſſimus*, cum annos XLI. docuiſſet, rude donatus, obiit anno 1620. Ex illis fuit, qui ad concilium Tridentinum ſunt miſſi, ſed non admiſſi. Orat. funebr.

Eſ. Heidenreich. D. Leoberga oriundus, Paſtor Uratislavienſis, edidit *commentarium in Amoſum & varias homilias*, obiitque anno 1589. Eſt alius *Heidenreichius*, Fribergenſis, qui *expoſitiones minorum Prophetarum, ut & libri Ruth & Tobiæ* edidit.

Jac. Heilbrunnerus D. aulicus primum Palatini concionator, poſt à Calvinianis ſtatione ejectus, anno 1578. Tubingam conceſſit, vir de rep. eccleſiaſtica optime meritus, & imprimis *tractatu de papatu acatholico, ſynopſi doctrinæ Chriſtianæ, Suenckfeldio-Calviniſmo, Dæmoniana Piſtoriana & carnificina Eſavitica clarus.* Frater ejus *Philippus*, paſtor Lavinganus, *ex colloquio Ratisbonenſi & diſputationibus nonnullis in Eſaiam, Jeremiam, Zachariam & Danielem, ut & libris de innocentia Lutheri contra Jeſuitas*, *innotuit.* Gulich. p. 834.

Sim. Heinſius Pontanus, Saxo, Chytræo dictus *Benckius*, paſtor Wittebergenſium Lutheranus primus, cui ſucceſſit Bugenhagius. Ejus frater Gregorius fuit Cancellarius Friderici electoris Saxoniæ. *Mart. Heinſius* M. hoc tempore paſtor apud Francofurtenſes ad Oderam, cum collegis *M. Chr. Ludeco & M. Job. Laur.* cordatus veritatis aſſertor adverſus theologiam in academia corruptam.

Chriſtoph. Helvicus D. Profeſſor Gieſſenſis, *chronologus & Hebræus inſignis, vindicationibus locorum ſcripturæ, elencho Judaico, compendio Hebraico, theatro hiſtorico, & tractatu de paraphraſibus Chaldaicis* notiſſimus. Obiit anno 1617. Gulich. p. 830.

Nic. Hemmingius, natus anno 1513. profeſſor Hafniæ, *commentario in catechiſmum, in Johannem & omnes apoſtolorum epiſtolas*, ut & *Enchiridio theologico, tractatu de methodis, de conjugio, de paſtore celebris*, de Calvinianiſmo tamen ſuſpectus in loco de cœna Domini. Obiit anno 1600.

Dan. Henrici D. profeſſor Lipſienſis, lucubrationibus *de autoritate Scripturæ & de termino vitæ, Chriſtologia & aliis ſcriptis* cognitus.

Valer. Herbergerus, paſtor Frawenſtadienſis in Sileſia, *plurimas conciones patheticas, & magnalia Dei de Jeſu, Scripturæ nucleo*, edidit. Cujus Orat. funebr.

 filius

filius *M. Zacharias* tædas nuptiales & calendarium Chriſtianum typis divulgavit. *Zach. & Dan Hermanni* Vratislaviæ claruere.

Johannes Hermann, *Laboribus Sacris* eorundemque *laborum continuatione Dominicali & feſtivali*, *Homiliis in Paſſionem Chriſti*, *Nuptialibus*, *Funebribus*, & *Pœnitentialibus* quorundam Eccleſiæ Miniſtrorum laboribus utilem operam navavit.

Adami p. 611. Freher. p. 271. Ruel. Tom. 4. Concil. p. 654. *Tileman Heshuſius D.* Veſalienſis Weſtphalus, variis exiliis ob religionis controverſias, ab Interimiſtis & Calvinianis motas, agitatus, tandem etiam Jena pulſus, ubi diu docuerat, in locum defuncti D. Joachimi Morlini epiſcopus Sambienſis in Boruſſia anno 1573. eſt conſtitutus. Sed & inde poſt quadriennium ob ſchiſma de phraſi (*An humanitas in abſtracto dici debet adoranda*) motum dimiſſus, Helmſtadii profeſſionem ſuſcepit; & contra Calvinianos ore & calamo omnipræſentiam carnis Chriſti fortiter uſque ad annum Chriſti 1592. defendit. Tandem cum nonnulli theologorum ad conſcribendam pro Formula concordiæ apologiam conveniſſent: ille ſuum ad arbitrium non omnia agi indignatus, majeſtatem Chriſti, libro Concordiæ inſertam, quam *ubiquitatem generalem* vocant, oppugnare cœpit, & cum *Dan. Hoffmanno*, collega, orthodoxis eam ſententiam affinxit, ac ſi ſubſtantiam carnis Chriſti extenſive ac localiter in omnibus creaturis eſſe dicerent. Sic igitur proprii cerebri commentum impugnans, loco omnipræſentiæ introduxit multipræſentiam. Cæterum non paucis libris profuit eccleſiæ, ut *commentariis in Pſalmos, Eſaiam & omnes epiſtolas Pauli, examine theologico, tractatu de cœna, de juſtificatione, aſſertione Teſtamenti* J. C. *contra blaſphemias Calviniſtarum, & nonnullis homiliis.* Obiit Helmſtadii anno 1588. *Hen. Heshuſius D.* Superintendens Hildeſienſis, notus ex *relatione de Judæo*, qui ſubdole baptiſmum quæſierat, & tandem ad agnitionem veritatis pervenerat.

Joh. Heſſelbein M. antidotum & elenchum oppoſuit argutiis Goclenii de analogia Sacramentorum, & præterea examen theologicum de diſtinctione partium integralium & eſſentialium in cœna edidit.

Adami p. 183. Seckend. Ind. 1. *Joh. Heſſus*, paſtor Vratislavienſis, cum Ambroſio Moibano Miſſam primus Vratislaviæ abrogavit. Eſt alius *Helius Eobanus Heſſus*, profeſſor Marpurgenſis, poëta, quem Lutherus dixit ab ipſis Muſis laureatum, & Spalatinus regem Poëtarum. Obiit anno 1540. natus anno 1488.

Caſp.

Caſp. Heuniſchius, Theologus Schwinfurtenſis, *Commentario in Canticum* & *Theſauro Diſputatorio ad Compendium Hutteri*, nec non *Epitome ejusd. Analytica* magnam apud doctos laudem meruit.

Joachimus Hildebrand, Theologiæ quondam in Acad. Julia Profeſſor, poſtea Superintendens in Ducatu Lüneburgico, Inſtitutionibus *Theologicis*, *Rituali Orantium*, *ſacrorum publicorum*, *Templorum*, *Feſtorum*, *de Precibus veterum Chriſtianorum*, *de Natalitiis*, *Nuptiis*, *Concionibus veterum*, *offertorio pro defunctis* aliisque magnam nominis celebritatem adeptus.

Joh. Himmelius D. Stolpenſis Pomeranus, Rector primum Durlacenſis, inde Spirenſis, poſt theologus Jenenſis, variis operibus Chriſto ſuam operam ſuperioribus annis ſtrenue addixit, ut *analyſi in librum Concordiæ*, *Calvino-Papiſmo*, *Calvinianiſmo*, *Papiſmo*, *Photinianiſmo*, *Jeſuita Phariſaizante*, *Memoriali Biblico*, *Anti-Coppenſteinio*, *Anti Majero*, *Anti-Alſtedio*, *Becano enervato*, *Collegio Irenico*, *Poſtilla Academica* & aliis nonullis ſcriptis. Adami p. 158.

Jonas Hockerus M. Tubingenſis diaconus, *Speculum Logico-Theologicum*, *Syllogen articulorum controverſorum*, & alios eruditos libros Calvinianorum & Pontificiorum paralogismis oppoſuit.

Matth. Hoë de Hoenegk D. nobilis Auſtriacus, primum Plavienſis Superintendens, poſt Pragenſis eccleſiæ ephorus, tandem Electori Saxoniæ à concionibus & conſiliis aulicis, vir animi firmiſſimi, & adverſus quaſuis hæreticorum injurias varia eruditione munitiſſimus, cum aliis ſcriptis, tum imprimis *Philoſophia ſpeculatrice*, *apologetico contra Bellarminum*, *explicatione pſalmorum & evangeliorum Dominicalium*, *Jubilæo evangelico*, *labyrintho Papiſtico*, *Calvinianorum deſcriptione & refutatione*, *luculento in Apocalypſin commentario* celeberrimus. Gulich. p. 977.

Dan. Hoffmannus D. Profeſſor Helmſtadienſis, certamen ab Heshuſio anteceſſore adverſus F.C. inchoatum continuavit: nec pertinacia ejus in Quedlenburgenſi Colloquio anno 1585. frangi voluit: vir alioquin doctiſſimus & acutiſſimus, ex *apologia contra Bremenſes*, *Pezelium & Bezam*, *officina Theologica*, *librisque de cœna & exorciſmo notus*. Fuit & alius Hoffmannus, nomine *Chriſtophorus*, concionator primum Jenenſis, deinde aulicus paſtor Joh. Friderici Elector. Saxon. anno 1540. qui commentarium edidit in *epiſtolam ad Titum*, & *de pœnitentia*: item *de legitima defenſione*. Gulich. p. 809. Klingſporn in App. der Betracht. wider Peterſen.

Thom. Holtzhuter, unus ex Centuriatoribus Magdeburgenſibus.

Henr.

Orat. funebr. *Henr. Höpfnerus* D. theologus Lipſienſis acutiſſimus, præceptor meus venerandus, è *Saxonia evangelica & exquiſitis de variis fidei articulis, & imprimis de juſtificatione diſputationibus, & Iſagoge de S. Cœna*, multisque aliis meritis, celebris. *Joh. Höpfnerus* D. itidem theologus & Superintendens Lipſienſis, in vinea Domini ſtrenue & ipſe eſt operatus, cujus *decas de Antichriſto* proſtat.

Gulich. p. 1026. *Conrad. Horneius* D. Helmſtadienſis profeſſor edidit *tractatum de ſcriptura, Locos communes & diſputationes non ineruditas theologicas*; ſed ob phraſes, quibus ſchiſma de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem videbatur renovari, cenſuris D. Rothmanni, D. Majoris, D. Hülſemanni & D. Calovii notatus.

Caſp. Huberinus D. Luthero, quamdiu vixit, admodum gratus, *homiliis & variis libris de vera agnitione & de ira DEI, de dextera DEI & majeſtate Chriſti, ut & Catechiſmo & commentario in Syraciden edito*, egregiam orthodoxæ fidei confeſſionem edidit: poſtea tempore Interreligionis minus conſtantis animi, ab ipſo Thuano ob id notatus. Auguſtæ Vindelicorum, unde cum aliis fidei purioris confeſſoribus ejectus fuerat, anno 1551. eſt reſtitutus, & Oetingæ anno 1553. mortuus.

Nic. Hugo D. concionator aulicus Coburgicus, *elenchum Luthero-Calvinianiſtæ* Coppenſtenii oppoſuit.

dem p. 1123. *Joh. Hülſemannus D.* Friſius, natus anno 1601. theologus per XVIII. annos Wittebergenſis, nunc per decennium Lipſienſis, Præpoſitus Cizenſis, *Anti Hagerum ſeu Manuale Auguſtanæ confeſsionis: methodum concionandi: Breviarium theologicum, idque extenſum; Calviniſmum irreconciliabilem cum reſponſo ad Duræum: diſputationes eruditas de auxilio gratiæ & contra Hugonem Grotium de Miſſa: Harmoniam Jacobi cum Paulo: de præſcriptione & correptione fraterna: contra Calixtum dialyſin apologeticam: de myſterio Trinitatis in V. T. judicium theologicum: admonitionem ad Studioſos Lipſienſes: vermem conſcientiæ Calixtinæ* edidit. In colloquio Thorunienſi, anno 1645. cum pontificiis habito, partes theologorum Auguſtanæ confeſſionis ſuſtinuit: idque contra relationem pſeudonymi Conſtantini Prſaudorskii defendit, theologus acuminis elegantis.

& p. 758. *Æg. Hunnius D.* Würtenbergicus, humili loco anno 1550. natus, ex culmo ſtramineo, quod gravidæ matri per ſomnium indicatum fuerat, templi columna factus: acerrimus veritatis adverſus hæreticos vindex, Marpurgi primum docuit: inde Wittebergam, quam altera vice Crypto-Calviniani tempore Chriſtiani I. turbabant, à Friderico Wilhel-

Wilhelmo adminiſtratore anno 1592. evocatus, reformationis opus feliciter confecit. Tandem cum variis ſcriptis eccleſiæ ſalutariter profuiſſet, in ducatu etiam Lignicenſium & Brigenſium Calvinianas technas diſſolviſſet, & in colloquio cum Gretſero Ratisbonenſi non ſine immortali nominis laude pro Scripturæ perfectione dimicaſſet, anno 1603. pie obiit. Extant ejus opera Latina in V. Tomos digeſta, quorum *primus* varios tractatus de articulis fidei, *alter* polemica, *tertius & quartus* commentaria in Matthæum, Johannem & omnes pene epiſtolas Canonicas, *quintus* diſputationes & orationes varias continet. Edidit etiam vernacula lingua *Poſtillam Evangelicam & Epiſtolicam*, *homilias in VI. Prophetas*, *Threnos & Catechiſmum*, *Confeſſionem de perſona Chriſti*, *& id genus alia.* Filius ejus *Nicolaus Hunnius* D. Marpurgenſis, profeſſor olim Wittebergenſis, poſt Lubecenſium Superintendens, veſtigia paterna pari ingenii dexteritate legit: eruditis & limatiſſimis libris, ut *epitome credendorum, examine errorum Photinianorum, capiſtro Lancillotto impacto, neceſſaria defenſione de papa antichriſto, refutatione Weigelianæ Theologiæ, conſultatione de controverſiis Theologorum, apoſtaſia eccleſiæ Romanæ, pelle ovina papiſtica, innocentia Lutheranorum, demonſtratione miniſterii Lutherani, fundamentali diſſenſu Lutheranorum & Calvinianorum, eccleſia Romana non Catholica, neceſſaria admonitione contra theoſophos, novellos prophetas, nomine miniſterii Lübecenſis, Hamburgenſis & Lüneburgenſis*, celeberrimus. Obiit anno 1643. ætatis 58. Frater ejus *Æg. Hunnius* D. Superintendens generalis Altenburgenſis obiit anno 1642.

Leonh. Hutterus D. theologus Wittebergenſis eximius, *Locis imprimis Theologicis, Concordia concorde, explicatione libri concordiæ, Calviniſta Aulico politico, Irenico vere Chriſtiano, Triumpho de regno pontificio, Iliade morborum regni Pontificio-Romani*, nobis commendatiſſimus. Gulich. p. 817.

Andr. Gerh. Hyperius, Flander, theologus Marpurgenſis, ſcriptis philoſophicis & theologicis, imprimis *commentariis in Epiſtolas Pauli, in Eſaiam, de Interpretatione Scripturæ, & libello de ratione ſtudii Theologici, ut & Topica Theologia* clariſſimus, ambidexter in negotio S. Cœnæ, obiit anno 1564. Pantal. in Vit. Illuſt. Germ. pag. 474.

Juſtus Jonas D. Northuſanus, natus anno 1493. primum educationi liberorum Johannis Friderici electoris Saxoniæ præfuit, poſtea Præpoſitus & Paſtor Wittebergenſis, Hallenſis, Eisfeldenſis & Coburgenſis, tandem Superintendens Hallenſis, *adverſus Joh. Fabrum, ſcortationis patronum, pro conjugio ſacerdotali ſcripſit, & commentarium in Jonam & Acta* Freher. in Theatr. Viror. Illuſtr. p. 117. Pantal. p. 224.

Eee e edidit,

edidit, nonnulloſque Lutheri libros in Latinum ſermonem tranſtulit, obiitque anno 1555. Sunt inter mendaces pontificiorum ſcriptores, qui eum ajunt coquum aliquando fuiſſe Lutheri: ſed ipſe Spondanus ad annum 1546. has nugas diſplodit. Officium Superintendentis apud Hallenſes poſt eum continua ſerie adminiſtrarunt *D. Joh. Olearius*, *D. Andr. Merckius*, *D. Andr. Mengering & D. Gothfrid Olearius*. Filius Juſti Jonæ ὁμώνυμος JCtus anno 1567. Hafniæ eſt decollatus, cum Grumbachio rebelli conſpirationis accuſatus coram rege Daniæ ab Auguſto, Saxoniæ electore. Epitaphion, quod ipſe ſibi condidit, notum eſt:

Quid juvat innumeros ſcire atque evolvere caſus,
Si facienda fugis, ſi fugienda facis?

Jonas Magni, theologus Upſalienſis, noſtro tempore, præter alios tractatus, *Tubam anglicam de Antichriſto* edidit.

Chriſtoph. Irenæus M. Speculo vitæ æternæ & inferni, tractatuque de apoſtaſia notus, diuturnis exiliis afflictus.

Freher. p. 202. *Matth. Judex*, unus ex Centuriatoribus Magdeburgenſibus, *autor Corporis doctrinæ; pueris inculcari ſolitæ.* Obiit Roſtochii, quo exul excurrerat, anno 1587. ætatis 79.

Orat. funebr. *Andr. Keslerus D.* Francus. Superintendens Eisfeldenſis, philoſophus & theologus acutus, variis ſcriptis *de bello Ubiquitiſtico contra Forerum, Diata Chriſtiana, Methodo hæreticos convertendi, contra Photinianos, prudentia & patientia Chriſtiana*, eccleſiæ ſeſe commendavit.

Chr. Kettelhut Sundenſibus anno 1524. cum *Joh. Kurecken* primus evangelium annunciavit, inde Stolpa evocatus, quo è Treptoa propter evangelium pulſus confugerat, & anno 1557. obiit.

Georg. Kilius, paſtor apud Ballenſtadenſes, *nucleum evangeliorum & epiſtolarum Dominicalium, ut & refutationem objectionum Calvinianarum* edidit.

Forbi in App. p. 147. Freher. p. 278. *Tim. Kirchnerus* D. paſtor Jenenſis; poſt aulicus concionator Wolfenbüttelienſis; inde Paſtor Helmſtadienſium. Hinc, quia colludere aliis nolebat, excluſus, apud Heidelbergenſes receptum habuit. Sed & inde a Calvinianis excluſus. Superintendens tandem factus eſt Vinarienſis, *ex negotio F. C. colloquio Quedlenburgenſi, enchiridio Theologico, & theſauro explicationum ex operibus Lutheri* clariſſimus. obiit anno 1586. Conradus Kircherus, Auguſtanus alius eſt, qui *Concordantias Biblicas* V. T. Græcarum vocum Hebræis correſpondentium πολυχρήστους edidit.

Joh.

Joh. Knipſtrovius, Superintendens in Pomerania citeriore primus, vir animo præſentiſſimus, & religionis aſſertor fideliſſimus.

Andr. Knopke, è Treptoa Pomeranorum, primo evangelii repurgati tempore, Rigam conceſſit, & *commentarium in epiſtolam ad Romanos* edidit.

Barthold. Krakevizius D. nobilis Rugianus, Superintendens Pomeraniæ citerioris, plurimis annis heroico plane animo curam eccleſiarum ore & calamo geſſit, præceptor meus honorandus. Inclaruit imprimis *tractatu de conjugio*, *Sacramentis*, *Exorciſmo*, *illecebris Calvinianis*, *Commentario in Hoſeam & Jonam: ut & variis homiliis.* Illius vices poſtea geſſit ejus gener D. *Mavius Volſchovius*, ex præpoſitura Demminenſi Gryphiswaldiam evocatus, à cujus manu laurea doctoralis, voluntate reginæ Sveciæ, mihi anno 1648. porrecta eſt. Quos D. *Krakevicius* p. m. eo tempore collegas habuit Gryphiswaldiæ, quo prima editio hujus Syntagmatis adornabatur, videlicet D. *Bartholom. Battus*, D. *Georg. Maſcovius*, *M. Alexander Chriſtiani*, *M. David Regius*, *M. Mart. Wend.* & *M. Bartholom. Wildius*, omnes pie obdormiverunt.

Joh. Frider. König, Dreſdenſis, in academia Roſtochienſi Theologiæ Profeſſor, *Theologia Poſitiva Acroamatica*, & *Diſpoſitionibus Homileticis in univerſam Theologiam*, aliiſque Diſſertationibus & opuſculis Theologicis plurimum Eccleſiæ profuit. Alius ab eo *Georgius Köningius Caſibus Conſcientiæ*, *tractatu de Converſione hominis ad Deum*, & *vindiciis ſacris*, *quibus veteris & novi Teſtamenti loca difficiliora evolvuntur*, innotuit.

Hieronym. Kromayer, Theologus Lipſienſis primarius, *Theologia Poſitivo Polemica*, *Locis Anti Syncretiſticis*, *Scrutinio Religionum*, *Hiſtoria Eccleſiaſtica Centuriis*, *Polymathia Theologica*, *Apoſtaſia Eccleſiæ Romanæ*, *Commentario in Epiſtolam ad Galatas & Apocalypſin* immortalem ſibi nominis gloriam conciliavit.

Andr. Kunadus D. Döbelenſis, primum ſcholæ illuſtris Portenſis Rector, poſt Grimæ Superintendens, nunc profeſſor Wittebergenſis, diſputationibus contra Bergium & pontificios innotuit. Edidit quoque Kunadus deinceps *Collegium de perſona Chriſti* contra Fridericum Bechmannum, *Collegium in Epiſtolam Pauli ad Galatas*, *Compendium locorum Theologicorum*, *Conſtantinum Magnum Evangelicum*, quem Conſtantino Romano Catholico Jodoci Keddii oppoſuit, & *Hypomnemata Methodo concionandi ſubſervientia.* Orat. funebr.

Laur. Lælius, Paſtor Onolsbacenſis, *librum de libero arbitrio oppoſuit Bellarmino*, & præterea poſteritati reliquit *Scripturam loquentem*, *indicem hæreſium*, *Criterium fidei inter Lutheranos & Calvinianos: ut & vindicias famæ Lutheri.*

Joh. Langius, primus Erfurdenſium paſtor, ob. 1548. *Chriſtian. Langius* D. profeſſor & Superintendens Lipſienſis, *è plurimis diſputationibus & concionibus editis notus.*

Georg. Langvoit D. Superintendens Chemnicenſis, homilias in Ep. ad Romanos edidit.

Paul. Laurentius D. Superintendens & Paſtor Dreſdenſis *homiliis in libros Samuelis & Amoſum* notus. Eſt alius *Joh. Laurentius*, qui ſcripſit *Spicilegium Gnomonicum.*

Melch. Adami p. 665. Freher. p. 290. & ſeqq. *Conr. Lauterbachius*, Thuringus, Paſtor Argentinenſium & profeſſor Heidelbergenſis, à Calvinianis Heidelberga ejectus: egregius poëta & hiſtoricus, *edidit Germanice Joſephum*, *Egeſippum & Catalogum Teſtium veritatis*, obiitque Francofurti ad Mœnum anno 1585. *Ant. Lauterbach* ante eum obiit anno 1569.

Joh. Lenæus Canutus, theologus Upſalienſis, præter alios acuti ingenii fœtus, informationem de veritate & excellentia Chriſtianæ religionis edidit.

Henr. Leuchterus D. Superintendens Marpurgenſis, à Calvinianis Marpurgo ejectus, & Gieſſæ cum Winckelmanno & Mentzero receptus.

Caſpar à Lilien, Superintendens Generalis ap. March. Brand. *Summa Theologiæ* & *Diſputationibus* quibusdam *Theologicis* nomen ſuum commendare poſteritati voluit.

Wenceſl. Lincus, primus Noribergenſium Paſtor, anno 1547. obiit, quem Lutherus vocavit vere theologum *Tom. 2. Lat. Jen. p. 305.* Fuit enim cum eo anno 1518. in Auguſtanis comitiis, tantique æſtimatus, ut Lutherus ei inſcriberet reſponſionem ad librum Catharini. Extat *epiſtola de juſtificatione*, quam cum collegis ſcripſit ad Robertum de Moshan.

Georg. Lyſthenius, M. concionator aulicus Dreſdenſis, & Superintendens Weisfeldenſis, à Crypto-Calvinianis anno 1591. ejectus.

Dav. Lobechius D. Hamburgenſis, theologus Roſtochienſis, *diſputationibus in Auguſtanam confeſſionem*, *hypomnematibus in catecheſin*, *tractatu de prædeſtinatione & cæna clarus*, *anno 1603, ætatis 43. defunctus.*

Luc.

Luc. Loſſius, Rector Lünæburgenſis Scholæ, epitome Bibliorum cum Scholiis, & explicationibus Pſalmorum, Evangeliſtarum & nonnullarum epiſtolarum clarus, obiit anno 1581. ætatis 76. Adami p. 309.

Caſp. Lonerus M. inter primos paſtores evangelicos, primum in Voitlandia; deinde Noribergæ; & tandem, volente ita Luthero, Nordlingæ; ubi anno 546. eſt mortuus. Filius ejus *Joſ. Lonerus* D. ſucceſſor D. Strigenizii Wiſmariæ, & Superintendens Altenburgenſis, obiit anno 1595.

Joh. Lonicerus, Mansfeldenſis, Argentorati & Marpurgi docuit, ediditque *Catechesin adverſus indulgentias Tezelii, librum de bona Dei voluntate, deque ſanctorum cultu, & multa Lutheri ſcripta ex vernaculo in Latinum ſermonem convertit.* Adami p. 248. Freher. p. 218. Pantal. p. 236

Elb. Lubinus D. Theologus Roſtochienſis, *commentariis in nonnullas Pauli epiſtolas, tractatu item monoteſſaro ſeu hiſtoria Evangelica J. C. at & phoſphoro de prima cauſa & natura mali*, quem Grawerus oppugnavit, notus.

MART. LUTHERUS, φῶς καὶ ὄμμα ſanioris theologiæ, de quo Wolffgangus Severus, præceptor Ferdinandi I. rectiſſime: Matthes. in Vita. Adami pag. 101. Freher. in Theatr. p. 118. Boiſſard in I. con. p. 210. Seckend. Ind. 3. Hiſt. Luth.

Japeti de gente prior majorque Luthero
Nemo fuit: ſed nec credo futurus erit.

Obiit vir divinus anno ætatis LXIII. anno Chriſti 1546. die Conſtantiæ & Concordiæ: unde omen duxerunt de ſtatim ſubſecuturis bellis & apoſtaſiis. Extant ejus opera luculenta, cum Wittebergæ, tum Jenæ impreſſa, & in plures Tomos digeſta. Hujus megalandri vitam cum variis de eo in papatu ſcriptis conſpurcent *J. Cochlaus, Gretſerus, Tannerus, Lesſius, Lindanus, Florim. Raymundus, Wilh. Damaſi, Surius, Bredembachias, Caſp. Ullenbergius, Cruſerius, Prateolus, Piſtorius, Vetterus, Ungersdorfius, Sartorius, Nic. Janſenius* & alii, quorum plerosque ſubinde allegant *Bzovius & Spondanus*, ipſis mendaciores: viri ſancti famam egregie vindicarunt *Spangenbergius, Heilbronnerus, theologi Tubingenſes, Wittebergenſes & Haſſiaci, Zeamannus, Lalius, & imprimis D. Johannes Müllerus*, paſtor Hamburgenſis, in libro, quem *Lutherum defenſum* vocat. Hi illius natales, vocationem, reformationem, matrimonium, & omnia ejus dicta & facta, contra maledicos vendicant, inque omnibus illis, in quibus à maleſanis diffamatur, ſummam ejus innocentiam fuiſſe demon-

monſtrant, & os calumniatoribus maſcule obturant. *Mendacium* eſt, ab ipſo Cochleo & Spondano notatum, Lutherum eſſe ex incubo natum. Mendacium, cum Catharina à Born, ſua poſtea conjuge, cum ſtupri conſuetudinem ante nuptias habuiſſe. Nam legitime eam ambiit: deſponſatam ſibi in ædibus Amsdorfii, præſente Melanchthone, Crucigero & aliis, conſentientibus parentibus adhuc vivis, per D. Bugenhagium copulari curavit: copulatione manu presbyteri ſine ſtrepitu facta, ne pio operi, quo legitimum matrimonium voto cœlibatus, incogitanter quondam facto, præferebatur, impedimenta ponerentur, poſt octiduum nuptiale epulum dedit amicis, etiam aliunde evocatis, ut eulogia ſolenniter in eorum præſentia fieret. *Mendacium eſt*, cum cacodæmone Lutherum familiaritatem contraxiſſe, & eum ſuæ doctrinæ magiſtrum habuiſſe. Deplorandum eſt, Bzovium & Spondanum, qui affectant nomen hiſtoricorum, i.e. veritatis amantium, hic mendacia & calumnias aliorum pro hiſtoria venditaſſe. Luthero, ut viro Dei, varia fuiſſe certamina cum diabolo tentatore, non negamus: quin potius ex hoc cacodæmonum in illum odio, tanquam certo cauſæ bonæ ſigno, illum à colluſione cum malignantibus ſpiritibus liberamus. Si quis alius, hic divinus vir, variis Satanæ artibus tentatus eſt. Senſit quoque quandoque corporis per deſperatos morbos afflictiones. Senſit animum graviter tentatum: ſed inde ſemper factus robuſtior. Amici, qui adverſus portas inferorum cum eo luctante ex verbo divino depugnarunt, teſtimonium poſtea pientiſſimæ animæ dederunt, quod nulla infernalis vis vim in illo entheam adverſus Babylonem ſpiritualem infringere potuerit: de qua re imprimis conſulantur tomi epiſtolarum Lutheri. Mendacia etiam ſpiſſiſſima de Lutheri morte & ſepultura ſparſa ſunt. Sed illa dudum veritas ad orcum damnavit. Riſit jam ipſe *Tom. VIII. Jen. Germ. pag. 207.* quæ de ſe vivo adhuc, tanquam mortuo, Romæ ſparſa fuerant. Rideamus & nos reliqua mendacia, quibus leoni mortuo à vulpeculis inſulſe inſultatum eſt.

Orat. funebr. *Joach. Lütkemann* D. antea profeſſor in Roſtochiana academia, poſt in ducatu Brunſvicenſi Superintendens, diſſertatione de vero homine innotuit, meus quondam diſcipulus, poſt amicus, vir ingenii acutiſſimi, in flore ætatis obiit anno 1656.

Gulich. ad Boxh. p. 804. *Polyc. Lyſerus* D. Svevus, profeſſor in Academia Wittebergenſi, & generalis deinde Superintendens in ducatu Saxoniæ electorali, vere πολυκαρπότατος, *Harmonia Evangelica, commentario in Geneſin, Danielem &*

Ep. ad

Ep. ad Galatas, harmonia Calvinianorum & Photinianorum, explicatione Chriſtianiſmi, Papiſmi & Calvinianiſmi, methodo concionandi, vindiciis contra Paraeum, clarus. Hic, cum vocatus Brunſvigam in aula id ſignificaſſet, dimiſſus eſt ſvaſu aulicorum, ex inſidiis virus Calvini eccleſiis electoralibus denuo propinantibus. Sed Chriſtiano I. defuncto rediit, & Martino Miro ſuffectus, aulicus Paſtor Dreſdenſis factus, obiit anno 1610. Ejus primus filius, *Polyc. Lyſerus junior* D. in Academia primum Wittebergenſi, deinde profeſſor & Superintendens Lipſiæ, edidit diſputationes de prædeſtinatione: & Colloquio Lipſienſi anno 1631. interfuit. Alter, *Wilhelmus Lyſerus* D. eccleſiæ Torgenſis Superintendens, ac deinceps per XXV. annos Wittebergæ profeſſor, edidit ſummarium theologiæ, trifolium veræ religionis in V.T. diſputationes in evangelia Dominicalia, neceſſariam duarum accuſationum papiſticarum depulſionem, & obiit anno *1649.* ætatis 57. Tertius *Frid. Lyſerus* D. eccleſiæ Eulenburgenſis Superintendens fuit.

Georg. Major D. Noribergenſis, unus ex Wittebergenſibus theologis, ceu vocabantur, Adiaphoricis. In recipiendis adiaphoris ſeu indifferentibus rebus & ceremoniis Cæſari gratificabatur, nec in religione ſatis erat conſtans. Nam præterquam, quod cum Calvinianis colluderet, autor fuit novi in Lutherana eccleſia dogmatis, bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria, ſine quibus nemo unquam poſſit ſalvari. Obiit anno 1574. ætatis 72. paulo ante, quam Crypto-Calviniani Witteberga ejicerentur, ſcriptis alioquin, quæ in *tres Tomos* digeſta ſunt, clarus, ut *Commentariis in omnes Epiſtolas Pauli, & Evangelia atque Epiſtolas Dominicales, teſtamento inofficioſo, libriſque de Trinitate, Juſtificatione, verbo divino, eccleſiæ doctoribus.* In Colloquio Ratisbonenſi fuit fidelis evangelii propugnator. Aperuit primum & rexit Magdeburgenſem ſcholam, à Luthero illuc miſſus. Deinde præfuit eccleſiæ Martisburgenſi, & poſtea Islebienſi: unde rediit ad academiam Wittebergenſem. *Johannes Major*, natus anno 1533. in valle Joachimica, profeſſor item fuit Wittebergenſis, & cum theologia poëſin feliciſſime junxit, & anno 1600. obiit. Alius *Joh. Major* D. noſtro tempore Jenæ inclaruit, & præter alia ſcripta *Acatholicorum regulam credendi* publicavit: contra errorem Majoriſticum de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem poëtice adverſus D. Horneium ſcripſit: diſſertationem de Gal. V, 6. edidit. Obiit octuagenario major, anno 1655. cujus filius jam in patria cathedra celebris eſt.

Adami p. 468. Freher. p 235. Seckend. Ind. 1.

Gulich. p. 798. & 1036.

Joh.

Adami p. 325. Freher p. 256. *Joh. Marbachius* D. natus anno 1521. Lindavienſis, Theologus Argentinenſis, ſucceſſor Hedionis, clarus *ex tractatibus de majeſtate carnis Chriſti: cœna Domini adverſus Sacramentarios & Flacianos: officio Epiſcopi: interiore & exteriore homine & miraculis.* Otto Henricus, Comes Palatinus, eo anno 1556. evocato, Heidelbergæ & in reliquis ſuæ ditionis locis eccleſias ad Argentinenſis Eccleſiæ formam ejus conſiliis diſpoſuit. Poſt quod tempus Marbachius uſque ad annum 1580. ſuperfuit, cum aliis ad concilium Tridentinum miſſus, ſed non admiſſus. Ejus filii fuerunt *Eraſmus & Philippus* Marbachii: *ille* profeſſor Argentinenſis ex *Commentario in Pentateuchum* clarus; *hic* profeſſor Heidelbergenſis, qui *Formulæ Concordiæ ſubſcripſit, proque ea apologiam edidit, & contra Grynæum atque Pezelium ſtrenue depugnavit*, migrare tandem inde à Calvinianis juſſus, & Argentinæ receptus.

Ulricus Mayer, Theologus Lipſienſis celeberrimus de *Hæreſi Novatiana* Diſſertationem edidit. Filius ejus *Joh. Friedericus* Superintendens olim Leiſnicenſis, inde Grimmenſis, poſt Profeſſor Theologiæ in Acad. Wittebergenſi, nunc Kilonienſi, Hamburgi quoque ad D. Jacobi Paſtor primarius & Regi ſimul Sueciæ à Conſil. Eccleſiaſticis. *Muſæo Theologico* nec non *Diſſertationibus Theologicis variis*, aliiſque opuſculis Elenchticis & Homileticis celebratiſſimus. Præter hos *Barthol.* Mayer *Philologia Sacra: David* Mayer *Tranſenna Theologica & Hiſtorica de Papatu Romanenſi: Johannes* Meyer *Synopſi Regni Pontificii*, Tract. *de Differentiis Schiſmatum & Conciliorum in Eccleſia: Tobias* Mayer *Pericopis Evangelicis Anniverſariis, Meditationibus Patrum orthodoxorum in Evangelia Anniverſaria, Locis communibus Theologicis, Collegio Theologico de Prædeſtinatione & Judicio ſine præjudicio de divinationibus ac prædictionibus:* Denique *Gerhardus Theodorus* Meyer *Theologia fidei & Chiliaſmo profligato & Introductione in univerſam Theologiam moralem* innotuere.

Gulich. p. 1025. *Jac. Martini* D. Halberſtadienſis, primum gymnaſii Neidenſis Rector, poſt per XXI. annos Logicæ in Academia Wittebergenſi; & per XXVI. theologiæ profeſſor, præter plures libros philoſophicos, edidit tractatum de tribus Elohim; de perſona Chriſti contra Goslarium: de cauſa peccati per accidens: partitiones theologicas: diſputationes de Meſſia: ſpeculum rationis contra Schillingium in quæſtione de notitia Dei naturali: Anti-Becanum, Anti-Maſſonium. Obiit anno 1649. pene octuage-

octuagenarius. *Lucas Martini* M. ſuperiore ſeculo fuit Superintendens Brunſvicenſis. *Olaus Martini*, archiepiſcopus Upſalienſis, contra *Crypto Calvinianos in Svecia* viriliter voce & ſcriptis depugnavit.

Wolfg. Mamphraſius D. Superintendens Miſnenſis, edidit præter alia *Panoplian ſeu praxin theologicam, methodum de fide & ſacramentis & adiaphoris, Erotemata in F. C. & quatuor viſitatorios articulos, item judicium de ſtatibus controverſiæ Helmſtadii inter D. Dan. Hoffmannum & quatuor philoſophos agitatis.*

Hector Gottfried Maſius, Theologiæ in Regia Haffnienſi Profeſſor celeberrimus, Regiæque Majeſtati à Confeſſionibus & Concionibus ſacris, exactiſſima *Theologiæ Polemicæ ſumma* aliiſque opuſculis Theologicis magnam ſibi in Eccleſia famam peperit.

Johan. Mattheſius natus anno 1504. Rochlicenſis Miſnicus, theologus Adami p. 403.
in Valle Joachimica pientiſſimus & diſertiſſimus, *Sarepta, diluvio, vita Chri-* Fr-her. p. 206.
ſti & Lutheri, commentario in Siraciden, Catechiſmum & epiſtolas Paulinas, Chytr. lib. 21.
aliiſque homiliis & operibus, celeberrimus. Obiit anno 1566. ætatis LXII. pag 557.
De cujus morte Thuanus ſic ſcripſit: *Cum mane concionem de filio viduæ in vitam à morte revocato habuiſſet, & in vita futura ſingulos pios parentibus & amicis ſuis reſtitutum iri, & ſe mutuo agnituros Lutheri exemplo docuiſſet, tribus poſt concionem horis pari fere Lutheri morte ereptus eſt, haud ita ſenex, quippe qui vix LI. annum exceſſiſſet.*

Joh. Matthæi D. Smalcaldenſis, in aula Friderici Palatini primo do- Gulich. p. 1178.
cuit, poſt Ambergæ ſacra obiit. Inde à falſis fratribus ejectus, Cremſam venit. Sed & inde eum Jeſuitæ loco moverunt. Wittebergam ergo profectus, in cathedram theologorum evectus eſt. Ibi cum *ſcriptis Amlingum, Serverſtanum Calviniſtam, oppugnaret, & pro τῷ ῥητῷ Cœnæ acute depugnaret*, ab aulicis Sacramentariis, rem piam indigne ferentibus, ab officio anno 1588. remotus, & XVI. die poſt dimiſſionem ex anthrace mortuus eſt: clarus imprimis ex *tractatu de perſona & communicatione idiomatum, homiliis in Evangelia & Epiſtolas, & quæſtionibus de doctrina Philippi Melanchthonis. Caſparus Matthæi*, Smalcaldienſis, *hæreticorum ſententias & nomina congeſſit in Tabulas.*

Chriſt. Matthiæ D profeſſor primum Altorfinus, nunc Superinten- Idem p. 1084.
dens Dithmarſus, *collegiis Antiphotinianis & tabulis Theologicis, totiusque Theologiæ typicæ delineatione, libriſque de norma & judice controverſiarum, deque adoratione Chriſti ſecundum utramque naturam*, clarus. *Johannes Matthiæ* M. Paſtor Norcopenſis in Oſtrogothia, *manuductionem de diſci-*

plina eccleſiaſtica edidit. *Paul. Matthia D.* fuit epiſcopus Rotſchildenſis, & profeſſor Haffnienſis, & obiit anno 1590.

Caſp. Mauritius, Profeſſor antea Theologiæ in Academia Roſtochienſi, inde paſtor ap. Hamburgenſes, ſummi judicii Theologus, *Exercitationibus Anti-Calvinianis & Anti-Socinianis, Decade Exercitationum in Formulam Concordiæ, Exerc. de Simonia* aliiſque nominis ſui ap. poſteros magnam famam reliquit.

Joh. Mehlſührerus, paſtor primum Onolsbacenſis, deinde Abbas cœnobii Heilbronnenſis, *vindiciis Evangelicis, poſtilla Davidica, commentariis in nonnullas epiſtolas Pauli*, nominis famam nobis commendavit.

Barth. Mejerus, Superintendens olim Caſſellanus in Haſſia. *Eſt alius* ejusdem nominis, ex *diſſertatione de LXX, hebdomadibus & aliis eruditis ſcriptis, ex Hebræorum fonte erutis, & imprimis philologia ſacra celebris*, eccleſiaſtes Lipſienſis.

Orat. funebr. *Joh. Matth. Meyfartus D.* antea Coburgenſis, deinde Erfurtenſis theologus, *Anti-Becano, ſuſcitabulo clericorum, Grawero continuato, Arce Sionis ex fundamentis ſcripturæ exſtructa, abſurdis abſurdorum abſurdiſſimis Jeſuiticis, Elucidario theologico ſeu diſtinctionibus theologicis, Meletematibus theologicis, Academica diſciplina, tractatu de pace concilianda inter Evangelicos, deque cœleſti Jeruſalem*, celeberrimus, Erfurti pie defunctus.

Orat. funebr. *Balth. Meiſnerus D.* Dreſdenſis, ſummo ingenii acumine, profeſſor Wittebergenſis, ex Philoſophia ſobria, Anthropologia ſacra, Chriſtologia, Scholis Academicis, conſultatione contra Leſſium, proba gemina Calviniſtica, murorum Babylonicorum deſtructione & excubiarum depulſione, λογολογία, Schola Babylonica, myſterio pietatis, tractatu de eccleſia, Meditationibus in Evangelia, de Sacramentis, Legibus, Summo Bono, Adiaphoris, Photinianiſmo, celeberrimus, in ætate viridi

Gulich. p. 1353. quadragenarius obiit anno 1627. Filius ejus *Gotfr. Meiſnerus* D. eſt Superintendens Heynenſis. Alius *Joh. Meiſnerus D.* Torgenſis, profeſſor Wittebergenſis, ex diſputationibus nonnullis notus eſt.

Schrad. Tom. 3. p. 141. Freh. p. 183. Seckend. Hiſtor. Luth. Ind. 1. Came. *Phil. Melanchthon*, Palatinus, Brettæ anno 1497. natus, ob eruditionem mature innotuit, & anno ſeculi 1518. ætatis 21. Wittebergam evocatus, linguis, philoſophiæ & theologiæ ſimul docendis feliciſſimam navavit operam, communis Germaniæ præceptor, fidelis Lutheri Achates, ipſo imperatore teſte modeſtiſſimorum conſiliorum: in cujus etiam laudes

laudes fuſe *Thuanus libro XXVI.* digreditur. A Lutheri tamen ſententia in negotio S. cœnæ cœpit occulte primum diſſidere & alienior eſſe: quin &, eo defuncto, caterva hominum de religione male ſentientium domi foriſque totus circumſeptus, minori quam par erat, animo & conſtantia fuit, ita ut ejus autoritate Synergiſtæ & Calviniani abuſi, ingentia in eccleſia bella moverent. Obiit vir, quem vocavit Morlinus, ei alioquin in negotio cœnæ adverſus, ipſiſſimam probitatem; alii Eliſæum Germanicum, anno 1560. ætatis 63. Scripſit *Comm. in Geneſin, Proverbia, aliquot Pſalmos, Matthæum, Johannem, Epiſtolas aliquot Paulinas: & præterea innumera pene opera edidit, quæ in tomos plures digeſta extant.* Georgius Sabinus Brandeburgenſis, nobilis Poëta, & Peucerus medicus & hiſtoricus fuere ejus generi.

rar. in Vita Philippi Melancht. Mayer de nimia Melanch. lenitate. Peucerus de Vita & Morte Melancht.

Arnold. Mengering D. Hallenſis Superintendens, ſcrutinio conſcientiæ catechetico & aliis Germanicis ſcriptis inclaruit.

Juſt. Menius, natus anno 1499. Fuldenſis, fidelis Lutheri in doctrina cœleſti συνεργός, Gothanus primo, deinde Lipſianus eccleſiaſtes, ſcripſit *in duos priores libros Regum & Acta Apoſtolorum.* Scripſit etiam inſtructionem de legitima defenſione contra ſuperiores; quem librum cum legiſſet Ph. Melanchthon, ſuæ cenſuræ ſubmiſſum, delevit: ſed alium de eadem materia ſcripſit, & nomine J. Menii edidit, teſte Hordledero ex Racebergio. Defunctus eſt anno 1557. Alius eſt *Nic. Menius M.* qui *pro omnipræſentia carnis Chriſti* contra diverſum ſentientes ſcripſit in Marchia, & obiit Cuſtrini ſeptuagenarius, anno 1611.

Adami p. 319. Freher. p. 177.

Hier. Menzelius M. Generalis Superintendens Mansfeldenſis comitatus, obiit anno 1590.

Balth. Menzerus D. Haſſus, cum variis ſcriptis maſcule ſe adverſus varios hæreticos defendiſſet, *Exegeſi A. C. Anti-Sadeele, Anti-Martinio, Anti-Steinio, Anti-Piſtorio, Anti-Appelio, Anti-Crocio, aliiſque ſcriptis* celeberrimus, tandem cum Tubingenſibus *in controverſiam de omnipræſentia carnis Chriſti in ſtatu exinanitionis* delapſus, tam pie repetitione ſanæ doctrinæ de Chriſto, & aliis tractatibus, explicuit articulum de tremenda carnis Chriſti majeſtate, ut multas ei debeamus gratias. Obiit in anno climacterico magno, anno 1628. Filius ejus *Balth. Menzerus D.* primum Rintelenſis; poſt Gieſſenſis theologus, jam aulæ Darmſtadienſis eccleſiaſtes, è Reinfeldenſi colloquio innotuit.

Andr. Merckius D. Superintendens Hallenſis poſt Joh. Olearium, & ante D. Mengeringium.

Joh. Michelbach. M. Paſtor aulicus Schaumburgicus, *homilias in librum judicum* edidit.

Melch. Miritius D. monachus apud Magdeburgenſes, mature applauſit veritati evangelicæ, &, patrocinante conſule Nic. Sturmio, curavit ut Lutherus anno 1624. Witteberga evocaretur, & lumen illis evangelii accenderet.

Mart. Mirus C. Voitlandus, profeſſor Jenenſis, & tandem Dresdenſis paſtor aulicus, ex Homiliis notus. Ob. anno 1593. ætatis 63.

Joh. Nicol. Mislerus D. profeſſor Gieſſenſis, ex diſputationibus de eccleſia & ſcriptura in Tomis Gieſſenſium & ſpeculo Anti-Jeſuitico notus.

Georgius Mœbius Rector, ante Martisburgenſis, inde in celebri Academia Lipſienſi Theologiæ Profeſſor, *Tractatu* Philologico-Theologico *de Oraculorum Ethnicorum origine, propagatione & duratione, vindiciis compendii Theologici Hutteriani* adverſ. Wendelinum, & *Diſſertationibus Academicis* varii argumenti Eccleſiæ admodum profuit.

Ant. Moibanus, primus cum Joh. Heſſo Vratislavienſium Reformator & Superintendens, obiit anno 1554.

Thuan. lib. 96. pag. 475. Freher. p. 272. *Henr. Mollerus*, theol. Wittebergenſis, vir in Hebraicis doctiſſimus, qui ſe Calvinianæ parti addixerat, cum aliis academia ejectus, Hamburgi ſedem fixit: natus anno 1530. & denatus anno 1589. *ex erudito commentario in Eſaiam & Pſalmos Davidis, atque Cantilena de paſſione Christi,* in eccleſiis noſtris cantari ſolita, notus. *Vitus Mollerus*, profeſſor Tubingenſis, *de Deitate filii Dei per Lutherum aſſerta* tractatum conſcripſit. *Mart. Müllerus*, paſtor Görlicenſis, *Poſtillam & alia practica ſcripta* eccleſiæ reliquit: quæ multis commendata ſunt, ſed nonnullis ob Calvinianiſmum ſuſpecta. *Sam. Müllerus M. ſpem vanam Papiſticam Petro Cuſemio oppoſuit, & apologia deinde defendit*, Müchlæ paſtor in Thuringia. *Sebaſt. Müllerus*, paſtor Colonienſis in Marchia, *homilias de reſurrectione* edidit. *Joh. Müllerus*, D. paſtor primarius Hamburgenſis, *Judaiſmo, Luthero defenſo, & aliis utiliſſimis ſcriptis innotuit.* *Seb. Müllerus*, concionator electoris Brandeburgenſis aulicus, ex concionibus nonnullis notus.

Heinr. Mollenſis, Viſmariæ anno CIↃ IↃ XXIV. evangelium primus aperuit.

M. Benedictus Morgenſtern, Stolpenſis Pomeranus, primum Thorunenſis paſtor, inde in locum M. Matthæi Vogelii dimiſſi Regiomontum ad paſtoratum Cniphovienſem, poſtea Veteropidanum, evocatus, è ſchiſmate, quod adverſus Heshuſium de abſtracti voce cum aliis movit, notus.

Maxim. Morlinus, natus anno 1516. Wittebergæ, Superintendens Coburgenſis, *ex diſputatione Heidelbergenſi*, anno 1560. adverſus Calvinianos habita, inclaruit. *Joachimus Morlinus*, natus anno 1514. paſtor primum Arnsbergenſis: inde à Senatu ob pium zelum ejectus, profeſſor Regiomontanus in Boruſſia, & paſtor Cniphovienſis conſtitutus eſt. Quo tamen ipſo officio etiam cedere juſſus eſt, fraudibus eorum, qui tranquillitatem eccleſiis Boruſſiæ invidebant, cum Oſiandri erroribus contradiceret. Brunſvicenſes igitur eum ſuis eccleſiis Superintendentem præfecere. Sed poſt quadriennium iterum in Boruſſiam evocatus, & epiſcopus Sambienſis anno 1566 conſtitutus eſt: ubi anno 1571. pie obiit, cum, fruſtra reclamantibus medicis, ſectionem in calculo veſicæ adhibuiſſet: ex *enarratione in pſalmos & homiliis ſacris*, *aliiſque libris* clariſſimus. Filius ejus *M. Hier. Morlinus* in quæſtione de abſtracto factioni Wigandi adverſus Heshuſium adſtitit. Adami p. 455. Freher. p. 224. Chytr. lib. 22. Pag. 605.

Mich. Muelingus M. Superintendens Belzienſis, *ex Iſagoge Chriſtiana* notus.

Mullerus. Vide *Mollerus*.

Seb. Münſterus, Engelheimenſis, profeſſor Heidelbergenſis & Baſilienſis, teſte Thuano, libro XI. Germanus Eſdras & Strabo appellatus, mathematicus, hiſtoricus, theologus, Hebræus egregius: cujus *Dictionarium trilingue*, *Grammatica Hebræa*, *coſmographia*, *Tabulæ Ptolemaicæ & alia monumenta* acre ingenium viri poſteritati produnt. Obiit anno 1552.

Sim. Muſæus D. paſtor primum Gothanus, deinde Superintendens Eisfeldenſis, profeſſor Jenenſis, Superintendens Geravienſis, Coburgenſis, Bremenſis, Brema tandem anno 1562. à Calvinianis ejectus, obiit Mansfeldiæ Decanus anno 1576. notus ex catecheſi & poſtilla. *Job. Muſæus* D. Profeſſor Jenenſis, refutatione rationalis Vedelii, & diſputationibus admodum nervoſis inclaruit. Freher. p. 243.

Andr. Muſculus D Schnebergæ in Miſnia natus, Francofurtanus theologus ad Oderam, Superintendens generalis Marchiæ, A. 1580 obiit, notus *ex compendio doctrinæ Chriſtianæ, tractatu contra neceſſitatem Phyſicæ locationis in corpore Chriſti glorioſo*. Alius eſt *Wolfg. Muſculus*, Lotharingius, in finibus Alſatiæ anno 1493. natus, qui abjecto cucullo Argentorati, & poſt Urbanum Regium, Auguſtæ aliquamdiu docuit: Zwinglii dogma in formula concordiæ Witteberga revocavit: ob turbas Interimiſticas Bernam migravit. Ibi denuo Zwinglii partes tutatus eſt. Obiit anno Pantal. p 363. Seckend. Hiſt. Luth. Ind. 1.

no 1563. & *commentaria doctiſſima reliquit in Geneſin, Pſalterium, Matthæum, Johannem, epiſtolas Pauli: Anticochlæum: Proſcerum nomine Eutychii Myonis editum: libros de Concilio Tridentino, deque diviſione Decalogi.*

Iſr. Murſchelius Anti-Chriſtologiam Argentinæ publicavit.

Freher. p. 124. Sechend. Ind. 1. *Frid. Myconius*, Franciſcanus, Annæbergenſi monaſterio relicto, Vinariæ primo docuit evangelium; deinde Paſtor Gothanus conſtitutus, hiſtoriam F.C. Wittebergenſis conſcripſit, & aliis libris, colloquiis, & legatione in Angliam inclaruit: in qua tamen à rege Henrico VIII. omnia fraude agi deprehendit. Obiit anno 1545. Fuit alius, *Oſwaldus Myconius*, eccleſiaſtes Baſilienſis, ſucceſſor Oecolampadii, qui, cum adverſus Zwinglianos ſeu Sacramentarios cum Luthero faceret, officio abiit, & anno 1552. obiit, multis commentariis celebris.

Gulich. p. 795. *Georg. Mylius D.* Auguſtanus, patre ſabro lignario anno 1548. natus, in patria octennium docuit, generalis tandem ſacri miniſterii ibidem Superintendens. Cum autem Gregorianum Calendarium approbare nollet, à pontificiis currui impoſitus, abducendus erat. Sed liberarunt eum cives, ipſeque Ulmam exulatum abiit. Inde Wittebergam vocatus, in turbulentiſſima incidit tempora, quibus Calvinianiex aula omnia in eccleſiis turbabant. Vocatur Jenam. Tumultuantur Wittebergæ Calviniani. Redit. Nam Chriſtiano I. defuncto, per Fridericum Wilhelmum poſt Hunnii obitum revocatus, fidelem Dei in ſchola Lutheri ſe præſtitit operarium, & Hunnio ſurrogatus, poſt triennium anno 1603. obiit, *commentario in Johannem, nonnullas epiſtolas Pauli & A.C. ut & variis diſputationibus adverſus corruptelas Calvinianorum, & aliis tractatibus clarus.* Fuit alius M. *Georg. Mylius*, profeſſor Regiomontanus, & in cathedrali Cniphovii templo eccleſiaſtes ante D. Myslentam.

Orat. funebr. *Cæleſtinus Myslenta*, Angerburgenſis Boruſſus, D. primum Hebrææ L. poſt theologiæ profeſſor Regiomonti, & paſtor Cniphovianus, celebris diſcuſſione diſquiſitionis Sachſianæ de communicatione idiomatum: Manuali Prutenico: diſſertatione de ſtatu religionis in Pruſſia: diſputationibus in corpus doctrinæ Prutenicum: confeſſione Aguris: tractatu de natura Theologiæ: Movio hæretico: Anticriſi, & aliis ſcriptis contra Latermannum, Behmium & Drejerum, nomine Tripolitani miniſterii Regiomontanî editis, ut & converſatione cum Crocio & Bergio Prutenica. Obiit anno 1653. ætatis 65.

Gulich. ad Schrad. Chronol. p. 799. *Phil. Nicolai D.* Waldeccenſis, anno 1556. natus, theologus Hamburgenſis, plane heroico ſpiritu præditus, *ex libris de fundamento fidei*

Calvi-

Calvinianæ, omnipræſentia carnis Chriſti, vita æterna, & plurimis aliis ſcriptis, in VI. Tomos à Dedekenno collectis, innotuit, in vaticiniis Prophetarum & Apocalypſeos explicandis ſingulari induſtria uſus. Obiit anno 1608.

Melchior Nicolai D. profeſſor Tubingæ, ex ſcriptis de controverſia inter Gieſſenſes & Tubingenſes; Operæ pretio ad manupretium Foreriaum; Nihil non ad rem contra Keddium, celebris.

Chriſtianus Niſanius, Commentario illuſtravit *Evangelium Johannis, Oſtenſionem* quoque divulgavit *Hiſtorico-Theologicam, quod Carolus M. non fuerit Papiſta: Exercitationem* itidem *de fide Infantum,* nec non *Mataeologiam Labadianam.*

Georg. Nigrinus, Niddenſis Superintendens in Haſſia, *Anti Calvinianiſmo, duobus tractatibus de Anti-Chriſto, explicatione Danielis, & Apocalypſeos* notus, obiit anno 1603. *Wilhelm. Nigrinus*, Tractatum edidit de *Legis impletione* & *Aſſertionem Theologicam adverſus Coppenſteinium.*

Chriſtianus Noldius, Philoſophus & Theologus Haffnienſis, *Hiſtoria Idumaea ſive de vita & rebus geſtis Herodum, Concordantiis, particularum Hebræo-Chaldaicarum, nec non legibus diſtinguendi* inclaruit.

Joh. Nordhuſius, paſtor Bonnæ, juſſu Erneſti archiepiſcopi Colonienſis, manibus pedibuſque vinctus & in Rhenum projectus, mirabiliter evaſit anno 1584.

Mart. Oberndorfius, paſtor Mithweidenſis, ſurrogatus D. Chriſtophoro Pezelio Plavienſi, ob Calviniſmum Witteberga remoto.

Paul. Oderbornius M. eccleſiæ Rigenſi cum inſigni laude diu præfuit, ſingularis eruditionis theologus, ex nonnullis homiliis notus.

Joh. Olearius D. Superintendens Hallenſis poſt Juſtum Jonam, contra Calvinianam deſolationis Anhaltinæ & apoſtaſiam D. Peuceri ſcripſit, habuitque antagoniſtas Amlingum & Servetanos: Dan. Hoffmanno paraſtates adverſus Cornelium Martini. Filius ejus unus *Gotofr. Olearius D.* è diaconatu Wittebergenſi ad ephoriam paternam Hallenſem poſt D. Mengeringium profectus, è concionibus quibusdam editis innotuit: alter *Joh. Olearius D.* primum Superintendens Querfurtenſis, jam aulæ Hallenſis concionator, auctario commentariis Paulinis Balduini adjecto, omnibuſque ejusdem operibus editis, ſe commendavit.

Gulich. p. 1171. Idem 1279.

Andr. Oſiander D. Bavarus, natus Gunzenhauſii in marchionatu Brandeburgenſi, quarto à Noriberga milliari, anno 1498. patre Andrea Hoſe-

Chytr. Chron. lib. 17. p. 444.

Pantal. p. 248. Camerar. in Vita Melanchth. VVigand. de Oſiandriſmo.

Hoſeman, fabro, Noribergæ per XXVII. annos concionatorem egit, & anno 1622. primam ibi concionem habuit, ſeque in conventionibus, Auguſtæ & Ratisbonæ habitis, acriter oppoſuit Pontificiis, & egregiam operam *in Harmonia evangelica adornanda, inque variis tractatibus contra tyrannidem papæ & errores Zwinglii editis* navavit, vir multijugæ eruditionis. Tandem propter Interimiſticam formulam repudiatam, anno 1549. pulſus, in Boruſſiam venit, ibique paſtor & Vicepiſcopus in quartum annum fuit. Sed cum anno 1550. de juſtificatione novam ſpargeret doctrinam, theologorum animadverſionem incurrit, & paulo poſt anno 1552. epilepſia mortuus eſt. Ejus filius, *Lucas Oſiander D.* aulæ Würtenbergicæ; poſt Eslingenſium Paſtor, *ex Enchiridiis controverſiarum, Epitome hiſtoriæ eccleſiaſticæ, inſtitutione Chriſtianæ religionis, & Commentariis in univerſa Biblia* ſe commendavit, anno 1604. defunctus. *Nepotes etiam, Lucæ filii, Andreas & Lucas,* ſe eccleſiæ ſacraverunt. Et *ille* quidem Tubingæ, poſtquam *ex annotationibus ſuccinctis in univerſa Biblia, diſputationibus in librum Concordiæ, & Papa non Papa*, majorem de ſe ſpem fecerat, anno 1617. obiit. *Hic* ibidem ex *controverſia, adverſus Mentzerum & Arndium mota*, innotuit.

Guli.h. ad Tabb Schard. pag. 788.

Idem p. 830.

Joh. Adam Oſiander, Theologiæ Profeſſor in Tubingenſi primarius, Academiæque Cancellarius, *Primitiis Evangelicis XIV. Faſciculis exhibitis, Typo Legis Naturæ & Moralis, Diſpoſitionibus in Catech. Lutheri nec non Würtebergicum, Theologia Morali & Caſuali, Syſtemate Theologico ad Haſenrefferum & Hülſemannum, Collegio Theologico ad Auguſtanam Confeſſionem, Commentariis in Pentateuchum, librum Joſuæ & Ruth, Diſſertationibus de Sabbatho. Obſervationibus maximam partem Theologicis ad Hugonem Grotium de Jure belli & pacis, Specimine Janſeniſmi aliisque* opuſculis æternam ſibi apud poſteros nominis gloriam peperit.

Caſp. Pafradius D. theologus Helmſtadienſis, *commentario de prædicationibus Sacramentalibus, libero arbitrio & prædeſtinatione* inclaruit.

Petrus Palladius, epiſcopus Roſchildiæ in Dania, vir multæ eruditionis & magni zeli, *libro de Pœnitentia, Commentario in Geneſin atque Threnos, & Enarrationibus Geneſeos & Evangeliorum Dominicalium* notus, quas ex ore Lutheri exceptas publici juris fecit.

And. Pancratius M. primum Ambergenſis Paſtor: poſt Superintendens in Voitlandia, *ex homiliis variis & methodo concionandi* notus. Natus Wonſidelii ad Fichtelbergum, obiit anno 1578.

Joh.

Joh. Pappus D. Lindovienſis, inſignis Argentinenſium athleta *adverſus Joh. Sturmium*, Rectorem Academiæ, Rhetorem Calvinianorum, & ob turbas datas tandem ab officio remotum, obiit an. 1610. natus anno 1548. *ſcholis in prophetas, ſynodico libello, diſputationibus in A. C. & F. C. parvis Bibliis ſeu ſynopſi Biblica, hypotypoſi doctrinæ Chriſtianæ, homiliis Academicis in Epiſtolas & Evangelia, tractatu contra Bellarminum, epitome hiſtoriæ Eccleſiaſticæ omniumque regum & prophetarum populi Judaici, ut & Germaniæ veteris deſcriptione clarus.* Gulich. ad Chron. Boxh. pag. 805.

Joh. Parſimonius, Auguſtanus, bis patria ob interimiſticum librum pulſus, tandem diaconus Tubingæ & Abbas Hirſaugienſis, obiit anno 1558.

Nic. Paſcha M. paſtor Caunenſis, refutatione Joach. Wendlandii, Calviniani paſtoris Wildenſis, innotuit.

Petr. Patiens, Superintendens in Palatinatu, obiit anno 1580.

Sim. Pauli D. Sverinenſis, theologus Roſtochienſis, ex *homiliis & methodis doctrinæ clarus*, obiit anno 1591. Freher. p. 284.

Chriſtoph. Pelargus D. Sileſius, Superintendens Marchiæ generalis, theologus Francofurtanus ad Oderam, *à lectione Patrum commendatiſſimus, & commentario in Pentateuchum, Matthæum, Johannem, Acta, Judam, Damaſcenum: Evangelicis quæſtionibus: Idea locorum communium; Schola item fidei, Candido non Candido, Bibliotheca Theologica, novo Jeſuitiſmo, aliisque libris celeberrimus*, primum noſter, deinde Calvinianorum, ita tamen, ut aliquando amicis ipſe dicere cogeretur, ſe nobis ſordere, ſuis non placere. Gulich. p. 918. Simon. Gedicus in Pelargo Apoſtata.

Hier. Periſterius, præco primum Ratisbonæ; deinde gymnaſii Græzenſis in Styria Rector, tandem Paſtor Graffwerdenſis, quater pro nomine Chriſti in exilium ejectus.

Laur. Petri M. & *Olaus Petri* M. fratres Nericii in Svecia, Lutheri diſcipuli, primi fuerunt in regno Sveciæ expurgatores fermenti pontificii, & voce atque ſcriptis variis pro veritate depugnaverunt. *Ille* quidem poſt Johannem Magnum ad archiepiſcopatum Upſalienſem evectus, translatione *Bibliorum in linguam Svecicam, Poſtilla Evangeliorum, dialogis de Ceremoniis Eccleſiæ utilibus*, cœtui piorum profuit, & imprimis ſuam beneficentiam liberali ſtipendio, quo quandoque quinquaginta Studioſos alere conſuevit, commendavit. *Hic* autem, ex Secretario Holmenſi paſtor Holmenſis factus, animoſe cum Petro Gallio, theologiæ apud Upſalienſes Doctore, pro veritate bis congreſſus, perſuaſit patriæ & regi

fidem orthodoxam, eamque adverſus monachos variis ſcriptis defendit.

Fridericus Petri de fide phantaſtica ſupra cœlos evolante, & reſponſione pro libello Chemnitii adverſus Danæum, & Neſtorianiſmo Calvinianorum ſe nobis commendavit.

Adami p. 463. Freher. p. 232. Fecht. cap. 4. p. 132. *Joh. Pfeffinger D.* Bavarus, natus anno 1494. ex ſacrificulo primus Lipſienſium paſtor factus, in tuenda religione adverſus Interimiſticas argutias non ſatis conſtans, ſcripſit *de miniſterio & Adiaphoris*, *item librum conſolatorium & hiſtoriam Jeſu Chriſti*, obiitque anno 1573.

Joh. Jac. Pfeiffius & Dan. Pfeiffius, Stetinenſes, fratres: *ille* Holmiæ in Svecorum; *hic* Haffniæ in Danorum metropoli paſtores eccleſiarum Germanicarum: viri doctiſſimi: uterque mihi quondam inter diſcipulos notæ longè optimæ; uterque jam inter amicos longe cariſſimos: quorum alter diſſertatione *de unione myſtica Chriſti & fidelium*, Argentorati impreſſa, jam anno 1648. innotuit.

Auguſtus Pfeiffer, Lauenburgenſis, Profeſſor primum Linguar. Oriental. in Acad Wittebergenſi, Paſtor quoque Miſenenſis ad templum Afræ ſacrum & Lector in Schola ibidem illuſtri, inde Paſtor & Profeſſor ap. Lipſienſes, demum Superintendens Lubecenſis, *Faſciculo Diſſertationum Philologicarum* de Talmude Judæorum & Alcorano, *Exercitationibus Biblicis*, *Dubiis Vexatis* ſ. locis difficilioribus V. T. ſuccinctè enodatis, *Critica Sacra*, ſ. de codicis ſacri partitione, editionibus variis, textib. Orig. & Interp. *Hermeneutica ſacra* ſ. de Interpretatione legitima ſacrarum literarum, *Antiquitatibus Ebraicis ſelectis*, *Actione rei amotæ* adv. Papam, de Calice Laicis erepto, perpetuam celeberrimi nominis famam ſibi acquiſivit.

Petr. Philippi D. paſtor eccleſiæ cathedralis Halberſtadienſis, *actione miniſterii Tripolitani Halberſtadienſis principatus contra Latermannum* notus.

Moſ. Pflaccherus D. Paſtor Kemptenſis, *analyſi Typica librorum V. & N. T. & Commentario in epiſtolas Dominicales notus.* Obiit anno 1589.

Joh. Piſtorius, natus anno 1502. Superintendens Haſſiæ Niddanus, *ex plurimis colloquiis* notus. Cujus filius ὁμώνυμος, profeſſione medicus, ad Calvinianiſmum primo, deinde ad Papatum inclinavit.

Gulich. p. 807. *Petr. Piſcator D.* Profeſſor Jenenſis, linguarum orientalium cognitione & *Commentario in A. C. atque F. C. deque S. Scriptura* illuſtris: ſcripſit adver-

adverſus verſionem Biblicam *Joh. Piſcatoris Herbornenſis*. Francofurti ad Oderam inter profeſſores theologiæ notus fuit *Joach. Piſcator*.

Corn. Wolfg. Plazius D. lucum ſucciſum errorum Pontificiorum per CXIV. controverſos fidei articulos, Catholicam inquiſitionem de doctrina in Papatu, aliosque libellos practicos edidit.

Georg. à Polentis, nobilis Miſnicus, epiſcopus Sambienſis, ab anno 1520. ſuperſtitiones Miſſæ miſſas fecit, & eccleſias Prutenicas reformavit. Obiit anno 1558.

Sam. Pomarius L. apud Berolinenſes in Marchia cordatus orthodoxias aſſertor & confeſſor, oſor fallacis ſyncretiſmi & colluſionis cum Zwinglianis: cujus *conſideratio Poſtulati Keddiani* extat. Orat. funebr.

Luc. Pollio, paſtor Vratiſlavienſis, *homiliis de vita æterna* clarus, obiit anno 1585. Poſt eum *Joach. Pollio*, itidem paſtor Vratiſlavienſis, *ex homiliis nonnullis & conſiliorum Theologicorum Centuriis* inclaruit. Adami p. 348. Freher. p. 256

Joh. Polyander D. paſtor veteroppidanus Regiomonti, fidelis P. Sperati in convertendis eccleſiis Prutenicis συναγωνιστής, cum eodem interfuit *colloquio Razenburgenſi cum anabaptiſtis, Eccelio, & Taukero anno 1532, habito.*

Pomeranus. Vid. *Bugenhagius.*

Conr. Porta, Eislebienſis, ſcripto egregio, quod *Paſtorale* vocat, clarus, obiit anno 1585.

Joh. Heinr. Poſewitz, Paſtor Ermslebienſis, Philoſophus & Theologus doctiſſimus nobiliori utique ſparta dignus, *Theologia Scholaſtica, & Tractatu Philoſophico-Theologico, in quo principia Philoſophica explicantur & controverſiis Theologicis applicantur*, aliiſque eruditiſſimis ſcriptis nomen ſuum æternitati ſacravit.

Andr. Pouchenius, Superintendens Lubecenſis, *à perſonato Palmario*, jurato illo F. C. hoſte, quem confutavit, notus. Alius *Andr. Pouchenius D.* fuit paſtor Kniphofianus Regiomonti ante M. Mylium.

Abd. Godeſc. Prætorius, Marchicus, natus anno 1524. Rector Scholæ Magdeburgenſis, officio ſuo ob turbas theologicas abiens, Francofurti primum, deinde Wittebergæ, otio literario indulſit, & anno 1573. obiit: vir in linguis variis politiſſimus. Cui adde *Petr. Prætorium*, Cotbuſianum, Profeſſorem Wittebergenſem, poſtmodum Dantiſcanum, qui *de Trinitate & de duabus naturis in Chriſto librum, & explicationem in CXIX. Pſalmum adverſus traductores edidit. Joach. Prætorius M.* Lünæburgenſis, Adami p. 464 Freher. p. 231.

 eccle-

eccleſiaſtes fuit Stetinenſis ad D. Mariæ & Profeſſor in Pædagogio, Hebrææ linguæ peritiſſimus, ſocer & Præceptor meus dilectiſſimus. Obiit anno 1633.

Andr. Prolæus M. Præpoſitus & Paſtor Stolpenſis in Pomerania, edidit *Mataeologiam Socinianam*, *Machometologiam*, *Babylonem & nuptias Sionis*.

Andreas Prücknerus, Paſtor & Gymnaſii Svinfurtenſis Profeſſor, Philoſophus & Theologus acutiſſimus, *Commentarium* edidit in *omnes libros Veteris & Novi Teſtamenti*, quo loca ab Heterodoxis ad confirmationem antitheſeos detorta vindicat; *Mille* item *Quæſtiones practicas* è pleriſque Theologis excerptas, qui de caſibus conſcientiæ luci quicquam tradidere.

Erh. Queis, nobilis Boruſſus, epiſcopus in Boruſſia Pomezanienſis ab anno 1523. per ſexennium, qui cum Polentio, epiſcopo Sambienſi, anno 1525. *ordinationem ceremoniarum eccleſiaſticarum* edidit, & ſucceſſores habuit Speratum, Draconitem, Venetum, Wigandum, Heshuſium.

Joh. Andr. Quenſtedt D. Profeſſor theologiæ extraordinarius, edidit *dialogum de Patria virorum illuſtrium*, & *teſtamentum Davidicum*.

Gulich. p. 1011. *Joh. Quiſtorpius* D. Roſtochienſis, in patria academia celebris theologus & Superintendens, edidit *annotationes in omnes libros Biblicos*, *commentarios analyticos in pleraſque Pauli epiſtolas*, & *tractatum de peccato originali*. Collegæ ejus in profeſſione theologica ultimis temporibus erant *Joach. Cothmannus* D. & *Elias Taddelius* M. nunc eccleſiæ Lutheranæ apud Amſtælodamenſes paſtor. Poſt eum in eadem academia operas conferunt *Joh. G. Dorſchæus* D. Argentina evocatus: *Herm. Schuckmannus* D. à theologia compendioſa didactica & elenchtica clarus: *Caſp. Mauritius* D. qui edidit πρῶτον ψεῦδος Socini, & diſputationes Anti-Calvinianas: *Joh. Quiſtorpius* junior, ſenioris filius: *Auguſtus Varenius* D. qui commentarium in Pentateuchum variis diſputationibus feliciter cœpit: *Dan. Michaelis* D. jam ante quadriennium mortuus: *Joh. Chriſtoph. Otto D. Mich. Cobabus D. Bernhardus Goſman D.* (Idem p. 1093.)

Lud. Rabus, D. paſtor Argentinenſis & Ulmenſis, *ex hiſtoria martyrum* celebris.

Cajus Tiburtius Rango, Rector primum Gymnaſii Berolinenſis, inde Paſtor apud Sedinenſes, nunc vero in Orientali Pomerania Eccleſiarum

ſiarum Regi Sveciæ ſubjacentium Superintendens generalis, *Hiſtoriam Syncretiſticam* quam edidit, multo locupletiorem editurus perhibetur; plurimis quoque jam aliis ſcriptis ap. eruditos celebritatem nominis dudum adeptus.

Jacobus Raupius magno labore è plurimis plurimorum præcipue vero ſcriptis Gerhardinis collegit *Bibliothecam* quam vocat *Portatilem*, in qua continetur Syſtema integrum Theologiæ Theoreticæ tribus libris digeſtum, quorum primus exhibet Lexicon Theologicum: Secundus Locos Theologicos: tertius commentarium in univerſa Biblia. Acceſſit deinde Syſtema quoque Theologiæ practicæ &c.

Joh. Rechtenbach, D. Salzenſis, primum in Weiſſenfeld, poſt Mansfeldicus Superintendens, *σκιαγραφίαν Biblicam generalem, ut & analyſin A. C. & F. C. & quinquefolium* edidit.

Urb. Regius, ad lacum Brigantinum in Helvetia natus, Eccii diſcipulus, ipſis Maximiliani imperatoris manibus poëta & orator Ingolſtadii coronatus. Illo loco primum profeſſorem egit: poſt ab Eccio, qui Lutherum cœpit oppugnare, diſſentiens, Auguſtæ Vindelicorum, Eccleſiæ gubernandæ curam ſuſcepit, & Lutheri doctrinæ, qua oppugnabatur profanatio nominis divini, approbatæ per totam Sveviam viam ſtravit. Hinc grave cum Eccio ſubiit certamen: cui etſi transfuga & ingratus videbatur diſcipulus, ipſe tamen non tam ſibi cum Eccio controverſiam eſſe, quam veritatis ſuſceptum patrocinium, putabat, & in comitiis Auguſtanis anno 1630. operam ſuam, volente ita Erneſto. Duce Brunſvicenſium & Lüneburgenſium, eccleſiis Lüneburgicis addixit, earumque Superintendens factus, in repurgando fermento doctrinæ ſtrenuum egit operarium, & in variis conventibus & ſynodis, quæ habebantur *Wormatiæ, Smalkaldiæ, Haganoæ*, ſuam fidem Chriſto probavit. *Extant ejus opera Latina in duos Tomos diſpoſita, ut & Germanica uno volumine*, ex quibus elegans ingenium & acrimonia judicii vere theologici cuivis facile pateſcit. Et memorabile eſt, quod uxorem habuerit Hebraice doctam, *quacum quodnam colloquium habuerit de Meſſiæ requiſitis, quæ omnia in Jeſu Nazareno inventa ſint*, ipſe conſignavit. Obiit anno 1541. Sagittar. in Memorab. Luneb. p. 37. ſeq. Fecht p 171.

Balth. Rhaw, Licentiatus, primum Profeſſor Gryphiswaldenſis, poſtea Superintendens urbanus Stralſundenſis, *papatum ex Conciliis denudatum & Angelum tenebrarum apud reformatos ſe lucis Angelum ſimulantem, & comment. in Danielem* edidit. Gulich. p 783.

Jac. Reihingius, D. Auguſtanus, celebris primum inter Jeſuitas, & ſeductor Palatini Neoburgici, deinde abjecta pontificia religione orthodoxiam amplexus, Tubingam conceſſit, & ſua ipſius ſcripta heterodoxa, ut & Foreri, & aliorum quondam complicum, non ſine inſigni teſtimonio candoris refutavit. Obijt anno 1624.

Joh. Reinboth D. Superintendens ducatus Holſatiæ, *doctis ſcriptis contra Keddium* nomen meruit.

Jac. Reineccius M. paſtor Hamburgenſis, ex *panoplia ſeu armatura theologica: clave theologiæ: ortu, exitu & artificio diſputandi Calvinianorum, juſtoque tribunali Chriſti*, notus.

Ambr. Rendenius D. Profeſſor Jenenſis, *aliquot contra Pontificios tractatibus* innotuit.

Dav. Reutzius M. ducum Pomeraniæ à concionibus per XXXII. annos, Superintendens Pomeraniæ ulterioris per annos XVI. ſocer meus venerandus, *doctiſſimis in epiſtolas anniverſarias homiliis & aliis tractatibus practicis* clarus.

Paulus à Rhoda M. Saxo Quedlenburgenſis, Stetinum à Luthero miſſus, primum Pomeraniæ ulterioris Superintendens, vir conſtantiſſimi animi & eloquii ſingularis. Obiit ſeptuagenarius anno 1563.

Zach. Rivander D. ex lupo excoriato, libro de Calvinianorum proprietatibus, Commentario in Eſai LIII. & manuali μελλογαμῶν notus.

Johannes Rivius, edidit Librum *de fiducia ſalutis propter Chriſtum*; alium quoque *de perpetuo in terris gaudio piorum*; iterum libros tres *de vita & moribus Chriſtianorum*, denique & libellum *de officio paſtorali*, noviſſime recuſum, dignum certe qui ab omnibus clericis legatur; ſed quæ præcipiuntur in illo, probe quoque ab iis obſerventur.

Gulich. p. 1051. *Paul. Röberus D.* Wurzenſis, concionator primum aulicus apud Hallenſes, poſt Superintendens & Profeſſor Wittebergenſis ex *variis Diſputationibus & Homiliis notus.* Obiit anno 1651. ætatis 64.

Georg. Rörerus ſeu *Rorarius*, primus ritu apoſtolico ſacris anno 1525. initiatus, *Lutheri Tomos in ordinem digeſſit*, ex Dania ad opus illud à Johanne Friderico electore evocatus. Obiit Jenæ anno 1557.

Orat. funebr. *Georg. Roſtius*, concionator aulicus in Mechlenburgia, *Anti-Crocio, Antiwrigelio, Commentario in Threnos & Epiſtolam Judæ, Schola precationis, variisque homiliis* eccleſiæ inſerviit: alius *à Nic. Roſtio*, qui fuit Superintendens Chemnicenſis, & *librum abſolutorium* edidit.

Henr.

Henr. Rothe M. Paſtor Islebienſis, doctas edidit *homilias in Catechiſmum & Siraciden.* Idem p. 1043.

Joh. Rothmalerus D. Superintendens Schwartzburgicus, *diſputatione contra D. Hornejum de neceſſitate bonorum operum* innotuit.

Ern. Rüdinger, Papæbergenſis, excellens philoſophus & theologus Wittebergæ, obiit anno 1591.

Kilian. Rudrauff, Philoſophus atque Theologus Gieſſenſis, *Philoſophia Theologica* jam recognita & aucta, *Protheoria Theologica* de Natura & Conſtitutione Theologiæ, de Religione & Symbolis Oecumenicis, *Archontologia* ſ. doctrina de Sacra ſcriptura principio fidei reali, *Quadriga*, & viciſſim *Triga Diſſertationum* Academicarum, pluribusque aliis ejus generis ſcriptis Eccleſiæ perquam utilem operam præſtitit.

Joh. Fried. Ruelius publico bono edidit *Tractatum Hiſtorico-Chronologicum de Conciliis Oecumenicis; nec non Conciliorum & Colloquiorum illuſtrium omnium Tomos quatuor; deſcriptionem denique Religionis Gentium circa feſta.*

Jac. Rungius D. Stargardienſis, natus anno 1527. Superintendens Pomeraniæ citerioris, obiit anno 1595. profeſſor XLVII. annorum. Cujus duo filii paternam virtutem cum ſanguine obtinuerunt. *Fridericus* enim, aulicus Erneſti Ludovici ducis Pomeranorum concionator, poſt paſtor collegiatæ Eccleſiæ Stetinenſis, & profeſſor in illuſtri Pædagogio, tandem patri in officio Superintendentis Gryphiswaldiæ ſucceſſit: *David* vero, Profeſſor primum Gryphiswaldenſis, deinde per IX. annos Wittebergenſis, *egregiis ſcriptis, & imprimis Commentario in Geneſin, Exodum, Epiſtolas ad Romanos & Corinthios,* celeberrimus. Interfuit colloquio Ratisbonenſi, & ſucceſſor D. Davidi Chytræo evocatus, non ire, ſed Wittebergæ mori debuit, anno 1604. ætatis 40. *Andreas Rungius*, Jacobi frater, itidem fuit profeſſor Gryphiswaldenſis & paſtor Jacobæus anno 1527. Fecht. p. 90.

Sigfr. Saccus D. Northauſenſis, natus anno 1527. primum Magdeburgi in collegiata eccleſia Lutheranus Paſtor, anno 1566. conſtitutus; *ex homiliis & defenſione fiduciæ contra dubitationem Pontificiam* cognitus. Obiit anno 1596. apoplecticus.

Sagittarius. Vid. *Schütze.*

Henr. Salmuth D. alias *Beringerus* dictus, Superintendens Lipſienſis poſt Pfeffingerum, doctrinæ & methodi Philippi inſignis amator, pluribus Freher. p. 241.

bus homiliis nomen prodidit, natus anno 1522. defunctus anno 1576. Filius ejus *Job. Salmuth* Lic. erat Paſtor Ambergenſis.

Herm. Samſonius M. Paſtor Rigenſis, voce & ſcriptis inſerviens ſuis Livonis, *ex Anti Jeſuita, Poſtilla Evangelica, enchiridio articulorum fidei, Syntagmate hiſtoriæ paſſionis, homiliis de cœna clarus.*

Adami p. 325. Freher. p. 181. *Er. Sarcerius*, Annæbergenſis Miſnicus, variis in ſcholis docuit, Lubecæ, Roſtochii, Viennæ, Græciæ: poſt in comitatu Naſſaviæ, Lipſiæ & Islebii evangelium explicuit. Tandem Magdeburgum evocatus eſt, ubi IV. tantum concionibus habitis, anno 1559. ex calculo obiit. Scripſit *commentaria in Siraciden, IV. evangelia, Acta & epiſtolas, poſtillam evangelicam, methodum in præcipuos locos Scripturæ, Dialogum de Synodis, Examen, Media de conſervanda vera religione, Librum de conſenſu eccleſiæ veræ & patrum, deque conjugio & divortio.* In Miſnicis Chronicis Albini hoc ei datur teſtimonium: *Lucebant in hoc viro commemorabilis gravitas & conſtantia. Non minas, non exilia, non ullam ullius hominis potentiam, aut vim pertimeſcebat. Dixerim, ſolem facilius de curſu dimoveri potuiſſe, quam Eraſmum à veritatis profeſſione. Vitam agebat caſte & integre: oderat luxum: tempeſtive de convivio domum redibat. Amabat ſimplicitatem. Execrabatur ſophiſticam, & laborum erat tolerantiſſimus. Eccleſias XXIV. comitatuum conſtituerat, & juxta reformatam religionem ordinaverat. Concionator erat diſertus, copioſus & gravis, aculeos in animis eruditorum relinquens.*

Caſp. Sauterus M. Superintendens Herrenbergenſis & Hanavienſis; poſtea Paſtor Auguſtanus primarius, *Apodixi pro divina majeſtate filii hominis, commentario in Joelem, homiliis & aliis ſcriptis clarus.* Obiit anno 1604.

Gulich. p. 1900. *Joh. Saubertus* M. Paſtor Noribergenſis: *præter Biblia, doctis ſummariis adornata, Anti-Smalzium, Examen Melanchthonis, Miracula A. C. contra Nibuſium, curſum Simeonis, præſervativum ſpirituale, poſteritati conſecravit.* Ejus eſt epiſtola illa egregia, qua, ſub nomine Juſti Baræi Antverpiani, ad Abrahamum Scultetum, majeſtas omnipræſentiæ, carni Chriſti communicata, docte aſſeritur.

Val. Schachtius D. Profeſſor Roſtochienſis, *declarationem verborum Cœnæ* edidit, ſucceſſor D. Simonis Pauli.

Mich. Schaeferus, aulæ Würtenbergenſis eccleſiaſtes, *ἀχρόπολιν Chriſtianæ religionis de ſummis fidei articulis, & aliquot homilias* publicavit.

Joh.

Joh. Scharfius D. primum Logicæ & Metaphyſicæ; poſtea theologiæ profeſſor Wittebergæ, *præter varia ſcripta philoſophica, collegiis de perſona Chriſti & de prædeſtinatione, ut & exercitationibus Anti Calvinianis & diſputationibus contra D. Calixtum* ſe commendavit: annum nunc agens LXIII. Orat. funebr.

Frid. Scheningius M. Stetinenſis, primum Præpoſitus in Pomerania Garzenſis, deinde Dantiſci eccleſiaſtes, in certaminibus, quæ theologis orthodoxis apud Dantiſcanos adverſus Calvinianos obeunda ſunt, ore & calamo athleta à plurimis jam annis ſtrenuus. *Georg. Scheningius* Præpoſitus Jacobshag. in Pom. de præſentia relativa & de cœna ſcripſit contra Grunovium.

Joh. Schelhammerus M. Poſtillam Weigelii confutavit.

Sig. Schererzius, Superintendens Lüneburgenſis, *Manuale communicantium, pœnitentium & lugentium* edidit. *Ern. Schererzius* erat paſtor primum Primislav.; deinde Stetini Jacobæus.

Joh. Ad. Scherzerus, Egranus, Theologus quondam Lipſienſis primarius plurimis ſcriptis Elenchticis celebris, qualia ſunt: *Bibliotheca Pontificia, Anti Bellarminus, Collegium Anti-Socinianum, Syſtema, nec non Breviculus Theologiæ, Commentarius quoque ad Breviarium extenſum Hülſemanni, Volumen Diſſertationum Academicarum, Heptas de catholico qt. fidei & Eccleſiæ tribuitur; Programmata denique Academica.*

Zach. Schilterus D. profeſſor Lipſienſis, ephorus atque Vice-Cancellarius academiæ contra Calvinianos conſtitutus, *exegeſin Catecheſeos, defenſionem libri Concordiæ, commentarium in Haggæum, & librum de poteſtate Calviniſtarum* edidit, & obiit anno 1604.

Conr. Schlüſſelburgius D. Schaumburgenſis Saxo, diaconus primum Löbicenſis Regiomonti, paſtor deinde Wiſmarienſis, Antverpienſis, Stralſundenſis, *ex hæreſiologia, theologia Calviniſtarum, deciſione quæſtionum Theologicarum, Poſtilla evangelica* illuſtris: Wittebergæ olim ob impugnationem Calvinianiſmi cum Alb. Schirmero, anno 1567. cum adhuc juvenis eſſet, carceri mandatus. Gulich. p. 839.

Johannes Schmidius, Theologus Argentoratenſis, plurimis ſcriptis Homileticis celebris, è quibus præcipua ſunt Zelus Pietatis, eifrige Ubung der wahren Gottſeligkeit / Aſylum Afflictorum, betrübter Hertzen einige Zuflucht aus dem 90 Pſalm. Libellus Repudii, Abſag-Brieff GOttes an alle unbußfertige Sünder. Außgang

Hhh hh aus

aus Sodom / Regenten-Spiegel / Göttliche Friedens-Condition, Sechszehen Predigten von Allmoſen ꝛc.

Sebaſtianus Schmidius. itidem Theologus Argentoratenſis, plurimis in ſacram Scripturam Commentariis erudito orbi notiſſimus, edidit præter hos Tractatum de Imagine Dei, de Paſchate & Circumciſione. de Principiis ſeu fundamentis Præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, Collationem ſcripturæ Sacræ & Pontificis Romani, Collegium Biblicum, Compendium & Aphoriſmos Theologicos, Diſſertationem de Sabbatho δευτεροπρώτῳ, Prælectiones in Formulam Concordiæ & infinita alia. Quia autem paſſim ab editoribus hæc ſcripta corrupta & adulterata ſunt, illis ſolum plurimum adhibendum eſt fidei, quæ Argentorati vivo adhuc autore edita fuere.

Val. Schmuck D theologus & Superintendens Lipſienſis, *Biblico Chronico, homiliis in libros Moſis & aliis tractatibus* celebris.

Orat. funebr. *Joh. Schröderus*, Profeſſor Altorfenſis ac theologus & eccleſiaſtes Noribergenſis, acutiſſimis libris *de Eutychianiſmo, Neſtorianiſmo, Calvinianorum principio theologico, Throno regali, & ſceptro regali contra Bermannum Calvinianum, apodixi de donis increatis carni communicatis, faſciculo controverſiarum, problemate philoſophico theologico de communicatione proprii, pugillo aſcetico, erotematibus Catecheticis, judice controverſiarum, libro de Imaginibus*, celeberrimus.

Joh. Schroppius, Abbas Maulbrunnenſis, acta œcumenici concilii habiti ſuper controverſia de cœna *Domini* edidit.

Chriſtoph. Schultetus D. Paſtor Stetini ad D. Jacobi, *coronis feralibus, analyſi typica Jobi & aliis homiliis* clarus. Obiit anno 1649.

Joh. Balth. Schuppius D. primum eloquentiæ & hiſtoriarum profeſſor Marpurgenſis; jam paſtor Hamburgenſis, *diſputationem contra Bertium ad pontificios digreſſum* edidit.

Joh. Schütze, alias *Sagittarius*, Hallenſis, D. profeſſor & cancellarius Academiæ Wittebergenſis. Obiit anno 1584. ætatis 53. Alius *Joh. Schütze*, paſtor Rhüſtedenſis L. cauſas anno 1579. promulgavit, quare in partes Calvinianorum non ſit ſecedendum. *M. Chriſtian. Sagittarius*, concionator electoris Saxoniæ Auguſti, quia in aula delirii Sacramentarii ſemina propalam ſparſerat, abrogato illi docendi munere, in domum ſuam toto vitæ tempore eſt concluſus.

Seb.

Seb. Schwanius M. olim Lubecenſis diaconus ad D. Mariæ, poſtea paſtor Oldendorpienſis, ſcriptis aliquot pietatem hominum excitare laudabiliter conatus.

Sal Schweiggerus, Wurtenbergicus, paſtor Nurnbergenſis, *Itinere Orientali & Hodeporico, quod de illo edidit, ut & Alcorano in Germanicam linguam verſo clarus.* In juventute legati Cæſarei, Joachimi à Sinzendorff, ad aulam Ottomannicam, aulicus concionator fuit.

Nic. Selneccerus D. Lipſienſis Theologus, acerrimus Pontificiorum & Calvinianorum oppugnator, inter primarios F.C. autores referendus, *Pædagogiam Chriſtianam, homilias, recitationes de libro concordiæ & Commentaria in Geneſin, Prophetas, Pſalmos, Johannem, Acta, & Epiſtolas, alioſque libros*, qui extant in IV. Tomos digeſti, edidit. Natus in agro Norico in oppido Hersbruk anno 1532. concionator primum aulicus Dreſdenſis, deinde paſtor Jenenſis, tandem Superintendens Lipſienſis. Per Crypto-Calvinianos anno 1590. Lipſia ejectus, & Hildeshemii receptus, brevi poſt à Frid. Wilhelmo, electoratus adminiſtratore, non tantum ad priſtinum officium, ſed & ad opus viſitationis revocatus, obiit anno 1592. Adami p. 663. Freher. p. 286.

Arſac. Schofer, in Würtenbergico ducatu, anno 1539. ſcripſit *enarrationes evangeliorum Dominicalium.*

Chriſtoph. Ludv. Schwarzenau, Theologus Haſſus, ſingulari cura & induſtria ex optimis Theologis diſtinctiones Theologicas collegit, & ſingulis theſibus quæ ad eas explicandas faciunt, in illo Theologiæ Syſtemate ſubjecit, additis ſimul autoribus, unde illæ excerptæ fuerint.

Joh. Chriſtoph. Seldius Superintendens primum Hilperhuſenſis, deinde Coburgenſis, Profeſſor quoque in Illuſtri illo Gymnaſio, Præceptor meus dilectiſſimus, doctiſſimis ſcriptis æternam famam meruit, qualia ſunt, *Anti-Marcellus, Exercitationes Anti-Marcellianæ, Topica Marcelliana*, ſc. contra Marcellum Jeſuitam Bambergenſem, *Topica Calviniana*, & *Scrutinium Articulorum fundamentalium fidei.*

Andreas Sennertus, Linguar. Oriental. in Acad. Wittebergenſi Profeſſor celeberrimus edidit *Epiſtolam Johannis Syriace ſcriptam cum verſione latina, Pſalmum primum Davidis Notis Theologico Philologicis illuſtratum, Notas & exercitationes in Pſalmos pœnitentiales, Symbolum item Apoſtolicum variis notis illuſtratum, Exercitationem*

Theologicam de Articulis fidei fundamentalibus, Exercitationum Triadem, quibus Theologia Anthropologia & Chriſtologia continetur, Scrutinium religionum &c.

Adam Siberus, Sabbatho puerili ſ. Rudimentis doctrinæ Chriſtianæ, *Lemmatis & Notis in Pſalterium Davidis, Commentariolo in Paſſionem Chriſti*, nec non *in Pſalmos Pœnitentiales* innotuit.

Iſ. Silberſchlag. D. commentarium edidit de Antichriſto, & aſſertionem de reali corporis Chriſti præſentia in cœna, ut & explicationem evangeliorum Dominicalium. Superintendens primum fuit Halberſtadienſis; deinde Erfurtenſis. Pater ejus *Georg. Silberſchlag* fuit eccleſiaſtes Erfurtenſis.

Joh. Georg. Sigwardus D. theologus Tubingenſis, *contra Irenicum Paræi animoſe ſcripſit, & diſputationes pro A. C. edidit.*

Michaël Siricius, Profeſſor ante Theologiæ in Academia Gieſſenſi celeberrimus, inde Superintendens Lubecenſis, amicus quondam meus integerrimus plurimis ſcriptis nomen ſuum æternitati conſecravit, quorum ſeq. Syllabum exhibeo: *Acta Colloquii Gieſſenſis inter Petrum Haberkornium & Jeſuitam Johannem Roſenthal. Cauſa Dei & Scripturæ ſacræ contra Hæreticas impugnationes Joh. Scheffleri, Tractatus de ſucceſſione Eccleſiaſtica, Simonis Magi pravitates, Diſcurſus de Lachrymis Chriſti, de Ebione & Ebionitis recentioribus, Uxor una ex jure Naturæ & divino, è moribus antiquis & conſtitutionibus Imperatorum eruta, Decas Diſputationum Theologicarum, Idolum Papale, Animæ poſt mortem immortalitas, Episcopus* δευτερόγαμος *an & quatenus hic ordine ſacro & clericatus admittatur &c.*

Chriſtian. Sleidanus D. theologus Roſtochienſis, poſt Paſtor Sleſvicenſis, *de articulis fidei, & imprimis Chriſto* θεανθρώπῳ, *deque Deo trinuno & Chriſto binuno, ut & de conſecratione Euchariſtiæ eruditos libros publicavit.*

. *Chriſtoph. Sleupnerus* D. Drumſdorffenſis in Marchia ſuperiore, Paſtor primum in Styria, hinc apud Hildesheimenſes & Eislebienſes docuit, tandem Superintendens in Marchionatu Brandeburgenſi ſuperiori Bereytenſi, *Harmoniam V. T. & Epiſtol evangelicam, ut & methodum quadruplicem concionandi edidit.* Ejus avus, *Dominicus Sleupnerus*, primus præco evangelii fuit apud Noribergenſes.

Joach.

Joach. Sluterus anno 1523. prima evangelii ſemina Roſtochii ſparſit. Severinus Sluterus *antitheſin Philanthropia divina & Miſanthropia Calviniana, & alia contra Calvinianos* edidit.

Erhard. Snepfius, Heilbronnæ natus anno 1495. primum Wimpinenſis eccleſiaſtes, inter illos, qui *ſyngramma Suevicum adverſus* Oecolampadium conſcripſerunt. Tubinga, quo poſtea venerat, ob Interreligionem pulſus, Jenæ factus Superintendens, *nobilem commentarium in Pſalmos* edidit, & obiit anno 1558. Stigelius de Lutheri, Philippi & Snepfii morte hæc meditatus eſt: Adami p. 310. Freher. p. 177. Seckend. Ind. I

Occubuit ſancti Conſtantia morte Lutheri.
Deficiens obiit moriente Melanchthone Candor.
Atque omnis periit tecum Concordia, Snepfi.

Filius ejus Theod. Snepfius, D. Theologus Tubingenſis, ex ſcholiis in vaticinia Eſaiæ & Jonæ, variiſque homiliis clarus, obiit anno 1586.

Georg. Spalatinus M. natus anno 1482. aulicus concionator Electoris Saxoniæ, & paſtor Aldenburgicus: deinde Superintendens Miſnenſis, inſignis Lutheri amicus, ex *hiſtoria renaſcentis evangelii clarus, Chronici libri autor.* Obiit anno 1545. ætatis 63. Freher. p. 118.

Joh. Spangenbergius, Hardeſianus, Paſtor Northuſanus & Superintendens Mansfeldicus, piis ſcriptis, & imprimis *Pſalterio elegiaco carmine reddito, Catechiſmo Lutheri explicato: evangeliis Dominicis expoſitis, ut & Margarita Theologica, & tractatu de Matrimonio, variiſque homiliis* ſe commendavit, natus anno 1484. denatus 1550. Ejus filius Cyriacus D. natus anno 1528. itidem Mansfeldicus. tandem ob Flacianiſmum, vel potius, quia Interimiſtis & adiaphoriſtis cedere nolebat, abiit exulatum, & Argentorati anno 1604. ætatis 76. obiit. Extant ejus *Tabula in Biblia, Interpretationes Epiſtolarum Paulinarum, Catechiſmi & Pſalmorum, Cithara Lutheri, Chronologia, Annales Saxoniæ & Mansfeldiæ, Commentarius de Nobilitate, Hiſtoria Manichæorum, & plures Homiliæ.* Pantal. p. 29. Seckend. Ind. I.

Paul. Speratus, nobilis Svevus, ex familia Sprettorum. natus anno 1484. ingenio & eloquentia admirabili, qui Auguſtæ, Herbipoli, Salisburgi, Viennæ, Iglaviæ in Moravia, intrepide. ſub initiis prædicati evangelii, abuſus pontificios taxavit, & è carcere tetro, in quem conjectus fuerat divinitus elapſus Wittebergam ad Lutherum, & inde in Boruſſiam ab illo miſſus, concionatorem primo aulicum egit, deinde per Seckend. l. c.

XXIV. annos epiſcopatum Pomezanienſem adminiſtravit poſt Erfurdum Qveis. Obiit anno 1554. *Odis nonnullis eccleſiaſticis, & conſtantiſſimæ veritatis adverſus fidei inquiſitores confeſſione Viennæ edita, libelloque de cruce* clarus. De quo vide Ludov. Rabum libro IV. hiſtor. Martyr. cap. XVI.

Theophilus Spizelius Theologus Auguſtanus, edidit *Veterem Academiam Jeſu Chriſti iconibus illuſtratam* ſ. imagines vitasque primitivæ Eccleſiæ Doctorum, *Templum honoris reſeratum* ſ. ævi hujus Theologorum & Philologorum imagines & Elogia, *Conſiderationem corporis glorioſi*, Epiſtolam quoque *de Atheiſmo eradicando.*

Thomas Stegerus, eccleſiaſtes Lipſienſis erudito *Tract. de Probabilitate* novo Jeſuitarum & Moraliſtarum dogmate inclaruit.

Orat. funebr. *Joſ. Stegmannus D. Photinianiſmi confutatione, Icone Chriſtognoſiæ, aſſertione veri Chriſtianiſmi, tractatu de unione fidelium, hyperaſpiſte de uſu terminorum philoſophicorum in Theologia, & libello precationum, in Academia Rintelenſi immortalitatem nominis quæſiit.*

Georg. Stampelius M. primum profeſſor Francofurtanus, deinde Superintendens Lübecenſis, *præter tabulam Coſmographicam, Rhetoricam, Hiſtoriam, Scholaſticam, & delineationem Chronologicam, edidit Hymnos Davidicos, vaticinium Jacobi de Schiloh, Pſalmos pœnitentiales, Hypotypoſin Theologiæ, & Conciones Catecheticas.*

Pantal. p. 42. Biſmarck in Vits. Freher. p. 102. *Joh. Staupitius*, Vicarius provincialis Auguſtinianorum per Germaniam: tandem abbas Salisburgi: eques Miſnicus, inſignis Lutheri patronus. Obiit anno 1524.

Joh. Steuberus D. profeſſor Marpurgenſis, è *diſputationibus nonnullis* cognitus.

Thuan. l. 41. pag. 448. *Mich. Stifelius*, Eislingenſis, arithmeticus & theologus inſignis, obiit anno 1567.

Henr. Stolo, profeſſor & concionator Heidelbergenſis, quem in docendo proxime ad Lutherum acceſſiſſe, nonnemo dixit, obiit anno 1567.

Jac. Stockerus M. Vinarienſis, eccleſiaſtes Jenenſis, & poſtea paſtor Eislebienſis, *Homilias edidit in Proverbia & Siraciden, ut & Analyſin Biblicam, & Elenchum Catecheticum Antipapiſticum.*

Orat. funebr. *Æg. Strauch* D. Wittebergenſis, eccleſiæ Oſſitienſis, poſtea Dresdenſis Superintendens, & protoſynedrii aſſeſſor, *homiliis nonnullis* clarus. Ejus filius ejusd. plane nominis profeſſor Wittebergenſis primo

primo Mathematum, inde Theologiæ profeſſor, poſt Paſtor Dantiſcanus Primarius ibidemque Gymnaſii Rector *Definitionibus Theologicis*, *Conſenſu Repetito* & adverſus Fried. Ulricum Calixtum maſcule vindicato, nec non *Homiliis Dominicalibus* magnam ſibi ap. poſteritatem nominis gloriam peperit.

Joh. Streitberger, Lutheri genuinus diſcipulus, Naumburgi primum, deinde Brunſvigæ evangelium docuit, tandem in patria Paſtor & Superintendens Culmbacenſis. *Aurel. Streitberger* D. fuit Superintendens Voitlandenſis, mortuus anno 1612.

Victorin. Strigelius, Svevus, natus 1525. theologus Jenenſis, Lipſienſis, & tandem Heidelbergenſis: in religione minus ſincerus, & ex certamine cum Flacio Illyrico notus, Synergiſtis tandem & partibus Zwinglii addictior. Obiit anno 1569. ætatis 49. *commentariis in præcipuos libros Biblicos*, *Poſtilla & Enchiridio Theologico clarus.* Adami p. 417. Freher. 217.

Carolus Ludovicus Stromayer, Paſtor Eccleſiæ Ulmenſis, celeberrimus, *Dialyſi* frivolarum Frider. Ulrici Calixti *Reſponſionum* ad *Theſes Abrahami Calovii Anti-Syncretiſticas* adornata, nec non aliquot Homiliis plurimum Eccleſiæ profuit.

Georg. Strigenizius, Superintendens Jenenſis & Miſnenſis, homiliis plurimis notus. Obiit anno 1603.

Joh. Strumpfius D. Poſtillam allegoricam & Commentarium in Epiſtolam Judæ edidit.

Wenc. Sturmius M. Dreſdenſis, Superintendens Bitterfeldenſis *Promptuario exemplorum* clarus. Obiit anno 1589.

Chriſtoph. Stymmelius D. Francofurti ad Oderam anno 1525. natus, Croſſena, ubi Paſtor fuit, Stetinum ad collegiatam eccleſiam & profeſſionem in pædagogio illuſtri vocatus, & Vice-Superintendens Pomeraniæ ulterioris conſtitutus, vir in utriuſque linguæ elegantia doctiſſimus, & animi moderatiſſimi, fideique ſinceræ adverſus Crypto-Calvinianos, Stetini varia molientes, & *Tractatu de miraculis*, & *homiliis de S. Cœna* clarus. Anno 1566. evocatus eſt Martisburgum ab Auguſto electore; ſed ſubſequente anno Stetinum rediit, ubi tamdiu locus in gratiam ejus vacarat. Obiit anno 1588. primæ meæ uxoris avus. Hoc monumentum ei erexerunt:

En eques, en auriga tuæ, Pomerania, gentis,
Et veræ fidei miles & arma jacent.
Vir pius & conſtans, & apertus in arte docendi:
Ferreus in vero dogmate murus erat.

Sim.

Fecht p. 58. *Sim. Sulzerus* D. Helvetius, diſcipulus Lutheri conſtantiſſimus, qui nunquam in Calvinianiſmum induci potuit, licet undique eius aſſeclis circumſeptus. Præfuit primo eccleſiæ Bernati, deinde Baſilienſi, obiitque anno 1585. *Vertit Acta Synodi Bernenſis Latine, & collegit theſaurum L. C. ex ſacris & profanis.*

Gulich. p. 912. *Paul. & Joh. Tarnovii* D. Roſtochienſes Theologi: quorum *ille* libro *de Miniſterio, Trinitate, Conjugio, & Commentario in Johannem; hic Commentariis in Prophetas minores, Pſalmos pœnitentiales & Threnos, Biblicis item exercitationibus ſe poſteritati commendavit*, & anno 1603. obiit.

Joh. Taufrerus D. theologus Argentinenſis, *eruditis diſputationibus contra Piſcatorem de prædeſtinatione celebris.*

Joh. Teclerus D. paſtor eccleſiæ Cotbuſianæ, ab eloquio gratiſſimus auditoribus.

Henn. Tegetmeierus, Superintendens Gottingenſis, *Analyſin Pſalterii & XII. Prophetarum minorum* edidit.

Joh. Thalmannus D. edidit *amorem crucifixum ſeu commentarium in Canticum Canticorum.*

Theob. Thamerus professor Marpurgenſis, ob. anno 1568.

Theodoricus. Vide *Dietericus.*

Orat. funebr. *Theod. Thummius* D. Theologus Tubingenſis, *ex controverſia de majeſtate carnis Chriſti in ſtatu exinanitionis adverſus Mentzerum, variis ampliſſimisque poſitionibus de pleriſque fidei articulis controverſis, Sculteto Iconoclaſte, πολυλογομία Calvinianorum, impietate Photinianorum, notus*, & ob Antichriſtum in Papatu notatum arreſto Cæſaris aliquamdiu innexus.

Joh. Thurzo, epiſcopus Vratislavienſis, primus Epiſcoporum renaſcenti evangelio anno 1520. favit.

Nathan Tileſius, Hirſchbergenſis Sileſius, Superintendens Militianus, *homilias nuptiales, parentales, Dominicales* edidit. Obiit anno 1565.

Gerhardus Titius, Theologus in Academia Julia *Animadverſionibus in Motiva Landgravii Haſſiæ* nomine ab Adriano & Petro de Walenburch conſignata, *Exercitationibus Academicis*, quibus pleraque dogmata inter Pontificios & Proteſtantes controverſa excutiuntur, *Vindicatione Auguſtanæ Confeſſionis* contra judicium Bellarmini, *Oſtenſione ſummaria errorum pontificiorum* & *Caſtigatione*

Viti

Viti Erbermani Animadverſionum in oſtenſionem illam ſummariam, *Pila Sophiſtica de judice controverſiarum in negotio fidei contra fratres de Walenburch* &c. gratam Eccleſiæ operam præſtitit.

Adam Tribechovius, Theologus Gothanus *Exercitationes de Theologia Scholaſtica*, & alias *ad Baronii Annales* ubi Iſaacus Caſaubonus deſiit, in lucem emiſit.

Joh. Henr. Tonſor D. Marpurgenſis profeſſor, *diſputationes de ſana baptiſmi doctrina* edidit.

Primus Truberus D. Slavonicus, *in Linguam Slavonicam varios noſtratium libros convertit*, & poſt varia pericula exantlata anno 1586. pie obdormivit.

Joh. Tungerlarius M. paſtor Ziecherenſis in Neomarchia, *tabulis Evangeliorum & epiſtolarum Dominicalium analyticis* innotuit.

Auguſtus Varenius, Theologus Roſtochienſis, *Exegeſi Auguſtanæ Confeſſionis*, *Breviario Theologico*, *Cidariglorioſa Meſſiæ* ſ. de ejus officiis & *exaltatione*, *Trifolio ſacro de primogenitis*, *primitiis & decimis*, *Decadibus Moſaicis in priores libros Pentateuchi*, *Collegio Canonico*, aliiſque opuſculis innotuit. Extat quoque *Heinrici Varenii brevis conſideratio Admonitionis Georgii Roſtii ſuper controverſia Arndiana*.

Elias Vejel, Superintendens Ulmenſis Fautor & Amicus meus optimus, *Exercitatione Hiſtorico, Theologica de Eccleſia Græcanica hodierna*, Leoni Allatio potiſſimum, P. Arcudio & B. Nihuſio oppoſita, nec non *defenſione illius Exercitationis*, *S. Auguſtino veri falſique in capitalioribus, quæ nobis cum Pontificiis doctoribus intercedunt controverſiis Indice fideli & Violeto Davidico Auguſtiniano* magnam apud doctos nominis gloriam conſecutus eſt.

Georg. Venetus D. nobilis Boruſſus, ab Oſiandriſtis expulſus, Superintendens Pomeraniæ Epiſcopalis, & Paſtor Colbergenſis primus, tandem epiſcopus Pomezanienſis in Boruſſia, *explicationibus in epiſtolam ad Romanos* notus. Cui in officio Superintendentis Epiſcopalis in ulteriore Pomerania ordine ſucceſſerunt *M. Petrus Eddeling. M. Adam Hamel. D. Immanuel König. D. Chriſtianus Groß.*

Petr. Paul. Vergerius, Epiſcopus Juſtinopolitanus, legatus Pontificius per Germaniam, refutaturus veritatem, ut Cardinalatus dignitatem aſſequeretur, veritatis vi victus reſipuit, & ex Italia profugiens, exemplo Fr. Spiræ apoſtatæ, horrendum de ſalute deſperantis, confirmatus,

Sleidan. lib. 21. pag. 650. Adami p. 116. Freher. p. 206.

tus, ad noſtram religionem totus tranſiit, & in Rhætia & Valle Telina aliquot annis docuit. Inde Tubingam evocatus, *ſcripſit adverſus Idolum Lauretanum: de perſecutione contra Evangelium in urbe Juſtinopolitana: contra Johannem della Caſa, Sodomiæ patronum: duos Catechiſmos: de matrimonio miniſtrorum Eccleſiæ: contra varios ſuperſtitioſos Romanenſium libros: de Baptiſmo: de Miſſa.* Frater ejus, *Joh. Bapt. Vergerius*, Dolæ Epiſcopus, cum eandem pietatem præ ſe ferret, veneno mox ſublatus creditur.

Thom. Venatorius, Eccleſiaſtes Noribergenſis, cum collegis egregiam *Epiſtolam de Juſtificatione adverſus Robertum de Mosham edidit.*

Henr. Victor, theologus Marpurgenſis, anno 1580. defunctus, ſucceſſorem habuit Nicol. Rhodingum. *Hier. Victor*, item Marpurgenſis, & poſt Gieſſenſis Profeſſor & Superintendens, *variis ſcriptis pro A. C. depugnavit*, & anno 1609. obiit. *Zacharias Victor M.* antitheſes Calvinianis Weſſalienſibus oppoſuit.

Vitus Theodoricus. Vide *Dieterich.*

Thuan. lib. 36. p. 351. Schrad. Tom. 4. Rer. Germ. p. 44. *Joh. Ungnadius Sonnekius*, cum antea Styriæ & Carinthiæ ſub Ferdinando præfuiſſet, religionis cauſa patriam reliquit, & hoſpitio Chriſtophori ducis Würtenbergici uſus, Biblia & aliquot *theologorum ſcripta in linguam Turcicam & Croaticam immenſis ſumtibus, dicente Thuano libro XXXVI. converti curavit:* mortuus anno 1565. Quo ipſo etiam anno in Lithuania obiit *Nic. Radzevil*, Olivæ Dux & Palatinus Vilnenſis, qui *Biblia in Lithuanicam linguam* transferri curavit.

Adami p. 660. Frehes. p. 285. *Matth. Vogelius*, Noribergenſis, in patria primum docuit. Inde ob Interreligionem pulſus, Regiomontum venit. Hinc quoque ob diſſidia Oſiandrica ejectus, in Ducatu Würtenbergico abbas Albersbachenſis factus, *theſaurum theologicum, opus prægrande, abſolvit*, & anno 1591. obiit.

Fecht. p. 205. Biſmarck in Vita Adami p. 633. Freher. p. 272. *Joh. Voitus*, electoris Saxoniæ Johannis concionator aulicus, cujus filius *Dav. Voitus D.* Paſtor Wittebergenſis fuit. illinc Jenam evocatus. Jenam autem ex Boruſſia venerat. Obiit anno 1589. ætatis 60. Illius *commentarius in epiſtolam ad Romanos & homiliæ aliquot mihi innotuere.*

Biſm. in Vita. *Joh. Georg. Volckmarus*, Voitlandus, profeſſor Wittebergenſis, vir ſummæ ſpei, in optimo ætatis flore anno 1576. defunctus.

Maxim.

Mavius Volſchovius D. antea profeſſor Matheſeos Gryphiswaldiæ, variis in ea documentis editis, abiit Demminum ad præpoſituram: inde in ſoceri D. Bartholdi Krakevicii, Superintendentis generalis, locum revocatus, nonnullis practicis libris nomen meruit. Poſt eum Gryphiswaldiæ operam conferunt in theologicis *Joh. Beringius* D. Vice-Superintendens, Paſtor Marianus: *Abraham Battus* D. paſtor Jacobæus: *Joh. Michaelis* D. *Joh. Frider. König*. D. ſuperiore anno in Mechlenburgiam ad Superintend. Razeburgenſem evocatus: *Dan. Lagus* D. *Joach. Rhaw* M. ſucceſſor M. Barth. Wildii in templo Mariano: *Nic. Alberti* M. ſucceſſor M. Wendii in Nicolaitano. In vicino Stralſundio membra presbyterii nunc temporis ſunt ad D. Nicolai *Balth. Rhaw Lic.* Superintendens urbanus, *Theodorus von Eſſen* & *Zach. Rothmannus M.*; ad D. Jacobi *Joh. Henr. Friedliebius* D. & *Ludovicus Piel.* M. ad D. Mariæ, *Albertus Sleidanus* M. & *Joh. Heidenthal* M. ad D. Johannis *Joh. Martinus Mejer* M. ad Spiritus S. *Paulus Piel.*

Joh. Heinr. Urſinus, Rector primum Gymnaſii Spirenſis, inde Superintendens Roſtochienſis plurimis iisdemque doctiſſimis ſcriptis nominis ſui gloriam Eccleſiæ commendatam reliquit, inter quæ eminent, *Analectorum Volumina duo*, in quibus variæ obſervationes Biblicæ Theologicæ, Philologicæ & Hiſtoricæ. *Paſſionale quadruplex*, Hiſtoricum nempe Propheticū, Typicum & Symbolicum. *Arboretum Biblicum*, quo Arbores & Frutices in ſ. literis occurrentes Notis Philologicis & Theologicis exponuntur atque illuſtrantur. *Parallela Evangelica*, quibus Evangelicæ Periochæ per annum ex omnibus Biblicis Veteris & Novi Teſtamenti ſcriptoribus nova Methodo enucleantur. *Eccleſiaſtes* ſ. de ſacris concionibus libri tres, cum paradigmatibus ſacrarum concionum, juxta diverſas tractandi Methodos. *Regula fidei Chriſtianæ Catholicæ* & *Commentarius de Eccleſiarum Germanicarum origine atque progreſſu.* Alius quidam *Otto Urſinus Faſciculo Quæſtionum in Theologia vexatarum innotuit.*

Caſp. Wagnerus M. Paſtor Micro-Pragæ in Bohemia, *ex theſauro ſermonum theologicorum, Idea ſeu diſpoſitionibus Evangeliorum & Epiſtolarum Dominicalium, aliiſque homiliis innotuit.*

Bernh. Waldſchmidt M. theologus Francofurtanus ad Mœnum, *ex diverſis ſcriptis nuperis adverſus vertiginoſum Keddium notus*: qui Jeſuita arenam turpiter deſeruit, in qua XII. poſtulatis ſophiſticis thraſonice Gulich. p. 1148

provocaverat orthodoxos. Ad illa cum inter alios ego etiam inſurrexiſſem, & vano homini alia XII. poſtulata ſolvenda propoſuiſſem, ille cum ſocienis magis mutus, quam piſcis, ſiluit. Si inter tot famoſos Jeſuitas vir eſt, pro Keddio, jam, ut audio, defuncto, prodeat, & XII. illa mea poſtulata ſolvat, & papam ejusque eccleſiam, à tyrannide, cujus reus eſt factus, liberet. Solutionem poſtulatorum meorum, illuſtris *Erhardus Ferdinandus, comes Truchſes de Wetzhauſen*, poſt apoſtaſiam ſuam à me monitus, promiſit: ſed nihil in quartum jam annum, neque à Keddio, neque ab ipſo, quarta jam paraneſi ex perdita Babylone à me revocato præſtitum: quod publice hic in poſteritatis gratiam notandum duxi.

Michaël Waltherus, Norimbergenſis eccleſiarum Lüneburgenſium Superintendens generalis, *Harmonia Biblica* & *Officina Biblica, Centuria & Quadragena Miſcellaneorum Theologicorum, Spongia Moſaica* ſ. Pentateucho à plurimis Heterodoxorum corruptelis repurgato, *Spicilegio controverſiarum*, de nominibus Dei Jehovah & Elohim, *Diſſertatione Theologica de Immortalitate animarum*, utiliſſimam Eccleſiæ operam præſtitit.

Joh. Weberus D. aulicus Concionator Gleichenſis, *diſquiſitiones Philoſophico-Theologicas Goclenio oppoſuit, & tractatum de prædeſtinatione adverſus Keckium, deque S. Cœna, Monotriaden item Gerſonicam, Elenchum contra Lampadium pro Philippo Nicolai, & alia ſcripſit.* *Anan. Weberus* D. primum Lipſienſis profeſſor, jam Superintendens Vratislavienſis, *diſputationibus de LXX. ſeptimanis Danielis & aliis* ſcriptis notus. *Chriſtian. Weberus* D. Paſtor Hallenſis, *tractatibus de conſiſtorio, jure patronatus, & introductione epiſcopali celebris.* Alius *Weberus* D. Superintendens Ohrdurffenſis, *conſiderationem Stifelianiſmi & Pſeudo-Chriſtum ocreatum contra fanaticum Eſ. Stifelium* edidit.

Orat. funebr.

Georg. Weinrichius D. Superintendens Lipſienſis, *commentariis in aliquot epiſtolas Pauli & homiliis celebris.* Obiit anno 1617.

Freher. p. 234.

Hier. Wellerus D. nobilis Miſnicus, ex familia Molsdorfiorum natus anno 1499. theologus admodum conſtans & heroicus, Superintendens Fribergenſis in Miſnia, *Poſtilla, Commentario in Hiobum, libros Samuelis & Regum, Epiſtolam ad Epheſios, Philippenſes & Theſſalonicenſes, ut & Petrinam, tractatu de officio Eccleſiaſtico, modo concionandi, ſcriptis contra Calvinianos & explicatione evangeliorum Dominicalium & libello conſolatorio*

rio clarus, obiit apopleéticus anno 1573. ætatis 74. Compacta & edita ſunt ejus ſcripta in *Tomos*, *ſub titulo analectorum Welleranorum*. In ſpeculo nobilium à Nicolao Selneccero magnam laudem meruit. *Jacobus Wellerus* D. primum Hebrææ linguæ & theologiæ profeſſor Wittebergenſis, poſtea Superintendens Brunſvicenſis, nunc electori Saxoniæ à concionibus aulicis primariis & conſiliis eccleſiaſticis, meritis in eccleſiam præclaris: inclaruit *diſputationibus philologicis variis*, *commentario de nominibus divinis*, *in Pſalmos quoſdam*, *in Eſ. LIII. Anti-Maſſonio*, *tractatu de Sanctitate Dei contra Calvinianos*, *& in epiſtolam ad Romanos*, *tractatibus Germanicis contra Calixtum de Trinitate*, *adeoque de deitate Meſſiæ & Spiritus Sancti in V. T. cognita*, *hodegetico & abſterſione*, *ut & homiliis funebribus*, *de conſcientia & aliis*.

Andr. Wencelius D professor & Superintendens Marchicus, *ex homiliis Catecheticis & Speculo pœnitentiæ* notus.

Joh. Weſenbecius D. Ulmenſium eccleſiarum Superintendens, *eruditis homiliis Epiſtolam ad Romanos illuſtravit*.

Jacob. Weſtphalus, Paſtor Hamburgenſis, ſcriptis animoſis contra Zwinglianos celeberrimus, obiit anno 1574. *Joah. Weſtphalus* M. Superintendens erat Roſtochienſis: de quo memorabile eſt, quod, teſte in programmate Quiſtorpio, ſucceſſore ejus in officio Superintendentis, anno demum ætatis XV. legere cœperit, & intra quinquennium tantum profecerit, ut academicis lectionibus poſſet intereſſe. Adami p. 197. Seckend. in Luther. lib. 1. §. 139. p. 245.

Fr. Widebramus D. profeſſor & Superintendens Wittebergenſis, ob Calvinianiſmum cum aliis dimiſſus, obiit Heidelbergæ anno 1584. ætatis 53. Adami p. 603.

Joh. Wigandus D. Mansfeldenſis, unus ex centuriatoribus Magdeburgenſibus, in patria primum Mansfeldiæ docuit, deinde Magdeburgum in locum Nic. Galli evocatus eſt. Hinc Jenæ ſacras literas in nova academia eſt profeſſus. Unde à Stœſſelio apoſtata cum Illyrico ejectus, Wiſmariæ Superintendens conſtitutus eſt. Vocatus iterum Jenam, iterum eſt dimiſſus. Subſtitit poſtea in ducatu Brunſvicenſi, & adornandis ſcholis duci Julio conſilia ſubminiſtravit. Poſt epiſcopatum Pomezanienſem obtinuit, ut &, ejecto per turbas ob vocabulum abſtracti Heshuſio, adminiſtrationem Epiſcopatus Samlandienſis, obiitque anno 1587. Poſt ejus obitum epiſcopi amplius non ſunt in Boruſſia conſtituti: ſed res eccleſiaſticæ per conſiſtoria & aſſeſſores adminiſtratæ. Extant erudita ejus opera, *ut Syntagma corporis doctrinæ*, *commen-* Freher. p. 270. Thuan. lib. 88. p. 308.

tarius in Eſaiam, Danielem, & præcipuas Pauli epiſtolas, ut & tractatus de amneſtia: de Stancariſmo: de Manichaiſmo: de Schwenckfeldianiſmo: de Oſiandriſmo: de Anabaptiſmo: de Sacramentiſmo: de Ubiquitate: de perſecutione piorum.

Dav. Wilmannus D. Stargardianus, à Sub-Rectoratu Pædagogii Stetinenſis ad Profeſſionem theologicam evocatus in AcademiamGryphiswaldenſem.

Adami in Vit. Philoſ. p. 640. *Jacob. Wimphelingius* Lic. profeſſor Heidelbergenſis, deinde Spirenſis presbyter: ſcripſit contra monachorum ſui temporis improbitatem, & citatus Romam, evaſit tyrannidem papæ: mortuus octuagenarius Sleetſtedii in patria anno 1530.

Orat. funebr. *Joh. Winckelmannus D.* concionator primum aulicus Caſſellanus, deinde profeſſor Marpurgenſis, in locum Æg. Hunnii Wittebergam evocati ſuffectus, poſt Gieſſæ Profeſſor. Unde iterum Marpurgum, poſtquam confeſſioni Auguſtanæ illa Academia reddita erat, rediit, *commentario in Prophetas minores, nonnullas Apoſtolicas Epiſtolas, Apocalypſin, A. C. & Evangelia Dominicalia, libro item de Cœna adminiſtratione ſub utraque & diſputationibus in tomis Gieſſenſium* clarus, obiit anno 1627.

Hier. Wittichius, paſtor eccleſiæ Brigenſis in Sileſia, à doctrina & liberalitate in egenos quondam admodum commendatus.

Joh. Wolderus, M. Stolpenſis, *analyſin Joëlis, Jonæ, Evangeliorum & Epiſtolarum Dominicalium, ut & ſynopſin Hæreſiologiæ, ac compendium theologiæ* edidit.

Chriſtophorus Wolfflinius, edidit *Exercitationes Theologicas de Lapſu Adami, Exercitationes ſacras de obligatione credendi in Chriſtum, Diſſertationem de Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum* ex Matth. XI, 21. *Vindicias veritatis Evangelicæ adverſus Jeſuitas Jaurinenſes, Exercitationes* denique *Academicas in VII. priora Capita Johannis Evangeliſtæ.*

Daniel Wülfferus Noribergenſis *Exercitatione quadam de propoſitione, Deus eſt paſſus, utrum verbalis, an realis ſit?* innotuit.

Nic. Zapfius D. Superintendens Vinarienſis, contra fanaticum quoddam *ſcriptum Germanicum* Wächterhörnlein *ſcripſit, & diſputationes nonnullas* edidit.

Orat. funebr. *Georg Zeamannus D.* paſtor primum Lavinganus, inde Campodunenſis, ob ſcripta adverſus Romanenſes in cuſtodiam anno 1628. Ehrenbergam, Tyrolenſe fortalitium, abreptus, & inde poſt triennium, ad

ad multas principum & ordinum proteſtantium interceſſiones, dimiſſus, Stralſundiæ Superintendens urbanus conſtitutus, tractatu de *Imagine Dei: carnificina Eſavitica: Papiſmo: Athleta larvato & ſtramentitio: Acatholico Papatu: Gretzero triumphato: Jeſuita revapulante: Baſi fidei: de S. Scriptura, & aliis libris pie & erudite ſcriptis celebris*, Stralſundii defunctus.

Joach. Zehnerus M. Superintendens Sleuſingenſis, clarus ex *compendio theologiæ Germanica per D. Phil. Hanen verſo, ut & ex adagiis & ſimilitudinibus Biblicis.*

Melchior Zeidlerus, in Academia Regiomontana Theologiæ Profeſſor, *Rhetorica Eccleſiaſtica* & *Diſſert. contra Polygamiam* claruit.

Philippus Zeiſoldus, *Logica Sacra Novi Teſtamenti* nomen ſuum poſteritati commendavit.

Matth. Zellius, Keiſersbergenſis, primus evangelii apud Argentinenſes doctor, optime de eccleſia meritus, ex catecheſi notus, obiit anno 1549. Pantal. p. 540.

Johannes Georgius Zenckerus, Philoſophus & Theologus inſignis, *Diſſertationibus* quibusdam *Philoſophico-Theologicis* inclaruit, quales ſunt: de *Principiis quod & quo* in actionibus Servatoris, *de ſuppoſito*, & Regula: Actiones ſunt ſuppoſitorum, *de poſſibili &c.*

Bernh. Zieglerus, nobilis Miſnicus, inſignis theologus & Hebræus, Antonii Margaritæ in theologicis diſcipulus, in academia Lipſienſi moritur anno 1552. *Georg. Zieglerus M.* Revalienſis paſtor veteroppidanus Regiomonti, clarus libro de incertitudine rerum.

Henr. Zutphanienſis, Prior Antverpienſis, poſt domeſticus Lutheri, & eccleſiaſtes Bremenſis per biennium. Inde ejectus ab officiali, captus, & anno 1524. in martyrio combuſtus.

Habes, quem quærebas, theologorum noſtrorum catalogum: non tamen talem, cui omnes, nullo omiſſo, inſerti ſint. Quis enim omnes colligeret? quis præcipuos, etſi illis ſolis intent9? Interim memineris, catalogo huic jure adſcribi poſſe *Ulricum ab Hutten*, *Fr. à Sickingen*, *Hartmut à Cronberg*, equites Germaniæ inſignes. *Ulricus ab Hutten* in Francia ſub initio evangelicæ reformationis, multa pro Luthero contra pontificios; multa etiã in principes & magiſtratus ſcripſit, poeta & orator egregius. *Franciſcus à Sickingen* plurimos theologos eodem tempore fovit, eoſque ex ſua aula, tanquam ex ſchola, emiſit, tandemque à Trevirenſi & Palatino, electoribus,

ribus, bello petitus, globi ictu anno 1523. periit. *Hartmut à Cronberg* in Palatinatu variis libellis contra abominandos Romanæ Eccleſiæ errores pro Luthero depugnavit, arma etiam cum Fr. Sickingen junxit, & tandem in exilium pulſus conſenuit. Extant literæ, quas ad Lutherum perſcripſit, & quibus ei Lutherus reſpondit. Adde *Bilibald. Birckheimerum*, ſenatorem Noribergenſem, qui ſub primo renaſcentis evangelii tempore contra Oecolampadium veram corporis Chriſti in cœna præſentiam peculiari libro defendit, eamque poſtea apologia aſſeruit: ex aliis etiam libris philologicis clarus. Adde *Ambr. Lobwaſſerum*, JCtum Regiomontanum, qui Pſalmos Davidicos è rythmis Gallicis Bezæ & Clementis Marotti in rythmos Germanicos tranſtulit, & obiit anno 1585. in eo reprehenſus merito, quod clariſſima de Chriſto in pſalmis dicta ad mentem Calvini cum Beza & Marotto corrupta ſine emendatione tranſtulerit.

XLIX. Placetne etiam catalogum doctorum ex Calvinianis præcipuorum contexere?

Melch. Adami in Vit. Theol. Freher. in Theatro. Pantal. in Vit. Celebr. Germ.

Placet, ſi contractus de illis ſermo tibi placet. *Ulricus Zwinglius*, paſtor Tigurinus, merito primas ducit: qui inſigni, quo valuit, ingenio pontificiis & anabaptiſtis ſe acriter oppoſuit, & ſenatum Tigurinum concionibus doctis ad abrogandas ceremonias ſuperſtitioſas promovit, & tandem in infelicem de SS. euchariſtia controverſiam delapſus, *panem conſecratum Chriſti corpus tantum ſignificare docuit*, inque bello, in quod anno XXXI. more theologorum Tigurinorum, cum civibus ſuis proceſſerat, peremptus, cadaver ſuum acerbitati hoſtium reliquit: quod cum flammis traderent, *teſte Thuano*, cor exurere non potuerant. Scripta ejus *quatuor Tomis* digeſta ſunt. Hujus ſuffraganeus fuit *Joh. Oecolampadius* ſeu Hauſſchein/ Winsbergenſis Francus, Paſtor Baſilienſis, omni eruditionis genere delibutus, qui diſſidio euchariſtico implicitus, partes quidem Zwinglii defendit, ſed *non in copula verborum inſtitutionis, verum in prædicato tropum quæſivit, & panem conſecratum corporis Chriſti memoriale ſeu ſignum eſſe aſſeruit.* Scripſit exegetica, didaſcalica, & apologetica, & multa è Græcis convertit, ut in ejus *tomis ſeu Operibus editis* videre licet. Utrique *Caroloſtadius*, Francus, aſſociabatur, qui negaturus corporis Chriſti in cœna præſentiam dixit, *Chriſtum in ſemetipſum, non in panem, digitum intendiſſe, & dixiſſe: hoc eſſe corpus ſuum.* His

tribus

tribus promachis ſuccenturiabantur plerique illi, qui cum Oecolampadio ex aula Franciſci à Sickingen, cujus jam meminimus, in diverſa loca ſe receperunt, *Joh. Schwebelius* Biponti, *Bucerus* Argentorati, alii alibi. Nec *Wolfgangus Capito* ab illis diverſum ſenſit. Cum Bucerus tamen ad ſenſum tandem ſanum rediret: ipſe quoque Luthero adſenſiſſe poſtea creditur: ſed non debita animi conſtantia. Interim TIGURI, *Leo Judæ, Theodorus Bibliander & Conradus Pellicanus*, πολύγλωττος, viri undequaque doctiſſimi, qui Biblia in vernaculum ſermonem tranſtulerunt, & præter hos, ſucceſſor Zwinglii, *Henricus Bullingerus*, cujus ſcripta *in X. Tomis* digeſta extant: item *Bernardinus Ochinus*, Senenſis, magnæ eloquentiæ concionator, opinionibus ſuis negotio Sacramentario indulſerunt. Subſidio illis venerunt, *Petrus Martyr* Vermilius Florentinus, qui, ut jam memoravimus, Argentinæ quoque & in Anglia docuit, ejuſque ſucceſſor *Joſias Simlerus, Joh. Wolphius, Ludovicus & Joh. Rudolphus Lavateri, duo Rodolphi Gualtheri*, pater & filius, *Joh. Guil. Stuckius*. BASILEÆ docuerunt, *Paulus Conſtantinus Phrygio, Conradus Lycoſthenes, Cælius Secundus Curio, Martinus Borrhaus ſeu Cellarius*, ex Anabaptiſta Zwinglianus factus, *Thomas, & Joh. Jacobus, & Simeon Grynæi, Amandus Polanus* Sileſius, *Sebaſtianus Munſterus*. BERNÆ negotium ſacrum urſerunt præ aliis *Wolfgangus Muſculus & Benedictus Aretius*; CONSTANTIÆ *Ambr. Blaurerus*; HERBORNÆ *Caſpar Olevianus*; SCAPHUSII *Conradus Ulmerus*; LUGDUNI Batavorum *Joh. Holmannus, Joh. Küchlinus, Lucas Trelcatius, Franc. Junius, Joh. Polyander, Petr Molinæus, Fr. Gomarus, duo Riveti, Ant. Walæus, An. Thyſius, Frid. Spanhemius, Conſt. l'Empereur, Jac. Triglandus*; SERVESTÆ *Wolfgangus Amlingus*; BREMÆ *Alb. Haldenbergerus, Chriſtophorus Pezelius & Urbanus Pierius* apoſtata. In ANGLIA *Guil. Whitakerus, Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus*, qui conſummavit martyrium, *Joh. Hallus, Thom. Mortanus, Rob. Salisburienſis*: in SCOTIA *Cnoxus & Rollocus Malcolmius, Napeirus, Foxius.* In Gallia *Auguſtinus Marloratus*, Rotomagi martyr factus, *Philippus Mornæus, Dan. Tilenus, Joh. Camero, Moſes Amyraldus, Teſtardus, Toſſanus*, qui non ſemel Aureliis, ubi contra pontificios diſputabat, pulſus, tandem in Palatinatum conceſſit. *Dan. Chamierus*, miniſter Montalbanus, à Panſtratia eſt clarus. In Palatinatu, quem vere poſſes ſeminarium Calvinianorum fœcundum dicere, docuerunt *Cleovicius, Cunmannus, Flinsbachius, Grynæus, Zacharias Urſinus*, qui ſcho-

lam Neoſtadienſem, autoritate Caſimiri Ducis Palatini, aperuit, *Hieronymus Zanchius* Italus, *Georgius Sohnius, Pantaleon Candidus*, qui ſubſcriptionem Formulæ Concordiæ revocavit, & Johanni Palatino duci ad deſerendum Lutheri dogma autor fuit: *item David Pareus, Quirinus Reuter*, ſucceſſor Toſſani, *Petrus Boquinus* Gallus, *Bartholomeus Pitiſcus, Rodolphus Hoſpinianus, Abr. Sculterus, Immanuel Tremellius*, ille, cum Franciſco Junio, Veteris Teſtamenti ex Hebræo metaphraſtes, & non ſolum Palatinorum, ſed & Gallorum & Belgarum theologus. His omnibus latiſſimam aperuit feneſtram *Otto à Grunrad*, eques Miſnicus, præſes ſenatus in Palatinatu eccleſiaſtici, qui in eccleſiis ad Calvinianiſmum abducendis pernox perdiuſque fuit. Nec minora incrementa factio Zwingliana cepit GENEVÆ: ubi docuerunt *Gvilh. Farellus, Petrus Viretus, Antonius Sadeel, Lambertus Danæus, Theodorus Beza, Ant. Fayus, Car. Perottus*, omnes Gallico ſanguine oriundi. Imprimis *Johan. Calvinus*, de quo plura in ſuperioribus, quæſt. XXXII. ſua eruditione & ingenii acumine multis impoſuit. Hic initio quidem per aliquot annos ita modeſte de S. Cœna locutus fuerat, ut inter noſtrates numeraretur, & aliquot colloquiis adhiberetur: ſed tandem Tigurinis ſe conjunxit, & ſuum cum ipſis conſenſum anno XLIX. conteſtatus eſt. Aliquos tibi nominavi ex Calvinianis doctoribus: præter quos multi alii ſunt, qui cum pontificiis, quandoque etiam cum noſtratibus, in arenam deſcenderunt: *Henr. Alſtedius: Henr. Altingius: Gv. Ameſius: Aretius Felinus: Joh. Balaus: Conr. & Joh. Bergii: Marc. Beumlerus: Wilh. Bucanus: Joh. Buxdorfius: Th. Cartwichtus: Jac. Comedontius: Wilh. Cleinwizius: Joh. Cluto: Joh. Combachius: Joh. Cramerus: Fort. Crellius: Lud. & Joh. Crocii: Joh. Davenantius: Henr. à Dieſt: Joh. Druſius: Joh. Duraus: Raph. Eglinus: Th. Eraſtus medicus: Georg. Fabricius: Georg. Francus: Rod. Goclenius: Joſ. Grabius: Abr. Heidanus: Feſtus Hommius: Andr. Hyperius: Ivellus: Balth. Kekermannus: Fr. Lampertus: Joh. Lampadius: Joh. Laſcus Polonus: Jac. Laurentii: Johan. Maccovius Franekeræ: Samuel Mareſius: Matth. Martinius: Chr. Maſſonius: Johan. Mercerus: Abr. Muſculus: Chriſtoph. Pelargus: Joh. Peltius: Gvilielm. Perkinſus: Joh. Pincierus: Joh. Piſcator: Herm. Rennecherus: Car. Sachſus: Joh. Scharpius: Meinh. Schotanus: Lubbert. Sibrandi: Sim. Simonius: Georg. Spindlerus: Paul. Steinius: Caſp. Streſo: Joh. Sturmius: Steph. Szegedinus: Ben. Thalmannus: Joach. Vadianus: Nic. Vedelius: Gisb. Voëtius: Andr. Volanus: Gerb. Joh. Voſſius:*

Jac.

Jac. Uſſerius: Marc. Fr. Wendelinus: Wilh. Zepperus. Vide, quæ ſupra diximus quæſt XXXIII. de reformatione Gallica, & à quæſt. XL. ad XLVII. de negotio Sacramentario.

L. *Viros enarraſti celebres: quos ſi non ita rationis abuſus in viſcera eccleſiæ, ſicuti adverſus Papatum veritatis amor armaſſet, quem non impetum ſuſtinuiſſet eccleſia Lutherana? Interim de Anabaptiſtarum furoribus hoc loco aliquid commode adjungi poſſe autumo.*

Etſi in catalogo hæreticorum, quicquid de Anabaptiſtis dicendum eſt, explicari poteſt; cum tamen multa ab iis commiſſa ſint, quæ univerſum imperium concuſſerunt, age obſequar tibi. Poſtquam Wittebergenſes, & imprimis Lutherus, traditiones humanas, quarum tyrannide hactenus oppreſſa fuerat eccleſia, abrogandas eſſe judicaſſent, inter alia, ex libertate Chriſtiana ſententiam ſuam recte ſtabilierunt. Sed jam anno XXI. inveniebantur, qui hujus libertatis prætextu omne legitimi magiſtratus jugum excutere & quaſi novum mundum, non niſi ex piis & innocentibus hominibus conflatum, conſtituere conabantur. Eum in finem ſecreta cum Deo colloquia fingebant, & parvulorum baptiſmum improbabant, *teſte Sleidano libro IV. & V. Commentariorum.* Ductores, vel potius ſeductores eorum erant *Nicolaus Ciconia* ſeu *Pelargus*, vulgo Claus Storch dictus, qui, cum literarum non eſſet imperitus, ſibi eruditionem divinitus contigiſſe falſo ſimulabat; *Marcus Stubnerus*; *Martinus Cellarius*, Philippo Melanchthoni ante motas turbas notus & carus, *Borrhaus* deinde apud Baſilienſes vocatus, à quibus, errore depoſito, ſuſceptus fuit; omniumque ſceleſtiſſimus, *Thomas Münzerus*, Stolbergenſis Saxo, tuba ſeditionis. Hæc factio pſeudo-prophetarum & fanaticorum enthuſiaſtica, quæ immenſo facinore evangelii curſum remorata eſt, magna ſubito ſumſit incrementa, cum *Caroloſtadius*, ſuperbus Lutheri æmulus & iconomachus, anno ſeculi XXIV. Witteberga relicta, illis ſe adjungeret, & non in aliis ſaltem articulis, ſed & in loco de S. Cœna ab illis probaretur, Claſſico ita in Saxonia cantato, confeſtim in Svevia homines ruſticani, Comiti Lupfio ſervitia conſueta detrectantes, initium belli ſervilis fecerunt.

Wigand. in Anabaptiſmo. Heerzbach. de factione Monaſterienſi. Schrad. Tom. 1. Rer. Germ. Otto in Anna. lib. Anabapt.

cerunt. Iis vero à ſenatu Imperii ſedatis, anno ſequenti, qui erat poſt vigeſimum quintus, plebejorum nonnulli adverſus proceres eccleſiaſticos per Sveviam, Franconiam, & vicina ad Danubium loca inſurgentes, doctrinam evangelii peſſimis conatibus tuebantur, ſervitutem à ſe hac ratione profligaturi: inque ſuæ cauſæ patrocinium XII. articulos proferebant, quibus à magiſtratu volebant ſatisfieri. Et quanquam Lutherus variis ſcriptis à ſeditione ſubditos ad obedientiam revocabat, tripartito tamen agmine ruricolæ per agrum Ulmenſem & Algoviam progreſſi, ad lacum Brigantinum conſederunt. Advolavit igitur Georgius Truchſeſius, dux Svevici fœderis, in quod præcipui Germaniæ proceres, ipſeque Cæſar, ejuſque frater, ut & Palatinus, Brandeburgicus, Bavarus, Haſſus, multique epiſcopi & civitates, conſenſerant: & aliquot præliis ſecundis ſeditioſos ad deditionem compulit, triplici eorum exercitu fugato & diſſipato. Interim in alia parte Sveviæ, alii ex agris magno numero coëuntes, multos ex nobilitate, interque eos comitem Helfenſteinii, Ludovicum, immani auſu obtruncarunt, plurimiſque arcibus & monaſteriis incenſis, Winſpergum, Wurzeburgum, & alias urbes ceperunt, & exercitu diviſo, partim in agrum Wurtenbergicum, partim in Franconiam contenderunt. Sed utriſque celeriter ſuperveniens Truchſeſius, miſeros ad ſupplicia & funera rapuit. Hæc ipſa tempeſtas deſævit quoque in plurimis aliis locis, & per omnes fere Germaniæ partes ad Alpes uſque penetravit. Sed, ut in Lotharingia à duce tribus præliis ultra XVIII. millia cæſa ſunt, ita in aliis Germaniæ provinciis aut placide res eſt compoſita, aut furor armis repreſſus, tanta in ſeditioſos edita ſtrage, ut una æſtate L. amplius, vel, ut nonnulli ſcribunt, C. millia occubuiſſe dicantur. Tumultus hos ruſticorum & ſtrages, quas edidere, copioſe deſcripſit *Petrus Crinitus*.

LI. Serviles ædepol tumultus felicem exitum ſibi promittere haud poſſunt. Sed dum ſic per Germaniam cæduntur ſeditioſi agricolæ, quid interim Münzerus, quem ſeditionis tubam nominaſti?

Is Cygneæ primum, deinde Alſteti concionatoris officio functus fuerat. Sed utroque oppido excluſus eſt, quod non ſolum Pontificios oppugnaret, ſed adverſus Lutherum libros emitteret, &, legitimo magiſtra-

magiſtratu remoto, novos homines ſubſtituendos eſſe doceret, jamque nomina conjuratorum conſignaret. Poſtquam igitur aliquamdiu Noribergæ & alibi latuerat, Mülhuſium tandem, oppidum Thuringiæ, ſe contulit, ibique plebe tumultuante abuſus, ſenatu depoſito, novum magiſtratum, ſeque ex ſenatoribus primarium nominavit, monachorum domicilia invaſit, non ſine inſigni ignominia ditiorum, quorum abundantia vulgus jam laboris pertæſum, ſuam temere explevit inopiam, bonorum communionem docuit, & ſeditione per Sveviam & Franconiam mota fretus, machinis bellicis conflatis, ex agris quoſcunque homines attraxit. Socius ejus *Phiferus*, homo audaciſſimus, primum impetum in agrum Eisfeldenſem fecit, & præda ad ſuos adducta, ſpem ſtolidæ plebeculæ ampliſſimam injecit, ut quotaſcunque copias non vererentur Alberto Comiti Mansfeldico opponere. Sed facile fugati, hanc moram principibus Saxoniæ, Brunſvigi & Haſſiæ indulſerunt, ut tumultuario exercitu collecto adeſſent, & cum inermi plebecula, cantionibus ſacris ſe defenſura, congreſſi quinque millia nullo negotio conficerent. Autor ſeditionis tantæ Münzerus, qui cœleſte ſubſidium miſeris promiſerat, ex lecto, in quem profugus febrim ſimulabat, protractus, ſupplicium luit ultimum: & ſciſcitanti Haſſiæ Landgravio, cur tot hominum ſuis technis perdidiſſet, intra labrum ridens nebulo reſpondit, quanquam jam ſub manu carnificis, *quia ipſi volebant.*

LII. Num igitur motibus ruricolarum ſedatis, & promacho eorum Münzero ſublato, Anabaptiſtarum furores ceſſavere?

Cum Satanas hunc ſuum fœtum armis haud defendere poſſet, cauſam ejus fraude defendendam ſuſcepit, & hominem incitavit, non tam literis, quam ingenio & lingua fultum, natione Sileſium, conditione nobilem, nomine *Caſparum Schwenckfeldium ab Oſſing*, moribus, ſi externam faciem vidiſſes, non improbum. Hic verbo Dei externo omnem vim denegans, ſuaque dignitate ſacramenta ſpolians, theologiam in fanaticas opiniones transformavit, & exilio multatus, non uno ſubſtitit loco. Diſſenſum quidem à reliquis Anabaptiſtis in nonnullis locis eſt conteſtatus: ſed revera ſpiritu anabaptiſtico agitatus, virus ſuum per præcipuas Germaniæ provincias quinquaginta amplius ſcriptis diſſeminavit. Invenit quidem paſſim locorum *erroris enthuſiaſtici* patronos, qui vel cum præcipuis doctoribus in colloquium deſcendere non ſunt

Melancht. contra Schwenckf. VVigand. in Schwenckfeldianiſmo. Oſiander Cent. XVI. lib. 2. c. 4. p. 115. & ſeq.

veriti, *Crautwaldum & Wernerum*. Paſtores Lignizenſes; Wormatiæ *Cautium*; in Helvetia *Grebelium*, *Keslerum*, *Mauzium & Balthaſarem Hubmejerum*, Münzeri diſcipulum, poſtea Viennæ imperatoris ſententia ad rogum damnatum; in Moravia *Jacobum Hutterum & Gabrielem Scherdingium*, *Ciconiæ diſcipulos*: quorum emiſſarii, dicti *Huttitæ & Gabrieliſtæ*, vicina Sileſiorum, Polonorum, Auſtriorum, & Bohemorum loca, contagione ſua monſtroſa infecerunt. Et quidem in Moravia *Mich. Feldballerus*, tanquam præſul quidam, reliquis præfuit. Rotenburgi ad Neccarum peſtem fanatiſmi invexit *Mich. Sellarius*; Auguſtæ *Lud. Hezerus*; Argentinæ *Melch. Hoffmannus* pellio; *Hagæ Comitis Johan. Tripmacherus*. Præ aliis nomen meruere *Sebaſtianus Francke* Argentinæ, & *Joh. Denkius* apud Noricos: quorum *ille* non tantum notus eſt ex volumine hiſtorico, ſed & ex paradoxis editis, in quibus videbatur hoc agere, ut hæreſes varias ſyncretiſmo quodam conciliaret, & enthuſiaſmo bipatentes portas aperiret, & ob commercia cum Anabaptiſtis Argentina tandem pulſus eſt: *hic*, trium linguarum peritiſſimus, ſcriptis etiam inclaruit, & ab Anabaptiſtis apud Noricos epiſcopus delectus eſt. Inde Baſileam digreſſus, peſte obiit, poſtquam errores antea revocaviſſet. Hos impoſtores non pauci ultimo ſupplicio repreſſerunt, Helvetii imprimis. Nam cum innumeras urbes tumultibus impleviſſent, tandem anno XXXV. in Weſtphalia ſunt profeſſi, *Chriſti regnum ante noviſſimum diem more civili per Anabaptiſtas eſſe adminiſtrandum, ut omnes impii aboleantur*. Et infauſto quodam omine iis *Monaſterii* urbs eſt patefacta. Ex hac, ad conciones *Bernhardi Rotmanni*, pontificii jam anno XXXII. ſecedere juſſi fuerant, &, præter alios evangelii doctores, *Johannes Bockelius* Leidenſis, homo fanaticus è Belgio, populum docendum ſibi ſumſerat. Illum, quod novis rebus ſtudere videbatur, non ſemel urbe ejecerant. Reverſus tamen ſubinde, Dei voluntatem mentitus, ipſum Rotmannum, hactenus in religione orthodoxum, in ſuam pertraxit opinionem, vulgoque clamoribus quaſi per raptum editis dementato, & ad iteratum baptiſmum revocato, omnes, qui reſiſtebant, bonis ſpoliavit, urbe ejecit, quin tandem necari juſſit. Illi, munitiore urbis loco occupato, ſe ſuaque bona tuebantur, donec Leidenſis ſui generis homines ex vicinis oppidis, ſpe ampliſſimæ prædæ, alliceret, & tota urbe, quam novam Jeruſalem dixit, peregrinis hominibus completa, diſſentientes expelleret. Hinc novus creabatur ſenatus, & in eo *Cniperus Dollingus*, vulgo *Cnipperdolling*

ling vocatus, præcipuus turbarum incentor, conſulatum adeptus, cum *Joh. Matthæo*, primi nominis propheta, (nam hoc nomen ſibi leviſſimi homines uſurpabant) omnia bona in medium comportari, & , ſi quis partem aliquam illorum retineret, eum indicio per artem duarum puellarum magicam proditum, capitis ſupplicio affecit: omnes etiam libros, præter Biblia, igni addixit. Cumque alios alius furor & dæmon agitaret, Leidenſis tandem Cnipperdollingium, conſulatu dejectum, carnificem conſtituit, & XII. viros ad formam Iſraeliticæ reip. ſummæ rerum præfecit, polygamiam introduxit: mox ipſe regnum invaſit, in omnibus voluntatem DEI præ ſe ferens. Cœnam etiam ſacram profano more adminiſtravit, & XII. duces, atque XXVIII. apoſtolos elegit: quorum *illos* ad defenſionem corporis, & vicinos epiſcopatus, tanquam ducatus, occupandos; *hos* ad pœnitentiam viciniæ annunciandam emiſit; qui tamen vix egreſſi, ad unum omnes interfecti ſunt. Cum autem jam urbs obſidione ab epiſcopo & Principibus ad ſummam rerum penuriam eſſet redacta, rex fictitius, cacodæmone plenus, qui jam ſua manu nonnullos, interque eos unam ex uxoribus, quod tyrannis ei diſplicuiſſet, interfecerat, urbe poſt biennales Anabaptiſtarum furores, in ea exercitos capta, vivus in manus Principum cum Cnipperdollingio venit, & forcipibus ignitis enecatus, infelicem animam expiravit. Rotmannus autem in expugnatione urbis bipenne diſſectus periit. Sed de hæreſi anabaptiſtarum quæſtione LXIX. pluribus agemus.

LIII. Ipſa ſane res loquitur, Cacodæmones hanc Münſterianam tragœdiam adornaſſe. Sed ordo nos monet, ut Pontificum hiſtoriam, ſuperiore ſectione interruptam, continuemus.

Anno 1513. CCXXVI. *Leo X. Florentinus, antea Johannes Medices, Laurentii filius.* 8¾

[Familiæ Mediceæ, quæ in Hetruria nunc temporis rerum potitur, primam dedit celebritatem Coſmus, anno cIↃCCCCLXIV. denatus, Petri pater, avus Laurentii & Juliani: quorum uterque Papam progenuit: ille Johannem, Leonem X. dictum; hic Julium, Clementem VII. vocatum. Leo antequam ad pontificis culmen conſcendit, cum fratre Petro, per Carolum VIII. Gallorum regem, Florentia, patriaque & avita dominatione ejectus, diu apud Magdalenam ſororem, Innocentii

Cauſin. in Ephimer. pag 30. Panvin. in Catal. Pontif. p. 570. Bzov. in Annal. Tom. 19. pag. 84.

VIII.

veriti, *Crantwaldum & Wernerum*, Paſtores Lignizenſes; Wormatiæ *Cautium*; in Helvetia *Grebelium*, *Keslerum*, *Mauzium & Balthaſarem Hubmejerum*, Münzeri diſcipulum, poſtea Viennæ imperatoris ſententia ad rogum damnatum; in Moravia *Jacobum Hutterum & Gabrielem Scherdingium*, *Ciconiæ diſcipulos:* quorum emiſſarii, dicti *Huttitæ & Gabrieliſtæ*, vicina Sileſiorum, Polonorum, Auſtriorum, & Bohemorum loca, contagione ſua monſtroſa infecerunt. Et quidem in Moravia *Mich. Feldhallerus*, tanquam præſul quidam, reliquis præfuit. Rotenburgi ad Neccarum peſtem fanatiſmi invexit *Mich. Sellarius*; Auguſtæ *Lud. Hezerus*; Argentinæ *Melch. Hoffmannus* pellio; *Hagæ Comitis Johan. Tripmacherus*. Præ aliis nomen meruere *Sebaſtianus Francke* Argentinæ, & *Joh. Denkius* apud Noricos: quorum *ille* non tantum notus eſt ex volumine hiſtorico, ſed & ex paradoxis editis, in quibus videbatur hoc agere, ut hæreſes varias ſyncretiſmo quodam conciliaret, & enthuſiaſmo bipatentes portas aperiret, & ob commercia cum Anabaptiſtis Argentina tandem pulſus eſt: *hic*, trium linguarum peritiſſimus, ſcriptis etiam inclaruit, & ab Anabaptiſtis apud Noricos epiſcopus delectus eſt. Inde Baſileam digreſſus, peſte obiit, poſtquam errores antea revocaviſſet. Hos impoſtores non pauci ultimo ſupplicio repreſſerunt, Helvetii imprimis. Nam cum innumeras urbes tumultibus impleviſſent, tandem anno XXXV. in Weſtphalia ſunt profeſſi, *Chriſti regnum ante noviſſimum diem more civili per Anabaptiſtas eſſe adminiſtrandum, ut omnes impii aboleantur.* Et infauſto quodam omine iis *Monaſterii* urbs eſt patefacta. Ex hac, ad conciones *Bernhardi Rotmanni*, pontificii jam anno XXXII. ſecedere juſſi fuerant, &, præter alios evangelii doctores, *Johannes Bockelius* Leidenſis, homo fanaticus è Belgio, populum docendum ſibi ſumſerat. Illum, quod novis rebus ſtudere videbatur, non ſemel urbe ejecerant. Reverſus tamen ſubinde, Dei voluntatem mentitus, ipſum Rotmannum, hactenus in religione orthodoxum, in ſuam pertraxit opinionem, vulgoque clamoribus quaſi per raptum editis dementato, & ad iteratum baptiſmum revocato, omnes, qui reſiſtebant, bonis ſpoliavit, urbe ejecit, quin tandem necari juſſit. Illi, munitiore urbis loco occupato, ſe ſuaque bona tuebantur, donec Leidenſis ſui generis homines ex vicinis oppidis, ſpe ampliſſimæ prædæ, alliceret, & tota urbe, quam novam Jeruſalem dixit, peregrinis hominibus completa, diſſentientes expelleret. Hinc novus creabatur ſenatus, & in eo *Cniperus Dollingus*, vulgo *Cnipperdol-*

ling

ling vocatus, præcipuus turbarum incentor, conſulatum adeptus, cum *Joh. Matthæo*, primi nominis propheta, (nam hoc nomen ſibi leviſſimi homines uſurpabant) omnia bona in medium comportari, & , ſi quis partem aliquam illorum retineret, eum indicio per artem duarum puellarum magicam proditum, capitis ſupplicio affecit: omnes etiam libros, præter Biblia, igni addixit. Cumque alios alius furor & dæmon agitaret, Leidenſis tandem Cnipperdollingium, conſulatu dejectum, carnificem conſtituit, & XII. viros ad formam Iſraeliticæ reip. ſummæ rerum præfecit, polygamiam introduxit: mox ipſe regnum invaſit, in omnibus voluntatem DEI præ ſe ferens. Cœnam etiam ſacram profano more adminiſtravit, & XII. duces, atque XXVIII. apoſtolos elegit: quorum *illos* ad defenſionem corporis, & vicinos epiſcopatus, tanquam ducatus, occupandos; *hos* ad pœnitentiam viciniæ annunciandam emiſit; qui tamen vix egreſſi, ad unum omnes interfecti ſunt. Cum autem jam urbs obſidione ab epiſcopo & Principibus ad ſummam rerum penuriam eſſet redacta, rex fictitius, cacodæmone plenus, qui jam ſua manu nonnullos, interque eos unam ex uxoribus, quod tyrannis ei diſplicuiſſet, interfecerat, urbe poſt biennales Anabaptiſtarum furores, in ea exercitos capta, vivus in manus Principum cum Cnipperdollingio venit, & forcipibus ignitis enecatus, infelicem animam expiravit. Rotmannus autem in expugnatione urbis bipenne diſſectus periit. Sed de hæreſi anabaptiſtarum quæſtione LXIX. pluribus agemus.

LIII. Ipſa ſane res loquitur, Cacodæmones hanc Münſterianam tragœdiam adornaſſe. Sed ordo nos monet, ut Pontificum hiſtoriam, ſuperiore ſectione interruptam, continuemus.

Anno 1513. CCXXVI. *Leo X. Florentinus, antea Johannes Medices, Laurentii filius.* $8\frac{3}{4}$

[Familiæ Mediceæ, quæ in Hetruria nunc temporis rerum potitur, primam dedit celebritatem Coſmus, anno cIↃCCCCLXIV. denatus, Petri pater, avus Laurentii & Juliani: quorum uterque Papam progenuit: ille Johannem, Leonem X. dictum; hic Julium, Clementem VII. vocatum. Leo antequam ad pontificis culmen conſcendit, cum fratre Petro, per Carolum VIII. Gallorum regem, Florentia, patriaque & avita dominatione ejectus, diu apud Magdalenam ſororem, Innocentii VIII.

Cauſin. in Ephimer. pag 30. Panvin. in Catal. Pontif. p. 570. Bzov. in Annal. Tom. 19. pag. 84.

Longol. l.3. Epiſt.158.161.& lib.5.p.278. Piccart. 5. Obſerv.Hiſt.Polit. p.251.

VIII. notho nuptam, exulavit: donec non ſaltem in patriam reciperetur, ſed & pontifex ſalutaretur. Fuit vir admodum literatus, & inter reges principeſque Chriſtianos, novercalibus hactenus odiis diſſidentes, pacem, quantum potuit, procuravit. Propterea & hoc apud Lutherum meruit teſtimonium: *Eſt nobis hodie Pontifex optimus*, Leo X. *cujus integritas & eruditio delitiæ ſunt omnibus bonis auribus. Sed quid ille ſuaviſſimus homo poteſt unus in tanta rerum confuſione, dignus profectò, qui melioribus temporibus pontificaretur, aut meliora tempora eſſent ſui pontificatus.* Hactenus Lutherus *Tom 1. Lat. Jen. pag. 82.* Fuit omnium munificentiſſimus, ſpectaculis potius & delitiis, quam eccleſiaſticis rebus intentus. Nec, *ut Paulus Jovius teſtatur*, Sodomiæ infamia caruit: inſanuſque venationum amor nimis illum detinuit. A Maximiliano imperatore Mutinam, pro xcIↃ. aureis oppignoratam, redemit, indignante Ferrariæ duce. Stenonem, gubernatorem Sveciæ, cum ſe tyrannidi Chriſtiani II. regis & epiſcoporum opponeret, diris devovit. Cum ſumtibus non reſponderent reditus, ad indulgentias itum eſt: earumque pars, ex Germania colligenda, antequam colligeretur, Magdalenæ dono concedebatur. Ex quo peſtifero conatu quanta calamitas ſedi pontificiæ acciderit, ſupra memoratum eſt. Ipſe autem Leo, cum, ſuis & Cæſareanis copiis, Parmam & Placentiam à Gallis recuperaſſet, Franciſco Sfortiæ Ducatum Mediolanenſem reſtituiſſet, *& Pragmaticam ſanctionem*, quæ cum monarchia Papæ Romani pugnare videbatur, ut & ſancita concilii Baſilienſis, quibus pontifices concilio ſubjiciebantur, ſuſtuliſſet; regibus autem Galliæ in certis capitulis, quæ Bononenſia Concordata vocant, in perpetuum conceſſiſſet eccleſiarum cathedralium & monaſteriorum nominationes, quæ prius ab electione collegiorum & conventuum pendebant, ſubita morte deceſſit: quam febrim ſenſim exortam, lenem quidem, ſed quæ ei ſuprema fuit, conjicit Onuphrius; Thuanus autem ex veneno à ſecretiore cubiculario propinato exortam conteſtatur. Alii in complexibus pueri eum extinctum dicunt. Sanazarius ita in eum luſit:

Sacra ſub extrema, ſi forte requiritis, hora
Cur Leo non poterat ſumere? Vendiderat.

Hic eſt ille, qui dicitur Cardinali Bembo, locum ex evangelio citanti, reſpondiſſe: *O quantas divitias nobis peperit iſta fabula Jeſu Chriſti!* Cumque duo contrarias opiniones de immortalitate animæ defenderent, *veriora illum dicere autumavit, qui immortalitatem ejus negabat.*]

1522. CCXXVII. *Hadrianus VI. Ultrajectenſis Batavus, filius ſive textoris ſive cereviſiarii, qui nomen non mutavit.* $1\frac{1}{4}$

(Emerſit induſtria & feliciſſimo ingenio ex abjecta, in qua natus fuit, ſorte, & Lovanii variis honoribus mactatus, tandem Carolo ſeptenni, Maximiliani nepoti, heredi Hiſpaniarum, poſtea Imperatori, præceptor datus eſt. Hinc graviſſimis perfunctus legationibus, pontificatum præter omnium exſpectationem, procul abſens in Hiſpania accepit: quem tamen maximis difficultatibus implicitum deprehendit. Nam Cardinales erant factionibus diſtracti: Rhodum Turcæ occuparant: patrimonium eccleſiæ profuſiones inſanæ exhauſerant: Cæſar & Gallus bello ſe oppugnabant: vitaque eccleſiaſticorum deteſtanda, & abuſus alii, ſolenni indigebant reformatione. Hinc cum in publicis imperii comitiis promitteret, & ob ingenuam confeſſionem, *qua calamitates publicas eccleſiaſticorum peccatis imprimis tribuit*, multis diſpliceret, ſeque ad curiæ Romanæ ingenium non ſatis conformare didiciſſet, & fruſtranea conſilia in exſtirpanda Lutheri doctrina agitaſſet, extremum diem ſenex obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Ordines Germaniæ librum centum gravaminum illi obtulerunt, quæ patiatur Germania à pontifice, & illorum petebant remedia. Profeſſus eſt ſæpius, *miſeram eſſe pontificum conditionem, quibus deeſſet recte faciendi facultas, etiam cum maxime velint, & in id operam & diligentiam impendant.* Ideoque ſepulchro ejus inſcripſerunt: *Hic nihil in vita infelicius duxit, quam quod imperaret.* C. Battus in primo libro epiſtolarum, *Wolfio cent. XVI. pag. 191.* citante, tribuit ei eruditionem, parſimoniam nimiam, ſanctitatem ſimulatam, amores mulierum & puerorum, magicas artes. Tropæum illi erexerunt Lovanienſes cum hac inſcriptione: *Trajectum plantavit; Lovanium rigavit: Cæſar dedit incrementum.* Sanazarius quanti eum fecerit, patet ex libro III. epigrammatum:

Panvin. in Onufal. Pontif. p. 581. & ad Platin. p. 344 Mallinkrot. a Ar. h. Cancell. 2. pag. 244. Petr. Suav. Polan l. I. Hiſt. p. 20. 21. 23. 24. 25. 26.

Claſſe viriſq; potens, domitoq; oriente ſuperbus
Barbarus, in Latias dux quatit arma domos.
In Vaticano noſter latet. Hunc tamen alto,
Chriſte, vides cœlo (proh dolor) & pateris?

1523. CCXXVIII. *Clemens VII. antea Julius Medices Florentinus, Leonis patruelis, Juliano patre ex parum certa neq; propalam legitima uxore natus, ut Onuphrius ait.*

Bzovius Tom. 19. Annal. pag. 504 & ſeq. Jovius lib. 32. Hiſtor. p. 524 ſeq. Panvin. ad Platin. p. 357. Rubæus in Hiſtor. Ravennat. lib. 9 p. 473. 478. 480 Sleidan. lib. 8. f. 137. & ſub finem illius f. 158.

[Annum Jubilæum nono, ſed raro ad eum concurſu celebravit. Quam autem aleam, capta à Cæſareanis Roma, in Mauſoleo Hadriani multos menſes obſeſſus ſubierit, ſupra indicatum eſt. Quia enim contra Carolum V. Cæſarem, bene de ſe meritum, fœdus cum Gallo & Venetis inierat, merito ſuo odium ejus incurrit. Temporalia tamen diœceſeos Ultrajectinæ & aliarum provinciarum in eum translata confirmavit, & Mutinam ab Alphonſo I. Ferrariæ duce receptam amiſit. Sub eo ultimus ordinis Cruciferorum magiſter, *Albertus marchio Brandenburgenſis*, habitu ſacro depoſito, creatus eſt dux Boruſſiæ, & beneficiarius regis Poloniæ. Notarunt in eo multa vitia, ſtupra, crudelitatem, perjuria, dolos, avaritiam, patriæ reipublicæ Florentinæ everſionem: quæ tamen omnia naturali gravitate & diſſimulatione inſigni tegere noverat. Sub eo anno XXX. tanta Tyberis eluvies Romæ extitit, ut ea ultra XII. millia hominum ſuffocata ſint. Moriturus, *ut Siegbrandus Lubertus refert*, ſe de tribus dixit certiorem fore, de quibus ſemper dubitaſſet, *an Deus ſit, an anima immortalis, an vita poſt hanc alia.*]

1534. CCXXIX. *Paulus III. Romanus, antea Alexander Farneſius, Petri Ludovici F.* 15.

Onuphr. Panvin. in Catal. Pontif. p. 596. & ad Platinam p. 359. 361. ſeq. Verger. in Annot. ſuper Catal. Hæret. fol. 11. 12. 13. 14. 15. 23. Tom. Concil. ex edit. Quentel. Col. 1558. pag. 818. 820. Petr. Suavis in Hiſtor. Concil. Trid. pag. 93. 95. VVolff. in Lect. Memor. Tom. 2. pag. 597. 631. 750.

[A confirmatione ordinis Jeſuitici: à concilii Tridentini promulgatione: à fœdere cum Cæſare in bello Germanico adverſus Proteſtantes inito: ab indulgentiis contra eoſdem militaturis: à damnatione & ejectione *Hermanni archiepiſcopi Colonienſis* ob receptam puriorem doctrinam: ab odio, quod adverſus INTERIM, ſeu interreligionem, à Cæſare ad certum tempus conſtitutam concepit, notus eſt. Fama illi acceſſit *à Stephano Armeniæ patriarcha*, ceu ſe vocabat, qui Romam venerat, & Paulum pro univerſali eccleſiæ magiſtro venerabatur, majori pompa, quam effectu: Armenis eccleſiis hodienum deſpotiam papæ eccleſiaſticam deteſtantibus. Proſtitutione ſororis Juliæ ab Alexandro VI. galerum Cardinalitium emerat: ipſeque Papa factus, duos ex nothis nepotes conſtituit Cardinales: utque eos locupletaret, non paucos ſuis poſſeſſionibus deturbavit. Ei adhuc vivo, per libellum Italicum, typis exſcriptum, ſimonia, inauditæ libidines & inceſtus, rapacitas, necromantia, parricidia, *teſte Sleidano libro XXI.* objecta ſunt. Quod homines nequiſſimos, magnis ſtipendiis illectos, in Germaniam emiſiſſet, ut ignes clanculum in Proteſtantium civitatibus alerent, aquas intoxicarent, & venenis habitacula inficerent, publice à Joh. Friderico electore & Philippo Landgravio Haſſiæ, *teſte Goldaſto*, accuſatus eſt. Onuphrius in

in eo commendat conſilium, ſingularem pietatem, ſummam prudentiam, & amplificandæ ſuorum potentiæ voluntatem. *Parmam*, in quam anteceſſores ejus poteſtatem ſibi cœperant uſurpare, nomine Ducatus, in beneficium contulit filio ſuo, *Petro Aloyſio Farneſio* (quem in vetitis magiæ artibus ab eo eſſe inſtitutum; & memorabili magicæ deluſionis exemplo a dæmone evocato deluſum, *teſtis eſt libro IV. Thuanus*) ſed invito Carolo Cæſare. Mortuus tandem eſt, lectis literis, quibus nunciabatur, Placentiam à Cæſare eſſe ereptam, & Parmæ etiam deditionem tentari. Perturbatio atque iracundia hominem intra IV. horas extinxit. Cæſar tamen *filiam ſuam notham, Margaretam, filio ejus Octavio Farneſio* deſponſavit, & nomine imperii in beneficium illi *Placentiam* conceſſit. Ferunt, hodienum Romæ in Vaticano Cæſarem Carolum V. videri in picturis pontifici Paulo III. pedes deoſculari, cum faſtuoſa hac, & Germanis vix toleranda, inſcriptione:

Ille triumphavit: ſed tu plus Paule triumphas.
Victor namque tuis oſcula fert pedibus:

Sub exitu vitæ illis, qui à Proteſtantium partibus eſſent ad ſacra pontificia redituri, permiſit utramque euchariſtiæ ſpeciem, dummodo Conſtantienſis ſynodi decretis ſubſciberent: dixitque, teſte Spondano, *ſe moriturum jam felicem, ſi nunquam genuiſſet:* ſubinde illud Davidicum ingeminans: *Si mei non fuiſſent dominati, immaculatus eſſem & emundarer à delicto maximo.* Idem Spondanus ait, *maxime ideo culpatum, quod ad domeſticam fortunam amplificandam ſe totus contuliſſet, & exiſtimationis atq; reip. periculum ſæpe parvi feciſſet, dummodo voti compos fieret.*]

1550. CCXXX. *Julius III. Aretinus, antea Joh. Maria Montanus, in Tridentino concilio olim præſes.* 5

[Decimo celebravit annum Jubilæum. Cum autem antiqua conſvetudine galerum cardinalitium, pontifex factus, alicui elargiri deberet, Innocentio Simiæ, adoleſcenti laſcivo, quem in deliciis, tanquam Jupiter Ganymeden, habebat, eum non ſine multorum offendiculo impoſuit: & totos dies rebus voluptuariis impendit: privatis caritatibus intentior, quam publicis neceſſitatibus: & ob id fabula vulgi factus. Facetum illum dicerem, niſi facetias dicti commacularet ſententiæ impietas. Nam ob pavonem, quem ad cœnam usque in prandio aſſervari juſſerat, cum non reperiretur, ira effervescens, & in maledicta erumpens, hoc ſibi licere arbitratus eſt, *quum DEUS propter unum pomum*, quod

Panvin. ad Plat. n. p. 38?. & ſeq. nec non in vita Marcelli p. 385. VVolff. Tom. 2. Lect. Memor. p. 696. 758. Papirius Maſſonius in Vita Julii III. lib. 6. pag. 401. Thuan. lib. 15. p. 458.

quod minoris eſt multo, quam pavo, ejecerit primos parentes ex paradiſo. Morbi ſimulatione illum ſerio morbum contraxiſſe, qui eum brevi tempore abſumſit, *teſtis eſt Thuanus libro XV.* Fama illi & eccleſiæ Romanæ quæſita eſt *à quodam Simone, qui ſe jactabat miſſum eſſe ab eccleſiis Aſſyriacis & Indicis*, ut pallium patriarchale ſub obedientia eccleſiæ Romanæ ab eo acciperet: & ab alio *Marderio*, Aſſyrio Jacobita, qui credebatur a patriarcha Antiochiæ miſſus, ut obſequium papæ Romano promitteret. Hæc jactantia, à vanitate orta, in riſum tandem & contemtum deſiit. sub illo *Anglia poſt obitum Eduardi VI. ſub Maria*, non ſine multo martyrum ſanguine, ad obedientiam Romanæ eccleſiæ retracta eſt: ſed ſub Paulo IV ſuperſtitioni iterum per *Eliſabetam* erepta.]

Panvin. in Catal. Pontif. p. 621. & in Vita p. 392.

1555. CCXXXI. *Marcellus II. Cervinus Tuſcus, nomen non mutavit, & dies XXI præſedit*

[Et hic legatus fuit in concilio Tridentino: ipſoque Onuphrio & Thuano teſte, aſſeruit, *non poſſe ſalvari, qui locum pontificis altiſſimum tenerent.* Et fuiſſet, ſi quisquam alius, pontificiæ reip. neceſſarius pontifex, ſi vixiſſet. Scripto edito, cum adhuc Cardinalis eſſet, conſuluit, *expeditionem in Lutheranos potius, quam in Turcas adornari debere.*]

1556. CCXXXII. *Paulus IV. Neapolitanus, antea Johannes Petrus Caraffa, Comes Mataluna, ex ordine Theatinorum.* 4 1/4

Franciſc. Modius in Pandect. Triumphal Tom. 1. lib. 4. f. 167. Thuan. lib. 15. p. 466. lib. 20. p. 613. Panvin. in Vita pag. 402. 403. Laurent. Surius Comment. Hiſtor. p. 424. Petr. Suavis Polan. lib. 5. Hiſtor. Concil. Trident. p. 456. 466. Carriere in D geſt. Chronol. Papal. p. 82. Oſiand. Cent. 6. l. 3. c. 31. p. 670.

[Epiſcopatum olim oblatum reſpuerat. Cardinalitia dignitas gratior viſa. In omnibus actionibus majorem oſtentavit magnificentiam & ſumtum, quam ſuperiorum pontificum ullus. Rogatus ab hoſpitii ſui præfecto, ad quam formulam pontifex factus vellet vivere, *magnifice*, reſpondit, *& ut ſummum principem decet.* Severitatem ejus in Caraffis, agnatis & nepotibus ſuis puniendis, qui poteſtate abuſi omnia confuderant, *egregie deſcribit Thuanus libro XXII.* Hoc imprimis de illo dignum notatu videtur, quod, cum Carolus V. ad ſolitudinem vitæ in fano Juſti degendæ, in Hiſpanias profectus, imperium ad fratrem Ferdinandum ſuffragiis electorum detuliſſet, Guzmannus, ſupremus majeſtatis Camerarius, Romam miſſus ſit de diademate imperiali petendo. Sed ecce Antichriſti animum Chriſti vicarium! Guzmannus integris tribus menſibus non admittitur: curia Romana diſputante, *nemini, niſi ſedi pontificiæ, nec Ferdinando ſine conſenſu pontificis, à Carolo imperialem dignitatem cedi potuiſſe: ipſum Ferdinandum eminentiæ tantæ capacem non eſſe, ut qui Maximilianum filium male educaret, hæreſes gladio non exſtirparet, Lutheranos cum pontificiis promiſcue converſari permitteret, colloquium Wormatienſe*

matienſe ſine conſenſu Papæ aperuiſſet, in acta Comitiorum præteritorum juraſſet, imperatoris nomen propria autoritate ſuſcepiſſet, decretum pontificiale contra communicantes ſub utraque ſuſpendiſſet. Quid, quæſo, eſt innocentem inique gravare, ſi hoc non eſt? Tandem Guzmannus eluſione quadam deliberata ac fruſtratoria dimittitur, nec de diademate Cæſari fert reſponſum. Ille igitur, exemplo Rudolphi Habſpurgenſis, progenitoris ſui, legitima Germaniæ principum electione contentus, quod Paulus denegaverat, cum id Pius IV. ſponte offerret, animo excelſo reſpuit. Auſpiciis hujus pontificis *inſtitutiones juris Canonici*, opera Lancellotti, ſunt edita. *Inquiſitioni Hiſpanicæ*, ſi quis alius, oleum ſuffudit. Cum *novam eccleſiarum hierarchiam*, cum Philippo II reg. Hiſpaniarum, in Belgio, cum omnium ordinum indignatione molitetur, turbæ ab hoc tempore in Belgio cœperunt: quibus tandem factum eſt, ut florentiſſimis provinciis rex exueretur. Illis tranquille uti frui potuiſſet, ſi veram potius à fidei confeſſoribus, quam fucatam à ſacro jurium regalium invaſore religionem didiciſſet. Memorabile eſt, cum Henricus VIII. & Eduardus VI. reges Angliæ, poſt abolitam pontificis autoritatem, Hiberniam in regnum erexerant, quod *Hiberniam regio titulo à dicto ornaverit*, quaſi in ipſius tantum poteſtate ſit, regiam dignitatem dare. Donavit, quod auferre non poterat.]

1560. CCXXXIII. *Pius IV. Mediolanenſis, antea Johannes Angelus Mediceus.* 6

[Inquiſitionem Hiſpanicam paſſim locorum promulgavit, & indulgentias illis etiam annis alligavit, qui non ſunt Jubilæi: initiumque vidit tumultuum Belgicorum ob executionem Concilii Tridentini, quod continuari curaverat: exiguam præ ſe de paſtorali officio ſolicitudinem ferens, *uti dixit Thuanus libro XXXVI. quem imprimis vide libro XXXVIII*] Panvin. in App. ad Platin. pag. 419. VVolff. Tom. . . Lect. Memorab. pag. 811. Thuan. lib. 38. p. 415.

1566. CCXXXIV. *Pius V. Lombardus, in baptiſmo vocatus Antonius; in ſuſceptione habitus Dominicani Michael: ex humili familia Gisleria ortus.* 6

[Pius hic fuit, ſed in ſuperſtitione ſua; probus, ſed non Chriſto, verum Romanenſibus. Edidit *catechiſmum Romanum, Breviarium, & Miſſale, ex decreto Concilii Tridentini,* in cujus executione ſatis crudelem ſe gеſſit. Amavit probitatem morum, & curiam, quantum potuit, ad modeſtam vitam revocavit. Meretrices Roma expulſurus, reclamantes invenit Romanos. Hinc illis in angulo urbis reliquit. Anno Panvin. in Catal. Pontif. pag. 637.

LXVIII. bullam promulgavit, qua cavebatur, *ut clerus ubique à tributis & vectigalibus & aliis oneribus ſubditorum liber eſſet.* Sed illam rigide impugnarunt, nec promulgari apud ſe voluerunt rex Hiſpaniarum & Veneti, quia hac ratione ſua prædia imminuerentur, & in deteriorem conditionem conjicerentur, quam regis Francorum, cui nova quotidie ſubſidia ab eccleſiæ miniſtris exigere concederetur. Sub illo *dux Albanus* in Belgio immaniter ſæviit. *Coſmum Medicum*, indignante Maximiliano II. poſt obitum Alexandri nothi, quem Carolus V ducem Florentiæ creaverat, *ducem magnum Hetruriæ creavit.* Junctis cum rege catholico & Venetis armis, memorabilem apud Naupactum victoriam à Turcis in navali prælio reportavit. Epitaphium ludicrum ei ſcripſit Joh. Major:

Papa Pius quintus moritur, Res mira, tot inter
Pontifices tantum quinq; fuiſſe pios.]

1572. CCXXXV. *Gregorius XIII. Bononienſis, antea Hugo Boncompagnus, JCtus.* 13

Beyerl. in Opere Chronogr. p. 6. Franciſcus Pola in Orat. funebri. Cicarella in ejus vita. p. 498. Carriere p. 82.

[Cum alia collegia pro aliis, tum ſumtuoſiſſimum pro centum Germanis, ut educarentur, qui pontificiam dignitatem in Germania poſtliminio aſſererent, Romæ extruxit: *Calendarii correctionem* publicavit: callidis conſiliis ſedi ſuæ fulcra variis in locis per Jeſuitas & alios emiſſarios quæſivit: ex Moſcovia & ultima orbis inſulæ Japonia legatos audivit: indulgentias publice proclamari & gratis accipi juſſit. Sed fruſtra. Nemo, earum vanitate cognita, eas amplius, ne teruncio quidem, redimere voluit. *Septimum Decretalium librum,* opera Petri Matthæi, componi curavit. Tempore illius *ſtella nova in ſigno Caſſiopeiæ* anno LXX I. apparuit.]

1585. CCXXXVI. *Sixtus V. antea Felix Perretus, Montaltus, ex Marchia Anconitana.* 5¼

Carriere p. 82. Beyerl. in Chronogr. pag. 134. 144. 150. 158. 189. Gualther. in Chronogr. Eccleſ. p. 744. Thuan. lib. 100. p. 903. 910 lib. 102. p. 1012.

[Quia domus, in qua ex parentibus pauperculis genitus erat, magna parte fuit lacera & diſcooperta, & à ſolis radiis undiquaque illuſtrata, natum ſe illuſtri domo dixit. In adminiſtranda juſtitia, & quiete publica procuranda, rigorem adhibuit, inque innocentes etiam deſævit, *ut Cicarella narrat.* Obeliſcos urbis magno cum labore tranſtulit & reſtauravit. Nonnullis ædificiis, & imprimis xenodochio, urbem exornavit. Bibliothecam novam in Vaticano condidit. Henricum regem Navarræ, & Henricum principem Condæum, ob hæreſin intentatam excommunicavit. In corradendis undique pecuniis aſſiduus fuit.

Reli-

Reliquit in theſauro X. milliones, non niſi adverſus eos, qui à ſede pontificia defecerant, erogandos. Britanniam, quam Eliſabetha regina ſacris impoſturis ſubtraxerat, regi Hiſpaniæ decreto addixit: fruſtra tamen, quia claſſis CXXXIV. navium, qua Hiſpanus Britanniam ſubjugare voluit, perdita eſt.]

1590. CCXXXVII. *Urbanus VII. Romanus, antea Johannes Baptiſta de Caſtanea, poſt XIII. dies ante inaugurationem mortuus.* Beyerl. p. 182. & in Theatro vitæ lib. 12. p. 53.

1590. CCXXXVIII. *Gregorius XIV. Mediolanenſis, antea Nicolaus Sfondrata.* 3/4

[Hic non ſolum aliquot militum millia adverſus Gallos miſit, ſed & Henricum, regem eorum, excommunicavit. Sed ſenatus Galliæ diploma pontificium, tanquam ſeditioſum & verbo DEI Gallicarumque eccleſiarum libertati contrarium, à carnifice lacerari & exuri curavit, papamque, tanquam turbatorem pacis & hoſtem regni Galliæ, proclamavit. Sub illo peſtis & fames Romam vexavit.] Beyerl. p. 186. Carriere p. 83. Thuan. lib. 102. p. 1021. ſeq.

1591. CCXXXIX. *Innocentius IX. Bononienſis, antea Johannes Antonius Fachinettus.* 1/4 Thuan. loc. cit. p. 1023.

[Egregius ærarii & annonæ curator fuiſſe fertur.]

1592. CCXL. *Clemens VIII. Florentinus, antea Hippolytus Aldobrandinus.* 13

[Regem Galliæ Henricum IV. poſtquam fidem ejurarat, ab anathemate abſolvit: reges orbis ad concordiam inter ſe, & ad arma in Turcam dirigenda ſollicitavit: invento & adorato S. Cæciliæ corpore, ſi Baronio credimus, ſanatus eſt; Ferrariam recuperavit. Cum Adolphus II. dux Ferrariæ & Mutinæ, anno XCVIII. diem obiret ſine heredibus, *Ferrariam* tanquam vacuam, Petri patrimonio adjunxit: Sed Rudolphus II. *Mutinam*, imperii feudum, in beneficium conceſſit Cæſari, Alphonſi II. patrueli, Alphonſi I. ex filio notho Alphonſo nepoti.] Beyerl. p. 214. & 240. lib. 8. Theatr. p. 126. Thuan. lib. 103. p. 1068. usque 1072.

1605. CCXLI. *Leo XI. Florentinus, antea Alexander Mediceus, archiepiſcopus in patria, poſt XXV. diem obiit.*

1605. CCXLII. *Paulus V. Romanus, antea Camillus Burgeſius.* 16

[A ſtudio baſilicas amplificandi admodum commendatus, Rudolphum II. imperatorem adverſus Turcas auxiliaribus copiis adjuvit: Ferdinando II. imperatori adverſus Bohemos ſuppetias pecuniarias ex decimis largiter tulit: inſignem apud ſuos laudem meruit: à Venetorum tamen excommunicatione infelicior, qui edixerant, *ne bona immobilia in perſonas eccleſiaſticas alienarentur, nec eccleſiæ & monaſteria, aliaque ædifi-* Chytræus in ſupplemento Saxon p. 104. usque ad 107. Janus Nicius Erythræus in Pinacotheca p. 39. & 90.

Panvin. in Can. P. aut qui hic deſinit p. 640. Thuan lib. 134. p. 1066. Aitzeman. 4. Rer. Viennenſ. p. 50. Lydius in Contin. Balæi p. 354. Carriere. p. 54. Bzov. Tom. 17. p. 664. 680. & ſeq.

ædificia ſacra de novo, abſque licentia Ducis & Senatus, erigerentur, nec denique eccleſiaſtici facinoroſi à cenſura, judicio, & animadverſione Ducis & Senatus exemti haberentur, ſed pro merito graviter punirentur. Veneti autem, ſententia Pontificis excommunicatoria, tanquam injuſta, irrita & illegitime fulminata, maſcule contemta, eccleſiaſticos juſſerunt in officio ſuo perſiſtere. Jeſuitæ, ad ſententiam Papæ, ditionibus Venetorum exceſſerunt, & hactenus illis exularunt, donec ante paucos annos, cum Venetis adverſus Turcas auxilia ſubmittebantur a Papa, ſunt reſtituti. Tandem Galliæ regis interventu, cum Papa nihil proficeret, Veneti à fulminis bruti ictu abſoluti ſunt. Controverſiam *de gratiæ divinæ auxiliis & libero arbitrio*, inter Dominicanos & Jeſuitas, libere poſſe ab utraque parte ſine alterius damnatione agitari, hic pontifex ſanxit. *Rudolphus* imperator ejus tempore, anno cIↄIↄ IX. *Bohemis, Sileſiis & Moravis libertatem religionis literis majeſtaticis indulſerat.* Idem poſt triennium fecerat *Matthias*. Cum Bohemi templa extruerent pro repurgata religione, epiſcopi & abbates eorum aut demolitionem, aut poſſeſſionem à *Ferdin. II.* impetrarunt. Proceres Bohemiæ remedia cauſæ ſuæ ab imperatore petebant. Cum non exaudirentur, in fœdus pro tuenda libertate cum amicis vicinis coëuntes, imperatoris miniſtros loco moverunt: nonnullos etiam per feneſtram præcipites egerunt: *Fridericum, electorem Palatinum*, ſibi regem elegerunt. Hinc *bellum illud in Germania tricennale*, alibi deſcriptum: in quo cum Ferdinandus, inſtinctu pontificis, anno cIↄIↄCXXIX. *edicto Cæſareo*, XIV. epiſcopatus & multas alias præfecturas ſuperſtitioni ſacrificulorum reddi juberet, omnia magis exaſperabantur. Ejecto Palatino tam è regno, quam è Palatinatu, *electoratus devolutus eſt in Bavarum.* Prodiit ſub hoc pontifice anno X. *undecimus tomus Bellarmini:* in quo negat regum Hiſpaniæ jura in Siciliam. Opus edicto regis proſcribebatur, teſte Gab. Barth. Gramondo. *Statuam Coloſſeam æneam ingentem*, hactenus neglectam, ex ruinis templi à Veſpaſiano quondam Paci dicati, priſtino nitori in honorem beatæ virginis reſtitutam erexit]

Caraffa in German. reparata.

1621. CCXLIII. *Gregorius XV. Bononienſis, antea Alexander Ludoviſius.* 2½

Bayerl. in Theatr. Tom. 4 lib. 1. p. 126. ſeq. Tom 6 lib. 14. p. 542. ſeq.

[Ignatium Lojolam, Jeſuitici ordinis fundatorem, cum Iſidoro Hiſpano, Philippo Nerio, Tereſia & Franciſco Xaverio, in catalogum & canonem ſanctorum recepit, & denuo, ne in Romana eccleſia ulterius de

Ma-

Mariæ conceptione, quam aliqui in peccato originali conceptam eſſe negabant, reliqui aſſerebant, diſputaretur, conſtituit.] 14 p. 542. ſeq. Caraffa in German. reſtaurata p. 95. ſeq.

1623. CCXLIV. *Urbanus VIII. Florentinus, antea Maphæus Barbarinus.* 21

[Vir doctus, & in lyricis carminibus antiquorum elegantiam affectus. *Jubilæum* celebravit, ad illud invitato *Uladislao Sigismundo*, Poloniæ rege: qui poſt victorias de Ruſſis, Dacis, Tartaris & Turcis comparuit magno comitatu, & Canonicis baſilicæ principis apoſtolorum accenſus, gladioque & pileo à pontifice ornatus, coram vidit, ut pontifex ſacroſanctus diademate triplici & plusquam regio caput cinctus, cum clero ſuo, cereos ardentes geſtante, & campanis undique ſonantibus, inter tubas progreſſus, auream portam malleo percuteret, dum interim fabri fractum à ſe murum aperirent. Hic pontifex *titulum Eminentiſſimi* Cardinalibus & Magiſtro Hoſpitalis Hieroſolymitani primus impertiit. Tempore illius, cum *Franc. Maria II. dux Urbini* ſine maſcula hærede decederet, ducatus Urbini ceſſit patrimonio Petri jure caduci. Hac ad majeſtatem papæ additione factum eſt, ut à Terracina, limite regni Neapolitani Loreum usque, primum Venetorum oppidum, ditio pontificia ſe per CCC. milliaria longitudinis continua extendat, & latitudinem habeat ab Oſtia ad Anconam, è mari infero ad ſuperum. Satis id pro rege ſacrificulo; qui jam, præter Romanum agrum inter Romam & regnum Neapolitanum, & præter patrimonium Petri, quondam à Mathilde eccleſiæ in Hetruria à Roma verſus Florentiam donatum, poſſidet Umbriam ſeu ducatum Spoletanum, Picenum ſeu Marchiam Anconitanam, inque ea ducatum Urbinatem, Romaniolam ſeu Flaminiam & Æmiliam; in agro Neapolitano Beneventum; in Galliis Comitatum Avenionenſem; in Mediolanenſi tandem territorio ducatum Parmenſem: qui, ut & ducatus Caſtri, eſt in ipſius beneficio. Hoc ducatu Caſtri Parmenſem, qui eum beneficiario jure obtinet, Urbanus VIII. exuit: integroque triennio res armis acta eſt, donec pax Parmenſi redderetur. Hic Pontifex damnavit opinionem de terræ motu circa ſolem immobilem, tanquam Scripturæ contrariam]

Beyerl. l. cit lib. 14. p. 537. Carriere pag. 84. Bzovius Tom. 18. Annal. pag. 171. usq; 175.

1644. CCXLV. *Innocentius X. antea Johannes Baptiſta Pamphilius.* 11.

[Pacificationem Osnabrugenſem, in qua tranſactio Paſſavienſis & pax religioſa eſt ſtabilita, explicata & novis legibus aucta, ſolemni nullitatis declaratione voluit irritam facere. Sed Germania, hoc Papæ co- Laur. Banck in Roma triumph. c 9 p. 116 Carriere p. 84. & ſeq. Ludov.

Montalt Epiſt. 17 Provinc. p. 466. Confer. Hülſemann. de Auxil Grat. p. 308. & Hebdebr. D ſp. Theol. 12. th 40.

Carriere p. 85. Paſtorius in Henninge redivivo p. 159.

natu ſusque deque habito, in exoptatam pacem armis depoſitis amice coiit: nihil curans ejus proteſtationes jam per nuncium factas, jam per tabulas affixas. Damnavit Janſenitas in controverſiis Dominicanorum contra Jeſuitas, & in orthodoxis coarctandis fuit occupatiſſimus.]

1655. CCXLVI. *Alexander VII. ante Fabius Chiſius, epiſcopus Neritonienſis in Calabria.*

[Nuncius antea fuit pontificius ad transactionem Monaſterienſem. Papa factus, Chriſtinam Sveciæ reginam, ſacris Romanis poſt diadema depoſitum initiatam, hoſpitio excepit; eoque ipſo tempore, quo Poloniam Sveci, Tranſilvani & Coſaci oppugnare cœperunt, & Ferdinandus IV. imperator mortalitatem explevit, tyrannidem in evangelii contra traditiones humanas confeſſores in Auſtria & alibi exaſperavit.]

CONTINUATIO HARTNACCIANA.

Edita bulla condemnationem quinque propoſitionum Corn. Janſenii ab Innocentio prædeceſſore improbatarum confirmavit, inque tumulo ejus hæc verba: *Verus interpres D. Auguſtini & gratiæ divinæ catholicus defenſor*; delenda cenſuit. Cum porro ejusdem Doctoris partes in Gallia invaleſcerent, graviori fulmine eadem dogmata petiit. Novum porro librorum prohibitorum Indicem edidit, ac ne Pontificum quidem ſuperiorum bullis, celebribusque ſuæ communionis autoribus in ea pepercit. Sorbona vero annitentibus Parochialibus civ. Pictonum viciſſim in Jacobi Vernantii propoſitiones Pontificiæ poteſtati admodum velificantes cenſuram ſtrinxit. Brevi poſt inter Pallavicinum, Svavem & Julium Clementem controverſia oborta: utrum Eccleſia Romana, poſt Synodum Tridentinam in pejus deflexerit, nec ne? atque ſingularis quoque Sententia Jeſuitarum de Probabilitate actionum moralium regula multis arrideret, indeque paradoxa plurima deducerentur; non potuit Sorbona, quin graviter hoc quoque inſtitutum improbaret. Pontifex quidem exarato ad Regem Brevi revocari decretum iſtud petebat; Rex autem Brevi illo ſupremæ Curiæ examini ſubjecto, non dubitavit cenſuram iſtam Sorbonæ ratam habere, Pontificisque adeo infallibiſitatem conſtanter refutavit, prout videre eſt in Conſilio Parlamenti, quo collectio variorum ſcriptorum in cenſuras Facultatis Theologicæ Pariſienſis de Hie-

Hierarchia Eccleſiæ & Theologia Morali continetur. Hiſpanorum porro in gratiam Thomam Villanovanum Valentiæ quondam Epiſcopum in ſanctorum numerum retulit: contra verò in Miſſale Romanum Gallice editum acerrime invectus eſt, autores ejus in bulla A. 1660. 12. Jan. vocans *filios perditionis, in perniciem animarum novitatibus ſtudentes, Eccleſiaſticas ſanctiones & praxin contemnentes.* Anno autem ſequenti ut Regem quoque Galliæ placaret, Franciſcum de Sales, Epiſcopum quondam Gebennenſem pariter inter Sanctos retulit: Virginem ad hæc Deiparam præveniente Spiritus S. gratia à peccato Originis præſervatam edita Bulla adſtruxit: ſimul tamen in gratiam Dominicanorum, qui peccato Originali eam fuiſſe infectam docebant, ne quis hos crimine hæreſeos notaret, ſedulo cavit. Denique cum Jeſuitæ de attritionis efficacia nullaque amoris divini ad ſalutem neceſſitate paradoxa quædam jactarent, bulla ad valvas Baſilicæ Petri, in campo Floræ aliisque locis affixa prohibuit, ne quis adverſus ſententiam eorum calamum ſtringeret. Obiit Anno 1667. d. 22. Maji, annos natus 68. cum ſediſſet annis XII. menſ. I. d. XV.

1667. CCXLVII. CLEMENS IX. nomine ante Julius Roſpiglioſus, Piſtoja Hetruriæ civitate oriundus, undecim annis Romæ præfectus, cum doctiſſimis in Europa viris literarum commercia fovit; ſub Alexandro dein Papa purpura ornatus in locum illius, ſaltem ut ægre Mario ejus fratri & Cardinali Chiſio fieret, d. 10. Jun. ſuffectus eſt. Anno itaque ſequente controverſiam Janſenianam ſopivit; Ludovicum Beltrame & Petrum de Alcantara Hiſpanos, nec non Magdalenam di Pal. y Florentinam ſanctis annumeravit. Judæos paucis exceptis Roma exegit; Ordines quosdam religioſos, congregationes videlicet Canonicorum in Alga Venetiarum, ac fratrum Jeſuatorum S. Hieronymi de Fæſulis ſuppreſſit, reditusque eorum & bona in diſtrictu Reip. Venetæ ſita, ad Bellum Turcicum gerendum conceſſit. Mox triſti de amiſſione Candiæ accepto nuncio deceſſit d. 9. Decembr. Anno Chriſti 1669. Sedis A. 2. M. 5. d. 20. ætatis 70.

1670. CCXLIIX. CLEMENS X. Romanus, ante Æmilius Altieri dictus, Epiſcopus Camerinus, ſenex decrepitus, annum quippe jam agens octuageſimum, poſt quatuor demum menſes nempe Anno 1670. d. 19. April. in prædeceſſoris locum ſurrogatus,

Ferdinandum Catholicum Hiſpaniæ olim Regem & Franciſcum Borgiam è Societate J[e]ſu in Sanctorum ordinem adſcivit: anno etiam ſequente Pium V Pontificem eorundem numero addidit. Editi hac tempeſtate in Eccleſia Romana libri duo, quorum uni titulus: *Monita ſalutaria B. virginis Mariæ ad indiſcretos ſui cultores*: alteri contra Mainburgium Jeſuitam, *tribus primis ſeculis in Eccleſiis & Proſeuchis nullas imagines expoſitas fuiſſe*, non parum indignationis atque invidiæ concitarunt. A. 74. Jubilæum non ſine uberrimo Cameræ Pontificiæ proventu egit, eidemque finem impoſiturus Portam Sanctam ſolenni ritu clauſit; quod & aliis in locis duo Cardinales fecere. Obiit tandem An. 1676. d. 22. Jul. ætatis 87. cum ſediſſet A. VI. M. II. d. 24.

1676. CCXLIX. INNOCENTIUS XI. nomine olim Benedictus Odeſchalcus, Patria Comenſis, è tractu Mediolanenſi, Patre Livio Odeſchalco Argentario & matre Paula Caſtella natus, prima apud Jeſuitas tyrocinii rudimenta poſuiſſe, inde militatum adverſus Turcas in Sarmatiam abiiſſe fertur. Reverſus inde ad ſtudia Neapoli Doctor renunciatus Romam ſe contulit, ibidemque ab Urbano VIII. Protonotarii Apoſtolici munus adeptus eſt: hinc Præſes Cameræ Apoſtolicæ, & Apoſtolicus porro Commiſſarius; Præfectus deinceps Marchiæ Anconitanæ A. 1645. ab Innocentio X. d. 6. Martii Olympia intercedente purpura ornatus eſt. Biennio poſt nuncius Apoſtolicus Ferrariam miſſus, indeque reverſus Epiſcopatum Novarienſem adeptus eſt. Huic muneri cum quinque fere annis præfuiſſet, reſignavit illud in manus fratris ſui Julii Mariæ Ordinis Benedicti; ſervatis ſibi tamen quatuor ſcutatorum millibus, quæ inter pauperes illo in Epiſcopatu diſtribuerentur. Reverſus Romam & in Congregationem Cardinalium Sacerdotum receptus, plurimis Societatem JEſu opibus ju[v]it. In bellum quoque Sarmaticum adverſus Turcas ſexaginta millia ſcutatorum impendit. Plurima paſſim templa & Xenodochia diverſis in locis ſumtibus ſuis extruxit & locupletavit, ut non immerito ab Innocentio X. pater pauperum dictus fuerit. Poſt obitum ergo Clementis X à Reccanato Capuccino effuſis in Cardinalium conclavi laudibus ornatus adnitentibus Gallis unanimi ſexaginta trium ejus ordinis conſenſu ſummus Pontifex renunciatus eſt. Cum arcana ergo Nepotiſmi jam olim Alvarus Pelagius Johannis XXIV.

Pœni-

Pœnitentiarius libro de Planctu Eccleſiæ 2. art. 15. Franciſcus Rotomagenſis Lib. 1. de Reb. Eccleſ. cap. 9. & Julius Clemens Scotus notis ſexaginta quat. adv. Pallavicinum p. 126. detexiſſet, ipſeque à Clemente VIII. ad ſua usque tempora ſeptendecim auri millionibus Cameram Pontificiam initis rationibus N. potiſmum illum emunxiſſe deprehenderet, abrogare eum plane inſtituit; Livio itaque Odoſchalco fratri, conceſſis omnibus bonis ſuis tam mobilibus quam immobilibus, hanc conditionem dedit, vitam ut privatam ageret: quamvis poſtmodum à Rege Catholico inter Grandes Hiſpaniæ receptus fuerit. Sed cum initio Pontificatus ſui plurimi ſe Cardinalium opponerent, quo minus Bulla de abrogando hoc Nepotiſmo in publicum ederetur, plurimis eorum ſucceſſu temporis vita excedentibus Anno demum 86. XXVII. alios creavit, eosdemque autoritate ſua eo adegit, ut ſua quisque manu bullam de tollendo prorſus Nepotiſmo ſignaret, ſanctèque juraret, ſe non commiſſurum, ut futuro ſucceſſori ex reditibus Eccleſiæ liceret conſangvineos ſuos ditare, & ad invidendas dignitates provehere. Reclamaſſe tamen magnam veteris Collegii partem, publicis literis proditum eſt. Abolito quoque Cardinalis Patroni nomine, Cardinalem Cibo Secretarium Status & Superintendentem appellari voluit. Congregationem quoque de reformanda Eccleſia adornavit, & miniſtris ipſe ſuis graviter interdixit, ne quis illorum munera captaret. Civitati Comenſi duodecim millia ſcutatorum, quæ ex Abbatiæ illius reditibus ſibi quotannis ut Cardinali pendenda fuerant, remiſit, hac tamen ſubnexa conditione, ut illa inter pauperes ejus civitatis atque Abbatiæ dividerentur. Quia autem brevem orationem penetrare cœlum, & indulgentiarum multitudine magnam in Eccleſia confuſionem obortam agnovit, publico decreto plurimas delevit, præcipue conceſſas à Johanne II. Sixto IV. Urbano II. Eugenio III. Innocentio III. Bonifacio IX. Johanne XXII. Alexandro VII. Leone X. Pio IV. Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. & Clemente X. Abrogavit porro jus Aſyli, ne ſcil. facinoroſis in Legatorum ædibus tuta porro receptacula & perfugia habere liceret. Clericos noluit veſte uti holoſerica, neque Pontificos demisſis ornari ad terram usque togis. Prædicantibus ac confeſſariis injunxit, ut fœminas ad modeſtiorem habitum reducerent, uberumque tandem nuditatem ſub pœna excom-

municationis prohibuit. Ordines Canonicorum S. Salvatoris, Eremitarum & S. Hieronymi abrogare inſtituit; quamobrem plurimis ſcriptis petitus, libro præcipue Italico, cui titulus: *Il Vaticano languente*, & alio quodam latino *de Pontificatu ægrotante*. Etſi vero Pariſiis autoritas ejus multum theſibus quibusdam publice affixis labefactari cœpit, inter quas præcipuæ fuerunt: Papam tantum habere poteſtatem in ſpiritualibus; Nullum principem ſecularem ſubeſſe Papæ; Papam vero ſubeſſe Concilio, Ejusque decreta absque Catholicæ Eccleſiæ conſenſu non obligare &c. Mirum tamen in modum exultavit pulſis è Gallia Hugonottis, Brevi miſſo Regi id propter gratulatus eſt, atque Romæ magnifica pompa feſtum egit diem, hymnumque ſolennem: *Te DEUM* &c. intonare juſſit. Præſidi interea Spinolæ mandavit, curaret ſedulo, ne longiori mora proceſſus Inquiſitorii traherentur: ſed qui deliquiſſent, quam primum vita vel exilio plecterentur. Virginibus quæ in Monaſteriis ad vigeſimum quintum usque ætatis annum educatæ fuerant, cœlibem vero vitam averſarentur, de conjugio ſedulo proſpectum voluit. Nullas autem privatis in ædibus: ſed publicis tantum iisdemque ſacris matrimonio conjuges à Sacerdotibus jungi debere, ſub gravi pœna edixit. Agnatum ſuum Thomaſium Odeſchalcum Secretiori ſuæ cameræ & dividendis ſolum in pauperes iis eleemoſynis præfecit, quas adhuc Cardinalis eum in finem aſſervaſſet. In cauſa Sigisburgenſis Monaſterii cum judicem ſe interponeret, atque in Conſiliarios Electoris & Archi-Epiſcopi Colonienſis excommunicationis virgulam ſtringeret, maſcule ſe oppoſuit illi Imperator, miſſo ad eundem Electorem & Principem Palatino-Neoburgicum mandato ſine clauſula, *ut revocari curarent declarationem illam cenſurarum, Proceſſuiq; Rotali renunciarent.* Ad bellum tamen adverſus Turcam fortius feliciusque gerendum tertiam partem redituum Eccleſiaſticorum Pontifex Imperatori è terris & regnis ſuis hæreditariis addixit, miſſoque ad eosdem Clericos in Hiſpania Brevi, ſerio eos admonuit, ut quibuscunque poſſent ſumtibus Imperatori ad hoc bellum opem ferrent. Eadem quoque ratione de ſumtibus bellicis Electori Bavariæ è reditibus clericorum, nec non Reipublicæ Venetæ ex iisdem in terra ſua continente proſpexit. In placita Michaëlis Molinos Hiſpani, quæ paſſim jam in Italia & Gallia Cardinalibus quoque nonnullis, principibus

pibus viris nec non diverſi ordinis clericis arridebant, ſeveriſſimam Inquiſitionem inſtituit. Ipſe primum Molinos Romam accitus, dogmati renunciare coactus, & carceri mancipatus eſt, in quo & finiiſſe vitam perhibetur. Grave fulmen Cardinalis Petruccii liber ſenſit, quem ille *de Quiete pura & fide pura interna* luci commiſerat; unde ſectatores ejus dogmatis Quietiſtæ dicti fuere. Comes præterea Veſpiniani cum conjuge, Paulus Rochius Principis Burgeſii Confeſſionarius, P. Appianus è Societate JEſu, Antonius Maria de Leonibus, Dominicus Agneſi, Petrus de Pigna plurimique alii rei hoc nomine agebantur, è quibus decepti ſolum hoc dogmate, cum illud ejuraſſent, liberati carceribus fuere. Gravi etiam hac tempeſtate cenſura notatus fuit Cardinalis Cadamuſius Epiſcopus & Princeps Gratianopolitanus, eo quod *diligentius ſcripturarum ſcrutinium* inculcaſſet & *vim in religionis negotio adhibendam* diſſuaſiſſet. Diſplicuit item Pontifici celebris è Societate JEſu Doctoris P. Maimburgi, quod ille de *Eccleſia Romana* divulgarat; nec non P. Natalis Alexandri Dominicani opuſculum, quo *Pontificis infallibilitatem* in dubium vocarat. Igni denique adjudicati duo alii libri, quorum unus *de pluralitate mundorum*: alter, *de Antiqua Eccleſiæ diſciplina*. Ipſe tandem diuturno morbo fatigatus Pontifex, quieti ſe dare juſſus diem obiit Anno Chriſti 1689. d. 12. Auguſti, ætatis 78. M. 2. d. 3. Sedis XII. M. X. D. XXIII.

1689. ALEXANDER VIII. dictus ante Petrus Ottoboni, natus Venetiis An. 1610. patre Marco Ottobonio magno Reip. Venetæ Cancellario & matre victoria Torniella. Anno jam ætatis decimo in Academia Patavina mitra doctorali ornatus, vigeſimo Romam ſe contulit, ubi mox ab Urbano VIII. Referendarius Signorum, Auditor di Ruora & S. Officii Aſſeſſor renunciatus. An. 1652. ab Innocentio X. in Cardinalium numerum adſcitus, ab Alexandro VII. A. 54. ad Epiſcopatum Breſcienſem vocatus, à Clemente IX. Datarii loco, reliquisq; Pontificis legationibus plurimis, præcipue ad Rempubl. Venetam adhibitus. Denique ad ſummum hoc tandem dignitatis Eccleſiaſticæ culmen A. 89. d. 2. Octobr. evectus, pronepotem ſuum Petrum Ottoboni Protonotarium & ſupremum aulæ Pontificiæ miniſtrum: Antonium vero Ottoboni patruelem Datarium conſtituit; mox iſtum quoque Cardinalem & Regiminis Eccleſiaſtici Vice-Cancellarium: hunc Status Eccleſiaſtici General-

em,

lem, ejusque fratrem Archithalaſſum claſſis Pontificiæ: nec non agnatum ſuum Rubinum Status Secretarium, renunciavit. A Rege Galliæ per Ducem Chaunes Comitatum avenionenſem Innocentio ſedente interceptum recepit: Impoſitos frumento & eſculentis à Prædeceſſore cenſus, nec non ſpectacula publica abrogavit. Imperatori Romano, ſimul & Electori Bavaro è reditibus Eccleſiaſticis in ſuis cujusque terris certam pecuniæ ſummam cogere: Reipublicæ quoque Venetæ è reditibus Collegii de propaganda fide, atque ex Monaſterio Carceri haud exiguos colligere ſumtus ad bellum Turcicum, quin & eidem è territorio Eccleſiaſtico militiæ conſcribere ſupplementa conceſſit. Ipſe denique in claſſem illius civitatis maximam vim auri impendit. In Sanctorum numerum retulit Laurentium Juſtinianum Venetum: Johannem de Dio Inſtitutorem ordinis de infirmitate: Johannem de Facondo Ordinis Auguſtini Monachum: Paſchalem Baylonium, natione Hiſpanum, ordine Carmelitam: Johannem denique Capiſtranum è terra Abruzzo Minoritam. Ex adverſo autem Eccleſiæ Gallicanæ Anno 82. adverſus autoritatem Pontificiam theſes ſupra dictas, An. 91. 30. Jan. gravi cenſura notavit. Paradoxon Stephani Bougot è Societ. JEſu de Peccato Philoſophico: nec non alterius cujusdam, de non neceſſario ad ſalutem amore divino damnavit; denique Protonotarium olim Apoſtolicum & clericum Cameræ Gabrielli, qui immortalitatem animæ humanæ negaſſe, pluresque alios errores fovisſe dicebatur, carceri mancipavit. Diem obiit prima ſequentis Februi ex morbo, quo triginta fere diebus decubuerat, annos cum natus eſſet 80. 9. Menſ. d. 16. Sedis Anno I. M. III D XXIV. mortuo illo Generalis Procurator Pariſiis Regis Chriſtianiſſimi Appellationem adverſus Bullam Pontificiam interpoſuit, qua theſes Eccleſiæ Gallicanæ adverſus Romanam damnatæ fuerant.

1691. INNOCENTIUS XII. proprio atque gentilitio nomine Antonius Pignatelli, natus Neapoli A. 1615. 13. Mart. patre Franciſco Principe Mondorino & Marchione Spinazzolano, matre Portia Carafa, filia Ducis Andriæ. Puer adhuc doctiſſimis in Seminario Romano erudiendus traditus eſt; abſoluto autem ſtudiorum curſu Urbano VIII. Pontifici ut innotuit, vice Legatus ad Urbinenſes ab eo miſſus: ab Innocentio X. Inquiſitor Melitenſis & Gubernator

nator Viterbienſis conſtitutus, Nuncius item Apoſtolicus ad aulam Principis Hetruriæ: Ab Alexandro VII. ad Regem Poloniæ, & Imperatorem deinceps Romanum; à Clemente X. Epiſcopatui Leccenſi admotus, Secretarius Congregationis Epiſcoporum & Regularium, ad aulæ etiam Pontificiæ Præfecturam vocatus eſt: ab Innocentio XI. A. 81. purpura ornatus Legatus ad Bononienſes abiit; hinc Epiſcopus in civitate Faenza, mox Archi-Epiſcopus Neapolitanus, Anno tandem hujus ſeculi 91. ſummum inter Romano Catholicos Pontificatum meruit. Spem dedit omnibus futurum, ut literas ſupplices ipſe perlegeret, atque ſingulis menſibus ipſe quoque partibus id petentibus aures ſuas accommodaret. Secretarium Status Eccleſiaſtici a ſcivit Cardinalem de Spada, Supremum Theſaurarium Paravicinum, cui & Archi-Epiſcopatum Neapolitanum adminiſtrandum conceſſit; Spinolam in Præfectura urbis Patruo ſuo Johanni Baptiſtæ ſuccedere juſſit. Celeberrimum Profeſſorem Piſanum Heinricum de Noris, ex Hiſtoria Pelagiana erudite conſcripta Doctis notiſſimum, Bibliothecæ Vaticanæ præfecit. Initio Pontificatus id curavit ſedulo, ut Debitores Creditoribus ſuis ſatisfacerent. De abrogando Nepotiſmo perquam ſollicitus, bullam tandem publicavit, inque ea profeſſus eſt, Nepotum loco pauperes ſibi fore, omnemque curam adhibuit, ne quis ob egeſtatem oſtiatim victum quærere cogeretur, eamque in rem plurima paſſim Xenodochia conſtituit. Jacobi Britanniæ quondam Regis cauſam & precibus & opibus admodum juvit: In bello quoque Turcico gerendo nullis ſumtibus pepercit, atq; ſæpiſſime hactenus iisdem ex Monaſteriorum reditibus Imperatorem Romanum inſtruxit. Regi Poloniæ jus Patronatus in Monaſteria quædam & Abbatias conceſſit; hac tamen addita cautione, ut reditus illi in bellum Turcicum conferrentur. Compoſitis cum Eccleſia Gallicana diſſidiis Archi-Epiſcopos & Epiſcopos illius regni ſubmiſſionem & pœnitentiam quodammodo teſtatos confirmavit. Abbatem Gabrielli abjuratis erroribus cum poſſeſſionibus ſuis multasſet, in Peruſino caſtro: in Capram vero & Pignatam Quietiſtas graviorem pœnam decrevit: Veſpinianum carcere liberavit: ſed Abbatem Brochium diutius in eo aſſervandum cenſuit. Autor autem illius dogmatis Michaël Molinos Anno 1696. d. 29. Decembr. vitam in illo finiit. Mox alia vero præter hanc ſecta caput Romæ

extulit, nimirum Auguſtinus Gabrino Breſcia oriundus Principem ſe ſeptenarii Sacri vocabat, & qui eum ſequebantur, hos Johannæ Apocalypſeos equites appellari volebat: verum per ſedulam inquiſitionem mox in herba illa factio oppreſſa eſt. Cæterum nec in Societate JEſu quibusdam cum Patre ſuo Generali omnino convenit; Improbaverat hic enim novam illorum de probabilitate in Theologia morali ſententiam: Interdixerat iisdem negotia tractare ſecularia, aut ſecularibus rebus ſe immiſcere: nolebat eos Cardinalium Sacerdotum aut Principum virorum conviviis & menſis intereſſe: admonebat pariter eos, ne quis morti vicinos ſollicitaret, ut ſuæ teſtamento Societati proſpiceretur. Cum vero mandato Pontificis per Cardinales Panciatici, Albani, Carpegna, Spada & Mareſcotti ea res ad examen vocaretur, pronunciatum eſt pro Patre Societatis Generali. Sed Jeſuitarum quoque Antwerpienſium Hepſchenii & Papebrochi Volumina XIX. quæ de vitis Sanctorum ediderant, non minus Inquiſitione Toletana damnatos accepimus. Tria etiam volumina Johannis Thomæ Roccaberti Archi-Epiſcopi Valentiæ, quod autoritati Pontificiæ nonnullis in locis derogare viſus fuerat, in Indicem prohibitorium relata ſunt. Inſtituta deinceps ſevera quoque Inquiſitio in vitam clericorum, & præcipuè Canonici Regulares admoniti, ut regulam illam ordinis ſui accurate & ſedulò obſervarent Similiter in luxum veſtium atque conviviorum animadverſum eſt, latæque plurimæ leges ſumtuariæ. Etſi vero dum hæc refero in vivis adhuc Pontifex, monumentum jam tamen ſibi vivo è regione Comitiſſæ Mathildis extrui fecit cum hac inſcriptione: INNOCENTIUS XII. PONTIFEX MAXIMUS ELECTUS D. XII. Jul. MDCXCI. MORTUUS A. CHRISTI - - - - - -

LIV. Pontifices vidi. Quid ſi doctores Pontificios etiam adjungeres?

Sleidan. in Commentar. de Statu Relig. Matheſius in Vita Lutheri. Dannhauer. in Vita ejusd.

Eorum numerus ob multitudinem non facilius iniri poterit, quam locuſtarum ex puteo abyſſi exilientium. *Tecelium, Wimpinam, Eccium, Prieriatem, Hogoſtratum, Catharinum, Fabrum*, jam quæſtio XV. XVI. XVII. depinxit. Quibus ſuff ag ti, *Johannes Roffenſis epiſcopus, alias Fiſcher dictus, Th. Cajetanus, Th. Morus, Jac. Latomus Lovanienſis, Emſerus, Joh. Cochleus, Alb. Pighius Campenſis*, omnes adverſus Lutherum ſcripſerunt, *Eraſmus Roterodamus* ab initio quidem, nec promiſſo epiſcopatu,

ſcopatu, ad calamum in Lutherum ſtringendum commoveri potuit: poſtea tamen articulum de libero hominis arbitrio pro pontifice expoſiturus, cum eo in arenam deſcendit, ſed non eo, qui ſperabatur, ſucceſſu. Ventris etiam cauſa, non veritatis, quam perſpexiſſe creditur, calamum ſtrinxit *Reginaldus Polus*, Cardinalis Anglus, & Carolo Imp. ſvaſit, ut, Turcis neglectis bellum inferret Lutheranis. Quibus *Hier. Aleander*, Judæus, cujus vitam legere eſt *Tomo I. Lutheri pag. 413. & Marinus Caracciola*, Cardinales, ita quoque infenſi fuerunt, ut, libris Lutheri anno XXI. in comitiis Wormatiæ combuſtis, *magnam ſe in Germania lanienam concitaſſe dicerent, qua Alemanni ipſi in ſua viſcera ſævientes, propediem in proprio ſangvine ſuffocarentur.* Sangvinarium hunc animum deprehendimus etiam in *Cottonio*, Confeſſionario regio in Gallia, qui de bello adverſus hæreticos recte gerendo ipſum diabolum conſuluit, *teſte Thuano libro CXXXII: in Alex. Farneſio*, qui, cum adverſus Proteſtantes in bello Germanico militaret, ſe eos ſic converſurum minabatur, *ut equus, cui inſidebat, ſangvine illorum totus ad genua usque maderet:* in *Poſſevino Jeſuita*, qui milites, adverſus evangelicos in Galliam à Pio V. miſſos, animaturus voluit, *fidem datam non ſervarent; inquiſitores, latrones, proditores & ſicarios ubique in eos immitterent; ipſos expellerent, ejicerent, occiderent:* in *Fr. Burckhardo* denique, Colonienſi Cancellario, qui in libro de Autonomia pacem religionis hoſtiliter impugnavit. Egregia vero pietas & manſvetudo, quam tantopere jactant Jeſuitæ! Tu interim non à ſolis, quos recenſuimus, Lutherum & noſtras eccleſias oppugnatas ſcias. Sedem pontificis nutantem humeris ſuppoſitis ſuſtinuerunt, ut præcipuos nominem, nec tamen illos omnes, *Acoſta, Andradius, Barradius, Becanus, Beſſæus, Buſæus, Bzovius, Caniſius, Mich. Canus, Caſſander, Alph. & Chriſt. à Caſtro, Cochlæus, Coppenſteinius ex Calviniano Pontificis adulator factus, Coſterus, Cutſemius, Joh. à Daventria, Drexelius, Eccius, Ederus, Eſtius, Fevardentius, Forerus, Lud. Granatenſis, Gretſerus, Grodicius, Gropperus, Hagerus, Hoffmeiſterus, Staniſl. Hoſius, Hungerus, Janſenius, Labata, Corn. à Lapide, Lechnerus, Leſſius, Lindanus, Lopez, Lorinus, Maldonatus, Malvenda, Pererius, Pineda, Poſſevinus, Silv. de Prierio, Fr. Ribera, Salazar, Salmeron, Sandus, Sanctius, Schoppius, Serrarius, Smiglezius, Petr. & Domin. à Soto, Staphylus, Stapletonus, Did. Sella, Aug. Steuchus, Soarezius, Tapperus, Thammerus, Tannerus, Tholozanus, Turrianus, Toſtatus, Greg. de Valentia, Vasquez, Vega:* & præter hos, promachi Papæ omnium agillimi, *Bellarminus & Baronius*: quorum *illum* in tomis ſuis Goliathi gladium vibrare;

Adami de Vitis Germanor. Abr. Schultet. dec. 1. ad A. 1616. p. 4. & ſeq.

hunc in annalibus turrim Babylonicam extruere, recte dixeris. *Utrique* idem ſcopus, ut imperio Papæ, quaſi qua ſpiritualia & temporalia illimitato, omnibusque illis doctrinis & ceremoniis, quibus eccleſia Romana ab evangelio Chriſti & à piis antiquorum inſtitutis diſceſſit, colorem inducant. Baronius certe patronum magis deſperatæ cauſæ egit, quam hiſtoricum: &, ſi qui unquam inventi ſunt, vel hodienum inveniuntur quibus tyrannis & impietas pontificis diſplicuit, hos convitiis & maledictis & calumniis inceſſit, veritatique hiſtoricæ vim paſſim facit. Quanto meliorem laborem ſuſcepit *Bened. Ariasmontanus*; qui ſumtibus & auſpiciis Philippi II. anno ſeculi LX. *Opus regium* Hebraice, Chaldaice, Græce, Syriace & Latine procuravit. Meliorem etiam ſuſcepit *Joh. Ferus* profeſſione Franciſcanus, concionator Moguntinus, qui multa ſcripſit tanta moderatione, ut, ſciſſa ob religionis cauſam Germania, ab utraque parte gratiam inierit, *teſte Thuano libro XIII.* Non enim nego, inter ipſos Papæ aſſeclas, quorum aliquos recenſui, nonnullos inveniri, qui, ſi ſepoſitis præjudiciis S. literas tractant, & commentariis atque expoſitionibus illuſtrant, operam eccleſiæ navant ſalutarem. Sed eo ardore *cenſores illi librorum* in inquiſitionem veritatis non incubuerunt, qui ut quondam Ægyptii Iſraelitarum fœtus aquis, ſic libros eccleſiaſticorum ſcriptorum dentata *Indicis Expurgatorii* opera, ſi non penitus opprimere, tamen caſtrare, mutilare, deformare, & voces, membra, ſententias, paginas autoribus antiquis & novis, cum viſum eſt, addere, detrahere, mutare, ſurrogare, Patres denique fingere & refingere arbitratu ſuo, non erubuere. Notetur hic, etſi pontificii admodum de ſua ſuorumque in fide conſonantia glorientur, tantum tamen abeſſe, ut tantopere ſibi conſonent, ut potius variis à ſe contentionibus diſſideant. *Dominicani ſeu Prædicatores* ſeqvuntur Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, & Thomæ contra Scotum defenſorem Capreolum; *Franciſcani ſeu Minores* Alexandrum ab Ales, Bonaventuram, Scotum & Occamum. Imprimis *duæ controverſiæ* multum negotii faceſſunt pontificiis: de quibus poſtea quæſt. LXIII.

Caſaub. Exerc. ad Ann. Baronii. Ottius ad eosd.

Gerh. in Confeſſ. Cathol.

Joh. à Rhada Contr. inter Thomam & Scotum.

LV. Soles poſt enarrationem pontificum de primatu eorum, de ſcholis, deque conciliis nonnihil diſſerere: quid jam tractaturus ſis, exſpecto.

Qua ratione filius perditionis vi prædicati verbi detectus ſit, ut poteſtas

poteſtas ejus immenſum diminuta, terrori regibus & principibus eſſe deſierit, ex ſuperioribus ſatis innoteſcit, nec, ut a me prolixius dicatur, opus eſt. Conciliorum etiam hiſtoria hic nulla eſt, præter eam, quam *de conventiculo Tridentino* ſupra contexuimus. Synodos autem evangelicorum, quæ hoc ſeculo celebratæ ſunt, mox ſubjungemus. Scholas quoque illuſtres jam ſectione hujus libri prima enarravimus, nec de iis puto aliquid addendum, præter id, quod *Chytræus in chronico Saxoniæ de Daventrienſium & Monaſterienſium* ſcholis recenſet: illis primis meliorem diſcendi ordinem, & puriorem utriusque orationis formam in Germania deberi: ex *Daventrienſi Alex. Hegium Rectorem*, tanquam ex ſeminario politiorum literarum & lingvarum, emiſiſſe *Er. Roterodamum, Joh. Murmelium, Herm. Torrentinum, Timannum Camenerum, Herm. Buſchium & alios multos:* ejus coætaneum & ſocium, *Rudolphum Langium*, virum nobilem & doctiſſimum, in collegio eccl. ſiæ Monaſterienſis ſeniorem & Præpoſitum, fundamentis elegantioris literaturæ in Italia à *L. Valla*, *Maphæo*, Æneidos Virgilii continuatore, *Franc. Philelfo & Gaza* perceptis, in Germaniam cum *Rudolpho Agricola Friſio*, ſtudiorum ſocio, reducem meruiſſe, ut primus Germaniæ Poëta aliquot ante Conradum Celten annis diceretur: idque effeciſſe, ut, fruſtra reluctantibus veteris barbariei patronis, interque eos Lovanienſibus, uſitata tot ſeculis inſtituendæ adoleſcentiæ ratio immutaretur: hinc paulo ante annum cIↄIↄ. *Monaſterienſem* in Weſtphalia *ſcholam*, conſiliis Langii, eſſe conſtitutam ſub *Timanni Cameneri* & ſex collegarum regimine, inter quos *Joh. Murmelius, Cæſarius, Buſchius:* ex hac ſchola colonias elegantioris doctrinæ eſſe deductas *Tremonam*, *Hervordam*, ubi educatus eſt *Petrus Moſellanus*, Græcæ & Latinæ lingvæ in Acad. Lipſienſi inſtauratæ autor, *Osnabrugas & Attenodorum, ubi Joh. Rivius*, Georgii Fabricii & Ad. Siberi præceptor, fundamenta jecit literarum; quin & Weſtphalis plures doctos viros ante has ipſas ſcholas eruditionem debere: nam è *Ludovici Dringebergii* Weſtphali ſchola *Seleſtadienſi* in ſuperiori Germania prodiiſſe *Joh. Reuchlinum, Georg. Simlerum, Stabium & Jac. Wimphelingium*, integerrimæ vitæ theologum, Jac. Spiegelii Caroli V. Conſiliarii, qui Lexicon juris poſtea edidit, præceptorem: eodem tempore effloruiſſe *Conr. Peutingerum*, *Bilibaldum Pirchaimerum*, *Sebaſtianum Brand*, *Ulr. Zaſium*, *Thom. Wolfium:* donec anteſignanis & ducibus *Er. Roterodamo & Phil. Melanchthone* barbaries ex reliqua Germania profligaretur. Sed miſſis his omnibus, curſim videbimus primo loco *conventus*, *colloquia*, *diſputationes*,

Joh. Sturmii Tomi tres de Scholar. Inſtaur. Alſted. in Chronol. Scholar.

nes, ſynodos theologorum: deinde *martyriis piorum, & perſecutionum atrocitate* luſtrata, tandem *ſchiſmata, hæreſes malitioſorum* in medium producemus: non omiſſuri, ſi quid de aliis rebus interſerendum eſt.

LVI. Placent promiſſa. Sed qvum variarum eccleſiarum confeſſiones & ſymbola circumferantur, cur non iis qvoqve locum aliqvem in hoc tuo diſcurſu concedis?

Rectè mones. Sed qvum ſinguli fere reges & principes, nonnullæ etiam urbes, peculiaribus formis, ſive ad Lutheri doctrinam, ſive ad Zwinglii opinionem, fidei ſuæ confeſſionem ediderint, non puto plenam omnium Confeſſionum enarrationem inſtitui poſſe, præſertim ſi illæ addendæ ſint, quas plurimi theologorum pro ſe ſuaque fide in publicum emiſerunt. Eminent autem præ omnibus

Chytræus in Hiſtor. Auguſt. Confeſſ. Hoſpin. in Conc. diſc.

I. Confeſſio Auguſtana, ejusqve apologia, Carolo V. anno cIↃIↃxxx. exhibita, ſubſcripta à VII. principibus & duabus Norībergæ & Reutlingæ civitatibus; cujus hiſtoriam & tenorem vide ſupra. II *Svevica, ſecundum placita Zwinglii*, qvatuor civitatum, Argentorati, Conſtantiæ, Memmingæ & Lindaviæ, eodem anno eidem imperatori oblata, non tamen publice lecta, à qva paulo poſt Argentinenſes, una cum Svevicis eccleſiis in articulo de cœna Domini receſſerunt. Hæc cum poſtea à Mulhuſianis acciperetur, in Latinam eſt converſa lingvam: unde dicitur etiam *Mulhuſiana. III. Tigurina Zwinglii*, ad Carolum imperatorem itidem in comitia Auguſtana miſſa: in qva Eccius duo præter alia notavit, qvod ſacramenta gratiam conferre & corpus Chriſti ore in S. cœna manducari negaret. IV. *Bohemica.* Dicitur etiam *Waldenſium & fratrum Bohemicorum:* & primam originem debet Taboritis in Bohemia antiqvioribus, qvi Huſſi doctrinam ſecuti, longe ſincerius de ſacra euchariſtia docuerunt, qvā recentiores Taboritæ ac fratres Bohemii. Jam ano cIↃIↃLXXII. novem Bohemorum confeſſiones extitiſſe dicuntur, ut legere eſt apud D. Abr. Calovium in examine doctrinæ & ſyncretiſmi eccl. reform. relig. de perſon. Chr. pag. 78. *Prima*, dicta *Pragenſis*, exhibita eſt à Taboritis anno cIↃCCCCLIII. Rokezano archiepiſcopo, Calixtinæ factionis, cætera qvidem pontificio, ſed calicis uſum in ſacra cœna probanti: unde etiam dicta eſt *Rokezaniana*, ut ſupra recenſuimus ſect. I. hujus libri, qvæſt. XIII. *Reliqvæ* oblatæ ſunt diverſis temporibus ſubſeqventibus, Georgio

Ægid. Strauch. & Dannh. de VValdenſib.

Podie-

Podiebracio, Uladislao II. Ludovico. *Septimam* obtulerunt anno
cIↃIↃXXXII. Georgio, Marchioni Brandeburgico, qvæ Wittebergæ
poſtea excuſa eſt ſub titulo apologiæ veræ doctrinæ eorum, qvi vulgo
Waldenſes appellantur. *Octavam* anno XXXV. Ferdinando regi eſt ex-
hibita, & Lutheri præfatione ornata. *Cum*, inqviebat ille, *de præcipuis*
articulis doctrinæ Chriſtianæ inter nos conſtet, complectamur nos mutuo amore.
Hæc ipſa anno LXIV. recognita & auctior, Maximiliano imperatori &
Sigismundo regi Poloniæ oblata, nomen accepit *confeſſionis nonæ*; in qva
ipſa tamen edenda admodum Baſileæ, Herbornæ, Pragæ, Genevæ varia-
tum eſt. Poſteriores enim fratres Bohemici pedetentim in partes
Zwinglianas ſeceſſerunt: qvanqvam aliqvi litem diſſentientium eccleſi-
arum ſe ſuam negant feciſſe. Aperte tamen in confeſſionibus poſterio-
ribus Zwinglio favetur. V. *Helvetica prior*, Baſileæ anno ſeculi XXXVI.
à Büllingero, Myconio & Gryneo conſcripta, cum paſſim affirmaretur,
concilium œcumenicum brevi eſſe habendum, ut illi offerretur. Se-
qventi anno conventui Smalcaldico eſt exhibita. Hæc ipſa anno LXVI.
auctior facta, & à reformatis in Sabaudia, Scotia, Anglia, Gallia, Belgio,
Polonia, Hungaria & Germania probata, nomen accepit *Helveticæ poſte-* Leonh. Hutter.
rioris, & conſtat triginta articulis. VI. *Formula Concordiæ Wittebergenſis*, in Conc. Con-
anno XXXV. inter Saxonicas & Svevicas eccleſias conſtituta, cum XI. corde.
theologi Svevici, interqve eos Bucerus, Capito & Muſculus, confeſſio-
nem Lutheri recte percepiſſent. VII. *Smalcaldica*, certis articulis à Luthe- Bald. ad Art.
ro anno XXXVII. comprehenſa, & à pluribus theologis ſubſcripta. IIX. Smalc.
Thorunienſis, anno XLIX. ab eccleſiis reformatis in regno Poloniæ, ma- Hülſem. de
gno ducatu Lithuaniæ, & annexis provinciis conſignata, & Uladislao IV. Colloq. Tho-
exhibita. Legitur in Harmonia confeſſionum, Genevæ anno cIↃIↃcLIV. runienſi.
impreſſa, ſcripta, ut concilio Mantuano exhiberetur. IX. *Interimiſtica*, qva Oſiand. Cent.
anno XLIX. theologi electorales Saxonici in adiaphoris & ceremoniis XV. lib. 2. cap.
nonnullis, imo & in nonnullis de fide loqvendi modis à conſtantia fidei 68.
non parum declinaverunt. Vide, qvæ ſupra diximus de formula interre-
ligionis. X. *Magdeburgenſis*, eodem anno conſcripta: qva Magdeburgen- Id. ib.
ſium eccleſiarum miniſtri, ratione doctrinæ contra Interimiſticos errores
reddita, magiſtratui inferiori licere demonſtrarunt, ſeſe contra ſuperio-
rem, à veritate ſubditos diſcedere cogentem, defendere. XI. *Saxonica*,
ſcripta anno LI. in ſynodo Wittebergenſi à Philippo Melanchthone, & ſy-
nodo Tridentinæ oblata: cui ſubſcripſere Brandeburgenſes, Pomerani,
Mansfeldenſes, Argentoratenſes. Eſt & alia *Saxonica confeſſio*, poſtea
ab

ab Ægidio Hunnio ad Crypto-Calvinianos internoſcendos propoſita. XII. *Würtibergica*, juſſu Chriſtophori ducis eodem anno LI. à J. Brentio conſcripta, & anno ſequenti Tridenti exhibita: quam poſtea ab Aſoti calumniis idem Brentius apologia vindicavit XIII. *Gallicana*, conſtans articulis XXXIX. Lutetiæ in ſynodo nationali conſcripta, & Franciſco II. an LIX. atque poſt biennium à Theodoro Beza in colloquio Poſſiaceno oblata; poſtea anno LXXI Rupellis in ſynodo alia nationali confirmata, & à regina Navarræ, ejusque filio, poſtea rege, Henrico IV. ut & ab Henrico Condæo, Ludovico Naſſovio & Caſp. Colinio Caſtilionio, Franciæ Amirallio, ſubſcripta; Latine edita an. LXV. & LXXXI; Germanice anno XCVII. ut conſtaret, ob quod dogma tam acerbam in Galliis perſecutionem ſuſtinerent eccleſiæ. XIV. *Belgica* articulorum XXXVII. anno LXI. ob eandem cauſam ſcripta, & anno LXVI Gallice, LXXIX. Belgice, LXXXI Latine edita, nec tantum an. LXXIX. ſed & anno cIↃIↃCXIX. *in ſynodo Dordracena* confirmata: in qua ſimul quinque canonibus ſynodicis quinque Remonſtrantium articuli de prædeſtinatione, morte Chriſti pro hominum redemtione, hominis corruptione, ejusdem converſione, & ſanctorum perſeverantia, condemnati ſunt. XV. *Anglicana confeſſio duplex.* Utraque extat in harmonia confeſſionum: *una* ex operibus Joh. Ivalli depromta; *altera* in ſynodo Londinenſi anno LXII. ad tollendam opinionum diſſenſionem edita, & anno LXXI. à regina Eliſabeta confirmata. XVI. *Palatina* Friderici III. ad Helveticas eccleſias diſcedentis circa annum LXVI. XVII. *Scoticana*, anno LXIII. ſcripta, & anno LXXX. à rege & ordinibus in Parlamento ſubſcripta, XXV. articulorum. XIIX. *Czengerina ſeu Polonica*, anno LXX. edita: quo ipſo anno edita eſt, *in generali concilio Sendomirienſi, conciliatio articuli de cœna Domini & de mediatore*, inter Auguſtanas, Waldenſes & Helveticas eccleſias in Polonia, Lithuania & Samogitia, ſub directione Eraſmi Gliczneri, Superintendentis confeſſionis Auguſtanæ in majori Polonia; Joh. Laurentii Superintendentis fratrum confeſſionis Bohemicæ in majori Polonia, & Pauli Gilovii Superintendentis confeſſionis Helveticæ in minori Polonia. Hic ſyncretiſmus & conſenſus anno LXXIII. in *Cracovienſi* ſynodo generali eſt confirmatus; anno LXXIIX. in *Petricovienſi*, anno LXXXIII. in *Wlodislavienſi*, & anno XCV. in *Thorunienſi*. Subſcripſere hiſce ſynodis Cracovienſis, Sendomirienſis, Poſnanienſis, Ruſſiæ, Cujavienſis, Kyovienſis, Ravenſis *Palatini*; Gneſnenſis, Lublinenſis, Radonienſis, *Caſtellani*; Oſweccinenſis,

Marcſ. ad Conf. Belg.

ſis, Radzieciovienſis, Lelovienſis, Lucinenſis, *Capitanei:* & multi alii proceres. Auguſtanæ tamen confeſſionis ſocii in Boruſſia, ſi paucos excipias, ut & in ipſa Polonia & Lithuania, huic ſyncretiſmo contradixere. Eſt *alia confeſsio Thoranii* in colloquio anno cIↃIↃCXLVI. à Reformatis edita, de qua in actis illius colloquii. XIX. Dresdenſis confeſſio Crypto-Calviniana anno LXXI. à Crypto-Calvinianis eſt edita, quam Jenenſes oppugnaverunt. XX. *Formula concordiæ* anno LXXX. eſt publicata, ſicuti ſuperiori anno ſubſcripta: cujus hiſtoriam ſupra contexuimus. Hic notandum, quod, cùm Svecis & Danis, Brunſvicenſibus etiam, Pomeranis, Boruſsis & aliis, cauſæ politicæ eſſent, quare Formulæ concordiæ non ſubſcriberent, qua cum tamen toti ſentiebant, peculiaribus libris orthodoxiam Formulæ confesſi ſint, inter quos Corpus doctrinæ Julium, Pomeranicum, Prutenicum. Non poſſum facere, quin hic locorum mentionem injiciam *Notulæ eccleſiaſticæ Dantiſcanæ*, illam etiam vocant *Formulam Concordiæ Dantiſcanæ*. Qui eidem, tanquam *ſcripto ſymbolico*, non ſubſcripſerit, ad cathedram eccleſiaſticam Dantiſci non admittitur. Quapropter, qvum Reformati miniſtri, qui illic recipiebantur, illi Notulæ ſubſcribere conſveverint: quæri cœptum eſt, an id ſalva conſcientia facere queant? Certum eſt, quod non niſi Auguſtanæ confesſionis ſociis & pontificis ſectatoribus, publica exercitia religionis, antiqua civitatis lege, permiſſa ſint. Impetrarunt tamen *Reformati* templum in civitate, quod eſt nomini D. Petri ſacrum, cum tempore perſecutionis Belgicæ plures ex Belgio familiæ ibi lares figerent: quorum doctores, qvum Notulæ ſubſcriberent, admisſi & illi ſunt: ſed eo eventu, ut, cum *Keckermannus, Fabricius, Georgius Pauli, Jacobus Adami, Nigrinus apoſtata, & alii,* à potentioribus in ſenatu promoti, non tantum eccleſiaſticas & Gymnaſii cathedras errore Sacramentario conſpurcarent, veritatis periclitantis ſtatum tandem orthodoxi intelligerent. Occaſio prima Notulæ hæc erat: Cum ſchiſma anno cIↃIↃLXI. Dantiſci extitiſſet de reliquiis panis & vini conſecrati poſt ſolemnitatem actus euchariſtici: quas aliqui putabant eſſe adhuc ſacramentum; reliqui, extra uſum divinitus inſtitutum nihil habere ſacramenti rationem, cenſebant: utrique hanc tandem doctrinam, quam dicta Notula, tanquam ſymbolo & confesſione ſolemni, comprehendebant, profesſi, in concordiam redibant. Conciliatio hæc nihil ad Calvinianos: quibuscum nulla unquam conciliatio Dantiſci facta. Quin potius eorum errores in Notula ſatis expreſſe articulo XV. caſtigantur. Factum poſtea an-

no hujus ſeculi XLV. ut, cum *Job. Cæſar*, Calvinianus eccleſiaſtes, homileticum ſermonem habuiſſet de S. Cœna, *D. Abrab. Calovius* alia homilia eum confutaret. Apologiam pro ſe ſcribebat Cæſar. *Presbyterium Dantiſcanum* econtra tractatum promulgavit, quo lectorem de vero controverſiæ ſtatu informabat. In illo aſſertum erat, non eodem Dantiſci jure frui Calvinianos, quo Auguſtanæ confeſſionis ſocios. Id illi rati injuriam, non tantum coram ſenatu, ſed & apud exteros, querebantur de n ef io qua perſecutione. Illorum tam vicini in Polonia, quam remoti patroni literis & legatis ſenatum monebant, ut parceretur fidei conſortibus, quaſi valde preſſis. Calumniis etiam res agebatur, cum nonnulli theologorum diffamarentur, quaſi reginam & proceres Sveciæ inducere voluerint, ne reformatos pace religioſa comprehendi paterentur. Illis facile itum eſt obviam, cum Cancellarius regni Sveciæ, Oxenſtierna, interpellatus, veritati & innocentibus dabat teſtimonium.

LVII. *Accedimus jam ad conventus, ſynodos, diſputationes & colloquia theologorum.*

Etſi veriſſimum eſt effatum *Thuani libro XXXV. hiſtoriarum*, colloquia, quæ, ut theologicis controverſiis finis imponatur, inſtituuntur, majorum excitandarum ſæpe initium exiſtere: veritati tamen in iis ſuppetias ſæpe latas non inficiabitur, qui ſequentem catalogum introſpiciet.

CATALOGUS COLLOQUIORUM ET SYNODORUM THEOLOGICARUM.

Joh. Heinr Boecler. de Reb. Secul. XVI. pag 411. & ſeq. ex edit. Maij.

I. Colloquium Lutheri, cum Auguſtinianis ſuis, tanquam in ſynodo congregatis, Heidelbergæ anno cIↄIↄXIIX. in collegio Sapientiæ inſtitutum, primo occurrit loco: ad quod cum evocatus eſſet, paradoxis XXVII. de juſtificatione fidei & liberi arbitrii in ſpiritualibus captivitate propoſitis, omnes, ipſumque Bucerum, qui interfuit diſputationi, in ſui admirationem rapuit. *Confer. Tom. 1. Jen. Luth. Lat. pag. 23.*

Matheſ. in Vita Lutheri p. 14.

II. Lutheri cum Cajetano Cardinali colloquium, in comitiis Auguſtanis, eodem anno bis inſtitutum eſt: in quo Cardinalis Lutherum ad palinodiam invitavit, & ex decretis pontificiis Chriſti merita eſſe theſaurum indulgentiarum papalium, papæque autoritatem omnibus Scri-

pturis

pturis & conciliis eſſe anteponendam, aſſeruit. Lutherus omnia demonſtravit ad Chriſti, non ad papæ vocem eſſe referenda, proque juſtificatione fidei diſputans, aut errorem ſibi demonſtrari, aut, ne ad revocationem urgeretur, rogavit. *Confer Tom.1.Jen.Luth.Lat pag 163.*

III. Diſputatio Lipſienſis Lutheri cum Eccio anno ſeculi XIX. inſtituta. Eccius enim Lutheri theſes de indulgentiis obeliſcis amarulentis notaverat. Caroloſtadius ad eas certis concluſionibus reſponderat. Uterque apologiam emiſerat. Ipſe etiam Lutherus aſteriſcos adverſus obeliſcos promulgaverat, *ut videre eſt Tom.1. Jen.pag. 27.* Hinc, aſſentiente Georgio Saxoniæ Duce, XIIX. Junii Lipſiæ dies congreſſui dictus eſt. Sed cum Eccius clamore, vultu militari ac truci geſtuque hiſtrionico pene, *ut Petrus Moſellanus ad Bilibaldum Pirchaimerum ſcripſit,* in articulo de libero arbitrio, & bonorum operum imperfectione, Caroloſtadium videretur quodammodo obtundere; Lutherus cum eo in palæſtram deſcendens, de autoritate pontificis Romani, deque purgatorio & indulgentiis, acriter per XIV. dies diſſeruit, & poſtea Acta hujus diſputationis à notariis excepta ipſe emiſit. *Tom. 1. Lat. Jen. p. 242.* Matheſ. in Vita Lutheri fol. 19.

IV. Tigurina Diſputatio Zwinglii adverſus pontificios anno XX. inſtituta. *Hugo* enim, *Conſtantienſis epiſcopus,* contra Zwinglium, quem Tigurini fovebant, tumultuabatur: nec eum ſaltem ad communem Helvetiorum civitatem deferebat, ſed & LXIX. articulis impugnabat. *Zwinglius* variis ſcriptis cauſam evangelii tutabatur, & ad diſputationem ſe LXVII. propoſitionibus offerebat. Senatus igitur Tigurinus omnibus eccleſiarum miniſtris diem dicit, ut religionis cauſa XXIX. Januar. conveniant, ipſumque epiſcopum Conſtantienſem, ut aut ipſe veniat, aut aliquem è ſuis mittat, rogant. Mittitur *Joh. Faber*, epiſcopi vicarius, qui διάσκεψιν articulorum controverſorum ſubterfugiens, ad concilium rem totam differendam eſſe conſulit, inſtanteque Zwinglio, ſcripto pugnaturum ſe promittit. Nemine igitur in aciem prodeunte, ſenatus, ut traditionibus omiſſis evangelium pure è V. & N.T. doceatur, edicit. *Sleidanus in fine libri III. Commentariorum.* Sleidan. 3. Comm. de Stat. Relig. p. 92.

V. Tigurina diſputatio altera, eodem anno ob inſignia evangelii incrementa inſtituta: ad quam eccleſiarum antiſtites & ſacerdotes plus minus 300. confluebant. Fiebat è ſcripturis collatio, & præcipue de tollendis ex eccleſia imaginibus, & de abroganda Miſſa, continuis tribus diebus, diſputabatur. Aſſenſum meruit Zwinglius, &, exactis aliquot diebus, ſoluta eſt ſynodus, *ut recenſet Bullingerus in prima ad Cochleum* Tom. 2. Opp. Uldar. Zwingl. in fin.

 reſpon-

reſponſione. Acta utriusque diſputationis invenies *ad finem Tomi ſecundi operum Zwinglii.* Subſecutæ ſunt interea plures aliæ diſputationes *Uratislaviæ, Brunſvigæ, Baſileæ, Magdeburgi, Hamburgi, Marpurgi, Ulmæ, ut & Oldersbemii atque Nordæ in Friſia Orientali, & aliis in locis.* Cum enim evangelium paſſim in civitatibus diſſeminabatur, monachi à theologis ad diſputandum provocati, aut non comparebant, aut turpiter ſe dantes, luci veritatis locum concedere cogebantur.

Ottius in Annalib. Anabaptiſt.

VI. Tigurina diſputatio tertia, anno XXIV. à *Zwinglio adverſus Anabaptiſtas, eorumque promachos, Manzium & Grabelium*, de pædobaptiſmo ſuſcepta, & triduum continuata: qua finita SCto decretum eſt, ut reipublicæ pœnas præſenti morte dependerent, qui vel anabaptiſmum profiteri, vel hæreſeos illius profeſſores hoſpitio excepturi eſſent.

Korth. in Hiſt. Eccl. p. 789.

VII. Sunt plures aliæ diſputationes *contra Anabaptiſtas in Helvetia ab Oecolampadio, Keslero, Joach. Vadiano medico, ipſoq; Zwinglio,* hoc tempore inſtitutæ, quas prætereo.

Stumpf. in Chron Helvet.

IIX. Diſputatio Johannis Comandri in Rhætia adverſus Vicarium epiſcopi Curienſis & Abbatem S. Luciæ, anno XXVI. propoſitis XVI. theſibus, autoritate trium confœderatorum Rhætiæ ordinum inſtituta; cui tandem ordines, altercationum pertæſi, finem impoſuerunt, *ut habet chronicon Bullingeri:* factumque eſt magiſtratuum potentia, ut populo veritatis profeſſio negaretur.

Oſiand. Cent. 16. lib. 2. c. 2. p. 113.

IX. Badenſis diſputatio eodem anno adornata. *Tigurini* enim, ad abiiciendam evangelii doctrinam ab Helvetiis confœderatis ſæpe moniti, ſi erroris convincerentur, ſe ceſſuros ſæpe retulerant: & jam ſcriptis *Eccius & Zwinglius* ſe invicem laceſſiverant. Provocat igitur Eccius Zwinglium, ſed in locum minus tutum, in quo pridem hæreſeos fuerat condemnatus. Illo igitur non comparente, cum tamen XII. pagi diſputandum eſſe cenſerent, *Badenæ* convenerunt ex pontificiis *Faber, Eccius, Murnerus & IV. epiſcoporum legati;* ex Evangelicis *Oecolampadius, Hallerus, Wiſſenburgius.* Eccius & Oecolampadius congrediebantur. Et cum Eccius inter falſa dogmata articulum etiam orthodoxum de vera corporis Chriſti in Cœna præſentia defenderet, obruit fere Oecolampadium: & IX. pagi religione pontificia in ſuis terris confirmata, reliquos, & imprimis Zwinglium, ob forum declinatum, excommunicarunt, nec pauci Papiſtis ſe iterum aſſociarunt.

X. Haſſiaca diſputatio, eodem anno, *Comburgæ* à Philippo Landgravio

gravio inſtituta, in qua *Franciſcus Lambertus Gallus* & *Adamus Crato*, ille Latine; hic Germanice, XXIII. titulis paradoxa nonnulla contra pontificios defenderunt. Ex monachis verò tres ſaltem inveniebantur, qui contradicerent. Illi facile confuſi, reditus monaſteriorum academiæ Marpurgenſi & IV. noſocomiis reliquerunt. Korth. in Hiſt. Eccleſ. p. 790.

XI. Duæ Upſalienſes diſputationes in Svecia, circa hoc tempus, hac occaſione habitæ ſunt. Leo X. Sveciæ gubernatorem, Stenonem Sturium & proceres regni, quod archiepiſcopum, Guſtavum Trollium, à ſe datum, non reciperent, excommunicaverat, & Chriſtiano II. tyrannidem non levem perſvaſerat. Corripuit autem regni gubernacula Guſtavus, ex familia Trolliorum regia, Stenonis Sturii ex ſorore nepos, & ipſe à Chriſtiano II. ad necem quæſitus. Interim duo Lutheri diſcipuli, *M. Laurentius Petri & M. Olaus*, fratres *Nericii*, veritatis cœleſtis rationes publice dederunt: & M. Olaus an. XXIV. cum *D. Petro Gallio*, profeſſore Upſalienſi, Latino ſermone congreſſus, rem eo deduxit, ut utrinque ſuæ ſententiæ argumenta interlocutores ſcripto conſignarent. In puriorem veritatis aſſertionem mox inclinans Guſtavus, curavit, Statibus convocatis, deliberari de tollendis abuſibus in eccleſia, & de poteſtate politica epiſcoporum nimia minuenda. Cumque epiſcopi vehementer repugnarent, & turbis publice motis contentiones paſſim gliſcerent: maluit regni gubernatione decedere, quam ejusmodi confuſionibus connivere. Ideoque ne periculum regno crearetur, denuo juſſi ſunt anno XXVII. Gallius & M. Olaus vernaculo ſermone congredi. Et ille quidem ſtrenue cauſam epiſcoporum; hic evangelicorum egit. Summa: Epiſcopi cauſa cadebant. Archiepiſcopus, *Joh. Magnus*, per quem Biblia in Svecicam lingvam rex transferri curarat, cum epiſcopo Lincopienſi, *Johanne Braſchio*, & aliis nonnullis ex clero, ablatis ſecum præcipuis patriæ monumentis, unde poſtea hiſtoriam Sveciæ comportavit, profugus diſceſſit. Hinc ſacra juſſu regis, idiomate patrio & ritibus purioribus cœperunt peragi: religio à ſuperſtitione purgari: bona eccleſiarum & decimæ, ignavis ventribus ademtæ, in ſaniores uſus converti: epiſcopi arces ac regalia regno reddere, & depoſita cura politica ſacris porro officiis vacare; monachi etiam, ultro evangelcia dogmata approbantes, clauſtris excedere. Dalekarli quidem, gens apud Svecos robuſtiſſima, à perſonato quodam nebulone, qui ſe Stenonis Sturii filium ſimulabat, & clericis priſtinam immunitatem & licentiam promittebat, ad arma vocabantur. Sed prudenter ad quietem compoſiti ſunt. Cumque Loccenius in Hiſt. Svecana p. 233. 273. & 306. edit. noviſſ.

rex Guſtavus ſummam evangelii curam ageret, ne immobilia eccleſiis bona injuſte auferrentur, ſevere prohibuit, & ſub articulo mortis anno LX. teſtamento ſolenni religionem puriorem confirmavit, paſſimque curſum veritatis cœleſtis promovit.

Korth. in H. E. pag. 790. §. 8. Bœcl. in Hiſt. Sæc. XV. p. 413.

XII. *Bernenſis diſputatio anno* XXVIII. *in Helvetia* ſequitur. Cum enim diſſidia religionis inter concionatores evangelicos & papicolas Bernæ indies augeſcerent, nec ſenatus acta colloquii Badenſis à pontificiis obtinere poſſet, ut utrius partis cauſa deterior eſſet, inde diſceret: diſputatio hæc ſolemnis, renitentibus reliquis Helvetiis & ipſo imperatore, inſtituta eſt: in qua evangelicam doctrinam Helvetiorum reformatorum miniſtri defendebant; monachi nonnulli oppugnabant. Sed qvum lex diſputationi eſſet poſita, ut ex ſolis ſcripturis judicium formaretur, ſacrificuli facilè victi ſunt, & Bernates cum nonnullis oppidis vicinis, papæ jugo excuſſo, monaſteria in ſcholas converterunt, diemque & annum abolitæ religionis pontificiæ aureis literis columnæ inſcripſerunt.

Luth. Tom. 4. Jenenſi f. 476. Mattheſ. in Vita Lutheri fol. 72. Oſiander Cent. 16. lib. 2. c. 10 à p. 113. ad 114. VVigand in Sacramentariiſmo p. 424. ſeqq. Joh. Georg Neumann. Orat. de Nummo aureo, quo Lutherus Carolſtadium ad certamen provocaſſe perhibetur.

XIII. *Marpurgenſe colloquium*, cum diſſidia Sacramentaria non conquieſcerent, à Landgravio Haſſiæ, de concordia contra minas pontificiorum ſancienda ſollicito, anno XXIX. indictum eſt. Comparent ex Wittebergenſibus *Lutherus, J. Jonas, Phil. Melanchthon*; ex Helvetiis *Zwinglius & Oecolampadius*. Noriberga etiam miſit *Oſiandrum*; Argentina *Bucerum & Hedionem*; Hala Svevorum *Brentium*; Auguſta *Stephanum Agricolam*. Initio commiſſi ſunt ſeorſim Lutherus cum Oecolampadio; cum Zwinglio Philippus. Et errores quidam alii præter illos, quos in re Sacramentaria fovebant, objecti ſunt Helvetiis. Cum tamen eos aut negarent, aut mitterent, & ad publicam diſputationem tranſitus eſſet factus, per triduum Lutherus omnes Zwinglii & Oecolampadii, alternatim ſibi ſuccedentium, rationes ita eliſit, ut de ſimplici verborum cœnæ ſenſu, citra grande ſacrilegium, cedi non poſſe palam appareret. Abruptum fuit colloquium, aut quod concordia non ſperabatur, aut quod epidemica lues, quam ſudorem Anglicum vocabant, ingruebat. Ne abſque omni fructu conveniſſe dicerentur, XIV. capita de doctrina, in quibus conſenſum fuit, conſignata ſunt. Lutherus tamen Zwinglianos, ob diſſenſum in articulo de S. Cœna, pro fratribus agnoſcere recuſavit: mutuas interea preces & amicitiam ſtipulatus.

Korth. p. 791. ſ. 213.

XIV. *Colloquium Danicum*, anno eodem, *inter Melchiorem Hoffmannum Zwinglianum, & Hermannum Teſtium*, τὸ ῥητὸν *in cœna aſſerto-*

rem,

rem, præſide Chriſtiano regis filio, Holſatiæ duce, *præſente Joh. Bugenhagio*, Flensburgi habitum eſt.

XV. *Auguſtanum Colloquium* anno XXX. exhibitam confeſſionem ſequitur. Cum enim ad concordiæ rationes ineundas nihil commodius videretur, quam ut ſententias inter ſe conferrent Pontificii & Proteſtantes: ex utrisque VII. ad colloquium ſegregati ſunt, *bini Principes*, *totidem JCti*, *terni Theologi*. Theologi erant ex proteſtantibus *Melanchthon*, *Brentius*, *Snepſius*; ex pontificiis *Eccius*, *Wimpina*, *Cochleus*. Inter hos de nonnullis convenit, Saxonibus plus largientibus, quam principibus nonnullis, ipſique Luthero placebat. Sed de Miſſa potiſſimum, de conjugio ſacerdotum, de utraque cœnæ, ut loquimur, ſpecie, de votis monaſticis, deque jurisdictione epiſcoporum, præcipua erat controverſia. Ideoque coarctatus fuit interloquentium numerus, ut terni utrinque congrederentur, Philippus cum duobus JCtis adverſus Eccium, itidem duobus JCtis ſtipatum. Sed cum neutri cedere vellent, integrum id ſibi haud ſcientes, fruſtraneus labor inſumtus eſt, totaque res ad cognitionem Cæſaris denuo devolvebatur.

Mathеſ. in Vita Lutheri Conc. 8. à fol. 77. ad 93. Chytræus in Hiſtor. Auguſt. Confeſſ.

XVI. *Colloquium Razenburgenſe in Boruſſia, anno* XXXI. In hoc *D. Polyander & D. Speratus*, theologi Boruſſorum, cum *Fabiano Teckel*, alias *Eccelio*, & *Taukero quodam* inſtituerunt, qui in Boruſſia dogmata quædam de verbo Dei interno & externo, ſimilia fere erroribus Schwenckfeldii, diſſeminarunt, & à Polyandro ſolidè ſunt convicti.

Func. in Chronol. ad A. 1531.

XVII. *Genevenſis diſputatio anno* XXXIV. hac occaſione cœpit. Sacrificuli Genevæ edicta adverſus eos, qui doctrinam juſtificationis evangelico more docebant, & typis editam per compita & plateas urbis affixerant, fieri curarant. Nihilo tamen minus *Gulielmus Farellus*, *Ant. Salnerius*, *Frumentius*, & qui Biblia in lingvam Gallicam poſtea transtulit, *Olevitanus*, evangelii cauſa eo profecti, in vitæ diſcrimen inciderunt, & vix fuga periculo ſunt ſubtracti. Veritate indies augmentum ſumente, ſuboritur tandem ingens Genevæ ſeditio, & res ſaxis, tormentis, cædibus agi cœpit. Bernates ſe interponunt, evangelii cauſam agentes. Decernitur de præcipuis religionis articulis diſputatio. *Furbitus*, doctor Sorbonicus, pro Papa; *Farellus*, &, quem novum ſocium acceperat, *Viretus*, pro Chriſto cauſam dicunt. Vincitur Furbitus, & palinodiam pollicetur. Sed cathedram conſcendens, coccyſmum pontificium repetit. Quapropter conjicitur in carcerem. Excitatur iterum tumultus, Pontificii, libertate

Sleidan. lib. 6. p 149. Oſiand. Cent. 16. lib. 1. c. 6. p. 325.

bertate patriæ neglecta, cum Sabaudiæ duce conſpirant, urbemque tradituri, ſuis ſe conſiliis jugulant, & furore immenſo nihil niſi evangelium promovent, urbemque amittunt: in qua, *iterum diſputatione contra juſtificationem operum per Jac. Bernardium*, cœnobiarcham converſum, *adverſus Carolum Sorboniſtam & Chappuſium* habita, veritas de mendacio triumphum egit.

XVIII. Subſeqvuntur *varia illa interloquia Buceri*, quæ cum *Helvetiis, Haſſis, & Witebergenſibus* in negotio concordiæ conſtituendæ inſtituit. Illorum jam quæſt one XLIII. mentio injecta eſt.

Matheſ in Vita Lutheri fol. 119. ſeq.

XIX. Hinc *diſputationes VI. ſolennes Lutheri adverſus Job. Islebium Agricolam*, Antinomorum errores ſpargentem, anno XXXVIII. Witebergæ habitæ ſunt: quibus Islebius convictus, errorem publice revocavit. Eundem tamen poſt Lutheri obitum denuo incruſtavit.

Matheſ. fol. 151. 159. ſeq.

XX. *Wormatienſe colloquium* anno XLI. hac occaſione cœptum & continuatum eſt. Decretum fuerat anno XXXIX. Francofurti virorum doctorum de religione colloquium. Aliquoties id Proteſtantes urſere, & imprimis anno XL. *in conventu Haganoenſi*, ad quem plurimi noſtratium theologorum confluxerant. Sed neſcio quibus cauſis pontificii tergiverſantes, diem ex die duxere. Cum tandem anno XLI. in colloquium Wormatienſe conventum eſſet, qui ibi jam præſto erant, Granvellanus, orator Cæſaris, & Campegius atque Vergerius, nuncii pontificii, moras prolixas in legibus utrique parti præſcribendis nexuere. Deſignati ſunt, ex multis theologis præſentibus, *Philippus & Eccius*, ad confl ctum. Hi de peccato originis telam diſputationis exorſi, die tertio literis Cæſaris deſiſtere, & actionem ad Ratisbonæ comitia rejicere juſſi ſunt.

Korth. in Hiſt. Eccleſ. p. 791. ſ. item p. ſeq. plenius Oſiand. Cent. 16. lib. 2. c. 45.

XXI. *Ratisbonam*, ubi jam aderat Contarenus, pontificis nuncius, cum veniſſent, Cæſaris voluntate, ſub præſidio Friderici Palatini & Granvellani, in palæſtram deſcendunt, ex pontificiis *Jul. Pflugius, Eccius, Cropperus*; ex noſtris *Melanchthon, Bucerus, Johannes Piſtorius.* Ante factum colloquii initium, Granvellanus librum, nomine Cæſaris, de præcipuis fidei capitibus ſcriptum, interlocutoribus exhibuit, ex quo ſumerent agendi materiam, inque quo probanda comprobarent; reliqua corrigerent. Hic liber ipſis pontificiis non ſatisfecit: à noſtris vero in loco de juſtificatione probatus, paululumque correctus, & Cæſari redditus eſt. Et cum Philippus aurea illa regula (*Nihil habet rationem Sacramenti extra uſum divinitus inſtitutum*; Et: *Chriſtus adeſt*

non

non propter panem, ſed propter hominem) totum negotium Miſſaticum evertiſſet: Eccius, ex indignatione febri contracta, poſtea ad colloqvium non rediit, Pflugiumque ac Gropperum, quaſi ipſo decumbente parum candide in religionis negotio agerent, criminatus eſt. Non enim ſolum quoſdam abuſus corrigendos eſſe ſenſerant, ſed & in quibusdã articulis ceſſerant, ut conciliatio in illis fieret. Imprimis notandum eſt, theologos noſtros *cenſuiſſe, politiam ſacram reſtitui poſſe, ſi pure doceatur evangelium, ſi miniſtri eccleſiarum de conſenſu populi eligantur, ſi epiſcopi civilem adminiſtrationem retineant & ad obeundum munus ſacrum, quod ipſi more inveterato recuſant, alios conſtituant, & ſuis facultatibus alant, ſi illis conjugium liberum permittant, ſi Simoniacas artes mittant, ſi omnia decenter agant, ſi judicia eccleſiaſtica erigant.* Exitus colloquii tandem hic fuit, ut, negotio toto ad concilii dijudicationem rejecto, à Cæſare utrique parti certis conditionibus induciæ imperarentur, & ſpes quædam de emendatione eccleſiæ oſtenderetur.

XXII. *Ratisbonenſe colloquium alterum*, anno XXVI. hac occaſione apertum eſt. Cum in comitiis Wormatienſibus, ſuperiori anno celebratis, de concilio, deque religione & pace, multum eſſet diſceptatum, Cæſar utriusque partis theologos denuo Ratisbonæ congredi, & omnes conciliationis vias tentare juſſit. Confluunt illi ſub annum dictum magno numero. *Bucerus cum Petro Malvando Hiſpano* primum, deinde cum *Eberhardo Billichio Carmelita* congreſſus, orthodoxiam de juſtificatione fidei erudite defendit. Sed vix cœperant rem ſub disqviſitionem vocare, cùm novæ leges colloquio à Cæſare præſcriberentur: quarum nonnullæ cum non placerent Proteſtantibus, dux Saxoniæ ſuos theologos revocavit. Bucero quoqve ad ea, quæ geſta fuerant, Landgravio referenda diſcedente, colloquium non ſine pontificiorum indignatione diſſolutum eſt.

Oſiand. loc. cit. p. 335. & c. 55. pag. 364.

XXIII. Subſequitur *arcanus ille conventus Jul. Pflugii, Michaelis Sidonii & Joh. Agricolæ Islebii*: qui, juſſu Cæſaris, *librum Interimiſticum* anno XLVIII. in comitiis Auguſtanis armatis cuderunt: de quo ſupra.

XXIV. In hunc ipſum annum, *ob formulam reformationis Cæſaream Interimiſticam*, variæ ſynodi diœceſianæ & provinciales celebratæ ſunt. Inter has *Colonienſis* nullum fidei dogma explicuit; ſed tantum decretis diſciplinam aliqualiter emendavit. *Moguntina* autem cordatius XLVII. decreta de fidei doctrina; de reformatione LVI. edidit, &

Petr. Suav. lib. 3. Hiſtor. Concil. Trident.

imaginum cultum, ſanctorumque invocationem improbavit; *teſte Petro Svav. in hiſtoria Concilii Tridentini, libro III.* Sunt & aliæ Synodi à pontificiis paſſim habitæ, *Senis, Auguſta, Treviris*, & tandem *Tridenti*; qvas vide in Tomis conciliorum.

Boecl. in Reb. Sec. 16 p. 413 Korth pag 797. §. 20.

XXV. *Anglica diſputatio quatriduana Oxoniæ* anno XLIX. à *P. Martyre contra Pontificios* inſtituta eſt. Nam cum, mortuo Henrico rege Angliæ, Eduardus ejus filius pontificiam religionem aboliturus, *P. Martyrem* cum Bernhardino Ochino Argentina evocaſſet, *Richardus Smythæus* eum ad diſputationem inſidioſam imparatum invitavit, non tam ut rationes ejus audirentur, quam ut vita per tumultum ei eriperetur. Servatus tamen eſt autoritate Vice-Cancellarii academiæ, & paulo poſt ad ſolennem diſputationem adverſarios invitavit. Cui qvidem Smythæus, ſuperbus antea ſcientiæ invictæ jactator, ſe ſubduxit; tres autem alii pontificiæ religionis doctores tanta cum ſui confuſione interfuerunt, ut palmam ei cedere palàm viſi ſint.

Nat. Comes lib. 4. pag. 75.

XXVI. *Anglica diſputatio altera atque tertia*, in annum LIII. *Londini*, & LIV. *Oxoniæ* incidit, poſtquam, Eduardo venenato morbo è vivis ſublato, Maria, ejus ſoror, regno hæreditario, quod favore morientis Eduardi Johanna Suffolcia obtinuerat, vi occupato, Miſſam poſtliminio in Angliam revocare conſtituit. *Londini* de ſacra ſynaxi plurimis diebus epiſcopi magna contentione diſputarunt, pontificiis tumultu ſuperioribus. *Oxoniæ Thomas Crammerus, archiepiſcopus Cantuarienſis*, tanquam conſiliorum conſors, captus, & hæreſeos poſtulatus, ſed erroris nondum convictus, alia diſputatione cum epiſcopis congrediebatur. Hic verò, *prout in vita Crammeri legere eſt*, longum foret commemorare quanta animorum acerbitate, quibus partium ſtudiis, qvo ſtrepitu, qvibus cachinnis, conviciis, exploſionibus ac præjudiciis res geſta ſit, ut non diſputatio, ſed conſpiratio, non diſputantium, ſed bacchantium tumultus, ac turba adeſſe videretur. Sæpe decem aut duodecim ſimul, quaſi agmine facto, in Crammerum invadebant, de palma impudentiæ certantes. Illi autem cum aliis accuſatis loqui, niſi ex præſcripto theologorum, non licebat. Exitus itaque diſputationis hic fuit, ut cum tria capita ad diſquiſitionem eſſent propoſita, vix unum ſatis cum Crammero examinarint, & nihilominus tamen, quaſi de omnibus convictum condemnarint, in carcerem denuo impegerint, & carnifici tandem jugulandum tradiderint.

XXVII. *Diſputatio Würtenbergica inter Brentium & Johannem Laſcum*

Laſcum Zwinglianum, ex Anglia exulem, eccleſiæ peregrinorum in urbe imperiali Francofurtana paſtorem, anno LVI. de S. Cœna inter privatos parietes habita eſt: in qua ſtrophas adverſariorum egregie confutavit Brentius, cum carnem Chriſti in S. cœna præſentem ad dexteram quoqve patris ſedere poſſe ſubtiliter demonſtraret.

XXVIII. Eodem anno *conventus Iſenacenſis in controverſia Majoris* de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem *inter Victorinum Strigelium & Juſtum Menium* habitus eſt. Quia ancipiti eventu colloquium finitum eſt, & Joh. Menius defecit, data eſt occaſio colloquio Vinarienſi in anno ſubſequente. Chytr. in Saxon.

XXIX. *Convallenſis diſputatio* eodem anno *inter Convallenſes*, reliquias Waldenſium in Gallia, & *Amatum Sanjulianum*, Præſidem, in ſpeciem magis, quam ſerio inſtituta eſt: in qua de ſolemni ſacrificio, pœnitentia ac confeſſione privata, de traditionibus ac ceremoniis, de precibus propitiatoriis pro mortuis, deque cenſuris actum fuit, *ut teſtatur Sleidanus libro XXVII.* Finis colloquii fuere cædes confeſſorum, bellum cruentum, immanis hominum innocentum afflictio. Sleid. Comm. de Statu Relig. lib. 27.

XXX. *Colloquium Wormatienſe* anno LVII. occaſione hac enatum eſt: Placuerat Ordinibus imperii in comitiis Ratisbonenſibus, hoc ipſo anno habitis, ut colloquium, *ſub præſidio Julii Pflugii*, epiſcopi Naumburgenſis, inſtitueretur. Veniunt eo theologi utriusque religionis, quamplurimi, interque alios *Melanchthon, Brentius, Rurgius, Eberus, Jac. Andreæ*: & diſputant de norma judicii in controverſiis theologicis: quam pontificii ſtatuebant perpetuum conſenſum ſeu conſvetudinem; Evangelici prophetica & apoſtolica ſcripta & ſymbola. Diſſolutum autem fuit colloquium, noſtratium diſſenſione. Jenenſibus enim interimiſticas actiones & Majoris doctrinam de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem condemnantibus, cum idem Saxoniæ theologi facere nollent: Pontificii ob hunc diſſenſum cœptam diſputationem recuſarunt. Atqve ita re infecta à colloqvio diſceſſum eſt. Oſiand. Cent. 16. l. 3. c. 18. pag 656. Korth. p. cit. §. 11.

XXXI. *Diſputatio Vinarienſis* anno LX. *inter Victorinum Strigelium & Matth. Flacium Illyricum*, de converſione hominis & viribus liberi arbitrii, præſentibus Saxoniæ principibus, Johanne Friderico II. & fratribus habita eſt. Et Strigelius quidem in Adiaphoriſtarum & Synergiſtarum ſententiam inclinavit: Flacius autem, à cujus partibus ſtabat *Muſæus & Stœſſelius*, errorem de peccati originalis ſubſtantia eccleſiæ primo propinavit, ſolumq; vertere eſt juſſus, invidia in eum variis tech- Vide Acta ejusdem Diſp. à Simone Muſæo edita. VVigand in Manich. & Erdm. in Strigelianiſmo.

nis inſurgente. *Extant acta diſputationis, XIII. ſeſſionibus habitæ, cum præfatione Muſæi, quæ videri poſſunt.*

WVigand. de Sacrament part. 2. p. 437 Korth in Hiſt Eccl. Sec. 16. c. 3. §. 3.

XXXII. *Diſputatio Heidelbergenſis* hac occaſione inſtituta eſt. Cum Saxoniæ dux, Johannes Fridericus, ſocerum ſuum Fridericum, electorem Palatinum, in partes Calvinianorum inclinare ſentiret, *cum Maximiliano Morlino*, paſtori Coburgenſi, & *Stœſſelio*, paſtore Heltburgenſi, ad illum profectus, dictos theologos cum *Petro Boquino*, Zwinglianiſmum per cuniculos diſſeminante, commiſit. Et Stœſſelius quidem ut acta referunt, Boquino maſcule veritatem oppoſuit, ejúsque conſenſum cum Zwinglianis detexit; *Eraſto* etiam *Medico*, ex ſcriptis Calvinianis noto, partes diſputatoris ſibi vendicanti, commode occurrit: nec ſine inſigni laude ad finem usqve colloquii perſtitit: *poſtea tamen apoſtata factus*, & miſerando modo in extremam deſperationem adactus.

Oſiand. l. 3. c. 46 p. 725. Korth. p. 807 § 8. & p. 816. §. 4. Lundorp. in Cont. Sleidani lib. 2. pag. 185.

XXXIII. *Poſſiacenum colloqvium in Gallia*, inſtar nationalis concilii, anno LXI ſubſequitur. Carolus enim IX. rex Galliæ, cum pontificii ſuam; ſuam etiam religionem evangelici mordicus tenerent, ne partium ſtudia turbas in publicum darent, ab omni violentia utrosque abſtinere juſſit, & locum colloquio theologico deſignavit, ut, ſi fieri poſſet, ratio concordiæ iniretur. Eligebatur ad conventum aula monaſterii Poſſiaceni. Convenerunt rex, regisque mater, frater Alexander, ſoror Margareta; rex reginaqve Navarræ, & reliqui optimates, interque eos Condeus & Admiralius. Ex pontificiis antiſtibus *Cardinalium atque epiſcoporum quinquaginta numerabantur, magna ſtipati Sorboniſtarum & Canoniſtarum Corona.* Ex proteſtantibus *Beza Geneva, Martyr Tiguro*, & præter eos *Marloratus, Viretus Galleſius, Merlinus, Morellus, & plures alii* aderant, à Navarræo, evangelicis favente, evocati. Ab initio quidem orationibus res agi cœpit. Sed Beza, de capitibus religionis & erroribus pontificiis prolixe diſſerens, *cum corpus Chriſti tanto locorum intervallo à pane cœnæ abeſſe dixiſſet, qvanto cœlum altius à terra*, publicum fremitum commovit, nec in ſolemni colloquio porro quicquam agi potuit. Collatione tamen privato in loco coram regina matre, & rege reginaqve Navarræ inſtituta, de eccleſia, S. cœna, & traditionibus, cum Cardinali Lotharingio, CL. Eſpencæo & CL. Sanctesio Sorbonicis, Lainio, propoſito Jeſuitarum generali, & aliis, omnia turbulenta agentibus, conflixit. Cumque colloquium antiſtitibus diſpliceret, Bezæ imperatum eſt, ut, ſi colloquii continuationem exoptaret,

cum

cum ſuis Auguſtanæ confeſsioni primum ſubſcriberet. Sic enim fore, aſtuto uſi conſilio, arbitrabantur, ut, ſi recuſaret, rixæ inter Gallos & Germanos orirentur; ſin faceret, tanquam victus videretur. Beza, ſi ipſi etiam pontificii Auguſtanam confeſsionem admittere vellent, non incommodam brevi tempore pacis rationem iniri poſſe reſpondit: alioquin ſe cum Auguſtana confeſsione ſentire negavit. Exitus tandem colloqvii hic fuit: Minuitur denuo numerus auditorum & collocutorum: conſcribuntur formulæ de cœna: has nonnulli pontificiorum recipiunt; nonnulli rejiciunt. Diſſolvitur igitur colloquium. Ad illud ſe quidem theologi Germani, *Petrus Boquinus*, *Joh. Andrea Beurlinus*, *Mich. Dillerus & Bidenbachius* accinxerant, ſed eo jam abrupto, Pariſios pervenerunt. Et quanqvam nonnulli eos cupiebant cum theologis Calviniſticis Gallicis committere, ne tamen, disſidio eorum patefacto, majores turbæ in Gallia excitarentur, in Germaniam redierunt. Interim indies numerus evangelicorum in Gallia augebatur, & conciones pasſim publice haberi cœperunt, rem tantam edictis de libertate religionis, qvæ JULIANUM vocant & JANUARIUM, non parum juvantibus, Coneſtablius, Guiſius, & alii ſe oppoſuerunt: nullumq; non moventes lapidem, tandem Navarræo ad apoſtaſiam inclinato, inſignem perſecutionem in fidei confeſſores excitarunt. *Confer Thuanum libro XXIIX. & quæſtionem ſequentem LX.*

XXXIV. *Colloquium Sangermanenſe* Posſiaceno annexum fuit. Nam regina Galliæ de imaginum cultu Bezam cum pontificiis congredi jusſit. Sed orationibus tantum prolixis res acta eſt, nullo pene cum fructu. Paulo etiam poſt anno LXII. cum fratres Guiſii *ad Tabernas Alſatiæ* cum Chriſtophoro duce Würtembergico conveniſſent, & dux *Brentium & J. Andrea* ſecum adduxiſſet, *Cardinalis Guiſius* oſtendere conatus eſt, multis Auguſtanæ religioni conceſsis, *Lutheranos facilius poſſe cum pontificiis, qvam cum Calvinianis convenire.* Hinc Cardinalis in ſuſpicionem tractus eſt, quaſi procuraret Auguſtanæ confeſsioni in Gallia locum, cum Calvinianam prorſus odiſſet. Lundorp. loc. cit. p. 294.

XXXV. *Lüneburgenſis conventus* eodem, quo Posſiacenus, anno celebratus eſt, confluentibus ex Lubeca, Hamburgo, Magdeburgo, Brunſviga, Brema, theologis. Cumque in eo improbarentur ſecus ac nos docentes, *Paulus ab Eizen* Superintendens Hamburgenſis, id poſtea improbavit, in condemnationem heterodoxiarum non conſentiens. Hutter. in Conc. Concord p. 102.

Oſiand. Cent. 16 l. 3. c. 5. p. 791. & ſeq. VVigand in Sacram. part. 2. p. 471. ſeqq.

XXXVI. *Colloquium Maulbronnenſe anno LXIV.* à Friderico, electore Palatino & Chriſtophoro, duce Würtenbergico, adornatum eſt: quorum ille adduxerat *Dillerum, Boquinum, Olevianum, Datbenum, Urſinum, Xylandrum, Calvinianos*; hic *Brentium, Jacobum Andreæ, Snepfium, Bidembachium, Oſiandrum.* Diſputatio committebatur J. Andreæ, qui X. actionibus contra Boqvinum, Olevianum & Urſinum tantis rationibus omnipræſentiam carnis Chriſti & veram fidem de cœna aſſerebat, ut, cum antea corpus Chriſti non poſſe eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis dixiſſent adverſarii, tandem poſſe quidem, ſed Chriſtum id nolle dicerent, atqve audita orthodoxa noſtratium de S. cœna explicatione, faterentur, ſe diſputando progredi non poſſe, eo qvod exiſtimarent, aliam, & quidem abſurdiorem, opinionem à noſtris defenſum iri. Prodiit colloquii epitome, quam impugnarunt Palatini; defenderunt Würtembergici, polemicis ſcriptis alteri in alteros inſurgentes.

Thuan. l. 39. p. 393. edit. Aurel.

XXXVII. *Pariſienſis diſputatio* anno LXVI. à Monpenſerio, *inter Simonem Vigoreum & Claudivium Sanctesium*, theologos pontificios, & inter *Johannem Spinam & Carolum Barbaſtum, Bearnenſem*, ejusque loco ſubſtitutum, *Surellum Roſerium*, proteſtantes, inſtituta eſt: cujus is eventus fuit, *dicente Thuano libro XXXIX.* ut, poſt longam & animoſam diſceptationem, exiguo partium nusquam convenientium profectu, utrinque diſceſſum ſit. Spondanus dicit, *Roſerium* poſt hanc diſputationem factum primo fuiſſe pontificium: dein Lutheranum. Eodem anno in *Anglia* ſub Eliſabetha doctores pontificii congresſi ſunt in diſputationem eo eventu, ut pontificii ſuperſtitionum convicti mitterentur. *Petricoviæ* etiam in Polonia inter Arianos & Reformatos diſputatum eſt; quorum illi proſcripti ſunt. *Varadini* quoqve *in Tranſilvania* inter *Petrum Caroli & Petrum Melium* reformatæ religionis, & *G. Blandratam atque Franciſcum Davidis*, Arianæ, diſputatio habita eſt coram principe Joh. Sigiſmundo, Arianiſmi inſimulato: poſt qvod colloquium Antitrinitaria hæreſis magna in Tranſilvania & Polonia ſumſit incrementa, cum Blandrata & Franciſcus Davidis etiam ſcriptis SS. Trinitatem audebant impugnare.

Acta Colloq. impreſſa Jenæ in fol. 1669. Oſiander Cent. 16, l. 3, cap. 64.

XXXIIX. *Altenburgenſe colloquium anno LXIII.* à die XXI. Octobr. XI Martii anni ſequentis continuatum, hæc habuit initia. Cum theologi Miſnici tempore interreligionis plura papicolis conceſſiſſent, & adhuc tres errores defenderent, *opera ad ſalutem eſſe neceſſaria; hominis voluntatem in converſione ſe active habere; in rebus adiaphoris aliquid*

pon-

pontificiis cedi poſſe: theologis Thuringis, *Wigando*, *Cæleſtino*, *Irenæo*, *Kirchnero*, *Roſino* hæc admodum diſplicuere: publicisque ſcriptis reciproca indignatione res geſta eſt. Auguſtus igitur, elector Saxoniæ, & Johannes Wilhelmus dux Saxoniæ, eos *Altenburgi* commiſerunt. Sed cum ſcriptis pugnaretur, & neutri cederent, unus de juſtificatione hominis locus vix quinque menſibus potuit explicari. Tandem Miſnici, *Eberus*, *Salmuth*, *Freybuberus*, *Cruciger junior*, & *Henricus Mollerus*, ad electorem miſerunt confesſionem, talem ædepol, qualem quinqve fere menſibus extorquere non potuerant Thuringici; non qvod revera ita ſentiebant, ſed quia diſſolutionem colloquii quærebant. Et diſceſſerunt ſane, omnibus invitis, offenſione animarum majori inde enata. Invectivis enim poſtea res acta, & odia inter ipſos etiam principes inflammata ſunt.

pag. 809. & ſeq. Korth. pag 817.

XXXIX. *Synodus Sendomirienſis theologorum in Lithuania & Samogitia, partim Helveticæ confesſioni, partim Bohemicæ, partim Auguſtanæ addictorum*, anno LXX. celebrata eſt. Factus eſt Syncretiſmus adverſus externos hoſtes, decreto interpoſito, ut juxta præſcriptum Auguſtanæ confesſionis variatæ, quæ in concilio Tridentino anno LII. exhibenda fuiſſet, de ſacramento S. cœnæ doceretur. Qvod ipſum in *ſynodo Poſnanienſi* anno LXXXVI. repetitum eſt. Conſenſui huic non ſaltem evangelici Lutherani *in ſynodo Vilnenſi* anno LXXIIX. ſed & *Paulus Gericius*, theologus Poſnanienſis, collectis academiarum cenſuris, contradixit. Convenerunt tamen denuo *Thorunii* poſt XXV. annos, anno nempe XCV. nonnulli theologi ex Polonia, Lithuania & Boruſſia, & *Sendomirienſem Syncretiſmum* confirmarunt, præſentibus præter plures nobiles duobus Palatinis & quinqve aliorum legatis.

Laſicius in libello de conſenſu Eccl. Pol. & de Ritib. Moſcovit. Lætus in Hiſt. univ. c. 23. Sect. 2. art. 2. p. 413. edit. Feller.

XL. *Franckenthalenſe colloquium* Palatinorum theologorum adverſus anabaptiſtas anno *LXX*. habitum ſubſequitur, autoritate Friderici electoris. Illo finito, Anabaptiſtis, variorum errorum convictis, interdictum eſt Palatinatu.

Protocollum Colloq. impreſſ. Heidelbergæ in 4to. 1571. Korth. p 838

XLI. Eodem anno habita eſt *ſynodus Rupellenſis in Santonibus*, autoritate regis Galliarum, reformatis addicti, in qua poſt confesſionem fidei reſtauratam, actum eſt de diſciplina ex ſuperiorum bellorum occaſione collapſa inſtauranda. Hoc negotium etiam ſequenti anno in *ſynodo Nemauſenſi*, præſide Beza, tractatum eſt *teſte Thuano lib. LVI.*

Thuan. lib. 56. pag. 931.

XLII. *Argentinenſe quoque colloquium hoc anno inter J. Andreæ & Flacium* de peccato originis inſtitutum eſt: ſed, Flacio ab opinione ſua non recedente, diu non protractum.

Korth. loc. cit.

XLIII. *Synod-*

Loccen. l. 7. Hiſtor. Suecanæ pag. 388. edit. noviſſ.

XLIII. *Synodus Upſaliæ* anno LXX. hac occaſione celebrata eſt. Poſtquam Guſtavus rex fatis conceſſiſſet, Ericus, filius ejus primogenitus, Calvinianæ hæreſi, à præceptore *Beurreo* Gallo ſeductus, favit, & alia ſe indigna commiſit: ſed cum ob furorem poſt ſeptennium carceri mancipatus eſſet, & ejus fratri Johanni habenæ regni committerentur, facile auſis & technis Sacramentariorum obviam itum eſt. Ipſe autem Johannes majoribus motibus anſam præbuit. Nam cum in matrimonio haberet Catharinam Jagellonicam, filiam Sigiſmundi Augusti, regis Poloniæ, in pontificia religione à teneris imbutam, & quæ ſcholæ Brunsbergenſi X millia imperialium legaverat, cœpit ipſe, uxoriis perſuaſionibus, Jeſuitarum, quos in aula fovebat regina, molitionibus ſuccumbere, & unicum filium, Sigiſmundum, religioni pontificiæ initiare. Ideoque conventum epiſcopi & clerus Upſaliæ celebrarunt, & in doctrina fidei agnitæ conſtanter, rejecta omni ſuperſtitione, ſe permanſuros, ſunt conteſtati. Defuncto autem *M. Laurentio Petri Nericio*, archiepiſcopo, (nec enim hiſtoriam regni Sveciæ religioſam divellam) *Laurentius Andreæ*, Gothus, ei ſurrogatus, ut regi gratificaretur, conſenſit in liturgicum quendam librum: qui eadem fraude, qva forma interimiſtica in Germania, *à M. Petro Fechten*, Secretario regis, *Joh. Herbeſto*, concionatore reginæ pontificio, & *Laurentio Norvegio*, profeſſore Holmenſi pontificio, auſpiciis *Stanislai Hoſii Cardinalis & epiſcopi Warmienſis in Boruſſia atque Jeſuitarum*, perſcriptus erat, ut vix ſentientes ſub jugum pontificis retraherentur. Subſcripſerat huic liturgiæ archiepiſcopus, & eam Holmiæ typis divulgari curaverat. Sed cum reliqui epiſcopi, profeſſores & paſtores eccleſiarum, forma in liturgia præſcripta uti juberentur: aliqui quidem ceſſerunt tempori: nonnulli, qui detrectabant aſſenſum, loco moti & in carcerem conjecti ſunt. In comitiis autem Holmienſibus talis liturgiæ declaratio à rege facta eſt, ut plerique nihil doli ſubeſſe opinantes, ejus uſum approbarent. Mortuo Johanne, antequam filius ejus Sigiſmundus, in religione ſequiore à matre & Jeſuitis educatus, ex Polonia adeſſet, ordines regni, in comitiis Upſalienſibus congregati, convenire etiam voluerunt epiſcopos, profeſſores & paſtores regni. Eorum *CCCVI. in nationale concilium*, coiere, & examinatis atque approbatis ſingulis Auguſtanæ confeſſionis articulis, retractiſque liturgiæ ſubſcriptionibus, & ceremoniis ſuperſtitioſis abrogatis, obtinuerunt à ſenatoribus regni, ut ſancirent, *nullum locum nullumque publicum exercitium hæreſi pontificiæ aut Calvinianæ*

niana in univerſo regno eſſe relinquendum. Cum nihilominus *Jeſuitæ*, quos Sigismundus rex ex Polonia adduxerat, multa huic ſanctioni contraria machinarentur, & in templo inſulari Holmiæ non ſine magno tumultu, in funere duorum miniſtrorum regis, Miſſam pontificiam celebrarent, typographiam etiam occluderent, ne acta concilii Upſalienſis ederentur: nec rex clero ſupplici aures ſatis faciles præberet, ſed contra confirmatiorem evangelicæ religionis in comitiis factam ſcholas Jeſuiticas Holmiæ in arce regia, ut & Drottningholmiæ & Waſtenis aperiret, & abiens in Poloniam relinqueret, qui pasſim oberrantes, ſemina hæreſeos Romanæ ſpargerent, gubernatores etiam provinciarum, fermento pontificio infectos, conſtitueret: factum tandem eſt, ut Ordines regni, duce Carolo, Sigismundi patruo, gubernatore regni propter abſentiam regis, electo, & viſitatione eccleſiarum inſtituta generali, decreta conderent, de nulla religione hæretica in ſcholis aut templis admittenda, niſi quando rex forte præſens in ſuo ſacello ſacra ritu pontificio obiret. Ille vero, cum exercitu hoſtili advolans, adverſo prælio Stongebrogenſi in Oſtrogothia cum Carolo patruo conflixit, & in Poloniam victus ſe recepit: factumque eſt decretum ab Ordinibus, *ut regnum Sigismundo ablatum, ejus filio primogenito, ſi pater illum in religione evangelica pateretur informari, offerretur. Ille cum non mitteretur, regi & omni ejus poſteritati, ſacris Romani pontificis initiata, regnum eſt abrogatum, & Carolo duci anno* CIↃIↃCVI. oblatum. Cujus animus quanquam poſtea à Calvinianis nonnullis, & imprimis à *Theodorico Micronio & Johanne Forbeſio Scoto*, tentatus fuit, & ſemina hujus pravitatis pasſim ſpargerentur: conſtantes tamen epiſcoporum pro orthodoxia excubiæ fecerunt, ut minus nocerent: præſertim cum Guſtavus, Caroli filius, poſt obitum patris ad gubernacula regni evectus, nihil magis in votis haberet, quam ut in omni Svecia ſuæ religioni conſtaret puritas: quam etiam ob cauſam non tantum academiæ Upſalienſi de ſufficienti ſalario proſpexit, ſed & generale conſiſtorium anno ſeculi noſtri XXIV. inſtituit, in qvo controverſæ de religione cauſæ dijudicarentur, & ordo in eccleſia legitimus conſervaretur. *Vide de his omnibus Inventar. Eccl. Sveo-Goth. Joh. Bazii.* Idem Ibid. pag. 417.

XLIV. Hinc ſequuntur varii illi conventus, *ob formulam concordiæ* conſcribendam habiti, quorum ſupra quæſtione XLIV. & XLV. facta eſt mentio. Suntque *Dreſdenſis, Torgenſis primus, Liechtenbergenſis, Torgenſis ſecundus, Bergenſis.* Hutter. in Conc. Concorde edit. 1614. p. 136. b. 50. 84. 76, 78. 84. &c.

XLV. Quin

Id. ibid. p. 192. ſeqq.

XLV. Quin &, confecto jam libro concordiæ, ut ſubſcriptiones ejus colligerentur, conventus adhuc aliqui habiti ſunt: inter quos eminet *colloquium Herzbergenſe*, ex diſputatione notum, quæ anno LXXVIII inter *J. Andreæ & Amlingum, Servestanum theologum*, ſatis turpiter errores Calvinianos defendentem, inſtituta fuit: item *conventus Langenſaltzenſis, Smalcaldenſis, Torgenſis tertius, Juterbocenſis, & alii*, de quibus omnibus *vide concordiam concordem Hutteri.*

Joh. VVigand. in Manichæiſmo pag 534. & ſeqq.

XLVI. *Lindavienſe colloquium* anno LXXV. *à J. Andreæ* adverſus *Tobiam Rupium & Sebaldum Schoſterum*, Flacii opinionem de peccato originis ſequentes, ſenatus autoritate ſuſceptum eſt. Et confuſi ſunt Flaciani, multo abſurdiores, quam ipſe Flacius: atque cum errorem mittere nollent, loci moti.

Id. in Sacram. part. 2.

XLVII. Idem *Jac. Andreæ* anno LXXVII. à *ſenatu Memmingenſi* evocatus, cum *Klebero, concionatore Calviniano*, diſputationem habuit, ejusqve errores detexit.

VVigand. l. cit. p. 548. usque ad fin. l. 182.

XLIIX. *Colloquium Ibeverenſe*, eodem anno, *in Friſia, Hermannus Hamelmannus* adverſus *Japetum, Qvantium, & alios*, autoritate comitis Oldenburgii, inſtituit. Cum enim illi, Calviniſmo addicti, ordinationem eccleſiaſticam Saxonicam recipere nollent, in hoc colloquio rationem reddere jubebantur, ut acta impreſſa docent.

Hutter. in Conc. Concord p. 180. 311. 313. ſeqq. Koreb. p. 839.

XLIX. *Quedlinburgenſe colloquium* anno *LXXXIII. in negotio Helmſtadienſi*, quo contra Formulam concordiæ omnipræſentia carnis Chriſti ab Heshuſio & Hoffmanno impugnabatur, & multipræſentia ſaltem aſſerebatur, inſtitutum eſt. Et Heshuſius quidem, cum complicibus ſententiæ pertinaciter inſiſtens, fecit, ut abque fructu colloquium diſſolveretur; in qvo præcipuæ partes demandatæ erant ex theologis electoralibus *Tim. Kirchnero*; & Brunſvicenſibus *Hesbuſio.*

VVigand. in Sacram. p. 422.

L. Subſequitur *diſputatio Heidelbergenſis novendialis*, anno *LXXXIV.* à Ioh. Caſimiro, Calviniſmum in Palatinatum introducturo, inter *Joh. Jac. Grynæum* Baſilea evocatum, & *miniſtros eccleſiarum atq; Studioſos Lutheranos* inſtituta. Teſtimonium ſtudioſæ juventutis de hac extat, qvo Grynæus non diſputatoris ſed calumniatoris; non theologi, ſed ſophiſtæ partes ſuſtinuiſſe, principia philoſophica & theologica negaſſe, ſcopum controverſiæ dedita opera declinaſſe, nihil ad rem reſpondiſſe, ſemel conceſſa & data revocaſſe dicitur. Ejecti nihilominus ſunt theologi & Studioſi, quicunqve paradoxis Grynæi ſubſcribere nolebant.

LI. Co

LI. *Colloquium Marbacenſe* inter Palatinos & Würtenbergicos.

LII. *Colloquium Mompelgartenſe* anno LXXXVI. à Friderico duce Wurtembergico pro[illegible]um eſt. Nam cum Galli exules, quibus hoſpitium Mompelgarti conceſſum fuer[illegible]t, magnam ſpem concepiſſent, fore, ut, ſi colloquium inter theologos Lutheranos & Calvinianos inſtitueretur, in articulis controverſis concordia pia iniretur, & eccleſiæ Gallicæ cum noſtris arctius coaleſcerent: rogarent ducem, ut *Jacobus Andreæ cum Beza* committeretur. Iſti adſtitere *Muſculus, Finus, Hübnerus. Alberius*; huic *Oſiander*. Quod rogabant, obtinuerunt: noſtræque partis theologi, ſuis theſibus adverſæ parti primum traditis, ſcriptum ab iis reſponſum receperunt: deinde contrariis ſcriptis publice recitatis, colloquio inſtituto, *I. de cœna Domini. II. de perſona Chriſti. III. de imaginibus. IV. de baptiſmo. V. de prædeſtinatione* diſſeruerunt. Ipſum ducem non piguit ſua manu ea annotare, quæ ab adverſa parte contra piam, ſimplicem, & ſinceram doctrinam dicebantur: *nullam nos aliam habere in cœna præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, niſi eam, quam ſuo tempore Abraham, carne & ſanguine filii Dei nondum exiſtente, in V. T. habuerit; idiomata naturæ divinæ nulla ratione humanitati communicari, nec omnipotentiam & omniſcientiam ei competere poſſe; innumerabiles pueros, qui nunquam regenerentur, baptiſari; Chriſtum pro totius mundi peccatis mortuum non eſſe; Davidem in ipſo etiam adulterio Spiritum Sanctum & fidem retinuiſſe.* Exitus colloquii fuit, ut, cum Beza dexteram fraternitatis Jacobo Andreæ porrigeret, ille, ea ob craſſorum errorum defenſionem negata, dexteram humanitatis præberet. Sed Beza, quia dexteram fraternitatis negaſſet, amicitiæ etiam dexteram noluit. Notandum interim eſt, initio quidem inter collocutores conveniſſe, ut nihil ederetur eorum, quæ in colloquio gererentur: ſed cum longe lateque ſpargerentur vani & jactabundi rumores & epiſtolæ, quibus nonniſi Bezæ triumphi canebantur, editionem Actorum maturare Wurtembergici coacti fuerunt.

Acta Colloq. edita Tubingæ in 4to. A. 1594 Bezæ ad ead. A. 1583 & A. 1587. Oſiand. Cent. 16. l. 4. c. 25. p. 982. uſque 1039.

LIII. Ex lectis colloquii Mompelgartenſis actis *Samuel Hüberus*, Bernatium paſtor, veritatem agnovit, & abſurdas Bezæ ſententias publice confutavit, inque diſputatione anno LXXXVII. cum *Abrahamo Muſculo, Grynæo, & aliis Calvinianis*, non prius deſiit Lutheranorum confeſſionem defendere, quam loco motus, in ducatu VVurtenbergico reciperetur.

Oſiand. Cent. 16. l. 4. c. 37. pag. 1056. usq; pag. 1083.

LIV. Ultimum colloquium, quod Jacobus Andreæ habuit, *Badenſe* fuit, anno LXXXIX. inſtitutum. Nam *Joh. Piſtorius*, Niddanus medicus, apoſtata vulgo dictus, patre pio & docto, olim Superintendente Haſſiæ, natus, ad Calvinianiſmum primo, deinde ad Papatum defecerat; & ſæpe thraſonice jactaverat, ſe quosvis theologos Lutheranos ſolis S. ſcripturæ teſtimoniis convicturum. Quam ob rem Marchio Badenſis, Jacobus, ad pontificios inclinans, à Wurtenbergico duce, ut theologos ſuos, Jacobum Andreæ, Gerlachium, Oſiandrum, Herbrandum mitteret, impetravit. Et quanquam Piſtorius diem ex die nectere, & per totam æſtatem in autumnum usque colloquium defugere videbatur, tandem tamen reſpondendum fuit. Sed ecce thraſonis ingenium! Qui ſolam ſcripturam hactenus ſe adducturum dixerat, in toto colloqvio, Niddæ habito, quod intra biduum IV. ſeſſionibus abſolutum fuit, ne unum quidem ſcripturæ dictum attulit: ſed ſophiſticis eluſionibus pretioſisſimum tempus conſumſit, tandemque colloquium abrupit, cum principalis quæſtionis ſtatus nondum ſub diſquiſitionem veniſſet. Marchio Badenſis paulo poſt, juvenis XXVIII. annorum diem extremum obiit, non diu ſuperſtes apoſtaſiæ, in quam incircumſpectus juvenis dilapſus fuerat.

Ægid. Hunn. Narrat. de Certamine Huberiano præfixa Tract. de Provid. V. Vigand. de Anabapt. à p. 465. ad fin.

LV. Hinc ſequuntur *diſputationes theologorum cum Hubero in articulo de electione*, quam ad omnes omnino homines extendebat, *Ratisbonæ & Tubingæ habitæ*: Habita etiam ſunt aliqua *cum anabaptiſtis* colloquia *Franckenthaliæ, Wiſmariæ, Emdæ, Leovardiæ. Schwalbachiæ* qvoque *Paræus* Heidelbergenſis & *Becanus* è ſocietate Jeſu de fidei articulis diſceptarunt.

Hutter. in Concord. Conc. p. 338. Gulich. ad Boxhorn. A.

LVI. *Colloquium Neoburgenſe ad Danubium*, ex occaſione Bipontini Catechiſmi, & reformatione Calviniſtica, quam Johannes Bipontinus anno LXXXVIII. in ſuis ditionibus ſuſceperat, anno XCIII. inſtitutum eſt. Nam cum IV. reliqui Palatini dolerent, fratrem ſuum fraudulenter *à Pantaleone Candido & aliis* eſſe ſeductum, ad colloquium invitarunt *Heilbronnerum & Beutherum*. Et quanquam Beuthero ipſe princeps Johannes & *Barth: Hexamerus* ſuccenturiabantur, (Pantaleon enim, qui catechiſmi infelicem foetum conceperat, poſt cancella latitabat) Heilbronnerus tamen, præterquam, quod noſtratem decalogi diſtinctionem pulcre explicabat, ita maſculè orthodoxiam de perſona Chriſti aſſeruit, ut, niſi autoritas principis Bipontini ſuis miniſtris, omnibus IX. ſeſſionibus (tot enim habitæ ſunt) ſubveniſſet, nec contra auſi fuiſſent hiſcere.

LVII. In

LVII. In eundem annum incidit *ſynodus Epperienſis*, *in Hungaria* Hutter. in Conc.
celebrata: in qva *Severinus Schultetus*, paſtor Barthphenſis, ſtrophas *Job.* Conc. p. 366.
Mylii, Rectoris Leutſchovienſis, Calviniſtæ, animoſe diluit, *ut narrat Hutterus in Concordia concorde cap. 53.*

LVIII. *Synodus Stetinenſis*, *anno* XCIII. habita, ſubſequitur, in Dan. Cramer.
qua Joh. Fridericus, dux Pomeraniæ, eos, qui ipſi compedes Calvini- in Chron. Eccl.
ſticas fere injeciſſent, confeſſionem edere, & ſymbolis noſtrarum eccle- Pomer. l. 3 c. 51.
ſiarum ſubſcribere, aut loco cedere juſſit. Eodem anno *colloquium* p. 260. ſeq.
Surenenſe prope Pariſios habitum eſt inter Galliæ proceres pontificios: quorum aliqui partes regis tuebantur; reliqui fœderatorum. In hoc præcipue agitatum eſt *de conſtituenda legitimi principis autoritate*, cui univerſi, inque illis ipſa eccleſia, tanquam imperii pars, eſſet obſtricta. Nam alii parere regi, tanquam à Romana curia alieniori, detrectabant. Alii non ſufficiens id eſſe exiſtimabant ad regem, cui de jure imperium debebatur, deferendum. Finito colloquio, tam callide omnia ſunt acta, ut tandem rex Henricus IV. ad ſacra Romana ſecederet à Reformatis, poſtquam Guiſius jam illi erat oppoſitus, ut, niſi papæ ſacra ſuſciperet, ille regnum haberet. Poſt ſeptennium anno cIↃ IↃc. aliud in Gallia *colloquium ad Fontenobleum*, præſente rege, inter *Jacobum Perronium*, epiſcopum Ebroicenſem, & *Philippum Mornaum Pleſſium*, Reformatum, de allegatis in articulo de eucharistia à Mornæo factis: qvæ Perronius volebat arguere criminis falſi, & ob id eum accuſaverat.

LIX. Seqvuntur *duæ memorabiles ſynodi aliæ Hungaricæ*: in qua- Hutter. in Conc.
rum *prima Keysmarcenſi*, anno XCVI. habita, *D. Albertus Grawerus Seba-* Conc. pag. 371. ſeq.
ſtianum Lamium, heterodoxias Calvinianæ convicit: *in altera Leutſchovienſi*, poſt biennium celebrata, *orthodoxi contra M. Antonium Platnerum Calvinianum, diſputarunt*, ut annotat *Hutterus in Concordia concorde cap. LIV. & LV.*

LX. Annus poſt milleſimum & ſexcenteſimum primus *colloquio* Acta Colloquii
Ratisbonenſi tertio clarus eſt. Nam dux Bavariæ Maximilianus hoc tem- Ratisb. impreſ-
pore *Hungerum*, *Gretſerum*, *Wellerum*, *Hannemannum*, &, qui ſeipſum, ſa in 4to. Lau-
nec vocatus ad diſputandum, nec juſſus à magiſtratu, collocutorem gingæ 1602.
conſtituit, & inſulſe ſyllogiſmos in rebus etiam manifeſtis poſtulavit, *Tannerum*; Philippus Ludovicus Comes Palatinus Rheni *Ægidium Hunnium* & *Heilbrunnerum*, *Rungium*, *Cælium*, *Bidembachium* & *Oſiandrum*, evocarant, ut de norma controverſiarum in religione ſententias, qvas

ſovebant diverſas, conferrent. Conſumtæ ſunt in unica hac quæſtione XIV. ſeſſiones: in quarum ultima Bavarici theologi colloquium tandem abruperunt, cum noſtrates Romanum pontificem, tanquam Antichriſtum, multorum errorum reum agere vellent.

Acta Poſt-Colloquii impreſſa ibid. A eod. per Jac. VVinter.

LXI. Eodem tempore habitum eſt *Poſt-Colloquium Ratisbonenſe* inter *duos fratres Heilbrunneros & Conradum Vetterum atq; Johannem Hylin* Jeſuitas: in qvo, præſente Bavaro & Palatino magnisque in utraque aula viris, Vetterus, qui XIII. libellis Lutherum infamaverat, XII. criminum falſi accuſatus & convictus eſt.

Frider. de Vry in Narrat. impr. Amſterd. 1621. Acta Synodi Remonſtr. & Contr. Remon. Collatioqq. Hagienſis à Bertio & Brandio edita.

LXII. Cum in eccleſiis Belgicis *Jac. Arminius*, ejusque ſectatores, nomen *Remonſtrantium* præ ſe ferentes, in quinque capitibus *de prædeſtinatione, de morte Chriſti, de corruptione hominis, de ejus converſione, deque perſeverantia ſanctorum*, ab aliis, qvos *Contra-Remonſtrantes* vocabant, disſiderent, & gravisſimos iis errores, qvos cum Zwinglio & aliis crasſioribus Calvinianis communes habent, objicerent, nec quicquam in collatione Hagienſi, in qva utraque pars in colloquio commiſſa fuerat, profectum eſſet: Ordines Belgici fæderati generales, conſilio & directione principis Arauſiani, *ſynodum nationalem Dordrechtanam ſeu Dordracenam* anno ſeculi noſtri XVIII. convocarunt, in qua plurimi theologi ex Britannia, Palatinatu, Haſſia, Helvetia & omnibus fere reformatis, quas ſic vocant, eccleſiis, congresſi, Arminianos, utplurimum ſaniorem in controverſis illis articulis opinionem foventes, condemnarunt, & ab officiis removerunt. Vid. ſupra *quæſt. XLIII.* Confer. quæ eadem quæſtione de *ſynodo Perthenſi & conventu nationali Edenburgenſi* in Scotia diximus.

Calov. in Conſid. Arminianiſmi in Proleg.

LXIII. Hinc eſt *amica illa collatio in Galliis in ſuburbano ad Aureliam* anno cIↄIↄCXX. inter *Tilenum*, olim profeſſorem Heidelbergenſem, & inter profeſſorem Salmurienſem *Cameronem*: illum Remonſtrantium ſeu Arminianorum; hunc Calvinianorum crasſiorem ſeu Contra-Remonſtrantium partes defendentem, inſtituta. Quærebatur imprimis, *cur ex duobus adultis æque corruptis & improbis alter convertatur, altero in tenebris mortis relicto?* Ubi Camero quidem, *Deum omnibus gratiam ſuam exhibere nolle, & in ſola ejus voluntate acquieſcendum eſſe* dixit; Tilenus vero *univerſalem Dei gratiam defendit, & in pertinacia impiorum, qui Spiritui Sancto reſiſtunt, cauſam condemnationis quæſiit.*

LXIV. & LXV. Subſequuntur *duo illi theologorum Saxonicorum conven-*

conventus; quorum *primum* ob controverſiam Tubingenſem anno ſeculi XXIV. *alterum* ob ſcriptum Jeſuitis oppoſitum, quod *pupillam imperii* vocarunt, de pacis religioſæ neceſſitate anno XVII. inſtituerunt.

LXVI. Sequitur *privatum illud colloquium Lipſienſe*, anno XXXI, menſe Martio inter theologos Saxonicos electorales *D. Matthiam Hoë*, *Polyc. Lyſerum*, *D. Heinr. Höpfnerum*: & inter theologos Brandenburgicos & Haſſiacos, *D. Joh. Bergium*, *D. Joh. Crocium* & *Theoph. Newbergerum*, habitum. Cum enim Lipſiæ ordines proteſtantium in ſolemni conventu congrederentur: theologis placuit, ſine præjudicio aliarum eccleſiarum, in privata collatione, homiletica magis, quam polemica, tentare, *an controverſiæ inter eccleſias Proteſtantium, jam integro ſeculo agitatæ, ſi non componi, tamen aliqvo modo minui poſſent.* Ubi Brandenburgici & Haſſiaci, Auguſtanæ confeſſioni anno cIↄIↄXXX. Carolo V. exhibitæ addictos ſe eſſe, confeſſi, animum ad ſingulos articulos ſic declararunt, ut quanā in re aut conſentirent Saxonicis aut ab iis diſſentirent, & num & quanta eſſet ſpes conciliationis, innoteſceret. Sed nihil aliud poſtea effectum eſt, quam ut D. Hoe & D. Bergius ſcriptis ſe invicem laceſſerent. Et quanquam aliis viſum eſt, illa religionis capita, in quibus utriusq; partis theologi conſentiunt, abunde ſufficere, cum ad ſalutem hominis Chriſtiani, tum ad ſolidiorem pacem in eccleſiis Dei ſtabiliendam: non tamen ſine cauſa alii verentur, niſi Deus ipſe animos disſidentium, & quidem in fundamentalibus fidei articulis, in via veritatis conſolidet, ne fruſtra ſit omnis ille conatus, quem, præter Lipſiacos, *Joh. Duræus* hactenus magno ſtudio adhibuit, ut capita illa controverſiarum & reliqua obſtacula inter noſtrates & Calvinianos tollantur; quæ obſtant, quo minus in unum eccleſiæ corpus coaleſcamus.

Hier. Kromeyer in Colloq. Lipſ inſerto Locis ejus Anti-Syncretiſt. pag. 315.

LXVII. Anno ſeculi noſtri XLV. autoritate regis Poloniæ Vladislai Sigismundi, *Thorunii colloquium charitativum* eſt celebratum; ad qvod theologi ex Pontificiis, Lutheranis & Calvinianis ex regno Poloniæ & provinciis annexis ſunt evocati, ut periclitarentur, an via quædam reconciliationis in tribus religionibus diſſentientibus reperiri poſſet. Sed quia ſupremum directorium alicui ex partibus ſocietatis Jeſu erat commiſſum, ejus cunctatione & artibus factum eſt, ut totis tribus menſibus pene nihil actum ſit: isque finis conventus fuerit, ut omnia magis odiis intumeſcerent.

Hülſemanni Wiederleg. der Calviniſchen Relation vom Colloquio zu Thoren. & G. Calixti Scripta facientia ad Coll. ab Uladislao IV Rege Polon. indictum. Relatio Actionum inter

LXVIII. *Rheinfeldenſis diſputatio D. Petri Haberkornii*, profeſſoris Gies-

Haberkorn. & Valerian Reinfelſæ habitar. Ejusdemq; Haberkornii Anti-Valerianus ſeu Refutatio IX. Diſpp. adornata.

Gieſſenſis, & *Valeriani Magni*, Capucini, volente id Erneſto, Landgravio Haſſiæ, qui ad partes pontificias inclinabat, anno cIↃIↃCLI. Reinfelſæ in aula habita eſt. Princeps voluerat ab utraque parte ſibi explicari, *ſi velit alicui eccleſiæ, ſive pontificiæ, ſive evangelicæ nomen dare, unde nam ipſi ea ultro pateat: undenam ſufficienter doctrina de fide exponetur: unde decidendæ quæſtiones controverſæ, & an poſt apoſtolorum tempora homo extiterit qui habuerit infallibilem autoritatem proponendi doctrinam fidei.* Primum res ſcriptis in VII. actionibus, & deinde uno colloquio, acta eſt, prout acta edita loqvuntur. Finis diſputationi impoſitus eſt, cum Capucinus poſt ſophiſticationes dilaberetur ad criminationes.

Abr. Calov. in Hiſt. Syncretiſt. cap. 6.

Anno 1661. auſpiciis Wilhelmi Landgravii Haſſiæ inſtitutum eſt *Colloquium Caſſellis* inter Theologos Petrum Muſæum, Academiæ Rintelenſis eo tempore Rectorem, poſtea Theologiæ Profeſſorem Kilonienſem, Johannem Hennichium ejusdem Academiæ Profeſſorem primarium; & ex altera parte Theologos Marpurgenſes Sebaſtianum Curtium, Academiæ eo tempore illius Rectorem & Profeſſorem primarium, nec non Johannem Heinium, itidem ibi Theologiæ profeſſorem; eum in finem, ut controverſiæ inter Lutheranos & Calvinianos ventilarentur, & quoad fieri poſſet, mutua inter diſſidentes concordia iniretur; verum præſtitiſſet, ut in hoc ſuſcepto negotio illi Theologi cum reliquis noſtratium conſenſiſſent, neqve abiiſſent à noſtris, & tranſiiſſent ad ipſos Eccleſiæ hoſtes; Unde etiam Facultas Theologica Wittebergenſis anno ſequente edidit ſcriptum: Bedencken über dem Caſſeliſchen Colloquio, wie auch über dem Syncretiſmo, ſo daſelbſten auffgerichtet worden. Aliud quoque kurtzes Bedencken über dem Syncretiſmo der Rinteliſchen und Marpurgiſchen Theologen ſeu Epicriſin de Colloquio Caſſellano Marpurgenſium & Rintelenſium; His ſcriptis Rintelenſes reſpondere conati ſunt, Neceſſaria Declaratione quadam Colloquii Caſſellani; nec non Vindiciis adverſus Epicriſin Wittebergenſem ſuper Colloquio Caſſellano. Wittebergenſes verò oppoſuerunt iisdem Antapologiam; Inter Reformatos quoque Rintelenſium partes defendendas ſuſcepit Heinricus Martius Eckardus. Sed huic quoque reſponſum eſt à D. Jacobo Tenzelio, Superintendente Reiſenſi & D. Chriſtiano Chemnizio, Profeſſore & Superintendente in Academia Jenenſi.

LVIII. Gra-

LVIII. Gratiſſimum eſt, omnes hos conventus & colloquia theologorum, uno catalago comprehenſa, cognoviſſe.. Ad perſecutiones & martyria eorum, qui Papæ obedientiam renunciarunt, commode nunc progredieris.

Quamprimum papæ à fidei confeſſoribus miſſus eſt nuncius, vincula, tormenta, rogi, ferrum, & innumera ſupplicia, in illos decreta ſunt; id quod luculenter *ex martyrologiis Rabi & Crocii, ipſisque Sleidani, & aliorum* commentariis videri licet. Sed qvum factu omnino ſit impoſſibile, pericula & labores omnium his pagellis enumerare: ſermonis prolixitati in enumerandis piorum virorum carceribus & quæſtionibus ſuperſedentes, quibus annis, quinam ex præcipuis veritatis teſtibus religioni ſuæ ſuo ſangvine teſtimonium dederint, videbimus. Qua ipſa tamen in re non disquiremus, noſtris an Zwinglianis partibus martyres addicti fuerint: qvum, qui interfecti ſunt, non ob negotium Sacramentarium, ſed ob abjectum Papæ cultum & ſuſceptam fidei religionem, ultimum ſupplicium ſubierint.

Annus autem poſt milleſimum & quingenteſimum XXIII ſangvine martyrum primus rubuit. Etſi enim jam variis perſecutionibus eccleſia renaſcens afflicta fuerat: hoc tamen anno legimus omnium primos, *Henricum Voezium, & Johannem Eſchens*, Auguſtinianos monachos Bruxellæ ſub inquiſitore Jacobo Hogoſtrato exuſtos & quidem ceremoniis prorſus feralibus, *prout legere eſt apud Sleidanum libro 4. Commentariorum, Rabum libro 6. cap. 10. Schulectum in annalibus.* Hoc Auguſtinianorum martyrium, quos ipſe Lutherus, tanquam protomartyres ſui temporis, hymno egregio celebravit, longam traxit poſt ſe eorum ſeriem, qui per Belgium, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Angliam, Italiam, & neſcio quas alias provincias, religionis veritatem ſua morte obſignarunt, & inquiſitorum crudelitatem patientia Chriſtiana feliciter ſuperarunt. Fecit etiam annum XXIII notabilem *oppugnatio Meidenbergæ*, oppidi Moguntinæ ditionis, quod primum inter Germanicas civitates propter evangelium vim paſſum eſt, *ut Rabus annotat.* Hoc anno etiam *Jacobus, Præpoſitus Antwerpienſis, referente Spondano, & omnes fratres conventus*, vinculis & cuſtodiis ſunt mancipati, & conventus juſſu pontificis Hadriani funditus deletus, & ſolo æquatus.

Sleid. Comm. p. 82.

Sleid. p. 98. Annus XXIV. abſumſit Hæidæ in Dithmarſia *Henricum Zutphanienſem*, Priorem qvondam Auguſtinianorum Bremenſium apoſtolorum, *Luth. Tom. 1. Germ. Jen. pag. 319. Sleid. lib. 4.* & Antverpiæ *Nicolaum qvendam presbyterum*, qvi ſacrificulos Juda deteriores cenſebat, qvum, qvem hic ſemel, illi qvotidie in Miſſa vendant, *ut narrat Rabus & acta Martyrum Gallica.* Viennæ qvoqve *Caſpar Tauberus* martyrii coronam reportavit.

Annus XXV. ſuſtulit *Doctorem Joh. Caſtellanum, & Wolfgangum Schuchium* in Lotharingia; *Jac. Pavanam Lutetiæ*; *Johannem Clericum* ἐικονομάχον Metſis; *Joh. Piſtorium* Hagæ Batavorum; *Petr. Prenglerum* in Brisgoia, & alios alibi.

Sleid. p. 147. Annus XXVII. peremit tres evangelii præcones, *Huglium* Martisburgi; *Leonhardum Cæſarem* in Bavaria, *Sleid. lib. 6. & M. Georgium Wincklerum*, paſtorem Hallenſem, qvi in itinere ex inſidiis ſacrificulorum trucidatus eſt. *Wendelmutha* etiam, vidua Batava, inſigni animoſitate lauream martyrii Hagæ reportavit.

Anno XXVIII. perierunt in Scotia nobiliſſimus patritius *Hamilton, & Georgius Scheterus*, Salfeldenſis, qvi moriturus, ſuam innocentiam certo poſt mortem ſigno apparituram prædixerat. Decollati igitur truncus, cum pronus in terram procidiſſet, poſt notabile temporis intervallum, non ſine ſpectatorum horrore, movere ſe cœpit, ut ſupinus jaceret, pedeſqve & manus in formam crucis componeret. Periit & Tornaci *Henricus qvidam.*

Idem p. 160. Annus XXIX. ſangvinem hauſit trium literatiſſimorum virorum, qvorum duo, *Petrus Fliſtedius & Adolphus Clarebachius*, Bergenſis, Coloniæ exuſti ſunt, *Sleid. lib. 6.*: tertius eqves Gallicus, *Ludovicus Berqvinus*, Lutetiæ ſuſpenſus, flammis periit. Qvibus adnumerandus eſt *Wilhelmus Zwollen*, Lovaniæ enecatus, ut *ex relatione Johannis Bugenhagii Rabus prolixe annotat.* In *Ludovico Berqvino*, Lutetiæ combuſto, Beza putabat Galliam habituram fuiſſe alterum Lutherum, ſi, qvalem Lutherus habuiſſet I. Fridericum Saxonem, talem iſte nactus fuiſſet Franciſcum regem.

LIX. Siccine ante Auguſtanam Confeſſionem tot martyrum ſangvis fidem noſtram conteſtatus eſt?

Burnet. in Hiſtor. Eccleſ. Angl. Folia ceciderunt: nunc arbores cadent. Exhibita enim confeſſione Auguſtana, *in Anglia* Henricus VIII. conſiliis uſus Thomæ Mori, can-

cancellarii regni, viri ut literatiſſimi, ita in evangelicos crudeliſſimi (qvem tamen cum Johanne Fiſchero, epiſcopo Roffenſi, tandem extremo ſupplicio affecit) in nonnullos, ob reverentiam ſuperſtitionibus pontificiis denegatam, deſæviit, ut in *Joh. Erichtum & Hewettum*, juvenes inſignes, & in *Johannem Lambertum*, virum egregie doctum & pium, qvi coram tribunali totius regni, contra epiſcopos, cauſam veritatis qvidem diſputatione obtinuit, ſed vi victus flammis periit. Maria, ejus filia, papæ, qvamdiu vixit, variis piorum mortibus litavit, ipſaqve *Fagii & Buceri funera* cremari curavit: *Thomam Crammerum* etiam, archiepiſopum Cantuarienſem, qvi Johannæ Suffolciæ faverat, hæreſeos damnavit, & circiter duo millia ſuſtulit, *ut Dreſſerus teſtatur.* In *Italia* qvoqve immaniſſimæ adverſus evangelium perſecutiones concitatæ ſunt: & Pius IV. anno LVI. octuaginta octo amplius, veritatem confeſſos, cultro, ut oves, uno die miro ſpectaculo jugulari juſſit. Paria ſævitiæ exempla etiam in *Calabria* edita ſunt. In *Germania* dux Georgius cives LXXX. (*Sleidanus libro nono dicit LXX. fuiſſe*) cum omni familia Lipſia ejecit, & Oſchazienſes graviter afflixit. Per *Galliam* imprimis anno XXXIV. novus oriebatur metus in eos, qvi de Lutheraniſmo erant qvoqvo modo ſuſpecti. Hujus qvidem rei hæc erat occaſio, *referente Sleidano libro IX. Commentariorum*: Lutetiæ Pariſiorum, & aliis qvibusdam in locis, inqve ipſo regis palatio, fere eodem tempore, noctu chartæ qvædam fuerant affixæ, in qvibus de religione, deqve Miſſa cumprimis, multa erant perſcripta. Mox inqviri cœptum eſt ac inveſtigari, & per indicium nonnulli; qvidam vero per ſuſpicionem comprehenſi, habita qvæſtione, vivi cremabantur, horribili ſane ſpectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum ſublati, deinde in ignem è ſublimi demiſſi, & rurſus adducti, carnifice demum abſcindente funem, in ſubjectam flammam corruebant. Iis etiam, qvi paulo videbantur eruditiores, anteqvam producerentur, lingva reſecta fuit, ne vel ſupplicii cauſam, vel ſuæ doctrinæ ſummam, ad populum explicarent. Hæc ipſa tamen omnia luſus ſunt præ illis, qvæ poſtea in Galliis religionem affixerunt. Sleidan. l. 9. Comm. p. 231. & ſeqq.

LX. Num, bone Deus! crudelius qvidqvam agi poteſt? Sed qvænam illa tam infeſta Gallicanarum eccleſiarum perſecutiones?

Occurrit primo immanis illa tyrannis, qva anno XLV. *Merindolenſes & Caprarienſes, reliqvia Waldenſium*, qvi *ad radices Alpium*, novam evan- Anton. de ſtatu Relig. in Gallia.

l. XII. de Poſtr. motib. in Gallia ſcripta pluximor. edita Francofurt. ap. VVechel. 1586. Richard. Dinoth. de Bello Civili Gallico. Thuan. lib. 27. & 51. Petri Carpentarii Epiſtola ad Franc. Portum de Perſecut. Eccleſ. Galliæ. 8. 1572.

evangelii lucem, ad quam doctrinam & ritus ſuos, jamdudum papæ oppoſitos, reformaverant, amplexabantur, nulla vel ætatis vel ſexus habita ratione, ad unum fere omnes, decreto Aquenſis ſenatus, voluntate *Pauli III.* & conſenſu regis *Franciſci I.* per Minerium, præſidem Aquenſem, miſere trucidati ſunt. Quod facinus, qvum, quantum debeat, non poſſit paucis deſcribi, *Sleidanum legi volo, qui libro XVI. Commentariorum negotium totum eleganter, ut omnia, ante oculos ponit.* Vix furor ille ſubſedit, cum novæ tyrannidi larga ſuppeditaretur Pariſiis materia. Conſveverant nonnulli in ſuburbio Sangermanno ſubinde convenire, & Gallicis verſibus pſalmos Davidis concinere. Promiſcua jam turba, ipſe etiam Navarræ rex, Antonius, & Johanna ejus uxor, in fidei conſenſum allecti erant. Id nuncius Pontificis ad *Henricum II.* regem, tanquam periculi plenum, deferebat. Ne igitur hujusmodi conventus impoſterum fierent, rex ſancivit. Sed comperiens, inter ipſos Pariſienſis curiæ ſenatores eſſe, qui religioni adſtipularentur, conventu Mercuriali habito, fideique inquiſitoribus conſtitutis, *Annam Burgæum, Ludovicum Faurum, & alios ſenatores* regni in carcerem abduxit. Cum paulo poſt in haſtiludio ab ictu trunci lethaliter in oculo vulneratus diem obiret, nec oculis ſuis, ut minatus fuerat, Burgæum cremari vidiſſet, *Franciſcus II.* peſſimis Gviſiorum conſiliis impulſus, per inquiſitores, quibusnam in locis cœtus reformatorum agerentur, edoctus, viros feminasque conferto agmine in vincula conjecit, profugorum bona ſub haſta publicavit, & ex incarceratis ſenatoribus Burgæum ad flammas condemnavit. Sed pientiſſima viri magni morte, magnus numerus eccleſiæ eſt additus. Ideoque quo plures eccleſiæ indies accedebant, eo ſubtiliores artes ad eos prodendos excogitatæ ſunt. Paſſim enim ad vicos erectæ imagines, candelis accenſis, ad cultum proſtituebantur: quem qui iis denegabant, ſi non extrema quæque ſuſtinebant, pugnis cæſi & pedibus conculcati, vix evadere poterant. Inierunt igitur, tantarum calamitatum impatientes, *conjurationem*, quæ dicitur *Amboiſiana ſeu Ambaxiana*, adverſus tyrannidem Gviſiorum fratrum, tanquam, qui ſinceram religionem profeſſos, & eos, qui jus ſibi legitimè adminiſtrari cupiebant, miſere vexarent, atque regem ipſum, quaſi captivum, detinerent. Quanquam autem hæc conſilia mature detecta fuerunt: motus tamen novi motibus additi ſunt. Utque arma, pro libertate religionis ſumta, è manibus principis Condæi, promachi Proteſtantium, excuterentur, nihil non tentatum eſt. Interim Franciſcus II. moritur, & *matrem Catharinam,*

rinam, regemque Navarraum, filiis tutores relinquit. Hi, adornato Poſſiaceno colloquio, quod ſupra deſcripſimus, libertatem religioni conceſſerunt. Illam cum propugnaret Condæus; oppugnarent triumviri, *Guiſius* videlicet, *Momorencius Conneſtabilis & Santandræus Mareſcallus*, & in *fœdus*, ceu vocabant, *ſacrum* Hiſpanos contra evangelicos ſollicitarent: cruenta bella & immanes paſſim perſecutiones exarſerunt. Bella quidem *Thuanus*; perſecutiones vero varias *Acta martyrum Gallica* abunde deſcribunt. Tandem tumultibus tantis defeſſi Galli, ad pacis conditiones deſcenderunt. Sed nihil illa pace infidius. Condæo in ultimo bello peremto, Proteſtantium partes regebat *Amiralius Colinius*, dominus in Caſtilione. Eum *ad nuptias, quas Henricus, rex Navarræ, cum Margaretha, ſorore Caroli IX. Pariſiis celebrabat, anno LXXII.* evocarunt, ſingularem quendam favorem erga ipſum ſimulantes. Cum adeſſet, de fraude ſecurus, & cum ipſo maxima religioſæ nobilitatis pars, immani facinore ad necem quærebatur, vulnerabatur, trucidabatur: additis illi funeris comitibus ultra XcIↄ. qui per integrum triduum Pariſiis mactabantur. Vidiſſes ibi flumina ſangvine rubentia, plateas cadaveribus diſcerptis oppletas, ædes expilatas & cruore madidas. Vidiſſes, quod mireris, à nepotibus avos prodi, à filiis parentes, fratres à ſororibus. Vidiſſes aurifabrum CCCC. homines ſua manu jugulare. Hæc laniena in aliis Galliæ urbibus continuata eſt, & Carolus rex, qui ad reliquias piorum profligandas ſeſe accinxerat, & Rupellam, aliaque loca, diuturna obſidione fatigabat: tandem in literis ad pontificem Gregorium gloriari veritus non eſt, ſe paucis diebus LXXcIↄ. Proteſtantium ſuſtuliſſe: inter quos ipſe P. Ramus fuit, vir in omni eruditionis genere clariſſimus. Quanquam vero ſubſequentibus temporibus conquievere hi perſecutionum fluctus, *Henrico III. & IV.* libertatem religionis confirmantibus: intumuerunt tamen ſubinde odia, & eccleſiis Gallicis infeſto pondere incubuerunt, easque in extrema pericula conjecerunt, ita quidem, ut ipſi *Rupellani* tandem mari terraque oppugnati, deditionem facere coacti ſint. Fruuntur tamen ſua religione, & halcyonia ſua in ipſis ſentiunt perſecutionibus. *Sabaudus* tunc, quicquid conabatur adverſus *Waldenſes, in convallibus montis Ceneſii degentes*, ſpe concepta excidit. Quos enim anno LX. prorſus deleturus videbatur, ii pro religione tam ſtrenue dimicarunt, ut potenti exercitu fuſo & fugato, eo Sabaudum adigerent, ut iniquis conditionibus pacem faceret, *ceu uberius ea omnia apud Thuanum libro 27. & 51. legi poterunt.* Fidem pene ſuperat, quod non-

nulli, calculo diligenter ſupputato, ſcribunt, papicolarum tyrannide, in Galliis, intra XXX. annos peremtos fuiſſe XXXIX. principes, CXLVIII. comites, CCXXXV. barones, XIVcIↄ, & CXVIII. nobiles, IↄCCLXcIↄ. ex vulgo.

LXI. Si in Galliis ita ſævitum eſt, qvid dicam de Hiſpanica illa inqviſitione famoſiſſima, qva procul dubio magnus credentium numerus eſt ſublatus?

Luc. Oſiand. Cent. 16. lib. 3. cap 24. pag. 677. & Thuan. lib. 23. Sleidan. lib. 17.

Hiſpanicam inqviſitionem in Saracenos & Judæos à rege Ferdinando V. eſſe inſtitutam, & deinde adverſus Chriſtianos puriores uſurpari cœptam, notum eſt. Qvam deteſtanda autem vafrities adhibeatur in inqvirendis & examinandis iis, qvi de fide ſuſpecti ſunt, ex Hiſpanica inqviſitione, qvam *Urſinus* edidit, & *ex Actis Martyrum Gallicis*, videre licet. Qvas ceremonias in theatrica crudelitate ſolemniter exhibenda uſurpent, & qvam nulli ſexui, nulli virtuti parcant, vel unicum ſpectaculum anno cIↄIↄXIX. *Valleoleti*, ſub primis Philippi II. auſpiciis, horrendo exemplo editum, ſatis demonſtrat. Legere autem id poteris in *Martyrologiis*, & apud *Oſiandrum in Centuria XVI. lib. III. cap. XXXIV. Thuanus lib. XXIII.* graphice deſcribit ſolemnem actum martyrum, Hiſpali ſub conſpectu ipſius regis necatorum. Hic nec brevibus ipſa tyrannis deſcribi, nec perſonæ illuſtres & nobiles, illa ſævitia trucidatæ, interq; illas *Conſt. Pontius*, Carolo V. olim à ſacris confeſſionibus, enumerari qveunt. Hanc inqviſitionem *in regnum etiam Neapolitanum* jam olim anno XXV. Hiſpani introducere conabantur. Sed Neapolitani campanarum ſonitu ad arma excitati, impetrarunt, ut ob tumultum grandi qvidem pecunia multarentur, ſed inqviſitionis mentio porro non fieret. Qvid in *Belgio* factum ſit, ex ſcriptoribus manifeſtum eſt. Qvanqvam enim numerus eorum, qvibus à primo Caroli contra religionem edicto ad annum uſqve LIX. aut laqveo fuit gula fracta, aut caput amputatum, aut corpora viventia in humum defoſſa, aut flammis mandata, ad LcIↄ, accedebat, *ut teſtatur P. Svavis in hiſtoria Concilii Tridentini lib. V.* qvam primum tamen Hiſpanica inqviſitio per Margaretam Parmenſem, ſororem regis, gubernatricem Belgii, & ejus ſucceſſorem ducem Albanum, introducta eſt, qvibus non funeribus qvæ non loca oppleta fuerunt? Suſpecti de religione, bonis fiſco relictis, aut diffugiebant, aut perimebantur; vis dominabatur; jus negligebatur; *nec cædes Mechliniæ, Nardæ,*

Zut-

Zutphaniæ & Harlemi facta, facile enarrari qveunt. Hoc omnium fere tyrannorum exempla ſuperat, qvod *ipſe Albanus* ſe manu carnificis intra ſexennium ultra XVIIIcIↃ. enecaſſe confeſſus eſt. Proſtant hiſtoriæ Belgicæ, qvibus martyria eorum, qvibus ſuperſtitio papæ diſplicet, produntur. Has evolve: & ſi, qvid martyres qva conſtantia morituri egerint, qvid dixerint, qvasqve pœnas ſubierint perſecutores, noſſe placet, ex martyrologiis informari poteris. Horrendum interim *parricidium, qvod Alphonſus Hiſpanus in fratrem Diazium, inſignem theologum, religionis cauſa commiſit*, uberrime *apud Sleidanum libr. XVII.* expoſitum lege, & vel hoc exemplo Vatinianum impiorum adverſus fidei confeſſores odium diſce. Noſtro tempore perſecutiones adverſus confeſſores veritatis cœpere ſeculo noſtro XVII. ineunte, *ſub Ferdinando Auſtriaco*, poſtea imperatore, qvi è ſuis territoriis omnes ejecit magno numero, qvi Papæ contradicebant. Anno XX. *in Valle Tellina* omnes incolæ, à conjuratis pontificiis & duce Feriæ, horrendum in modum trucidati ſunt, fruſtra renitentibus *Griſonibus*, qvi etiam ſunt pulſi, & Valle Tellina ejecti. Deinde in bello Germanico tricennali ſubinde impetus pontificii furoris ab eccleſiis proteſtantium ſuſtinendi fuere, & varia martyriorum exempla data ſunt, in *Bohemia imprimis, Sileſia, Auſtria & aliis locis*: è qvibus etſi confeſſoribus purioris fidei videbatur flebile jus emigrandi conceſſum: tantis tamen ſophiſmatibus monachorum, & eorum, qvorum armis pro fictitia religione abuti ſolent, res acta eſt, ut florentiſſimæ eccleſiæ everſæ ſint, & multi ex piis ſangvine teſtimonium fidei dederint. Commodum illis accidit, qvi ſtrenui erant in tyrannide & idololatria pontificis adverſus pios evangelii confeſſores defendendo, qvod, cum Mansfeldicum & Vinarienſem exercitum poſt clades Danicas in Sileſiam erumpentem, repuliſſet Wallenſteinius, dux copiarum Cæſareanarum ſupremus, victricia paſſim arma circumferret. Hac enim occaſione *mancipia pontificis apud Sileſios*, qvibus hactenus, indultu regum & imperatorum, ad ſacra purioris religionis ſine offenſa convenire licuerat, *opus fœdæ reformationis inaudita immanitate urſerunt.* Illud jam non tam tractabant delicatuli Jeſuitæ, & alii monachi, qvam armati ab illis tribuni. Pars carceri includebantur, ſi nollent imagines cum papa adorare: pars inflictis corpori plagis jubebantur à pietate reſipiſcere. Pleriqve terrebantur, ablatis fortunis omnibus. *In ducatu Groſg'ovienſi* initium violentiæ anno ſeculi XXVIII. factū. Metropolin tribunus Hannibal, Burgravius de Dhona, cui opus ſalvandi homines, ceu vocabant, commiſſum erat, cum copiis noctu invaſit impro-

proviſo, patefactis à conſciis portis. Milites non hoſpitabantur, niſi apud illos, qui ex veræ eccleſiæ hoſpitio erant extrudendi. Quicquid usquam patribusfamilias in cellis, ciſtis, penuariis reconditum erat, novorum erat hoſpitum. Ut citius abſumerentur omnia, quotidie in lautioribus ædibus ad continua convivia conveniebant. Ni miniſtrarentur, quæ poſcebantur, in familiæ corpora ſæviebatur. Unicum erat miſeris remedium: *Irent, & à miſſifico ſchedulam impetrarent, unde conſtaret, quod propediem inter Romanenſes confeſſores eſſent recipiendi.* Qui parebant, liberabantur quidem à militum vexatione: ut vero animam liberaverint, viderint ipſi. Quibus magis placebat, in monte Sionis cum agno manere, illis cumulabantur hoſpites, violenti ad fidem meretrici magnæ dandam compulſores. Nulli tunc licebat flebili illo emigrandi jure uti. Nemini indulgebatur cum Melibæo dicere: *Hinc alii ſitientes ibimus agros; pars Scythiam.* Manendum erat, & aut pereundum, aut ſchedula reverſionis in Babylonem à pontificulo emenda. Curatores animarum & presbyteri eccleſiarum cum inſigni ignominia erant jam partim ejecti, partim dilapſi. Crimen majeſtatis erat, unum ex illis retinuiſſe, aut forte alicubi latentem adiiſſe. Baptiſmus recens natis, & copulatio eccleſiaſtica ſponſis, à ſacrificulis negabatur, niſi ſub ſpecioſo, ſed flebili converſionis nomine, interitum animæ promitterent. *Guraviæ* infantem ab uberibus puerperæ raptum, & in angulum abjectum, etſi miſere vagientem, non prius matri iri redditum minabantur, quam pater, qui è proximo conclavi omnia audiebat, in ſchedulam confeſſionis conſenſiſſet. Vel ſic tamen ſe facturum ille negabat. Ægrotis, ſi alicujus nominis erant, ut exemplo noceretur, hoſtia à miſſifico conſecrata in os vi ingeſta eſt: arthriticis dolor violenter additus, ut compromitterent: nonnullis vis à carnifice intentata, niſi facerent imperata. E quorum hoſpitiis milites abierant, vel invitis deinde, quia promiſerant, Miſſa erat adeunda: ſimulque ad præſcriptam formulam, majores ad Stygem damnandi, quod ad normam evangelicæ confeſſionis vixiſſent: jurandum quoque, quod omnia velint credere, quæ pontificis eccleſia imperat, ſive in ſacris literis perſcripta ſint, ſive in illis non inveniantur: conteſtandum, quod ſponte omnia, nulla vi adacti, egiſſent. Hac carnificina plures, quibus abnegatio veritatis ſero dolebat, ad deſperationem, & ad vim ſibi faciendam, adacti ſunt. Apoſtatæ interim, ſalivam eorum lingentes, à quibus ad dignitates fuerant promoti, tribunis, novis, ſi Diis placet, per arma apoſtolis, velificati, in piorum

rum fraudem egerunt, qvæ ſuggeſtoribus ſacrificulis placebant. Nec in ſolos Sileſios, ſed & in plures alios populos, qvibus purior religio placebat, ſævitum. *In Hibernia* imprimis, inter illos tumultus Anglicanos, per qvos tandem regi Carolo caput periit, tempore Urbani VIII. crudelitas antiqvorum tyrannorum exercita eſt. Pontificii enim, à ſacrificulis concitati, *in ſola Ultonia*, qvam qvartam in Hibernia partem æſtimant, intra ſex menſes CLIV. millia Proteſtantium trucidarunt, & qvidem truculentia non vulgari. Intra triennium CCC. circiter millia dicuntur eſſe ſublata: qvorum tamen manibus poſtea *per Puritanorum ſævitiam*, ſangvine ducentorum amplius millium, in cædes conqviſitorum, eſt parentatum. Anno cIↃIↃCLV. *in Pedemontio, ſeptem millia Waldenſium* hominum piorum & imbellium, nullius criminis, qvam qvod pontificem non adorarent, accuſatorum, ſæva militum, an carnificum manu, primo Alexandri VII. anno periere. *In Polonia*, in qvam rex Sveciæ, Carolus Guſtavus, ob cauſas politicas, ad regni ſui jura aſſerenda, anno eodem impetum fecerat, omnibusqve, qvi in deditionem venerant, interqve eos clero pontificio, gratiam vitæ, omniumqve poſſeſſionum fecerat, illi, qvi papæ autoritatem omnibus ſacris præferunt, aſſociatis ſibi, qvi jam à rege Sveciæ veniam impetrarant, tanta immanitate illis, qvi religionem puriorem profitentur, incubuere, ut rara tyrannidis ab iis exercitæ exempla *Leſnæ & alibi* proſtent. His ipſis diebus, qvibus hæc imprimuntur, *pontificia aliqva Polonorum manus*, in fines *Pomeraniæ* tranſitu ſibi per Viadri vada facto, cum alia immania in oppidis & pagis in cineres redigendis patravit, tum imprimis in presbyteros, qvi fuga ſe non ſalvaverant, truculenter deſævi it, his caput in morem carnificis præcidendo; illis globulis æneis necem inferendo. Perſtitit tamen hactenus eccleſia Antipapana, & per Dei gratiam perſtabit: inque *tribus Jubilæis* gratias Deo pro ſalute præſtita egit. *Primum* illorum celebratum eſt anno ſeculi noſtri XVII. qvo primum ſeculum Lutheranum finitum eſt; *alterum* anno XXX. in memoriam Auguſtanæ confeſſionis exhibitæ; *tertium* anno LV. in memoriam pacis religioſæ, in comitiis Auguſtanis confirmatæ.

LXII. Num ſunt, qui ob tantarum perſecutionum ſævitiam, abjecta fide, ad errores pontificiorum redierunt?

Utinam omnes vel tormentorum vim patientes ſuſtinuiſſent, vel

 digni-

dignitatibus mundanis ſpretis, ſalutem animarum commodis caducis anteposuiſſent: Sed imbecillitas multos; plurimos mundi illecebræ ſeduxerunt: idqve non ſaltem ſuperioribus annis, ſed & noſtro ſeculo: nec ex abjecto ſaltem & plebeio genere natos, ſed & illuſtribus familiis oriundos, univerſas etiam civitates & reſpublicas. Hiſtoria *Navarræorum regum*, ab Hiſpanis ejectorum, & in Gallia exulum, cui non nota eſt? *Antonius* qvidem, vana ſpe, à Gviſianis lactatus, cum Sardiniæ regnum, Navarræ loco, à Philippo rege Hiſpaniarum compenſationis titulo, ſe recepturum confideret, reformata fide repudiata, anno ClↃ LXI. ad pontificiam ſe recepit: *Henricus* autem, poſtqvam rex Galliæ, Henricus III. per Jacobum Clementem, Dominicanum monachum, eſſet interfectus, florentiſſimum Galliæ regnum Miſſæ celebratione mercari non eſt veritus. *Comes* qvoqve *Helfenſteinius*, *Ulricus*, intempeſtivo perſecutionis metu perculſus, anno LXVII. veritatem deſeruit. Et *Jacobus marchio Badenſis*, putidas merces pontificis in ſuas ditiones conatus eſt invehere. Sed mors præcipitata, impia ejus conſilia anno XC. evertit. Noſtro qvoqve ſeculo principes & illuſtres viri ſunt qvos exploſum Vejovis Romani numen denuo recipere non puduit. Neoburgum, Naſſovia, Haſſia, Saxonia, Mansfeldia, ipſa etiam Svecia, à principibus viris & fœminis errores eſſe affectatos deplorant & nos cum illis. Utinam vero ſuam illi opinionem ſolis ſibi haberent! Nos interim precibus ſalutem noſtram Deo committimus, nihil aliorum exemplis à veritate deterriti. Qvid enim moramur vel *Molinæi*, JCti Galli, inconſtantiam, vel *Frid. Staphyli*, primum theologi Regiomontani, poſt Conſiliarii Bavarici & Cæſarei, levitatem, vel *Pacei*, Lipſienſis theologi, vel *Pauli* Oſiand. p. 203. *Scheilichii*, vel *Piſtorii*, vel *Gregorii Wixelii*, Haſſi vel *Groppers*, vel *Coppenſtenii*, vel *Nithuſii*, vel plurium aliorum apoſtaſias? Satius eſt, qvod Deus jubet, intueri, qvam qvod homines faciunt. Ideoqve non tam ante oculos nobis ponamus exempla eorum, qvi à veritate ſeceſſerunt, qvam horum, *qui aut ſeceſſione ab eccleſia facta, aut perſecutione adverſus* Idem p. 500. *eam exaſperata, deſperabundi mortem obierunt*. Imprimis *Franciſcus Spiera*, *Italus*, JCtus, dum vivebat, nobiliſſimus, omnibus apoſtatis terrorem incutiat. Hic, cum jam ſexennium magna fiducia viæ veritatis inſtitiſſet, eamqve Citadellæ, in municipio agri Patavini, domeſticis, inter qvos XI. habuit ex uxore cariſſima liberos pie educatos, & aliis, qui quotidie eum inviſere conſveverant, magna, qva pollebat, facundia, & ſolida, quam ex lectione ſacrarum ſcripturarum hauſerat, eruditione ex-

plicuiſ-

plicuiſſet, & poſtea, ne jacturam opum & rerum in vita cariſſimarum faceret, Venetiis, coram legato Pontificis, & poſtea Citadellæ, è ſuggeſto palinodiam ceciniſſet, angoribus dictu horrendis correptus, & cum illis, abſqve alimentis, niſi quæ magna difficultate, valde que ipſo repugnante, in os vi quadam inſtillabantur, ſex amplius menſibus uſque ad mortem conflictatus eſt. Extant de deſperatione ejus relationes *Gribaldi, Henr. Scoti, Geloi, Petri Pauli Vergerii*, clariſſimorum virorum: qvi, cum innumeris aliis, Patavii, quo eum liberi deportaverant, tentaturi, an in illuſtriori loco à corporis vel animorum medicis & curatoribus ejus deſperationi medelam invenire poſſent Spieram viderunt, & fruſtra ſolari annisi ſunt. Accidit idem *Jacobo Latomo*, qui, ob defenſum Papam, ſe certo ſcire dixit, qvod ſit damnatus, & *Friderico Staphylo*, ob defectionem à noſtris ad papatum eccleſiis, Ingolſtadii in immenſis cordis angoribus anno cIↄIↄLXVII. miſere defuncto, & ruina ſepulcri concidentis digno. *Johannes Stöſſelius* item ob Calviniſmum ſuſceptum deſperavit. *Neuſerus* qvoqve, qui ad Calviniſmum Heidelbergæ primum; deinde in Tranſilvania ad Arianiſmum; tandem Conſtantinopoli ad Machometiſmum deflexerat, inter ſummos conſcientiæ angores deſperantem animam exhalavit. Refer huc *Marcum Antonium de Dominis*, Jeſuitam, archiepiſcopum Spalatenſem: qui à papatu, anno hujus ſeculi XVI. ad religionem Reformatorum in Anglia acceſſit, & variis libris contra papatum editis, ad vomitum rediit, atque palinodia cantata, cum ſpem veniæ à papa ſperaret promiſſam, ſed ab Inquiſitoribus accuſatus, & in carcerem tractus, cum diem obiiſſet, effoſſus & combuſtus eſt.

Id. p. 711. & 840.

Caſp. Sagitt. de Script. Hiſt. Eccleſ. p. 298. 714. 719. 742. ſeqq.

LXIII. Etſi hæc, qvæ commemoraſti, miraculoſum Dei inter homines regimen manifeſte commonſtrant: quum tamen eccleſiæ ætatibus de miraculis ſingulis etiam & prodigiis nonnihil adjungere ſoleas, num qvoqve ſub hanc mundi veſperam aliqva contigerint, ſcire cupio.

Merito hic primas tenet, quod Nauclerus de *crucibus nigris & rubicundis* ſcribit, quæ in hominum veſtimenta, & in ipſa eorum corpora, anno cIↄIↄCI. ita conſpicuæ frequenter deciderunt, ut vero ſangvine tinctæ viderentur. Joan. Franc. Picus Mirandula ſibi à Maximiliano

Cæſare monſtratas eſſe cruces, claves, lanceas, & multa alia, cœleſti quaddam, nec viſibili pluvia, in corporibus delineata ſcribit, & luculentum carmen de myſteriis Dominicæ crucis in Germaniam delapſis ad eundem imperatorem remiſit, quod in ejus extat operibus. Huic adde, quod Brentius in caput ſecundum ad Galatas ſcribit, *imaginem crucifixi, à quodam lapidibus ictam, emiſiſſe ſangvinem.* Cui prodigio ſtupendo ſi jungis *varias cæli & horrendas facies, frequentes cometas, novas in æthere ſtellas, prodigioſa monſtra, inſvetas pluvias, eluviones, terræ motus, rubentes aquas*, prolixum ſane nectes catalogum. Cogita præterea, quam horrendo iræ divinæ ſpectaculo anno cIↃIↃCXVIII. in Rhætia prope Clavennam, mons loco motus, cIↃIↃ. homines, cum ſplendidis nobiliſſimi oppidi Plurii tectis & palatiis, oppreſſerit. Adde horribile incendium, quo mons *Veſuvius* anno hujus ſeculi XXXII. exarſit. Ex ejus enim faucibus, cum mare à littore recederet, aqua æſtuans, & immenſa bituminis ardentis copia in plures rivos diviſa, poſt grandia ex abyſſo tonitrua & continuos terræ motus erupit, & obvia combuſſit, multaque hominum millia perdidit. Adde miraculoſas piorum ex periculis liberationes, *Grynæi, Odontii*, & aliorum. Adde *prodigioſam cacodæmonis malitiam*, qua in univerſa oppida & monaſteria ita nonnunquam deſæviit, ut quam plurimos horrendo ſpectaculo obſederit. Nota eſt hiſtoria *Spandavienſium* in Marchia, qui anno XCIV. ſic Satanæ ludibrio fuerunt, ut totum oppidum dæmoniacis compleretur. Cardanus refert, Romæ in orphanotrophio, anno LIV. *omnes puellas*, quarum LXX fuerunt, *una nocte factas eſſe dæmoniacas*, nec per biennium curari potuiſſe. Simile hoc eſt illi, *quod Maſſæus apud Wolfium Cent. XVI. pag. 436.* refert, dæmonas anno XCIII. cœnobium Quercetenſe in ſuam poteſtatem redegiſſe, & IV. annis, totidemque menſibus, moniales miſere vexaſſe, ut crebro, velut canes, per agros diſcurrerent, inſtar avium per aëra volarent, ſicut feles in arbores reperent, de ramis penderent, variarum animantium effingerent voces, ſecreta proderent, de futuris eventibus prophetarent. Sed ad tempora nobis propiora revertamur. Quam, bone Deus! tumultuabatur ante paucos annos cacodæmon in *Herbipolitano epiſcopatu & vicinis locis?* Ex quo non hominum ſtatu plurimos invenit, qui fœdere ei juncti ſupplicium mallent ſubire, quam exitioſum diaboli cultum abjicere? Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit, cum in ipſo baptiſmo monachos, qui in nomine S.S. Trinitatis pueros fœderi gratiæ inſcribere debuiſſent, in dæmonis nomine aquam

illis

illis aſperſiſſe, & ſacris inferis initiaſſe accepi. Obſcœnior nunc eſt Satanas & audacior, quam cum tempore Caroli V. *Magdalenæ Cruziæ*, moniali Hiſpanæ, in ſpecie Æthiopis commiſcebatur, & tantam ei rerum ſcientiam inſpirabat, ut pontifici & regibus grata eſſet, & fictis miraculis ſui admirationem omnibus incuteret. Hac dum, tanquam conjuge, in ſpecie Æthiopis abutebatur, alium miſit ſui generis, qui foris in templo & cœnobio, Magdalenæ larva aſſumta, illius vultum, geſtus, inceſſum cantando, orando, comedendo, per XXX. annos, exacte imitabatur, *ut ex Caſſidoro Renio teſtatur Zwingerus volumine V. libro IV. p.1334.* Sed quid ago, à prodigiis noſtri ſeculi ad præſtigias Diaboli delapſus? Tu interim, inſtare ultima, ex ſignis plurimis collige: &, quodnam judicium de tribus illis pientiſſimis puellis, *Bohemica Chriſtina*, *Pomerana Benigna*, *& Cotbuſiana Margareta*, ferendum ſit, cogita: quæ morbis prodigioſis correptæ, ea elapſis ſuperioribus annis protulerunt, quæ de ſuo nunquam protuliſſent. Deus miſereatur ſuæ eccleſiæ, & pœnas, quas meruimus, cum culpa clemens nobis remittat, hoſteſque ſui nominis, prout promiſit, iratus confundat, & eccleſiæ pomœria dilatet.

LXIV. Annuat Deus voto. Superſunt hæretici: quos quia fugere jubeor, ut fugere poſſim, agnoſcere eos lubet.

In ſex claſſes ſolere à nobis hæreticos redigi, meminiſti, ut præmittantur *Pſeudochriſti*; ſubjungantur *Gnoſtici*; hinc *Alogi* conſiderentur; poſt *Antitrinitarii & Polytheitæ*; inde *Juſtitiarii* & tandem *Paradotæ*, qui aut ſcripturam rejiciunt, aut præter ſcripturam rationis ſuæ diliria afferunt. Quam ob cauſam etiam nunc diſpiciamus, num diabolus hac mundi ſenecta ullum ſeductionis genus omiſerit, quo non in ſeducenda & conturbanda eccleſia ſit uſus.

LXV. Numquid igitur hoc & ſuperiori ſeculo inventi ſunt Pſeudo-Chriſti?

Non poſſum facere, quin hic primo loco adſcribam, *Quod Wolfius Centuria* XVI. *ad annum* CIƆIƆXXXII. *ex Meyſini Rhodienſis epiſtola commemorat*, natum eſſe in Babyloniæ regno infantem ſpecioſa forma, & lucentibus contra naturam oculis & dentibus: ad cujus nativitatem totum cœli ſyſtema prodigioſis ſignis cohorruerit, voxque cœlitus delapſa,

eum exciпere & audire juſſerit: ipſumque infantem, vix duos menſes natum, ſe Dei filium profeſſum, morbos curaſſe varios & incurabiles, proque Deo paſſim cultum eſſe. Quod legimus, referimus. Fabulam an hiſtoriam recenſeamus, dubitamus: quam tamen poſteriorum annorum relationes frivole incruſtavere. *Alter*, quem in numerum Pſeudochriſtorum referendum eſſe cenſemus, eſt *David Georgius*, Batavus opulentus, qui anno XXVII. ſe Chriſtum aſſeruit, cujus ſpiritus, ignoto quodam loco hactenus ſervatus, ſibi totus traditus in ſuam animam fuerit effuſus. Scripturam ſacram docuit eſſe imperfectam; ſuam vero doctrinam ad beandum hominem eſſe efficacem: ſe tabernaculum DEI reſtituturum; ſe mundum judicaturum; ſe tanquam ipſo Chriſto præſtantiorem, adeoque immortalem, peccatum in Spiritum S. remittere poſſe. Relicta autem patria, homo fanaticus Baſileam venit, & aliquot annos diſſimulata blaſphemia, ibi vixit, ſub adſciti nominis *Johannis de Bruck* latibulo deliteſcens. Cumque occulte nonnullos hinc inde haberet ſectatores, tandem gener ejus anno LVI. à delirio cœpit abhorrere, & ſocerum negare filium David, qui regnum Iſraelis reſtauraret. Impoſtor, cum altera, quam poſſedit, domus fulmine tangeretur, altera cum pretioſa ſuppellectile conflagraret, in tertia, quam incolebat, tabulatum decideret, vita anno LIX. deceſſit. Impoſturis ejus detectis, cadaver effoſſum & cineribus traditum eſt. *Videatur Thuanus libro XX.* Refer huc quoque ex quæſtione LIII. quod de *Monaſterienſibus & Cnipperdollingio* diximus. Item quod *Alexander Guagninus in Sarmatia ſua* de nobili quodam Polono, *Jacobo Melſtinſcki*, refert, qui nomine Chriſti aſſumto, XII latrones ſub nomine apoſtolorum circumduxit, & ſceleratis auſis miracula quædam mentitus, piſces antea ſuppoſitos è paludibus lutoſis, & vinum antea reconditum, tanquam ex aqua mutatum, produci juſſit, ægrotos etiam & dæmoniacos, qui morbum ſimulabant, ſanavit. Tandem detectæ ſunt fallaciæ. Ejuſdem claſſis fuit ille, qui tempore Julii II. *dicente Surio*, per Galliam, *ſe habere ſpiritum Johannis*, jactabat, & Toloſæ exuſtus eſt: & alius, qui Lutetiæ & Baſileæ *ſe genio Petri duce frui dixit*: & iterum alius, qui Baſileæ aſſeruit, *ſe habere Moſis angelum*. *Adde Ezechielem Methum*, Thuringum Langenſalzenſem, qui verbo & ſacramentis ſpretis, inſpirationes Spiritus S. jactans, ſe corpore ſuo carnem Chriſti perſonaliter circumgeſtare, & principem Michaelem ſeu verbum DEI eſſe, circa annum cIↃIↃCXXIV. commentus eſt. Ne plures ſeduceret, ab electore Saxoniæ ad ſeceſſum in loco

ſolita

Fried. Jeſſenius in der auſgereckten Larve Davidis Georgii.

Ortius in Annal. Anabapt. & Heresb. ſupra citat.

Joh. Himmel in Matæol. Enthuſiaſt.

ſolitario uſque ad finem vitæ damnatus eſt. Recte tamen hunc ad Gnoſticos quoque referas. Referri huc etiam poſſunt *Joh. Jetzerus*, ſartor, cui à Dominicanis Bernenſibus miris impoſturis ſtigmata Chriſti impreſſa ſunt: *monialis Luſitanica*, quæ ſe precibus vulnera Chriſti impetraſſe mentiebatur: *Franciſcani Aurelianenſes, Colmannus & Stephanus*, qui manes defunctæ fœminæ prætoriæ magno cum apparatu in ſcenam produxere, ut fabulas de purgatorio & Miſſæ efficacia contra aſſertores purioris religionis probarent: quorum omnium jam ſectione ſuperiori qu. XXXIII. ex Stumpfio, Wolfio & Sleidano mentionem fecimus. Adde quæ in annalibus Anglicis de *Eliſabeta Battona* legimus: quæ tempore Henrici VIII. morbo aliquo præternaturali aſſvefacta, os & alia membra mirum in modum diſtorquere didicerat, &, morbo jam ceſſante, ex conſilio parochi ecſtaſes & colloquia cum ſanctis & angelis mentita, & in novorum dogmatum autores, tanquam hæreticos minas neſcio quas ejaculata, nomen *ſanctæ virginis Cantuanæ* meruit: & tandem diem prædixit, in quo ſanitati penitus eſſet reſtituenda, ſi modo ad ſtatuam quandam Virginis matris deferretur. Delata ad illam, ſimulavit ſanitatem redditam, cui jamdudum fuerat reſtituta. Cum tandem in nuptias regis fulmina, quaſi è cœlo ſibi commiſſa, emitteret, comprehenſa eſt, & cum nonnullis monachis & parochis, à quibus præſtigiæ erant ſuggeſtæ, combuſta eſt anno ſuperioris ſeculi XXXIV.

LXVI. Suntne aliqui horum ſeculorum Gnoſtici?

Ezechielis Methi ſocer, *Eſaïas Stifelius*, vir quidem non indoctus; ſed fanaticus, merito primus hic recenſetur, etſi noſtræ ætati proximus. Hic circa annum cIↃIↃCIV. errores ſuos primum ſparſit: quos quanquam vel ter abnegavit coram magiſtratu, ad ingenium tamen ſemper rediit, multisque ex opulentioribus mercatoribus dementatis, lautioris vitæ media ſibi variis artibus quæſivit, & illuſtri etiam perſonæ impoſuit. Erphordia tandem, quam incolebat, profugus pro nominis fama, quam mendaciis pepererat, ignominiam reportavit: ridendus ædepol, quod, qui ſe ἀνθρωπόθεον ſeu θεάνθρωπον nominavit, & eſſentiale Chriſti membrum abſque ullo peccato eſſe dixit, tantæ fraudis, tantæque perfidiæ reus factus ſit, ut privilegium, quo impoſtor ſe à morte exemptum jactabat, apoplexia perderet. Ad Gnoſticos pertinent illi *monachi*, qui, ut Nigrinus refert, circa annum LXXXI. in Hiſpania, no-

Joh. VVeber. in Cenſura Stifelianiſmi Erff. 1614. edit.

va ſecta adornata, ſe *Illuminatos & Alombrates* nominarunt, perque concubitum cum aliorum uxoribus mixti, id cultum eſſe DEI mentiebantur. Quid ſi ex illis monachis impuritatem didiciſſent, quorum Acta martyrum Gallica meminerunt, quod anno LXIII. auriculari confeſſione ad varias libidines & fœminarum deceptiones abuſi, animadverſionem tandem Inquiſitorum incurrerint, ſed indultu Pontificis, cum nimium multi ſceleris accuſati eſſent, pœnæ ſubtracti evaſerint? Refer huc *Fratrem Cornelium, Belgam*, qui fœminas complures ficta ſanctitate eo adegit, ut omnibus veſtibus depoſitis, toto corpore nudas ſe intuendas & virgis cædendas ſiſterent.

LXVII. Nunquid in reformati evangelii ſeculis etiam Alogos, & Antitrinitarios, & Polytheitas enixus eſt Satanas?

Strenuus ædepol fuit in obſcuranda de Deo trinuno veritate Ideoque errorem ex orco reductum per *Neophotinianos & alios Trinitatis oſores* interpolavit. Inter quos primus & præcipuus fuit *Michael Servetus*, Tarraconenſis Hiſpanus, profeſſione medicus, qui, cum ex Gallia in Africam ad diſcendam Saracenicam linguam profectus, inde nihil aliud, quam errorem ex Alcorano de una in Deitate perſona ſecum reportaſſet, tandem ob blaſphemias, in venerandam S.S. Trinitatem variis in locis per XXX annos eructatas, Genevæ ex conſilio Calvini captus, & anno LV. igne crematus eſt. Errores ejus præcipui hi fuerunt, λόγον *& Spiritum S. non poſſe eſſe æternum Deum: Turcos etiam, quia rite precentur, ſalvari: in rebus fidei hominem habere liberum arbitrium, & legem poſſe implere: Chriſtum pro nobis mortuum non eſſe: infantes non eſſe baptiſandos.*

Oſiand. Cent. 16. lib. 2. cap. 21. & 22. pag. 204 & 206.

Præcipuus inter ejus aſſeclas fuit *Valentinus Gentilis*, Campanus, erro peſſimus, ob ſimilem blaſphemiam Bernæ anno LXV. capite plexus: qui tamen ad Arianiſmum & Tritheitas inclinabat, & tres perſonas æternas, ſed diſſimillimarum eſſentiarum fingebat. Palinodiam Genevæ cecinerat. Sed ad vomitum rediens cum *G. Blandrata & Joh. Paul. Alciato* in Poloniam venit. Inde pulſus, in Moravia apud anabaptiſtas diu vixit. Venit inde in Tranſilvaniam. Ejectus, per Viennam abiit in Sabaudiam, & à præfecto Bagiarenſi comprehenſus, Bernam eſt miſſus, ubi, quod diximus, capite truncatus eſt. Quanquam vero hi Antitrinitariorum duces, ne ſimpliciores à vero Deo abducerent, è medio ſublati ſunt: non tamen virus eccleſiæ paſſim inſtillatum facile tolli potuit.

Lege Prolegom. in Socin. Confut. Hornbeckii & Frid. Spanheim. in Elench. Controv. p. 137. Sandii qq. Biblioth.

tuit. Nam,ut aliis in locis alii, ita Heidelbergæ *Ad. Neuſſerus & Joh. Sylvanus*, Serveti doctrinam profitebantur. Ideoque hic capitali pœna affectus eſt; ille ex carcere elapſus, & ad Turcos confugiens, abjurata Chriſtiana religione, Machometaniſmum ſuſcepit, literiſque ad Gerlachium anno LXXXIV. datis aperte confeſſus eſt, *nullum ſibi notum factum eſſe Arianum, qui non ante fuerit Calviniſta*: ut vel hinc unuſquiſque, qui ſapit, ne incidat in Arianiſmum, diſcat Calviniſmum fugere. Nec ſolus fuit Neuſſerus,qui ad Turcos defecit, cum idem de *Johanne Paulo Alciato* annotatum inveniamus. Quæris, quis ille Alciatus? Miles fuit, gente Mediolanenſis. Nam hæc hæreſis ab initio non tam theologos,quam homines in alio literarum & vitæ genere verſatos abripuit. Ipſe Servetus huc illuc oberrans, medicinam fecit. *G. Blandrata, G.Complatus, Joh. Campanus*, Juliacenſis, & alii, qui cum Serveto ſentiebant, medicos ſe profeſſi ſunt. *Alciatus vero & Matth. Gribaldus* ſummam ex juris peritia laudem jam obtinuerant, cum Deitatis Chriſti hoſtes ſe profiteri inciperent. Hæc peſtilentiſſima hæreſis in Transſilvania & Polonia hodienum fovetur. Reliquorum cœtum duxere *Lælius & Fauſtus Socini*, Senenſes Itali; unde etiam *Sociniani* dicuntur. *Lælius* Genevæ primum virus prodidit, idque per Italiam, Germaniam & Poloniam clanculum diſſeminavit cum aſſeclis *Celſo, Cornelio & Camillo*,tandemque Tiguri anno ætatis XXXVII. obiit. *Fauſtus*, ejus patruelis, multis libris Racoviæ, Albæ Juliæ, Gerapoli & Eleutheropoli editis, celebratis etiam ſynodis, amplius hæreſin per Poloniam, Lithuaniam & Tranſilvaniam propagavit, interque diſcipulos reliquit, cum anno cIↃIↃCVIII. ætatis LXV. eſſet defunctus, *Oſtorodum, Smalzium, Moſcorovium, Volckelium, Goslarium, Crellium, Stegmannum, Schlichtingum* & alios. Nec tamen inter ſe conſentiunt hi fraterculi. *Alii* Ario propiores ſunt, qui per λόγον fatentur mundum eſſe creatum,ſed illum non eſſe ejusdem cum patre eſſentiæ: *alii* Photino, qui Chriſtum habent pro puro puto homine. Et hunc Chriſtum *alii*, ut *Franciſcus Davidis* in Tranſilvania, negant adorandum; *alii* id cum Socino concedunt: ſed adorationem ejus negant eſſe religioſam & primæ tabulæ. Inter *Anabaptiſtas* etiam plures ſunt, & imprimis, qui *Gabrieliſtæ* dicuntur, qui Chriſtum non eſſe Deum, ſed prophetam tantum aſſerunt. Refer huc *Mart. Seidelium*, Olavienſem Sileſium, qui negavit, Meſſiam veniſſe; quin & docuit, nunquam eum venturum, quum Judæis fuerit promiſſus cum conditione probitatis, quam nunquam complevíſſent: decalogum eſſe, ex quo uno ſalus ſit ſperanda.

LXVIII. Ergo in Seidelio, imo in omnibus Socinianis, hæreſis Juſtitiariorum revixit?

Quid amabo Satanas toto hoc tempore impenſius egit, quam ut homines, evangelii doctrina obſcurata, ad antiquiſſimum errorem de juſtitia operum avocaret? Præter Socinianos, omnes ſane *Anabaptiſtæ, Schwenckfeldiani & Weigeliani*, fide in Chriſtum enervata, ſuis operibus ſalutem adſcribunt. Nec *pontificios* ulla in re magis incuſamus, quam quod tanto longius à Chriſto nos abducunt, quanto arctius ad traditiones eccleſiæ & pontificis nos adſtringunt, ſalutemque, quam in ſolidum Chriſto debemus, noſtris ſatisfactionibus & operibus aſſuunt. Pie quidem eſſe vivendum, ſanctitati, temperantiæ eſſe incumbendum, &, qui neglecta pietate impiorum numero ſe aſſociant, iis exitium præſentiſſimum imminere, ultro fatemur. Sed cum de juſtificatione loquendum eſt, hæreſin Catharorum ſeu Juſtitiariorum ſeu Operiſtarum omni animi niſu declinamus, & ſola fide nos ſalvari pie credimus.

LXIX. Superſunt Paradotæ, quorum memini duas claſſes à te eſſe poſitas: alteram eorum, qui aut ſcripturam ſpernunt, aut pſeudographemata ſupponunt; alteram horum, qui præter ſcripturam rationis deliria proferunt. Numquid igitur hujusmodi etiam hæreticos ſecula Lutherana alunt?

VVigand. in Anabaptiſmo.

Primam Paradotarum claſſem quod attinet, occurrunt primo ANABAPTISTÆ, qui præter alios errores (*quibus baptiſatos in infantia, cum adoleverunt, rebaptiſant: Chriſti humanitatem & deitatem, ejusque officium impugnant: peccatum originis negant: ſalutem hypocriticis operibus adſcribunt: ſacramentorum virtutem, magiſtratus dignitatem, & miniſtrorum eccleſiæ officium elevant: polygamiam probant:*) à ſcripturis homines ad enthuſiaſmos abducunt. Illa *Münzeri* blaſphemia (*Quid Bibel, Bubel, Babel?*) qua nihil ſe ſcripturam facere confeſſus eſt, altis eorum mentibus inſidet. Et quanquam viſi ſunt aliquando ſacram ſcripturam magnifacere, quum tamen eam in omnibus linguis corruptam eſſe aſſerant, divinis magis revelationibus & ſomniis fanaticis, quam verbo inhæ-

inhærere malunt. Hinc factum eſſe arbitror, quod tot tamque inſanæ inter Anabaptiſtas diſſenſiones, & diverſiſſimæ factiones inveniantur. Quas qui dignoſcere, earumque conventus, & quibus ritibus degant in iisdem, dignoſſe diſcupit, *Bullingerum* in tractatu de anabaptiſtis, & *Schlüſſelburgium libro 12. catalog. hæreticorum* adeat. Aliqui *Apoſtolicos* ſe nominant, & more apoſtolorum, relictis conjuge, liberis & bonis, vivere, docere, peregrinari conantur. Nonnulli ſe *ſpirituales* ſeu *ſeparatos* vocant, & ab omni animi lætitia, omni ornatu, & communi cibo abhorrent. *Tacentes fratres alii* dicti, de religione nihil reſpondent, nec conciones admittunt. *Orantes*, ſemper precibus vacant. *Enthuſiaſtæ*, viſiones ſive fictas, ſive à dæmone oblatas jactant. *Libertini* ſeu *Liberi* ſeu *Concubitores*, mulieres communes habent, & omnia ſibi licere credunt. *Adamitæ* nudos ſe univerſo mulierum & virginum cœtui ſiſtunt, & carnis impetu non erumpente, donum perfectionis ſe habere clamant. *Mennoniſtæ*, pædobaptiſmi imprimis hoſtes, quondam noctu conveniebant. *Abcdarii* eos, qui legere norunt, damnant. *Fratres caritatis* in dividendis mercibus nihil poſtulant, ſed pretium arbitrio emtoris permittunt. Sunt etiam inter eos *Dæmoniaci*, qui cum *Johanne Denckio* dæmonas & damnatos homines ad unum omnes tandem ex inferno liberandos eſſe credunt. Sunt *Clancularii*, qui fidem abnegare in vitæ periculo licitum dicunt, dummodo cor exteriori profeſſioni non reſpondeat. Sunt *Manifeſtarii*, qui Clancularios improbant. Sunt *Ejulantes*. Sunt *Nudipedes*. Sunt *Pnevmatici*, qui V. & N.T. rejiciunt. Sunt *Scripturarii*, quibus riſui eſt, quicquid in Bibliis, etiam in rebus externis, non legitur. Sed quis omnes anabaptiſtarum furores enarret? Unica *Monaſterienſium* hiſtoria, ſupra quæſtione LII. recitata, & ab Henrico Dorpio, Antonio Corvino, aliiſque conſignata, ſatis eorum dementiam oſtendit. Refer huc, quod *Sleidanus libro IV. de Sangellenſi quodam enthuſiaſta* narrat, qui fratri ſuo germano, inſpiciente patre ac matre, quibus voluntatem Dei de tanto facinore perpetrando perſvaſerat, caput ſceleſtiſſime abſcidit. Refer huc & *illum*, qui inſpiratus ſuo Deo filium tanquam Iſaacum, immolavit. Homines ſcilicet fanaticos ἀνθρωποκτόνος ille infernalis ad ſuum lubitum verſat & impellit: & hujus artibus in tantum numerum excreverunt, ut in ſola Moravia LXX. amplius millia ſint numerata. *Inter Paradotas* faſtuoſus CASP. SCHWENCKFELD de Oſſing cum aſſeclis merito collocatur. Fuit is nobilis Sileſius, &, tanquam unus ex Scepticis, neque Papæ, neque Lu- Idem VVigandus in Schvvenckfeldianiſmo.

Luthero, neque ſacramentariis, neque anabaptiſtis eſt adſtipulatus: ſed quædam ex omnibus approbans, & novam religionis ideam venditans, verbo Dei ſepoſito, ſpretoque eccleſiaſtico miniſterio, ſomnia ſua jactitavit, & plurimos, interque eos, *Valentinum Krautwald* & *Joh. Sigiſm. Werner*, illum Canonicum, hunc paſtorem Lignicenſem eloquentia affectata dementavit. Verbum externum & ſacramenta nihil ad ſalutem conferre; carnem Chriſti non eſſe noſtræ ſimilem, nec etiam creaturam; legem Dei facile impleri poſſe; juſtitiam noſtram coram Deo eſſe eſſentialem Dei juſtitiam; omnes Chriſtianos eſſe naturales Dei filios, docuit. A Friderico, principe Lignicenſi, ejectus Sileſia, cultiſſima Germaniæ loca tanquam pſeudo apoſtolus peragravit, & furtivos paſſim, & imprimis Auguſtæ, egit conventus: &, ſi verum eſt, quod de ſe ipſe ſcribit, intra XXVIII. annos, pluſquam L. libellos idiomate vernaculo typis vulgavit, quos Lutherus ex ipſo dixit diabolum vomere & cacare. Poſt Schwenckfeldium, anno LXI. defunctum, recenſendus venit *Valentinus WEIGELIUS*, qui ſuperioribus annis Zſcopenſi eccleſiæ in Miſnia præfuit, & ex Triſmegiſto potius atque Paracelſo, quam ex Scriptura, de rebus divinis judicium tulit, & circa annum CIↃIↃCXII. fanaticis libris innotuit. *Literalem verbi ſenſum vocat inutilem: quærit & commendat allegoricum, eumque ex inſpiratione Spiritus S. diſcendum ait; infantes omnes à natura fidem habere; peccatum originale non habere docet: negat, miniſtrum verbi peccata remittere: negat, ſacramenta ſalvare, aut fidem operari: negat, renatos peccare poſſe: legem Dei impleri poſſe ſtatuit: credit aureum Spiritus S. ſeculum*, hac in parte Chiliaſtis ὁμόψηφος. Et ſane hic error multis in rebus videtur *ROSENCREUTZIANIS* ſcriptis, *à Neoebiliaſtis* editis, conſentire, qui paucis abhinc annis omnium animos ſuſpenſos tenuerunt, & neſcio quam perfectionem & ſummam ſapientiam jactitarunt: ſed in primis fraudum ſuarum primordiis evanuerunt.

Schelhammer. in Confut. Poſtillæ VVeigelii. Thummius & Crocius in ſcriptis Antivveigelianis.

LXX. Cum altera Paradotarum claſſis reſtet deſcribenda, quinam ſunt his ſeculis hæretici, qui rationis deliria afferentes, analogiam fidei præjudicio falſarum opinionum labefactant?

Ut mittam pontificos, à nobis variarum idolomaniarum reos factos & convictos, quas, neglectis ſcripturis ſacris, per autoritatem pontificis & Romanæ eccleſiæ defendere ſatagunt: *Gvilielmus Poſtellus*, vir quidem

dem doctus, ſed fanaticus, non tam confutandus, quam ridendus, ſe primum hic ſiſtit: quem *Oſiander ex Henricopetro* anno LIX. dicit ſtatuiſſe, *Johannam Venetam* mulieres ſic ſalvas facturam, quemadmodum Chriſtus viros redemit. Sequitur *Fr. Puccius*, Fidelinus, qui ann XCII. ſcripto edito aſſeruit, *fide naturali, quæ omnibus hominibus communis ſit, & in unum creatorem tendat, omnes homines ſalvari, nec ſimplicem ignorantiam & incredulitatem evangelii, defectumque baptiſmi, cuiquam obeſſe, dummodo non ſit extreme ſceleratus.* Neque Turcos igitur, neque paganos, neque Judæos, ſi creatorem cœli & terræ invocent, & puritati vitæ ſtudeant, damnari poſſe. Ab archiepiſcopo Salisburgenſi captus tandem, & Romam miſſus, in rogo periit. Succenturiatur Puccio quodammodo *Cœlius Secundus Curio*, Italus, Baſileæ profeſſor, qui in duobus dialogis ſeu libris de amplitudine beati regni Dei, *plures ſalvari, quam damnari, & civitatem Dei ampliorem & numero civium majorem eſſe* aſſeruit, *quam eorum numerus eſt, qui pereunt. Bernhardinus Ochinus*, ex monacho Calvinianus, & tandem Arianus, polygamiam Chriſtianis eſſe licitam, peculiari libro confirmavit. Sed ipſa abſurditas facile hos errores obruit, & tenebris, unde emerſerant, ſepelivit. Amplius is error ſerpſit, pertinacius animis hominum inſedit, & curſum evangelii nocentius remoratus eſt, quem *SACRAMENTARII*, quos *Zwinglianos & Calvinianos* nominamus, infelici partu, paulo poſt novum evangelii fulgorem, præter omnem fidei πληροφορίαν & ſcripturæ ἀναλογίαν, conceperunt, & ingenti animorum contentione variis eccleſiis per Germaniam, Galliam, Angliam, Poloniam, Helvetiam, Hungariam & Belgium obtruſerunt. O nunquam litem de ſimplici verborum Chriſti intellectu moviſſent! O rationis ſtolidum acumen ſimplicitati fidei ſubmiſiſſent! Sed allubuit primo Helvetiis, cum Caroloſtadio, præſentiam corporis Chriſti in S. cœna in dubium vocare. Quod tamen vix facere cœperant, cum immenſis & inexplicabilibus aliis erroribus ita involverentur, ut nunquam ad unitatem fidei reduci potuerint. Ut enim errorem de cœna Domini palliarent, *Chriſti corpus, nec per omnipotentiam Dei, pluribus in locis eſſe poſſe dixerunt: naturarum in Chriſto unionem minus dextre deſcripſerunt: realem idiomatum communicationem in perſona Chriſti negarunt.* Præterea Chriſtum *pro electis ſaltem*, quorum fidei in cœlum elevatæ corpore ſuo in cœna poſſit eſſe præſens, *mortuum eſſe aſſeruerunt.* Hinc in locum de prædeſtinatione digreſſi, *abſolutum Dei decretum de electorum ſalute & prædeſtinata reproborum condemnatione finxerunt: voluntatem Dei peccatis etiam*

VVigandus in Sacramentar. Hutter. in Conc. Concorde.

alligarunt: ut dicta ſcriptura de generali DEI dilectione evidentiſſima elidere poſſent, contrariam ſigni & beneplaciti in Deo voluntatem excogitaverunt. Sed quum duriora hæc eſſent, quam ut ferrentur, glaucoma oculis ſimplicioribus objecerunt, *& Lutheranas eccleſias nondum ſatis purgatas eſſe dixerunt: novam in rebus adiaphoris & ceremoniis externis reformationem ſunt moliti: aliam decalogi diviſionem, alias in adminiſtranda cœna ceremonias, alios etiam in baptiſmo ritus adhibuerunt: ſe Reformatos, nos Semipapiſtas vocaverunt.* Ceruſſa ſcilicet fallaciſſima erroris ſpurcities indigebat. Tu interim ea, quæ quæſtione XL. & ſequentibus de Calvinianorum à nobis diſſidio dicta ſunt, huc referto: inter quos præcipue hæreſeos damnandus eſt *Conradus Vorſtius*, theologus Leydenſis, qui ea de Dei natura, omnipræſentia, omniſcientia & omnipotentia docuit, ob quæ merito loco motus, & libri ejus in Anglia flammis addicti ſunt.

De Vorſtio in Contin. noſtra ſeorſim.

LXXI. Dolendum ſane eſt, tantas ſtatim diſcordias eccleſiam Chriſti renaſcentem conturbaſſe. Sed numquid omnes hæreticos, qui à Lutheri temporibus eccleſiam divexarunt, recenſuiſti?

Georg. Roſtius contra Roſencreuzeros.

Recenſui, qui occurrerunt. Interim non diffiteor, *numeroſum prophetarum novorum chorum* huc etiam referri poſſe. Eorum enim plerique aut quod ipſis viſum fuit, vaniſſimis ſuperſtruunt fundamentis, aut Scripturæ ſenſum in prorſus alienam detorquent opinionem, ſibique vel à præconceptis opinionibus, vel fraudulentis geniorum & dæmonum ſuggeſtionibus, imponi patiuntur. Non quidem eos, quos Deus rerum inſtantium præcones forte elegit, numero fanaticorum includo; Sed, quum ſpiritus probandos eſſe ſciam, & plerorumque vaticinia ſuis eventibus fruſtrata fuiſſe non ignorem, cui tandem eos, quam illorum hæreticorum ſeriei adſcribam, qui aut neglecta ſcriptura, viſionibus credunt fallacibus, aut litera in alienum ſenſum contorta, deliria ſua pro merce pretioſiſſima exponunt? Eant igitur, & ſe longo comitatu ſtipent, *Nagelius* Torgenſis, *Zieglerus* Bernas, *Eo* Noribergenſis, *Geigerus* Argentinenſis, *Plauſtrarius* Tigurinus, *Faulhaberus* Ulmenſis, *Matthæus* tandem *Schuber*, civis Miſnenſis, à colloquio, inter ſuos concives, mecum & cum aliis, Lipſia verſus Miſniam profectis, habito mihi notus. Nobis prophetica ſcripta novis prophetis indigere non videntur. Refer huc *Cingaros*, die Zigeuner/ qui furtis, mendicationibus & chiromantica divina-

vina-

vinatione vitam tolerant, anno cIↄCCCCXVII. ſecundum Cranzium primum in Germania viſi. Joſephus Scaliger eos cenſet eſſe *Nubianos*, inferioris Ægypti partibus conterminos, qui ſub patriarcha Alexandrino ſacra ſub diviſis epiſcopis quondam celebrarunt: pulſos autem à Sultano Ægypti ſedibus ſuis, Palæſtinam, Syriam & Aſiam minorem, mendicorum ſpecie pervagatos, trajecto Helleſponto, Thraciam & Danubianas regiones ingenti multitudine, ſeculo XV. inundaſſe: dictos ab Italis *Cingaros*; à Gallis *Bohemos*; aliis *Ethnicos*: ipſos ſeſe vocaſſe *Ægyptios*, quia Nubiam vocaverint minorem Ægyptum: & revera Nubianos eſſe *νομάδας*, Claudiano jam *Nubas parvu redimitos ſagittis* dictos: eorum metropolin *Condari* adhuc notam eſſe, & templorum ibi eximiorum hodienum multa extare veſtigia: multos etiam in ipſa Nubia ſub Turcica tyrannide ſe profiteri Chriſtianos, ſed ſine ullis epiſcopis, templis & ſacrorum ſolemnibus: qui ex illis adhuc circumvagantur in Europa errones, illos non ſolum mores majorum & furtorum licentiam, ſed & linguam retinere. Nec tamen negandum, paſſim viros & fœminas aliunde ipſorum ſe miſcere contubernio. Vulgum fallunt chiromantiæ jactatione, & neſcio cujus pœnitentiæ, ob delicta majorum ſuſtinendæ, ſimulatione. Omnibus interim hæreticis, quos in ſuperioribus longa ſerie recenſui, deteriores ſunt ATHEI qui *aut* ipſum Deum negant, *aut* ejus providentiam, *aut*, ſi Deum concedant, religionis Chriſtianæ capita ſuſque deque habent, & quod cuique placet, id pro libitu vel repudiandum vel aſſumendum dicunt. Trahere videntur noſtro & ſuperiore ſeculo originem *ex illis anabaptiſtis*, quos vocavimus ſupra *Clancularios & Liberos*: ex quibus anno cIↄIↄXXX. *Coppinus, inſulanus Flander*, docebat, *Deum non curare inferiora, ſolo majeſtatis ſua throno in cœlis contentum degere; liberum cuiq; ineſſe arbitrium: proinde & religionem liberam eſſe debere: ſed nec patrando ſcelera quemquam peccare: non eſſe ulla prava opera, niſi ex mentis humana & eorum opinatu, qui ſe peccare putant: religionem eſſe politicam fallaciam.* Pulſus ex patria, confugit in Galliam. Rediens in Belgium, utrobique diſcipulos ſatis magno numero invenit. Tornaci quidem ſupplicium extremum ſubiit, atheiſmo ejurato: ſed ejus veſtigia legens *Quintinus è Picardia*, novum nomen *Quintiniſtarum* peperit atheis. Quidam eos vocant *Politicos*, quia exteriore habitu & moribus prudentiam ſimulant, opinionum de religione ſecuri; alii *Machiavelliſtas*; alii *Libertinos*; alii *Neutrales ſeu Neutraliſtas*. Auſi ſunt atheiſmum libris etiam editis diſſeminare. Nonnulli eorum ſunt plane *Scoptici*; nonnulli *Sceptici*.

Scopti-

Scoptici maniſteſti ſunt empæctæ, & cum execrando *libri de tribus magnis impoſtoribus* autore, ſive *Aretinus fuerit*, ſive *O. hinus*, ſive *Poggius*, Moſen, Chriſtum & Machometem eodem loco habent. *Sceptici* ſe nihil credere profitentur, &. ſi in arte nihil credendi ſint confirmati, nihil affirmant, & nihil negant, adeoque dubitant, *animæ ſint immortales, an alterùm pro piis coronandis & impiis puniendis ſeculum*, perfectos & felices ſe putant; dummodo interim ſecundum leges patriæ vivant quieti, ſine metu, ſine contritione ob peracta, ſine admiratione miraculorum, quæ omnia aut habeant naturales cauſas, aut ficta ſint, ſine æſtimatione ſcripturæ, tanquam mancæ, obſcuræ & abſurdæ. Securi ſunt hi homines eorum, quæ ab aliis ſive aſſeruntur ſive negantur. *Cardinalis Perottus*, tempore Henrici III. in Gallia, hac *Quintiniſtarum* arte, cum uno die coram rege probaſſet, Deum eſſe, altero die, niſi ſilentium illi fuiſſet injunctum, contrarium aſſeruiſſet. *Ipſe Clemens VII. Papa*, qui tempore Quintini curiæ Romanæ præfuit, eadem impietate erat afflatus, & moriturus dixit, *ſe jam de tribus fore certiorem, de quibus ſemper dubitaſſet, an Deus ſit, an anima immortalis, an vita poſt hanc alia. Alexander VI.* ante eum jam exclamare conſveverat: *O quantas divitias peperit nobis fabula de Chriſto!* Et Romæ inventi ſunt philoſophi, ut *Pomponatius*, qui animæ immortalitatem, editis voluminibus prolixis, vocavere in dubium. Sic *Cremoninus*, philoſophus Patavinus, curavit epitaphio ſuo inſcribi: *TOTUS CREMONINUS HIC JACET. Aretinus*, poëta Florentinus, cum reges & principes conſveſſet amarulentis laceſſere carminibus, ſe negavit ideo de Deo male loqui, quia, an eſſet, ignoraret. Toloſanus teſtatur, atheorum ſocietatem ſuo tempore ad LX. millia excreviſſe. Merſennus ante aliquot annos in unis Pariſiis quinquaginta millia inventa dixit. Omnium coryphæus, *Jul. Cæſar Vaninus*, Neapolitanus, theologus antea pontificius, editis libris, numen, quod Deo detraxit, naturæ, tanquam reginæ mundi, adſcripſit, & XII. diſcipulos per totam Europam emiſit, tandemque Toloſæ crematus eſt. Poſſes illis accenſere *Paracelſiſtas, larvatos roſeæ crucis fratres, Carteſianos atomiſtas, ſciolos Helmontianos, autorem Anglicanum de religione Medici, Galilæum itidem Galilæi*, qui mundo nihil dixit eſſe vetuſtius, & omnes illos riſit, qui credunt, quod non poſſit demonſtrari apodictice, ſi vel maxime aliud traditione feratur: imprimis *Peyrerium Gallum*, qui monſtroſam de *Præ-Adamitis* opinionem diverſis libris anno hujus ſeculi LV. prodidit, & , ſcriptura in pravum ſenſum contorta, aut tanquam manca & incerta neglecta, *Adamum eſſe primum hominem negavit:*

Hieronym. Kromaj. de Libertiniſmo credendi & de Religione Prudentum. Joh. Muſæus de Libert. philoſophandi, und von denen Gewiſſenern. Korth in Hiſt. Eccleſ. p. 867.

vit: ante ejus creationem infinitis ſeculis homines in oppidis & pagis habitaſſe, humana egiſſe obiiſſe, ſed ſine lege: improbis inter eos peccatum Adami; probis mortem Chriſti eſſe imputatam: qua opinione totum Chriſtianiſmum labefactari, & peſtilentiſſimas hæreſes incruſtari, alibi docuimus.

LXXII. *Nondum videris, omnes hæreticos mihi recenſuiſſe. Nam excidiſſe tibi videntur Oſiandriſtæ, Antinomi, Flaciani, & ſi qui ſunt alii.*

Hos etſi ſcio hæretica dogmata defendiſſe; quia tamen vulnus, quod eccleſiæ inflixerunt, ſubito curatum eſſe, ipſorumque pleroſque Lutheri ſcripta & nomen in errore etiam ſuo magnifeciſſe, nonnunquam etiam non recte intellectos fuiſſe memini: ſchiſmaticorum catalogo eos inſerere libet, non tamen illis neglectis, quorum ſchiſma, ut fieri ſolet, deſiit in hæreſin.

LXXIII. *Quænam igitur ſchiſmata extiterunt in repurgatis eccleſiis?*

Primum ſchiſma eſt, quo, Luthero in Patmo adhuc deliteſcente, *Caroloſtadius* tumultuoſe imagines ex templis removebat. Quod cum Lutherus ob certas cauſas fieri nollet, ille ad anabaptiſtas primo; deinde ad Helvetios tranſiens, unitate caritatis rupta, fidei etiam vinculum diſrumpere cœpit. Vide ſuperiora. VVigand. in Sacram. pag. 79. ſeq 82. 335. & 339. Oſiand. Cent. 16. lib. 1. c. 32. p 85. ſeq.

Alterum ſchiſma eſt Antinomorum, quo *Johannes Iſlebius Agricola*, Lutheri conterraneus, legem Moſis in eccleſia eſſe docendam, circa annum XXXVIII. negabat. Quanquam autem Lutheri admonitiones admiſit, & ad ſex de hac materia diſputationes, ab eo habitas, errorem *Antinomicum* depoſuit: illo tamen defuncto, ad vomitum rediit, ſed abſque notabili eccleſiæ ſciſſione. Videantur, quæ de eo ſupra in catalogo Doctorum dicta ſunt. Præcipuus ex illius aſſeclis fuit *D. Jac. Schenck*, primus paſtor Freibergenſis, quem ſub nomine *D. Jeckeln*, ſicuti Agricolam ſub nomine *M. Grikeln*, ob temeritatem & inſolentiam graviter incuſat *Lutherus in colloq. menſal.* Conr. Schlüſſelb. in Catal. Hæret. de Antinom. Oſiand. Cent. cit. l. 2. c. 39 p. 311. Joh. Sleidan. l. 12. p. 312.

Tertium eſt, quo in *Formula interreligionis, ſeu libro interimiſtico* recipiendo, alii theologorum Cæſari aſſurgebant, *Adiaphoriſtæ* deinde dicti; reliqui conſcientiæ conſulturi, loco prius moveri, quam vel latum unguem pontificiis in caſu confeſſionis cedere volebant. Balthaſ. Meiſn. in Colleg. Adiaphoriſt. Oſiand. lib. 2. c. 72. pag. 503.

Quartum eſt, quo *Major & aſſeclæ ejus*, phraſin Interimiſticam de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem acriter defendebant; *Ambsdorfius* vero bona opera ad ſalutem eſſe perniciosa contendebat.

Schlüſſelb. in Cat. Hær. Hutter. in F. Conc. p. 448. 501. 517.

Quintum ſuperiori connexum eſt de ſynergia voluntatis in converſione hominis. Quia enim in Philippi Melanchthonis libris phraſes occurrebant, quæ nimium voluntati videbantur adſcribere: nonnulli autoritate ejus nixi, interque eos præcipuus *Victorinus Strigelius*, cum vires naturales in regeneratione etiam aliquid valere arbitrarentur, *Synergiſtæ* dicti ſunt: quorum promachi erant G. Major, P. Eberus, V. Strigelius, Paul Crellius, Piperinus.

Schlüſſelb. de Synerg. Hutter. in Form. Conc. p. 516. & ſeq. Oſiand. lib. 3. cap 65. p. 814 Erdman de Strigelii Synergiſmo. Diſp. pecul.

Sextum ſchiſma, quod *autoritatem Corporis doctrinæ Philippi Melanchthonis* concernit, mature enatum eſt, & hoc ipſo tempore vix ſopitum videtur. Cum enim communis eccleſiarum & ſcholarum magiſter, præter meritum, erroris incuſari crederetur: defendebatur à multis, alioquin non male de religione ſentientibus. Quin & multi, Calvinianiſmum nomine & autoritate Philippi tuentes, nihil quam Philippum in ore habebant, nonnullis ejus literis, ut plurimum tamen privatis, innixi, quibus ſacramentorum natura ad Zwinglianorum mentem explicabatur. Quam ob cauſam theologi orthodoxi tandem autoritati Philippi, quam alii ſcripturæ teſtimoniis præferebant, detrahere, & *inter Philippum publicum & privatum* diſtingvere cogebantur, ut Chriſto & religioni ſua conſtaret veritas.

Affelmann de Philippiſmo fugiendo. Hutter. in Form. Conc. pag. 16. 227. 281. 1102. 1142. in Conc. Concorde p. 92. & ſeqq. VVigand. in Sacram. p. 358. 362. 375.

Septimum ſchiſma Andreas Oſiander, profeſſor Regiomontanus, anno LI. excitavit. Cum enim Chriſtum, Adamo etiam non lapſo, incarnandum fuiſſe diceret, ſed non crucifigendum; cumque hominem eſſentiali Dei juſtitia juſtificari, & Chriſtum ſecundum divinam naturam eſſe noſtram juſtitiam aſſereret, celeberrimos quosque theologos invenit adverſarios, & paſſim de mota controverſia libri evulgati ſunt. Inter ſectatores ejus fuere *Joh. Funccius*, *Epplinus*, *Artopæus*, *Aurifaber*, *Culmannus*.

Joh. VVigand. de Oſiandriſmo edito per Andr. Corvin. A. 1586. Hutter. in Form. Concord. p. 383. ſeqq. Oſiand. l. 3. c. 1. p. 555. & c. 22. p. 638.

Octavo per ſeptimum via eſt ſtrata. Nam cum Oſiander juſtificationem hominis divinæ tantum naturæ acceptam ferret, *Franc. Stanckarus*, Italus Mantuanus, qui deſerto papa in Boruſſiam venerat, profeſſor Hebreæ lingvæ Regiomontanus, ei errori ſe opponens, dixit, *Chriſtum non ſecundum divinam, ſed tantum ſecundum humanam naturam noſtrum eſſe mediatorem.* Hic homo tanti fecit *Magiſtrum ſententiarum*, ex cujus lacunis hauſerat errorem, ut dicere non ſit veritus, *unum Petrum Lombardum plus valere, quam C. Lutheros, CC. Melanchthones, CCC. Bullingeros, CCCC. Marty-*

Schlüſſelb. in Cat. Hæret. de Oſiandriſmo. Joh. VVig. de Stancariſmo edito Lipſ. 1585. Schlüſſelb. in Cat. Hær. Oſian. l. 3 c. 23. p. 641. Hutt. in Form.

Martyres & Io. Calvinos; ex quibus omnibus, ſi in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ theologiæ. Loco motus, inclinavit in loco de perſona Chriſti & de Cœna ad Calvinianos.

Nonum ſchiſma, quod exarſit, eſt *Flacianum*. Nam *Matth. Flacius, Illyricus*, vir de eccleſia Chriſti optime meritus, & contra pontificios ſimul & ſynergiſtas & Calvinianos imperterritus veritatis aſſertor, cum peccati originalis deformitatem à multis extenuari videret, totam hominis naturam extreme corruptam dixit; & cum in diſputationis fervore rem eſſet vere depicturus, phraſibus abſonis uſus, animadverſionem publicam incurrit; & loco ejectus, incertis ſedibus vagatus eſt: ſectariis tamen ejus multo craſſius loquentibus & ſentientibus, quam ipſius mens unquam eſſe potuit. Inter illos fuere *Cyr. Spangenbergius, Irenæus, Cœleſtinus, Rupius, Sarcerius junior.*

Decimum ſchiſma eſt ob articulum *de deſcenſu Chriſti, inter theologos Hamburgenſes*, exortum. Nam *D. Æpinus* Chriſtum apud inferos aliquid paſſum eſſe aſſeruit, quod reliqui Hamburgenſes paſtores, *M. Joach. Weſtphalus, M. Joh. Hogelius, Joh. Bottikerus, Joh. Criſpinus & M. Joh. Stedemannus* negarunt. Aſſumſit deinde Flacius opinionem Æpini in Clave ſcripturæ defendendam.

Undecimo ſchiſmati anſa à vocabulo *ABSTRACTI* data eſt. *Heshuſius* epiſcopus Sambienſis in Boruſſia, & profeſſor theologiæ Regiomontanus, aſſertionem contra Bezianam exegeſin ſacramentorum ediderat, & cenſuerat, *non ſolum in concreto dici debere, filium Dei eſſe adorandum, omnipotentem & vivificum, ſed etiam in abſtracto carnem Chriſti eſſe adorandam; quia majeſtas adorationis ſit carni communicata.* Paſtores Regiomontani, *M. Benedictus Morgenſtern*, paſtor Cniphovianus, *M. Joh. Weidemann*, concionator aulicus, *M. Hier. Mörlinus* Joachimi filius, & *M. Conr. Schlüſſelburgius*, Schaumburgenſis, diaconus Löbnicenſis, tandem Superintendens Stralſundenſis, ſiniſtre phraſin interpretati, putarunt Heshuſium illa dixiſſe, *quod in abſtracto & in ſua eſſentia caro Chriſti, etiam extra unionem conſiderata, ſit adoranda.* Et quanquam ille mentem ſatis explicuit, non tamen acquieverunt. Wigandus etiam, epiſcopus Pomezanienſis, etſi de rebus conſenſum eſſe initio fatebatur, phraſin tamen illam (*Humanitas Chriſti in abſtracto eſt adoranda, omnipotens, vivifica*) periculoſam & incommodam eſſe cenſebat. Illa ſe negavit uſum Heshuſius, quum tantum innuiſſet, quod in abſtracto propter majeſtatem communicatam dici poſſit: *Caro Chriſti eſt adoranda.* Sed nihil illa explicatione

Conc. p. 287. & 313. Hardknoch in Hiſt. Eccleſ. Pruſſiæ p. 309. 382. 417. item p. 333-340. & ſeq. Schlüſſelb. in Cat. Hær. de Flacianis. VVig. de Manichæiſmo edito A. 1587. Hutt. in Form. Conc. p. 23. 32. 36. 56. 66. 74. &c. Petr. Piſcat. Diſp. de Pecc. Orig. habita Jenæ A. 1609. Dan. Cramer. de Deſc. Chriſti ad Infer. Joh. Hülſem. de eod.

Joh. VVigandi Methodus de Abſtr. Theol. edit. A. 1578. Regiom. Idem in Urſachen/ warum die Reden Heshuſii wieder die Wittenberg. Exegeſ. an ſich ſelbſt ärgerlich. Königsb. 1578. idem wider den blauen Dunſt eines neuen Propheten ibid. A. 1578.

 ne

ne profecit. Convocabantur ex reliqua Boruſſia ſex theologi & paſtores in ſynodum. Ab illis phraſis Heshuſiii rejiciebatur. Utut autem Chemnitius & Kirchnerus, literis in Boruſſiam miſſis, ſententiam Heshuſianam benigne interpretabantur, nihil erroris in doctrina eſſe judicantes; Wigandus tamen voluit, ut Heshuſius publicè revocaret. Id ille cum nollet, nullius ſibi erroris conſcius, quanquam locutionum minus circumſpectarum & incommodarum, quæ præter voluntatem animo minus attento exciderant, correctionem promitteret, & ad quorumvis candidorum in Germania theologorum cenſuram provocaret, loco motus & dimiſſus eſt, & Wigando, præter epiſcopatum Pomezanienſem, adminiſtratio quoque Sambienſis ceſſit. Variæ hinc turbæ. Senatus Cniphovienſis cum civibus negavit, Heshuſium jure remotum, nec in novum epiſcopæ adminiſtratorem conſenſit. Diaconi etiam aliqui à partibus Heshuſii ſteterunt: ſed ob id ipſi quoque remoti, Wigando omnes contradicentes damnante. Adminiſtrator tandem Boruſſiæ, Georgius Fridericus, marchio, à theologis Hertzbergæ anno LXXVIII. propter formulam concordiæ congregatis, Jacobo Andreæ, Selneccero, Muſculo, Cornero, Chemnitio, cenſuram petiit: quam cum illi pro Heshuſio ad normam ipſius Formulæ Concordiæ ferrent, ſilentium Wigando, & ſex aliis ab ipſo dependentibus, impoſitum eſt. Hic quia in eccleſiaſticas res Boruſſiacas dilapſus ſum, non poſſum facere, quin theologos præcipuos, qui eccleſiæ & academiæ Boruſſiacæ ſeculo hoc Lutherano præfuere, conſignem. Fieri id quidem potuiſſet, cum catalogus Doctorum evangelicorum nectebatur: ſed quia eorum ſeries ante aliquot annos peculiariter mihi à D. Abr. Calovio communicata eſt, dignam eam exiſtimavi, quæ hic ſeorſim poneretur. In epiſcopatu Sambienſi, *Georgius à Polentis*, Miſnicus, cujus poſteri adhuc amplas in ſuperiori Boruſſia habent poſſeſſiones: & cui Lutherus ſuas in Deuteronomion annotationes dedicavit, anno ſeculi XX. epiſcopus conſtitutus, cum veritate cœleſti ex ſcriptis Lutheri hauſta, convictus eſſet, primus, &, ut ait Lutherus, ſolus inter omnes eccleſiarum epiſcopos rejectis traditionibus humanis, verbum Dei pure docuit, & doceri curavit, evocatis, ad pium opus viris doctis & cordatis, & largo ſtipendio ab Alberto marchione Brandeburgico & magno Boruſſiæ Magiſtro iis procurato. Superfuit uſque ad annum LVIII. & ſub eo præſidis munere in epiſcopatu uſque ad annum XLIX. functus eſt *D. Joban. Briſmannus*, Cotbuſienſis Luſatus, vir pius, gravis & eruditus, Lutheri familiaris & amicus, ex academia Wittebergenſi ac-

cer-

cerſitus: qui primam concionem evangelicam Regiomonti anno XXIII. in templo Cniphovinano habuit, *& cum Paulo Sperato atq; Joh. Polyandro* primus ducatus Boruſſiæ evangeliſta non ſine cauſa à Chytræo vocatur. Poſt Briſmannum Vicepræſes in epiſcopatu Sambienſi per triennium fuit *D. Andr. Oſiander*, à quo Albertus marchio, in comitiis Noribergenſibus, ſemina purioris doctrinæ imbiberat. Hic Noriberga propter Interreligionem anno XLIX dimiſſus, primum Paſtoratus in veteri oppido Regiomonti, deinde epiſcopatus vicarii curam in ſe ſuſcepit. Cui anno LII. defuncto, ſine Ordinum & miniſterii ſuffragiis, ſurrogatus eſt *D. Johan. Aurifaber*, Vratislavienſis, primum medicus, poſt JCtus & Roſtochienſis Procurator, denique theologus, è Megapoli in Boruſſiam, à factione Funccii, ſub prætextu componendi certaminis Oſiandrici, evocatus. Sed cum contra Funccium & complices univerſa provincia regis Poloniæ autoritatem imploraret, ille anno LVI. è Boruſſia in patriam Vratislaviam exceſſit. Paulo poſt mortuus eſt ipſe epiſcopus, Georgius Polentius: &, quia Albertus, qui interea habitu Cruciferorum depoſito, Boruſſiæ dux creatus, ſe regno Poloniæ ſubmiſerat, mente tandem & corpore infirmus, multa, quæ ordinibus diſplicebant, Pauli Schalichii pravis conſiliis inductus, fieri permitteret, vacavit epiſcopatus aliquot annis: poſtea anno LXVI. cum tranſactio inter ducem & ordines per delegatos regios confirmata eſſet, inſtauratus & reditibus auctus eſt: eique per quadriennium præfuit *D. Joachimus Mörlinus*, Brunſviga, quo ex paſtoratu Cniphovienſi diſceſſerat, revocatus. Hic ſucceſſorem habuit *D. Tilem. Heshuſium*, Veſalienſem. Illo poſt quadriennium ob dictum ſchisma de humanitate Chriſti in abſtracto adoranda dimiſſo, Sambienſis epiſcopatus una cum Pomezanienſi à *Wigando* per decennium eſt adminiſtratus. Pomezanienſi epiſcopatui præfuere, *Eberhardus Queiß*, nobilis Boruſſus, ab anno XXIII. per ſexennium, qui cum Polentio anno XXV. ordinationem ceremoniarum eccleſiaſticarum edidit; *D. Paulus Speratus*, ex nobili Sprettorum familia, Svevus, per XXIV. de quo in catalogo Doctorum evangelicorum; *D. Joh. Draconites*, per annum, quo in Germaniam anno LV. ad Biblicum pentaglotton perficiendum regreſſo, ſedes epiſcopalis aliquamdiu vacavit. Illa poſtea, anno LXVII. *D. Georgio Veneto*, nobili Boruſſo, ab Oſiandriſtis pulſo, poſtquam ultra decennium Superintendens in epiſcopali Pomerania & paſtor Colbergenſis fuerat, data eſt, & poſt eum, anno LXXV. *D. Joh. Wigando*, qui uſque ad annum LXXVII. quo obiit, res ſacras

moderatus eſt, Sambienſis etiam epiſcopæ cura, poſt Heſhuſii diſceſſum in ſe ſuſcepta. Poſt Wigandum utraque ſedes epiſcopalis jam in annum LXXI. vacat, rebus intera eccleſiæ per conſiſtoria, eorumque aſſeſſores, adminiſtratis. *Aulici concionatores* Regiomonti ordine fuere: *D. Paulus Speratus*, poſt epiſcopus: *M. Johannes Funccius*, Noricus, qui antea per XV. menſes fuerat Paſtor veteris oppidi & deinde aliquot annis concionatoris, imo conſiliarii politici munere functus, poſtea rediit ad paſtoratum veteris oppidi, quem Oſiandro genero ceſſerat: *M. Ottomarus Epplinus*, ex dictis Patrum in evangelia collectis clarus: *M. Joh. Weidemann*, Thuringus: *Weiſſius* Strelnenſis Sileſius; *D. Joh. Bohemus*: *D. Chr. Dreierus*, *Cniphoviano Paſtoratu* defuncti ſunt, *D. Joh. Briſmannus*, poſt epiſcopus: *D. Petrus Hegemon*, Francus poſtea paſtor Löbnicenſis, qui cum Veneto & Mörlino acriter ſe Oſiandriſtis oppoſuit: *D. Joach. Morlinus*, qui ab Oſiandri factione pulſus, Brunſvicenſes rexit eccleſias, & poſtea revocatus, epiſcopæ Sambienſi præfuit: *M. Matth. Vogelius*, Noricus, qui antehac Labiaviæ, & poſt Weloviæ Paſtor fuerat, & Regiomonto poſt triennium, quia Oſiandro favebat, in Sveviam abiens, Abbas Alperſpachenſis factus. ex Theſauro theologico inclaruit: *M. Benedictus Morgenſtern*, Stolpenſis Pomeranus, Thorunio evocatus, poſt Paſtor Veteroppidanus: *M. Seb. Artomedes*, Langenzan. Francus: *D. Andr. Pouchenius*, ante paſtor Löbnicenſis: *M. Georg. Mylius*: *D. Cœleſtinus Mislenta*, & poſt eum *M. Boblius*. *Paſtores veteris oppidi hac* ſerie nnmerantur: *D. Petrus Amandus*, Pomeranus, qui ob acriores conciones à ſenatu dimiſſus, Stolpam venit, & ſolita uſus vehementia, qua iconomachiæ & tumultui data eſt occaſio, in turrim Garzii conjectus, & aliquanto poſt elapſus, Goslarienſem eccleſiam deinceps moderatioribus conſiliis rexit: *D. Joh. Polyander*, cujus & Sperati atque Polyandri encomia nectit Chrytræus libro VIII. Chronici Saxonici: *M. Joh. Funccius iterum*, poſt decollatus: *M. Benedictus Morgenſtern*, antea Paſtor Cniphovienſis: *D. Chriſtophorus Grunnerus*, Snebergenſis Miſnicus, poſtea Islebiæ Superintendens Generalis: *M. Georgius Cieglerus*, Revalienſis Livonus, egregio diſcurſu de incertitudine rerum humanarum clarus: *D. Johannes Dorſchæus*, &, qui nunc paſcit eccleſiam, *M. Martinus Wolderus*, Paſewalcenſis Pomeranus. *Inter Profeſſores theologiæ*, præter illos, qui ſimul paſtores fuerunt, & jam enumerati ſunt, imprimis inclaruere *D. Stanislaus Rapagellanus*, primus profeſſor theologiæ anno XLIV. *M. Frid. Staphylus*, qui defecit ad Papatum: *D. Melchior Iſinderus*, acerrimus Oſiandri oppugnator; *D. Franc.*

Stan-

Stancarus, Mantuanus, qui in certamine Oſiandrico in errorem Lombardicum prolapſus, officium reſignavit: quod unum tantum annum ſuſtinuerat: *D. Rupertus Dürr*, qui anno LIV. cum *D. Jac. Beurlino*, ex ducatu Würtenbergico componendi certamen cum Oſiandro in Boruſſia, poſtulante ita duce Alberto, venerat: *D. David Voitus*, Crypto-Calvinianiſmi ſuſpectus, qui habito de religione cum Morlino & Veneto colloquio, Jenam, & inde Wittebergam diſceſſit. Ante omnes inter theologos Boruſſiacos referendus eſt *D. Martin. Chemnitius*, quanquam nunquam theologiam in Boruſſia profeſſus, aut eccleſiis præfectus. Hic, cum rector ſcholæ oppidanæ eſſet ſimul Bibliothecæ aulicæ ordinandæ operam erudite navavit, & in hac ſtatione ſtrenua ſe errori Oſiandri oppoſuit, eumque in publica diſputatione, imputationem juſtitiæ Chriſti urgendo, graviter oppugnavit. Poſtea ad Brunſvicenſem eccleſiam adminiſtrandam evocatus eſt: & anno LXVII. cum Morlino revocatus, Corpus doctrinæ Prutenicarum eccleſiarum adornavit, nec tamen functionem Paſtoralem, quæ ei in eccleſia Cniphoviana offerebatur, ſuſcepit, ſed denuo Brunſvigam reverſus eſt. Sed hæc hactenus.

Duodecimum ſchiſma excitavit *Formulæ concordiæ*: cui cum plerique Lutheranorum ſubſcriberent; reliqui autem, & imprimis *Paulus ab Eizen*, Superintendens Lunæburgenſis, ob politicas cauſas, & quod in heterodoxorum condemnationem non conſentiebant, ſubſcribere renuerent, opinionum difformitas ſaluberrimum opus non parum impedivit. Hut. in Conc. Conc. à p. 104. ad p. 113.

Decimi tertii ſchiſmatis autores *Helmſtadienſes*, interque eos præcipui *Hesbuſius & Hoffmannus*, peſſimo exemplo extiterunt. Formulæ enim concordiæ cum ſubſcribendum, & apologia conficienda eſſet, illi, livore dicam an protervia, pium J. Andreæ conatum ſpernentes, cum Chriſtum exaltatum omnibus rebus ob realem idiomatum communicationem deberent dicere præſentem, multipræſentiam ejus ſaltem defendebant. Sed in cineribus ſuffocata eſt controverſia, cui utinam fomes novus poſtea non eſſet quæſitus! Sopita jaceat cum altera illa, *qua de reſurrectione impiorum quærebatur, an virtute meriti Chriſti futura ſit, necne? ut & cum illa, qua quærebatur, an ſemper in forma ſyllogiſtica diſputari debeat: & cum aliis quæſtionibus vexatis, de philoſophiæ uſu & abuſu.* Erneſt. Frider. Klingſporn in Append. der Betracht. wider J. VV. Peterſen, qua quæ in Acad. Julia acta cum Hoffmanno fuere, exhibet.

Decimum quartum ſchiſma eſt *Samuelis Huberi D.* Helvetii. Ille paſtor in pago, Bernæ vicino, cum acta colloquii Mompelgartenſis inter Jac. Andreæ & Th. Bezam legiſſet, & intelligeret, Bezam cum aliis theologis Bernatibus quatuor articulos, Scripturæ non conſonos, defendere, nem- Ægid. Hunnius in Narrat. de Hubero præfixa libro de Provid. Salom.

Geſner. de Lib ect. contr. Huber. A. 1594 L. Oſiandri Bericht auf Huberi Läſterſchrifft. Wittenb. 1597. Polycarpi Lyſeri Antw. auf Huberi Exam. Dreßd. 1598. Theol. Facult. zu Wittenb. Widerlegung Huberi. Wittenb. 1596.

nempe *Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum*; *promiſſiones gratiæ ad maximam hominum partem non pertinere; reprobos ideo damnari, quia Deo placuit, à quo ideo ſint creati, ut in illis iræ potentia demonſtretur*; *neminem certo ſcire, an in baptiſmo infantes regenerentur*: contradixit, & ob id, Muſculo & Gryneo rem agentibus, loco motus eſt. Receptus à duce Würtenbergico, edita confeſſione, Auguſtanæ conformi, Derdingenſem eccleſiam, non procul Tubinga, accepit informandam. Innotuit electori Saxoniæ è libris nonnullis editis, & Wittebergam ad profeſſionem theologiæ evocatus, nimium cœpit in contrarium ferri, dum errores Helvetiorum de prædeſtinatione voce & ſcriptis refutaret. Primum clanculum, deinde aperte docuit, *Deum omnes homines ad vitam æternam elegiſſe, quaſi ſine intuitu fidei electio fieri poſſet*. Monitus à collegis, Geſnero, Lyſero, Hunnio, cum cedere nollet, dimiſſus, oberravit in Germania inferiore. Venit Ratisbonam, & cum Bidembachio, Oſiandro & Heilbrunnero contulit, ſed ſine ſpe emendationis errorum, quos etiam ſcriptis Spiræ editis defendit. Goslariæ quoque aliquamdiu vixit. Procella turbarum, quas dedit, facile ſubſedit.

Langemeyers Gewiſſens-Frag vom Zinßwucher Fried. Petri Bericht vom Zinßkauf/ ob er verantwortlich.

Decimi quinti ſchiſmatis autores *quinque eccleſiæ Ratisbonenſis miniſtros* invenio, qui cum anno LXXXVII. non ſaltem uſuras rodentes, ut vocamus, ſed & eos contractus, quibus aliquid ultra ſortem accipitur, damnarent, nec ſe à theologis Würtenbergicis informari paterentur, loco moti ſunt.

Paul. Tarnov. in Quæſt. Num & quæ fœdera cum diverſæ Relig. hominibus præcipue Calvin. iniri poſſint.

Decimum ſextum ſchiſma ob fœdera, inter diverſæ religionis homines ineunda, inter miniſtros eccleſiæ Lubecenſis ſubortum fuit. Cum enim *M. Antonius Burchardus* in iſtiuſmodi fœdera conſentire nollet, & *M. Georg. Stampelium*, ſenatumque inveniret à ſe diſſentientem, loco motus abiit.

Jac. Martini im Vernunfft-Spiegel.

Decimum ſeptimum à quibuſdam *Magdeburgenſibus* motum eſt, cum *philoſophiam nullo modo ad theologiam utilem, ſed pernicioſam* dicerent, & ob id ſcriptis *Jacobi Martini* oppugnarentur.

Balth. Menzer. in Diverſ. Oper. Feurborn. in Kenoſigraphia per tot. Melch. Nicolai in Conſid. quæſ.

Decimum octavum inter duas præcipue *academias, Tubingenſem & Gieſſenſem*, concitabatur ob quæſtionem: *an Chriſtus ſecundum carnem in ſtatu exinanitionis per indiſtantiam, divinæ operationis vacuam, omnibus creaturis fuerit præſens ſeu propinquus*: adeoq; *an divina apud creaturas omnipræſentia ſit ſola & nuda apud creaturas Dei exiſtentia ſeu adeſſentia, an vero præter ſubſtantialem adeſſentiam præſens gubernatio cœli & terræ*: ut &, *an unio hypoſtatica ſit fundamentum adæquatum omnipræſentiæ carnis Chriſti plenariè uſurpatæ; an vero non ſola unio, ſed etiam exaltatio exinanitionem ſecuta*. Primam

mam quæſtionum partem defendebant *Oſiander & Thummius*; alteram *Menzerus & Winckelmannus*. Hi diſtingvebant *inter præſentiam ſimplicem, & modificatam; inter majeſtatem omnipræſentiæ & liberam atq; plenariam ejus uſurpationem; inter unionem ſine reſpectu ad exinanitionem, & cum reſpectu ad illam; inter unionem τῦ λόγυ & carnis, quæ facta eſt ἀδιαςάτως, nec impeditur variis locorum ſpaciis, & inter præſentiam τῦ θεανθρώπυ apud creaturas.* Illis diſtinctionibus recte adhibitis, controverſia tandem deprehendebatur magis in modo loquendi, quam in re ipſa. Utrobique ſalva erat orthodoxia, partibus hactenus in prædictis quæſtionibus diſſentientibus.

Quæſtion de Kenoſi. Salvat. Theod. Thummius in Repet. D. Ar. de Humil. Chriſti & in Actis Menzerianis.

Decimo nono anſam dabant *Arndii, Superintendentis Lunæburgenſis, libri, & nonnullæ de verbi ſcripti efficacia quæſtiones.* Sed ut Weigelianorum & Enthuſiaſtarum fanatiſmus, quo nulla vis in convertendis cordibus verbo ſcripto aut in auribus ſonanti relinquitur, ab omnibus orthodoxis unanimiter eſt rejectus: ita Arndii, viri de eccleſia optime meriti, phraſes, à nonnullis oppugnatæ, aliis tales viſæ ſunt, quæ æquam cenſuram poſſint ſuſtinere. Cum igitur ultima hæc duo ſchiſmata per Dei gratiam ſopita, & tenebris *ἀμνηςίας* ſepulta ſint, qvum plura alia in hæreſin & heterodoxiam deſierint, per nos hic non reviviſcent. Sic quoque, qvum controverſia, quæ *inter duos orthodoxos theologos* de quæſtione, *quid de modernis viſionibus & de revelationibus poſt apoſtolorum tempora ſtatuendum ſit*, ſatis magna contentione ante decennium agitata eſt, conſopita jaceat, in cineribus ſuis relinquatur. Utinam tandem illud quoque vulnus conſolidetur, quod eccleſiæ inflictum eſt ab eo tempore, quo *acui cœpit calamus præſtantiſſimorum theologorum in Calixtum & eos, qui cum ipſo ſyncretiſmum* trium diverſarum religionum in Europa, ſatis temerario conſilio, ſvaſerunt, & phraſibus dudum improbatis utuntur! Interim hæc ſchiſmata nemo imputet ipſi eccleſiarum noſtrarum doctrinæ: ſed in illis agnoſcat *cordatam theologorum puriorum conſtantiam*, qui ne latum quidem ungvem de veritate agnita cedere ſolent, ſed ſocios, alioquin cariſſimos, ſi vel ad dexteram vel ad ſiniſtram incipiunt declinare, à ſe excludere malunt, quam illorum novationibus colludere: *ſinceriores hoc ipſo pontificiis*, quibus omnes ſunt Catholici, qui univerſale dominium Papæ unanimiter confitentur, etſi hoſtiliter in variis fidei quæſtionibus diſſident. Diximus ſupra quæſt. LIX. hodienum imprimis *duas controverſias* illis multum negotii faceſſere. *Una* viget *inter Dominicanos & Franciſcanos de immaculata B. Virginis con-*

Corvin. contra Arnd. Rachel. &c. pro illo.

Addenda fuiſſet Controverſia cum Rathmanno & Movio, de qua Deciſio Saxon. edita Lipſ. 1629.

Theod. Thummius in Conſid. Trium Quæſt. edita Tubing. 1614.

Joh. Böhm. in Colleg. Anti-Rathm. & Cæleſt. Miſlenta in Movio Hæretico. Eam his temporib.

ex orco revocavit Conſt. Schürz. cui reſponderunt Dn Schelvvig & Bücherus.

ceptione : quam illi cum Thoma negant; hi cum Scoto affirmant. Utriſq; utrumlibet *Sixtus IV.* indulſit. *Sed patres Baſilienſes & Tridentini*, ut & *pontifices ſubſequentes*, cumque illis *Jeſuitæ*, adſtipulati ſunt Franciſcanis. Nec tamen ſic acquievere Dominicani. Tandem anno ſeculi hujus XVI. Paulus V. decretum edidit, ne quis publice audeat aſſerere, *beatam virginem in peccato eſſe conceptam* : etiamſi id privatim tenere non prohibuerit. Sic aliqua in papatu publice docentur, quæ privatim tenere opus non eſt. Poſtea anno XXII. *Gregorius XV.* hoc Pauli V. decretum ampliavit, & prohibuit, ne quis (donec articulus ille à ſede apoſtolica definitus fuerit) nec in ſermonibus & ſcriptis privatis, audeat conceptionem B. Virginis cum peccato aſſerere, nec de hac affirmativa quocunque modo tractare. Dominicanis tamen, qui contrariam ſententiam, nondum à papa reprobatam, ſequebantur, conceſſit, in privatis colloquiis inter ſe duntaxat, & non cum aliis, de materia ejuſdem conceptionis diſſerere. *Altera controverſia Jeſuitas & Dominicanos in bello*, ceu vocant, *de auxiliis exercet*, in quæſtionibus *de viribus humani arbitrii*, *deq; ſcientia Dei media inter indeterminatam ſimplicis intelligentiæ* & *determinatam viſionis*. Pro viribus liberi arbitrii, & pro ſcientia media, pugnant *Jeſuitæ*, à promacho Lud. Molina dicti *Moliniſtæ*. Ex adverſo conſiſtunt *Dominicani* à Corn. Janſenio Leerdamenſi Batavo, epiſcopo Yprenſi, dicti *Janſenitæ*: antea vocati *Bajani* à Mich. Bajo, Belga, theologo Lovanienſi: inter quos præcipui fuere *Did. Alvavaretz*, *Petrus de Ladeſma*, *Matth. de Riſpoli*. Et quanquam *peculiaris Cardinalium congregatio* hanc de auxiliis controverſiam ſuperiori ſeculo, paulo poſt Tridentinum concilium, conſopire conata eſt: fruſtra tamen fuere omnia. *Pius V. & Gregorius XIII.* peculiari decreto LXXV. propoſitiones Mich. Baji damnabant. *Clemens VIII.* pro Janſenitis ſentire viſus eſt. *Alii pontifices* jam ſuam cuique permittebant ſententiam; jam quicquam librorum de hac materia edi vetabant. Intumuit bellum, cum Corn.

De Janſenio & Janſeniſtis plurib. infra in Contin.

Janſenius, anno ſeculi hujus XXXVIII. defunctus, ingens volumen, cui titulus eſt AUGUSTINUS, in III. Tomos reliquit diſtinctum; quod ſocietas Janſenitarum curavit Pariſiis biennio poſt imprimi. Huic ſe ſtatim ex factione Moliniſtarum oppoſuere *Petavius*, *Ripalda*, *Briſacerius*, *alii*, qui veſtigia premebant *Leſſii*, *Svarezii*, *Gregorii de Valentia & Becani*. Nec deſunt, qui defendunt Janſenium hodienum, præſertim in Belgio & Gallia. *Moliniſtæ accuſant Janſenitas* Calviniſticæ conſpirationis, ſchiſmatis, hæreſeos;

Jan-

Janſenitæ Moliniſtas Pelagianiſmi, Samoſateniſmi, Arminianiſmi. Anno ſeculi noſtri L. & LI. promulgata eſt *Bulla Innocentii X. Papalis*, de libris Janſeniſtarum in hac controverſia non legendis. Illi iterumque refixere legem, tanquam ſub & obreptitie ſancitam, ipſo Mechlinienſi archiepiſcopo operam conferente. Tandem anno LIII. pontifex qninque propoſitiones Janſenitarum, tanquam hæreticas publica lege damnavit. In gratiam lectoris eas adſcribam. *1. Sunt aliqua præcepta DEI hominibus ſecundum præſentes, quas habent, vires impoſſibilia. 2. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. 3. Non requiritur libertas à neceſſitate ad demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, ſed ſufficit libertas à coactione. 4. Semipelagiani ſunt, qui ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, admittunt prævenientis interioris gratiæ, & quidem reſiſtibilis, neceſſitatem. 5. Semipelagiani ſunt, qui dicunt, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum.* Hæc eadem edixit Alexander VII. Pontifex igitur qui jam ſedet, ceu loqvuntur, in cathedra Petri, etſi recte damnat eos, qui putant, Chriſtum tantum pro paucis electis mortuum eſſe, & gratiam electis dari irreſiſtibilem, tamen, dum docet, *omnia præcepta hominis in hac vita eſſe poſſibilia: poſſe eum aliquid mereri in ſtatu naturæ lapſæ: in eodem ſupereſſe libertatem indifferentiæ, quæ tam poſſit gratiæ obtemperare, quam obſiſtere:* ipſe revera in caſtra tranſit Pelagiana: nec ſine cauſa epiſcopi in Belgio defenſionem contra peregrinum ejus judicium moliuntur: quo eventu, ſentient ipſi, qui cornua extulerunt adverſus cœlum papale. Alias pontificiorum contentiones quære *in confeſſionibus catholicis Gerhardi, & in contradictionibus pontificiis Botſacci.* Intelliges inde, certamina inter Scotiſtas, Thomiſtas, Occamiſtas, Nominales, Reales, tam in ſpeculativa, quam in practica theologia, nondum ceſſare: *aliquos cum Bellarmino poteſtatem Papæ in ſecularibus aſtruere: alios cum Pariſienſibus & Venetis negare; aliquos cum Bellarmino ſacramenta eſſe veras & proprias juſtificationis cauſas cenſere: alios cum Scoto negare; aliquos cum eodem Bellarmino affirmare, nos non propter Chriſti meritum, ſed propter novitatem vitæ nobis inhærentem juſtificari: alios cum Pighio, Colonienſibus & Catharino inficiari;* nec facile occurrere articulum fidei & locum theologicum, in quo non Dd. in eccleſia Romana varias moveant quæſtiones, & in iis decidendis ſeſe invicem oppugnent. Sed, quod diximus, dummodo pontificis majeſtatem venerantur, vinculis iniquitatis copulati, adverſus orthodoxos ſunt concordes: nec diffidere putantur, quanquam infeſti alias inimici, qui ſub uno capite militant. Idem

dixeris de *Calvinianis*, qui, ſi nomen dent ſynodo Dordracenſi, quoquò ſenſu, ſine ſchiſmate putantur, etſi alii ſunt *Superlapſarii*, alii *Sublapſarii*, alii *Hypothetici*, alii *Arminiani*. Sic *Photinianis* fratres ſunt, quicunque non confitentur ſacroſanctam Trinitatem, *ſive ſentiant cum Ario, ſive cum Photino, ſive cum Anabaptiſtis.*

LXIV. Quum in politicarum hiſtoriarum ſyntagmate rebus patriis hiſtoriam concluſeris, age & hic res eccleſiaſticas POMERANIÆ ſub calcem libri adducito.

Jam apoſtolorum tempore coruſcaſſe radios lucis evangelicæ, ut in reliquis Germaniæ provinciis, ita etiam apud Gothos & Vandalos, à quibus quondam, ante Slavorum ſeu Henetorum & Sarmatarum irruptionem, Pomerania habitabatur, veriſimile eſt, & à nobis in Chronicis Pomeranicis demonſtratum. Sed pedetentim tenebræ ſuperſtitionum denuo invaluerunt. Tandem tempore Caroli M. vicini principes Chriſtianorum ad eccleſiæ ſinum Pomeraniam retrahere annitebantur. Illa tunc in parte occidentali colebatur à Wilzis ſeu Lutitiis; in orientali à Pomeranis reliquis. Et illos quidem imperatores, cum regibus Daniæ & ducibus Saxoniæ, ad fidem Chriſti armis ſubinde ſollicitabant; hos Poloni quoquomodo ad eandem invitabant. Hinc jam tempore Ludovici I & Lotharii, *Rugia Chriſto acquiſita eſt*, quæ antea, ipſo Tacito in Germania teſte, ſeptem populis commune templum, quod Deæ Herthæ erat ſacrum, præbuerat. Sed quia *S. Vitus* una prædicabatur inſulanis, cui Divo ex voto imperatoris Rugia conſecrata erat, feneſtra novæ ſuperſtitioni patefacta eſt. Excluſo vero DEO, *Svantevitus aliquis deaſter*, quo quivis intelligit S. Vitum denotari, gentilitio more coli cœpit. Obſolevit ita Chriſtiana religio per Rugiam & Pomeraniam: donec Henricus Auceps imperator, Saxonici ſangvinis, victis Slavis, qui adverſus vicinos Chriſtianos fœdus pepigerant, collapſam fidem in occidentali Pomerania denuo reſtitueret, & marchionem Brandeburgicum finibus imperii tutandis Marchiæ imponeret. Sed plurimi ſemper ſuperfuere, qui, *jugo Chriſti vel nunquam recepto, vel ſæpius, ob nimis avaras decimarum & aliarum collectarum exactiones, excuſſo*, ad fœdum dæmonum cul-

tum

tum revertebantur: tanto ſuperſtitionis incremento, ut nulla pene nominis Chriſtiani veſtigia tandem ſupereſſent. Orientalis tamen Pomerania, cura regis Polonorum, tenacior fuit fidei. Hinc adhuc anno cIↃXVII. *apud Dithmarum libro VII. Chronicorum* epiſcopus *Reinbernerus Colbergæ* ſedem habuiſſe legitur. Sed & hic locorum poſtea videtur fidei Chriſtianæ multum fuiſſe abrogatum. Eo autem tempore, quo *Svantiborus* ampliſſimas Pomeranorum provincias regia manu tenuit, Boleslaus dux Poloniæ, & Nicolaus rex Daniæ, pacto fœdere, diverſis locis Pomeranos ad fidem Chriſti jam armis adigebant, jam aliis perſvaſionibus invitabant. Sic circa annum cIↃCVI. frater Bernhardus, eremita, ex Hiſpania oriundus, terras Pomeranorum ingreſſus, viam ſalutis recludere illis voluit. Sed ſuperbi Pomerani pauperem, ceu videbatur, riſerunt monachum, tanquam impotentis alicujus deaſtri legatum. & cum quatuor ducis Svantibori nuper defuncti filiis (jam tum occulte baptiſatis, ſed fidem nondum publice confiteri auſis) occupata à Polonis loca recuperarunt, & paſſim ex templis Chriſtianorum ſacram ſupellectilem abduxerunt: quam tamen cum per ludibrium in conviviis ebrioſi prophanarent, multi eorum malo dæmone correpti, & in amentiam dati, pleroſque in Pomerania ulteriore ad ſuſcipiendam Chriſti religionem ſuo exemplo permoverunt. Ut etiam citeriores Pomerani, in ſuperſtitione gentili pertinaciores, ad gremium eccleſiæ adducerentur, Boleslaus anno cIↃCXX. expeditione *in Stetinenſes* feſtinanter facta, eorum urbem expugnavit, &, ut tributum annuum, Chriſtoque nomen daturos ſe promitterent, illos adegit, multoſque ex pueris, quibus fundamenta fidei inculcarentur, ſecum abduxit. Hæc expeditio Poloni quanquam non potuit non ducibus Pomeraniæ citerioribus, Wartislao & Ratiboro, diſplicere quia tamen ob propagandum Chriſti regnum eam fuiſſe ſuſceptam ipſi Chriſtiani intelligebant, facile ad pacis conditiones cum Polonorum duce deſcenderunt, eique autores fuere, ut omnem lapidem in convertendis Pomeranis moveret. Evocavit ille ex Francia *OTTONEM*, *epiſcopum Bambergenſem*, comitis Andachſenſis filium, ſibi à puero notum. Qui lautius indutus, & ſplendidiore comitatu incedens, *duabus quaſi ſacris expeditionibus*, majores noſtros, fideli ducum ope adjutus Chriſto ſubjecit: *prima quidem* Pyrizenſes, Stetinenſes, Julinenſes; *altera* Demminenſes, Uſedomenſes, Loizenſes ſeu Lutitios, Wolgaſtanos, Guzcovienſes. Et quidem, cum Stetinenſes, Ottone poſt primam expeditionem domum reverſo, ad ſuorum idolorum

 lorum

lorum cultum rediiſſent, (quem tamen abjurarant, cum Boleslaus illis tributo remiſſo, pacem perpetuam conceſſiſſet,) Poloni armata vi denuo terrorem iis incutiebant. Sed ab Ottone, reverſo ex Francia, placati, cum majori conſtantia Stetinenſes in fide tuenda fore confiderent, recedebant. Sic *Julini* tandem *ſedes epiſcopalis* anno cIↃCXXVIII. fundata eſt. Cujus indubitati patroni non ſaltem jure fundationis, ſed & donationis, fuerunt duces Pomeraniæ, ſub quorum jurisdictione *epiſcopi Julinenſes, poſtea Camminenſes dicti*, ad certa ſervitia præſtanda erant obſtricti. Et ſciendum, quod *Camminenſes epiſcopi ſub nullo archiepiſcopo, ſed immediate ſub Papa quondam fuerint:* quales ſunt plerique epiſcopi in Italia. Ut autem ſtatum religionis in patria noſtra rectius dignoſcas, eum ad tempora epiſcoporum alligabo. Tu, qui plura diſtinctius deſideras, *Chronicum eccleſiaſticum D. Danielis Crameri, & Stetinenſe Pauli Fridebornii, ut & noſtros annales Pomeranicos* conſule.

EPISCOPI CAMMINENSES,
olim JULINENSES.

Micræl. in Chron Pomer. lib. 2. part. 2. p. 656. usque ad 656. Dan Cramer. l. 1 Chron. Eccleſ. Pomer. per tot & lib. 2. c. 2. p. 12.

Anno Chriſti. — Anni ſedis.

I. 1128. *Albertus ſeu Adelbertus, Francus Ottonis epiſcopi in ſancto converſionis opere comes, primus Julinenſis epiſcopus conſtitutus eſt. Præfuit annos* 30

[Hic veſtigiis Ottonis fideliter inſiſtens, curavit, ut reliquiæ gentis à ſuperſtitione & idolomania avocarentur. Ejus tempore Ratiborus eo loco, ubi frater illius Wartislaus per ſicarium, idolis deditum, fuerat peremtus, fundavit *Monaſterium Stolpenſe*, ordinis Præmonſtratenſis, ut in eo artes & theologia docerentur. Idem etiam initium dedit *monaſterio Grobenſi*, quod deinde verſus *Uſedomum*, & tandem *Pudglaviam*, eſt translatum.]

Cramer. lib. 2. c. 3. p. 14. & ſeqq.

II. 1158. *Conradus I.* 27

[Vix hic infulam obtinuit, cum rex Daniæ, impulſu Henrici Leonis, ducis Brunſvicenſis, grave bellum non ſolum adverſus Stetinenſes, ſed & adverſus Julinenſes moveret. Sed illi, poſt obſidionem diuturnam, transactione amica ſibi conſuluere. Hi vero, à Danico exercitu nimium afflicti, urbe tandem ſua incenſa, cum epiſcopo *Camminum* abierunt, & illuc ſedem epiſcopalem anno cIↃCLXXVI. tranſtulerunt.

Con-

Contigit circa hæc ipſa tempora memorabilis *Rugianorum*, hactenus in erroribus mordicus tuendis pertinaciſſimorum, *ad fidem converſio*. Qui enim nullis perſvaſionibus demulceri, nullis rationibus ad veritatem deduci poterant, armis tandem Danorum ad intrandum compulſi ſunt. Hoc ipſo etiam tempore varia monaſteria condita ſunt à ducibus: *Belbuccenſe, Colbacenſe, Olivenſe, Bordenſe, Ivenacenſe*. Nobilis etiam aliquis Lutitius conſtruxit *monaſterium Dargunenſe*: cui poſt triennium nobilis Ravenius adjecit pro monialibus *Vercbemenſe*.]

III. 1185. *Sigfridus, ex præpoſito epiſcopus.* 17 Cramer. lib. 2. c. 5. p. 28. ſeqq.

[Hujus tempore Saxones à Bogislao II. & Caſimiro II. invitati, Pomeraniam citeriorem incolere cœperunt: idque tanto numero, ut Heneti, quos novi advenæ ex collegiis civilibus excludebant, cederent, & in Pomeraniam ulteriorem ſeſe conferrent. Conſecravit hic *templum D. Jacobi Stetinenſe, monaſterium Bergenſe in Rugia, & aliud eremitarum monaſterium Stargardiæ*.]

IV. 1202. *Sigerwinus vel Sigwinus.* 16 Cram. lib. 2. c. 7. p. 36.

[Hujus tempore anno cIↃCCIX. civitas Stralſundenſis à Jaromaro, principe Rugiæ, ampliori forma condi, & mœnibus cingi cœpit, cum biennio ante *monaſterium Eldenovienſe* conditum fuerat.]

V. 1217. *Conradus II. Demminenſis.* 16 Cram. c. 8. p. 39.

[Cruciferi in Boruſſiam venerunt. *Campenſe, Bucovienſe, & pro monialibus Treptovienſe* monaſteria exſtructa ſunt.]

VI. 1233. *Conradus II. comes Guzcovienſis,* 10 p. 41.

[Ex coadjutore epiſcopatus, epiſcopus factus, ultro poſt decennium reſignavit.]

VII 1243. *Doctor Wilhelmus poſt ſexennium & ipſe reſignavit.* 6 p. 42.

VIII. 1249. *Hermannus, comes* von Gleichen. 38 Cram. c. 11. p. 48.

[Huic Barnimus I & Bogislaus III. *Colbergam* conceſſerunt, ut eſſet urbs epiſcopalis. Idem Barnimus, præter *Ukermundenſe* (quod poſtea *Jaſenizium* eſt translatum) & *Mariaſtieſſianum*, atque alia monaſteria, *eccleſiam collegiatam Marianam Stetini* anno cIↃCCXVI. fundavit.]

IX. 1287. *Jaromarus, princeps Rugiæ, ex coadjutore epiſcopus.* 12 Cram. c. 14. p. 61.

X. 1299. *Henricus Wachold.* 19 Cram. c. 15. p. 64.

[Hic marchioni Brandeburgico adverſus patronum ſuum, ducem Ottonem I contra quam debuiſſet, favebat initio. Poſtea transactio hæc Belgardiæ facta eſt, ut *epiſcopus cum Capitulo duces Pomeraniæ pro fundatoribus, & patronis agnoſceret; iisque fidem debitam præſtaret, hoſtemque*

cum

cum iis communem haberet. Hoc tempore, cum Templariorum ordo eſſet exciſus, bona eorum ceſſerunt equitibus Rhodienſibus: & in Pomerania *Commendator ex illis* conſtitutus eſt, cui *Wildenbrucum & alii reditus ſunt* donati.]

Cram.c.18.p.73. XI. 1317. *Conradus IV.* 5

[Adverſus archiepiſcopum *Gneſnenſem* coram Papa Johanne XXII. obtinuit, ne ejus juriſdictionem agnoſceret.]

Cramer. p. 75. XII. 1322. *Doctor Arnoldus.* 7

[Alii nominant *Wilhelmum*, ordinis Prædicatorum.]

Cramer. c. 19. p. 96. XIII. 1329. *Fridericus ab Eichſted.* 14

[Fidelis fuit patroni ſui adverſus marchionem Ludovicum paraſtata.]

Cramer. c. 20. p. 79. XIV. 1343. *Johannes, dux Saxoniæ inferioris.* 30

[Hujus tempore Barnimus III. *alteram collegiatam eccleſiam*, *D. Ottoni ſacram*, Stetini fundavit. Hic denuo exemtionem epiſcopatus contra archiepiſcopum Gneſnenſem obtinuit.]

XV. 1373. *Philippus Lumbach à* Rähberg. 13

Cramer. c. 21. p. 88. XVI. 1386. *Bogislaus VIII. dux Pomeraniæ.* 5

[Cum competitores eſſent *Johannes Wilhelmus ſeu Willichius, & Johannes Hannaus Bohemus*, quorum illum præſentaverat Papa; hunc Wenceslaus Imperator: Bogislaus interea ſedem & bona eccleſiaſtica, ne liberæ Capituli electioni fieret præjudicium, adminiſtravit. Cumque in fratris defuncti loco in ducatu Pomeraniæ ſucceſſurus, epiſcopatui reſignaſſet, Papa & Cæſar denuo ſuam autoritatem in eligendo epiſcopo interponere voluerunt, & *Johannem ab Apulia* hac dignitate dignum exſtimarunt. Illum nonnulli præſentatum quidem dicunt, ſed non legitime electum, nec norunt, an ultro ceſſerit dignitate, an brevi poſt defunctus ſit. Quia tamen catalogo epiſcoporum adſcribitur, & nos eum ſuo dignabimur loco.]

Cramer. c. 23. XVII. 1392. *Johannes ab Apulia.*

p. 94. XVIII. 1392. *Nicolaus à* Bock. 8

[Hic Bogislaum VIII. ſuum olim anteceſſorem, nunc ducem & patronum, excommunicare auſus fuit, quod nonnulla eccleſiaſtica bona, in quæ redimenda ſumtus fecerat, tamdiu ſibi ſervaſſet, donec ſumtus facti refunderentur. Quicquid ipſe Papa in hoc negotio diſſidioque componendo agebat, non poterat tamen ingrato epiſcopo prius dux con-

conciliari, quam illuc armis eum adegiſſet, ut dignitati epiſcopali reſignaret, & ſe ordini Boruſſorum adſcribi curaret.

XIX. 1395. *Magnus, dux Saxoniæ inferioris, tandem poſt XXX. annos epiſcopus Hildesheimenſis factus.* 30 Cramer. c. 24. p. 97.

[Hic bona eccleſiaſtica, à Bogislao VIII. uſurpata, non ceſſavit repetere, donec in concilio Conſtantienſi ſententiam, ut redderentur, obtineret. Hanc ſententiam cum Bogislai VIII. heres & filius, Bogislaus IX. nihil penſi haberet, *ab ipſo pontifice fulmine excommunicatorio petitus eſt*. Petiti ſunt etiam eodem pontificis fulmine *Stralſundenſes*, quod tres ſacerdotes combuſſerant, qui cum aliis complicibus, ob numos cupreos, quos in ſacris cives, non ſine imminutione redituum cleri, offerre cœperant, ſeditionem moviſſent. Stetini *collegium ab Ottone Jageteufelio conſule* pro pueris informandis, exemplo laudabili, anno cIɔCCCCXII. fundatum eſt.]

XX. 1425. *Sigfridus à* Bock/*Stolpenſis, cancellarius illius Erici, ducis Pomeraniæ, qui tria Scandiæ regna ſimul tenuit.* 21 Cram. c. 28. p. 111. & ſeq.

[Nec hic ob bona eccleſiaſtica Bogislaum IX. vexare deſiit, donec *ab ipſo Cæſare Sigismundo* in concilio Baſilienſi *eum proſcribi curaret*. Tandem igitur res compoſita eſt, & certa transactionis capita anno cIɔCCCCXXXV. conſcripta ſunt Colbergæ, quibus confirmata ſunt, quæ jam inter Ericum regem, tanquam indubitatum patronum, ſine cujus conſenſu non debeat epiſcopus vel canonicus eligi, & inter epiſcopum Sigfridum, Stargardiæ conſtituta fuerant.]

XXI. 1446. *Henningus Iven, Stolpenſis, cujus chorepiſcopus fuit Albertus* von Sidowen. 26 Cramer. c. 31. p. 123.

[Sub hoc tempus Pomerania nobile illud ornamentum, *academiam Gryphiswaldenſem*, accepit, quam Wartislaus IX. an. cIɔCCCCLVI. fundavit; Fridericus II. & Calixtus III. confirmarunt.]

XXII. 1472. *Ludovicus, comes ab* Eberſtein/*poſt ſeptennium reſignavit.* 7 Cramer. c. 34. p. 131.

[Albertus à Sidow ſub hoc chorepiſcopum egit. Ipſe autem Ludovicus tandem, uxore ducta, epiſcopam reſignavit.]

XXIII. 1479. *Martinus de Fregeno*, vel *Martinus de Trigovio, ex Catalonia, à Capitulo, cum indulgentias venderet, electus.* 7 Cramer. c. 35. p. 131.

[Hic Romam aufugit, cum ſuperbe nimis clericos & academiam Gryphiswaldenſem habuiſſet, & impetravit, ut ſuo loco alium mitteret pontifex Pomeranis epiſcopum. Fuit *Cardinalis*, cui Papa hanc dignita-

tem obtulit. Sed D. Benedictus ex Moravia, Cardinali pecunia pro epiſcopatu oblata, ſeſe intruſit.]

Cramer. c. 36. p. 142. XXIV. 1486. *Doctor Benedictus* von Wallenſtein/*Moravus.* 13

[Hujus coadjutorem ipſe Papa Alexander VI conſtituit *Doctorem Martinum à Carith*, Colbergenſem, cancellarium Bogislai X. cum verſus Hieroſolymas iter ſacrum una cum ſuo duce ſuſcepiſſet. Et quidem domum reverſus, ita facilem invenit Wallenſteinium, ut, accepta pecunia, ſibi omnem epiſcopatus adminiſtrationem traderet.]

Cramer. c. 37. p. 163. XXV. 1499. *Doctor Martinus Carith, Colbergenſis.* 23

[Cum jam eſſet ſenior, Papa anno cIↄIↄXVIII. Wolffgangum, comitem Neogardiæ, epiſcopum nominavit & confirmavit. Sed Bogislaus X cum id videretur jus patronatus, quod ipſe uſurpabat, imminuere, nunquam in dictum Wolffgangum conſenſit. Hoc tempore *veritas evangelii illuxit:* ſed mentem epiſcopi à ſuperſtitione pontificia non convertit. Quia tamen Barnimus X. filius Bogislai X. anno reformationem Lutheri primum ſequente, Witebergam adiit, & integro triennio, quo ibi ſubſtitit, veritatem evangelii commode addidicit, factum eſt poſtea, ut Pomeraniæ reformatio facilius promoveretur. Interea *Piritii & Treptoæ* Lutheri libri mature admodum applauſores invenerunt: *Piritii* quidem Johannem Kniepſtrovium, monachum ſolertem, poſt Superintendentem Pomeraniæ citerioris; *Treptoæ* autem rectorem ſcholæ, Joh. Bugenhagium, qui ipſum abbatem Belbuccenſem & plures alios monachos atque Studioſos ad agnitionem veritatis perduxit. *De his vide Thuanum libro XX. & Chytræum libro X. Saxoniæ.*]

XXVI. 1522. *Eraſmus* Manteuffel von Arnhauſen/*J. U. Licentiatus.* 22

XXVII. 1544. *Bartholomæus Suavenius, Stolpenſis, primus Lutheraniſmi aſſertor, qui, ducta uxore, epiſcopatum reſignavit.* 5

XXVIII. 1549. *Martinus* Weiher/*hæreditarius* in Leba. 7

XXIX. 1556. *Johannes Fridericus, dux Pom.* 18

XXX. 1574. *Caſimirus, dux Pom.* 28

XXXI. 1602. *Franciſcus, dux Pom.* 16

XXXII. 1618. *Uldaricus, dux Pom.* 4

XXXIII. 1622. *Bogislaus XIV. cum coadjutore Philippo Julio duce Pom.* 15

XXXIV. 1637. *Erneſtus Bogislaus, dux Crojanus,*

Cum

Cum decretum Wormatienſe anno XXI. in Pomerania publicaretur, diffugerunt novi doctores evangelii, & Pirizio atque Treptoa, ut & Gryphiswaldia expulſi, alio ad plantandas novas eccleſias abierunt: è Treptoa Abbas Belbuccenſis, *Joh. Bolduanus* & *Joh. Bugenhagius* Witebergam; *Andreas Knopke & Joachimus Mollerus* Rigam; *Chriſtianus Kettelhut* Stolpam, & inde Stralſundium; *Johannes Kureke*, itidem Stralſundium: è Pirizio *Johannes Kniphovius* Stargardiam, & inde Stralſundium; ex Gryphiswaldia *Johannes Æpinus* Hamburgum; *Hermannus Bonnus* Lubecam; *Antonius Gerſon* Goslariam: quo tamen antequam perveniſſet (illuc enim vocatus fuerat) Stralſundii diem obiit. Atque hac ratione perſecutio evangelium, paucis locis exortum, longe lateque diſſeminavit. Stetinenſes etiam anno cIↃIↃXXIII. quo Bogislaus X. ipſum Lutherum concionantem audivit, miſſo ad Lutherum nuncio, Paſtorem petierunt, & *Paulum à Rhoda*, Quedlinburgenſem, obtinuerunt: quem itidem Bogislaus X. ante obitum audivit & commendavit. Sed cum, Bogislao defuncto, filius ejus natu major, Georgius, ſe admodum præconibus evangelii opponeret, non exigua pericula paſſim doctores ſubierunt. Sed brevi diem obiit, quem metuerant. Philippo I. ejus filio, Pomeraniam citeriorem adminiſtrandam anno XXXI. ſuſcipiente, Gryphiswaldenſes, præmonſtrante viam veritatis Knieprſtrovio, ſtatim evangelium receperunt. Coslinenſes autem mei *Benedictum Riveſtalium & Martinum Kleinium* doctores nacti, magno zelo tonſorem Dionyſium Doringium ad ſaccum condemnarunt, qui ebrius concionibus evangelicorum doctorum in templo contradicere auſus fuerat. Quin & ipſe Philippus, dux Pomeraniæ, tandem ad religionem veram acceſſit. Ideoque ejus & Barnimi ſenioris autoritate, anno XXXIV. conventus provincialium generalis Treptoæ habitus eſt: in quo papatus, laus Deo, prorſus abrogatus, & certa adminiſtrandarum eccleſiarum forma à Johanne Bugenhagio, ad pium opus Witeberga evocato, præſcripta eſt, quæ anno XXXV. impreſſa adhuc extat. Quin & viſitatio generalis per Pomeranum (ſic vocabatur Bugenhagius, tanquam alter Pomeranorum apoſtolus) inſtituta eſt, qua Miſſæ ſacrificium in monaſteriis omnibus abrogabatur. Etſi autem *Eraſmo Manteufelio*, epiſcopo, tanquam univerſali eccleſiarum Superintendenti, inſpectio eccleſiarum offerebatur, negabat tamen huic rei operam, non tam, quaſi ipſe lumine evangelii non fuiſſet irradiatus, (ut enim illud antea cum duce Georgio deteſtatus eſt, ita poſtea ejus veritatem toto agnovit pe-

ſtore) ſed quia politicæ nonnullæ cauſæ, quo minus id muneris ſibi pateretur injici, eum retrahebant. Tres igitur alii Superintendentes conſtituti ſunt, M. Paulus à Rhoda *Stetini*; Johannes Knipſtrovius *Wolgaſti*; Johannes Hodenſee *Stolpæ*. Quibus poſt acceſſit Superintendens *Colbergæ* D. Georgius Venetus. Vivente adhuc Eraſmo epiſcopo, Barnimus & Philippus, alio conventu Stetini anno XLI. ob hæreditariam ducatus diviſionem habito, inter ſe etiam de eccleſiaſticis rebus tranſegerunt, & Barnimo quidem XII. monaſteria, inter quæ ſex fuerunt monialium; Philippo vero IX. interque ea monialium tria, ceſſerunt: *Epiſcopus autem, Prælati* (qui ſunt Præpoſitus, Decanus, Vicedominus, Cantor, Scholaſticus & Theſaurarius) *& reliqui Canonici*, ſuo jure frui juſſi ſunt: ita tamen, ut Auguſtanam omnes amplecterentur confeſſionem, & ſecundum formam à Bugenhagio anno XXXV. Treptoæ præſcriptam, omnia adminiſtrarent, nec quenquam, niſi conſciis & volentibus Pomeraniæ ducibus, in dignitatem eccleſiaſticam eveherent: homagium imprimis pro more ducibus & patronis ſuis præſtarent, cultumque iis debitum deferrent, & tributa ſolita ex agris ſolverent, ex bonis etiam eccleſiaſticis verbi miniſtris ſalaria, & Studioſis bonæ ſpei ſtipendia, aliis denique bene meritis honoraria certa numerarent, ſtructurisque ſacris neceſſarios ſumtus impenderent. Præterea in hoc conventu decretum eſt, ut *Academia Gryphiswaldenſis locupletius dotaretur*, (ſicut & cIↃCC. aureis & CCCC. frumenti modiis quotannis erogandis dotata eſt) *& ad Pædagogii illuſtris fundationem*, ad Superintendentis, Profeſſorum, atque Diaconorum, quos Capitulares vocamus, ſuſtentationem, ad Studioſorum in Pædagogio alimentationem, reditus collegialis templi D. Mariæ & D. Ottonis impenderentur.

Cram. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. Pomer.

I nunc, Papicola, & nega, bona eccleſiaſtica poſt reſtitutam fidei puritatem bene fuiſſe collocata. Interim, quid juris Duces Pomeraniæ, ante ipſam Lutheri reformationem, in monaſteria habuerint, ipſi in Receſſu jam allegato anno XLI. recenſent. Nam præterquam quod, quoties princeps, aut ejus miniſtri, adfuerunt, lautè eos Abbates & Prælati excipere tenebantur, certis etiam ſervitiis ex agro præſtandis erant iis obſtricti. Quin & equos & currus ſuppeditabant, quoties imperabantur; & Duci, cui homagio erant obſtricti, in bellum ituro, aut alios in uſus pecuniis indigenti, vel ipſa fundourm ſuorum elocatione liberaliter ſuccurrebant, inque equitum & nobilium armiluſtriis

ſtriis inſtituendis, commeatu ſubminiſtrando, promtiſſimi inveniebantur. Taceo munera, quæ offerenda erant, ſive cum ipſi Abbates & Prælati noviter creati eſſent, ſive cum homagium Duci præſtaretur, ſive cum nova Ducis nupta in hanc regionem primo veniret. Conventu Stetinenſi anno XLI. habito, poſt triennium, *Eraſmus Manteufelius epiſcopus* diem obiit, & epiſcopatus *Johanni Bugenhagio* quidem eſt oblatus, ſed illam dignitatem vir modeſtiſſimus reſpuit. Quam nactus *Bartholomaus Svavenius*, Capitaneus Butovienſis, orthodoxiæ aſſertor conſtantiſſimus, bello Germanico à Cæſare in Proteſtantes ſuſcepto, & forma religionis Interimiſtica noſtratibus imperata, maximè conturbatus fuit. Et quanquam Pomerani in illa pecuniæ ſumma, qua animus Cæſaris commotior ſedandus erat, conferenda promti inveniebantur: incruſtatum tamen Papatum *in libro Interreligionis* abominabantur. Ipſe epiſcopus Svavenius, qui uxorem duxerat, ne forte malum majus patriæ accerſere videretur, ſacræ dignitati renunciavit, & ea *Martino Weibero*, Canonico, qui & ipſe Confeſſionem Auguſtanam approbavit, tradita, nihilominus in commune conſuluit, ſi res arduæ deliberationibus ſubjicerentur. Weihero anno XXXVI. defuncto, in Synodo Stetinenſi generali, anno LXI. convocata, tribus Superintendentibus, M. Paulo à Rhoda, D. Jacobo Rungio, & D. Georgio Veneto, (Nam Johanne Hodenſee Stolpæ defuncto, eccleſiæ omnes, quas ille hactenus rexerat, inſpectioni Stetinenſis Superintendentis commiſſæ ſunt) *Corpus doctrinæ Pomeranicum*, ad retundendos cum pontificiorum, tum aliarum hæreſium errores, conſcriptum eſt. Biennio poſt *Agenda eccleſiaſtica*, ſeu *Conſtitutio & Sanctio de ceremoniis eccleſiaſticis*, ex illa formula, quam olim Johannes Bugenhagius noſtris eccleſiis præſcripſerat, repetita, aucta & publicata; *trium etiam Conſiſtoriorum*, *Gryphiswaldenſis*, *Stetinenſis*, *& Colbergenſis*, *fundamenta jacta ſunt.* Contra quam conſtitutionem *Stralſundenſes* proteſtati, Conſiſtorii jurisdictioni, ob privilegia antiqua, ſe ſubjicere detrectantes, & per peculiarem Superintendentem urbanum Conſiſtorium adornare conabantur. Quam eorum cauſam virulente egit M. Cruſius, Paſtor Stralſundenſis, homo ſuperbus, rixoſus, & boni ordinis oſor, ut ex Actis Pomeranicis patet. Poſtea *de Formulæ Concordiæ ſubſcriptione* variæ Synodi ſunt habitæ: in quibus, cum præter alias politicas rationes Auguſtana Confeſſio & Corpus doctrinæ

Pomeranicum eccleſiis noſtris ſufficere videretur, factum eſt, ut Calvinianiſmi ſuſpicionem incurrerent nonnulli Theologi Pomerani. Et quanquam plerique omnia probabant, quæ in Formula continebantur, fuerunt tamen nonnulli, & imprimis in aula & Illuſtri Schola Stetinenſi, ut M. Gerhardus Bergius Con-Rector, M. Joach. Friſius Profeſſor Theologiæ & Archi-Diaconus, atque D. Curio medicus, qui Calvinianæ ſectæ favebant. Illis ſe tamen, dum vixit, animoſe D. Chriſtophorus Stymmelius, Paſtor Marianus & Superintendens, oppoſuit. Illi defuncto cum in Paſtoratu ſucceſſiſſet D. Conradus Bergius, hactenus Rector Pædagogii, id, quod hactenus preſſerat, palam prodidit, & cum collega, M. Joach. Stichio, auditoribus opinionem de perſona Chriſti & SS. Cœna erroneam inſtillare cœpit. Sed M. Salom. Geſnerus, ad Rectoratum Pædagogii evocatus, in publicis prælectionibus & diſputationibus Crypto-Calvinianorum errores confutavit. Turbari tunc omnia cœpere. Stichius in importunum quidem colloquium cum Geſnero coram auditoribus deſcendit: ſed confuſus, tam acerbo odio in illum exarſit, ut ad ſacram ſynaxin acceſſuro ſiniſtra manu conſecratum panem verbis, non conſvetis, ſed bilem latentem conteſtantibus, porrigeret. Et quanquam dexteram ſpaſmo fuiſſe correptam poſtea contenderet, vero tamen ſimile nemini viſum eſt. Propendebant in eum plerique aulicorum: & Geſnerus non ſine ignominia dimiſſus, atque Stralſundii primo, poſt Witebergæ receptus, ſalutarem operam eccleſiæ Chriſti impendit. Dux Stetini, Johannes Fridericus, tandem technis Calviniſtarum ſe deceptum ſentiens, Synodo anno XCIII. convocata, inquirere juſſit, *an Geſnerus juſtis de cauſis eſſet dimiſſus: num Stichius, cui D. Bergius paraſtates paulo ante fato ereptus erat, doctrinam & facta ſua excuſare poſſet: quonam ſenſu Corpus doctrinæ Pomeranicum intelligendum ſit.* Hic palam Stichius convictus eſt erroris in doctrina, prophanationis Sacramentorum, tyrannidis & dominatus affectati in conſcientias, & muneris in precibus publicis contra hæreticos habendis neglecti. Loco igitur eſt motus: Formula concordiæ probata: Edicta contra ſectarios promulgata. Stichius quidem poſtea libro publice edito ſuam cauſam adverſus theologos Pomeranos egit: ſed egregia apologia confutatus eſt, in qua vera ſimul relatio edita de ſynodo Stetinenſi anno XCIII. habita. Ab iſto tempore ad illas usque turbas & tumultus publicos, quibus tota Germania concutiebatur, Pomeranicæ eccleſiæ concordi pace

pace conjunctæ fuerunt. Et quanquam pars Pomeraniæ ulterioris electori Brandeburgico ceſſit, qui Calvini parti magis, quam Auguſtanæ Confeſſioni, adſtipulatur: eam tamen, quicquid de exercitio religionis Calvinianæ publice in eam introducendo hactenus actum eſt, fruituram ſperamus per DEI gratiam ſuis juribus, quæ in pace Osnabrugenſi illibata illi manſerunt, ut nempe, durantibus adhuc controverſiis inter aſſertores Auguſtanæ Confeſſionis & Calvinianos, nihil in ſtatu religionis immutetur.

DEUS ADSIT SUÆ ECCLESIÆ, ET, IMPIORUM CONSILIIS EVERSIS, COETUI SUO UTUT PARVO, SUCCURRAT AB ALTO.

AD LECTOREM BENEVOLUM.

Ut uno intuitu perſpicere poſſis, quanam in eccleſia res quo tempore contigerint, conjungemus illas tabella quadam chronologica, unde memoriæ ſubſidium parari queat: & diſpeſcemus omnia eccleſiæ tempora, primum in Millenaria; deinde in Secularia; ſingulis ſubjecturi res maximè memorabiles, & calculum Calviſii utplurimum obſervaturi.

PRIMUS MUNDI MILLENARIUS, quo excunte Henoch eſt translatus.

Anno Mundi	*A. ante C. N.*	*Conjunctio ſuperiorum planetarum magna in trigono igneo, recurrens intra 795. annos, in qua Adam creatus eſt, triſtis eccleſiæ propter lapſum.*
1	3947	
130	3815	Seth naſcitur, Abele occiſo.
235	3713	Enos naſcitur.
325	3623	Kenan naſcitur.
395	3553	Mahaleel naſcitur.
460	3488	Jared naſcitur.
622	3326	Henoch naſcitur.
687	3261	Methuſalem naſcitur.
874	3074	Lamech naſcitur.
930	3018	Adam moritur.
987	2961	Henoch transfertur.

In hoc primo millenario aureum Heſiodi ſeculum erat in paradiſo; argenteum ante egreſſum Caini ex eccleſia; aheneum usque ad diluvium, cum gigantes ſeu immanes homines cœli pietatem oppugnarent.

Χρόνος βασιλέων A. M. 472. ſeu tempus regum, incipit ſecundum Abidenum, Beroſum, Alexandrum polyhiſtora & Euſebium.

Secundus circuitus A. M. 795. trigoni ignei & maximæ conjunctionis ſuperiorum planetarum: felix eccleſiæ propter Henochi conciones & translationem.

SECUN-

SECUNDUS MILLENARIUS, quo elapſo inſtituitur circumciſio.

A.M.	*Æt.C.N.*	
1042	3960	Seth moritur.
1056	2892	Noa naſcitur.
1140	2808	Enos moritur.
1235	2713	Kenan moritur.
1290	2658	Mahalaeel moritur.
1536	2412	Noa denunciat diluvium Gen. VI, 3.
1556	2392	Japhet naſcitur.
1558	2390	Sem naſcitur.
1651	2297	Lamech moritur.
1656	2292	Methuſalem moritur.
1657	2291	Diluvium.
1658	2290	Arphachſad naſcitur.
1693	2255	Salah naſcitur.
1723	2225	Eber naſcitur.
1757	2191	Peleg naſcitur: quo tempore terra eſt diviſa poſt linguæ ad turrim Babel confuſionem. Gen. X, 15.
1787	2161	Regu naſcitur.
1819	2129	Serug naſcitur.
1849	2099	Nabor naſcitur.
1878	2070	Thara naſcitur.
1948	2000	Abraham naſcitur.
1958	1990	Sara naſcitur.
1996	1952	Peleg moritur.

Tertius circuitus trigoni ignei & maximæ conjunctionis, anno mundi 1590. triſtis eccleſiæ propter diluvium & ſuperſtitionem.

Initium regni Aſſyriaci A. M. 1718. ſecundum Juſtinum: quo tempore Nimrod (quem profani videntur Belum vocare) condidit Babylonem; Aſſur autem, filius Semi, qui profanis videtur eſſe Ninus, Niniven. Gen. X, 10. 11.

Janus, qui habetur pro ipſo Noacho, venit in Italiam A. M. 1765.

Initium regni Germanici ſecundum Aventinum A. M. 1787. per Tuiſconem, qui videtur eſſe Aſcenaz, filius Gomeris, nepos Japheti.

Initium regni Sicyoniorum in Peloponneſo per Ægialeum, patrem Europis A.M. 1861. quod duravit mille annis.

SECULUM Abrahami, PRIMUM in III. Millenario: quo elapſo, Elias translatus.

A.M.	ante C.	
2005	1243	Noa moritur.
2023	1925	Abraham migrat ex Haran; unde initium 430. annorum peregrinationis.
2026	1922	Regu moritur.
2034	1914	Iſmael naſcitur, pater Midianitarum, Arabum & Saracenorum.
2047	1901	Circumciſio inſtituta & Sodoma deleta.
2048	1000	Iſaac, Moab & Ammon naſcuntur.
2049	1899	Serug moritur.
2063	1885	Iſaac immolandus.
2083	1865	Thara moritur.
2085	1863	Sara moritur.
2088	1859	Iſaac ducit Rebeccam.
2096	1852	Arphachſad moritur.

Initium regni Archivi A. M. 2093. per Inachum Ægyptium, patrem Iſidis ſeu Ius, teſte Africano.

Oſiris ſeu Jupiter Libycus: Mercurius: Hermes Triſmegiſtus: Apollo Triptolemus: Anubis florent in Ægypto: Cres, Talus, Vulcanus, Rhadamantus, Meliſſæus, pater Amalphæ, in Creta.

SECULUM Iſaaci & Ogygis, SECUNDUM in III. millenario.

A.M.	ãteCh.	
2108	1840	Eſau, pater Amalekitarum & Idumæorum, & Jacob naſcuntur.
2123	1825	Abraham moritur.
2126	1822	Salah moritur.
2148	1800	Eſau contra conſenſum patris ducit uxores.
2158	1790	Sem moritur, qui videtur eſſe ipſe Melchiſedech.
2171	1777	Iſmael moritur.
2185	1763	Jacob abit ad Labanum.
2187	1761	Eber moritur.

2192

2192	1756	Jacob Leam ducit.
2193	1755	Ruben naſcitur.
2194	1754	Simeon naſcitur.
2195	1753	Levi naſcitur.
2196	1752	Juda & Dan naſcuntur.
2199	1749	Joſeph naſcitur.

Circa hoc tempus florent, Cadmus Thebis; Phaethon ex Æthiopia in Italia; Aſclepius, Hermetis diſcipulus in Ægypto. Diluvium Ogygis in Attica contigit A.M. 2194. Hic Ogyges erat conditor Athenarum, cujus filia enutrivit Minervam, in Bœotia ad fluvium Tritoniden inventam.

SECULUM Joſephi & Oſiridis, TERTIUM in III. millenario.

A.M.	ãteCh.	
2205	1743	Jacob redit à Labano in Canaan.
2215	1733	Dina ſtupratur: Rahel moritur; Benjamin naſcitur.
2217	1731	Joſeph venditur.
2226	1722	Joſeph in carcerem conjicitur.
2228	1720	Joſeph evehitur: Iſaac moritur.
2238	1710	Jacob abiit cum ſuis in Ægyptum.
2255	1693	Jacob moritur.

Apis, alias Oſiris, Iſidis maritus, nepos Phoronei ex Niobe, pronepos Inachi, rex Argivorum, & Argi Pelasgi frater, in Ægyptum transfert imperium, & Memphin condit, ſecundum Euſebium. In hoc ſeculo floret Hercules Libycus & Ætolorum regnum. Sparta & *Epidaurus* in Argolide conduntur.

SECULUM Amrami & Cecropis, QUARTUM in III. millenario.

A.M.	anteC.	
2303	1633	Amram, pater Aaronis & Moſis, naſcitur.
2309	1639	Joſeph moritur.
2332	1616	Levi moritur.
1369	1579	Aaron naſcitur. Decretum de interficiendis Hæbræorum infantibus editur.
2372	1576	Moſes naſcitur.

Hoc ſeculo florent Hiobus: Atlas: Prometheus: Hæmon, *primus rex* Theſſa-

Theſſalorum. *Lesbus conditur* à Xantho. *Pyramides* in Ægypto eriguntur.

Quartus circuitus trigoni ignei & maximæ conjunctionis A. M. 2385. felix eccleſiæ propter eductionem ex Ægypto.

Cecrops incipit regnare Athenis inſtauratis A. M. 2394.

SECULUM Moſis & Deucalionis, QUINTUM in III millenario.

A.M.	*ante C.*	
2408	1540	Joſua naſcitur.
2413	1535	Moſes occidit Ægyptium.
2414	1534	Caleb naſcitur.
2440	1508	Amram moritur.
2452	1496	Moſis vocatio ex rubo ardenti.
2453	1495	Exitus ex Ægypto 15. Aprilis. Lex promulgatur 5. Jun.
2454	1494	Tabernaculum erigitur 23. Mart. Exploratores in Canaan mittuntur.
2492	1456	Miriam, Aaron, Moſes moriuntur. Joſua populum ducit per Jordanum.
2449	1449	Diviſio terræ promiſſæ: Initium Jubilæorum Moſaicorum.

Deucalionis diluvium A. M. 2437. circa Parnaſſum montem.

Dardanus, gener Teucri, jacit initia regni Trojani A. M. 2471.

Templum Apollinis Deli conſtruitur. Concilium Amphictyonicum conſtituitur. *Lapithas, alias Jupiter*, ejuſque frater Aſterius, raptor Europæ, regnant in Creta; Teucrus & Dardanus in Phrygia.

SECULUM Joſuæ & Cadmi, SEXTUM in III. millenario.

A.M.	*ante C. N.*	*Judices.*	*Pontifices.*
2518	1430	Joſuæ mors. Interregnum XIIX. annorum.	Eleazarus poſt patrem Aaronem.
2536	1412	Athniel ſeu Othoniel.	
2576	1372	Athnielis mors.	
			Pinehas.
2591	1357	Ehud.	

Æſculapius naſcitur, filius Apollinis.

Rhadamanthus & Minos naſcuntur ex Jove & Europa.

Cadmus & Phœnix regnum Sidonis & Thebarum condunt.

Pandio-

Pandione, ejusque filiæ, Progne & Philomela, à Tereo affliguntur.
Tros, filius Erichtonii, condit Trojam.
Tantalus, pater Pelopis, rapit Ganymedem.
Phryxi & Helles fuga cum aureo vellere.
Idæ incendium: Proſerpinæ, filiæ Cereris, raptus in Sicilia: Siſyphus filius Æoli, avus Bellerophontis & Ulyſſis, Corinthi: Buſiris tyrannus in Ægypto: Ruthæ cum Booz conjugium.

SECULUM Gideonis & Perſei, VII. in III. millenario.

A. M.	*ante C.N.*	*Judices.*	*Pontif.*
2638	1310	Samgar.	
2668	1280	Barach & Debora	Abiſua.
2687	1261	Gideon.	

Bellerophon Corinthius interficit cum Pegaſo Chimræam.
Danae Acriſii ex Jove parit Perſea.
Bellum Benjaminiticum Joſ. XX.
Janus, Erechthei Athen. gener, filius Apollinis, condit regnum Aborigenum in monte Janiculo.
Amphion, qui ſaxa movit cantu, Thebis regnat.
Olympici ludi Pelopis, in honorem Jovis 2634.
Pelops Hippodamiam curuli certamine obtinet.
Perſeus condit regnum Mycenarum 2637.
Herculi injunguntur ab Euryſtheo XII. labores.
Huc pertinent ſive fabulæ, ſive hiſtoriæ fabulis aſperſæ, Oedipi: Bacchi ſeu Dionyſii Thebani: Midæ: Orphei: Tireſiæ: Dædali & Icari: Evandri: Caſtoris & Pollucis: Atrei & Thyeſtæ: Minotauri.

SECULUM Jephtæ & Trojani belli, OCTAVUM in III. millenario.

A.M.	*ãteC.*	*Judices.*	*Pontif.*
2718	1230	Abimelech.	
2721	1227	Thola.	
2744	1204	Jair.	Bukki.
2779	1169	Jephta.	Oze.
2785	1163	Ebzon.	
2792	1157	Elon.	

Lapitharum & Centaurorum bella 2700.
Argonautarum expeditio 2727. Theſei & Herculis expeditiones.
Epigonorum expeditio & Latini regnum 2739. poſt quem Æneas.
Veſoris expeditio contra Scythas 2747.
Olympici ludi Herculis, in honorem Pelopis 2747.
Raptus Helenæ 2755.
Troja capitur 2767.
Agamemnon à Clytemneſtra & Ægyſtho occiditur 2769.
Oreſtes matrem Clytemneſtram occidit 2775.
Heraclidæ fruſtra, duce Hyllo, filio Herculis, tentant reditum in Peloponneſum 2799.
Aſcanius condit Albam longam 2799.
Areopagus Athenis conſtituitur: Tyrus conditur à Sydoniis: *Amazones Epheſum condunt:* Muſæus Orphei diſcipulus: Machaon & Podalirius, medici, filii Æſculapii.

SECULUM Simſonis & Codri, NONUM in III. millenario.

A.M.	*ante C. N.*	*Judices & Reges.*	*Pontifices.*
2802	1146	Abdon.	
2810	1138	Simſon.	Eli, ex poſteris Ithamari.
2851	1097	Samuel.	Achitob.
2875	1073	Saul.	Ahia.
2890	1058	David.	Achimelech.
			Abjathar.

Tyrrhenus ex Lydia in Italiam venit 2807.
Heraclidæ Peloponneſum occupant, pulſa Oreſtis familia 2847. & Lacedæmone duæ eorum familiæ, ut Euryſthemidæ & Proclitæ, incipiunt regnare.
David naſcitur 2869.
Jonica migratio ex Græcia in Aſiam 2877. item migratio Æolica.
David primum inungitur 2880.
Codrus pro Athenienſibus ſe devovet in bello Peloponneſiaco 2881: poſt quem Archontes.
Isboſeth, filius Saulis, rex conſtituitur 2891.
In Italia præſunt Silvius, Æn. Silvius & Latinus II. *Heraclidæ quoque* in Acha-

Achaia per Tiſamenum regnum conſtituunt, ut & Corinthii per Aletem, ejectis Siſyphi poſteris.

SECULUM Davidis & Seſoſtris, DECIMUM in III. millenario.

A.M.	ãte C.	*Reg. Juda.*	*Reges Iſrael.*	*Pontifices.*	*Prophetæ.*
2901	1047	David tabernaculum in arcem Sionis transfert.			Nathan.
2920	1028	Abſolom rex proclamatur.			Gad.
2929	1019	Adonias regnum invadit.			Ahia Silonites.
2930	1018	David moritur, Salomon ſuccedit.		Zadok ex poſteris Eleazari.	
2969	979	Rehabeam.	Jerobeam.	Ahimaaz.	Jadon.
2985	963	Abia.			Semaia.
2988	960	Aſſa.			Iddo.
2989	959		Nadab.	Azarias.	
2990	958		Baeſa.		

Seſoſtris, quem videtur Scriptura vocare Seſac, cum exercitu orbem peragrat.
Hiram fit rex Tyri 2921.
Templum Salomonis fundatur 2933.
Templum Salomonis dedicatur 2940.
Regia Salomonis abſolvitur 2953.
Naves Salomonis redeunt ex Ophir 2955.
Regina Arabiæ venit Hieroſolymam 2956.
Jerobeam in Dan & Bethel idola erigit 2969.
Seſac vel Seſoſtris aufert theſauros regis & templi 2974.
Aſſa idola confringit 2988.
Baeſa trucidat Nadabum 2990.
Homerus hoc ſeculo naſcitur.
Dynaſtia Bacchidarum Corinthi.

SECULUM Joſaphati & Sardanapalli, PRIMUM in IV. millenario, quo exeunte Chriſtus aſcendit ad cœlos.

A.M.

A. M.	*āte C.*	*Reg. Juda.*	*Reges Iſrael.*	*Pontifices.*	*Prophetæ.*
					Aſaria.
3013	935		Ella		Hanani.
3014	934		Simri Amri.		Jehu ejꝰ filiꝰ
3025	923		Achab.		Micha.
3028	910	Joſaphat.		Amazias	Jehaſiel.
					Elieſer.
3042	906	Joram.			
3044	904		Ahaſia.		Elias.
3045	903		Joram.		Eliſæus.
3056	892	Ahaſia.		Jojada, ejuſque fil.	
3057	891	Athalia uxor Jorami.	Jehu everſor ſtirpis Achabi.	Zacharias in templo à Joa necatus.	Jonas.
3063	885	Joas.			
3085	863		Joahas.		
3099	849		Joas.		

Aſſa millena Æthiopum fundit 3003.
Samaria ab Amri condita 3019.
Lycurgus Spartam legibus circumſcribit 3014.
Jericho urbs reædificatur 1. Reg. XVI. 3026.
Homerus floret.
Elias cœlum precibus claudit 3024.
Benhadad Samariam obſidet 3024.
Benhadad capitur: Naboth ſaxis obruitur 3043.
Joſaphat cum Ahaſia claſſem mittit in Ophir 3044.
Elias transfertur 3045.
Nahaman lepra ſolvitur ab Eliſæo 3049.
Benhadad Samariam obſidet fruſtra 3051.
Sardanapallus incipit regnare 3057.
Dido, filia Beli, ſoror Pygmalionis, Carthaginem condit 3073.
Sardanapallus evertitur ab Arbace & Beleſo 3057.
Haſael rex Syrorum Iſraelitas affligit.

SECULUM Eſaiæ & initii Olympiadum: Secundum in IV. millenario.

A. M.

A.M.	*âteC.*	*Reg. Judæ.*	*Reges Iſrael.*	*Pontifices.*	*Prophetæ.*
3103	845	Amazias.	Jerobèam.		
3114	734				Hoſeas.
3129	819	Uzias ſeu Azarias.			Joel.
3154	794		Zacharias.		Amos.
3177	871		Sallum.		Zacharias
3178	870		Menahem.	Azarias.	Zacharias alius.
3188	760		Pecaja.		Eſaias.
3191	757		Pecah.	Urias.	Micha.
3192	756	Jotham.			

Amaziam Joas vincit & urbem atque templum diripit 3112.
Initium regni Macedonici per Caranum 3137.
Heſiodus floret.
Amulius apud Albanos Numitori fratri regnum præripit 2155.
Romulus & Remus nati 3172.
Initium Olympiadum in honorem Herculis per Iphitum 3174.
Quintus circuitus Trigoni ignei & maximæ conjunctionis, triſtis eccleſiæ propter abductionem Iſraelitarum, A. M. 3178.
Phul, novus Aſſyriorum rex, infeſtat Iſraelitas 3180.
Halyattes regnat in Lydia 3187.
ROMA CONDITA 3198.

SECULUM abductarum X. tribuum & Romuli: tertium in IV. millenario.

A.M.	*âteC.*	*Reg. Judæ.*	*Reges Iſrael.*	*Pontif.*	*Proph.*	*Viri celebres.*
3207	741	Achas.				
3210	738		Hoſea ultimus.		Obed.	
3222	726	Ezechias		Aſarias		Draco, LLtor Athenienſis.
3227	721	ſ. Hiskias.	Samaria à Salmanaſſare expugnata, & X. tribus abductæ.			Cypſele & Periander Corinthi.

A.M.	ãte C.	Reg. Juda.	Pontif.	Proph.	Viri celebres.
3351	697	Manaſſes.		Nahum. Hulda.	Sibylla Samia. Candaules & Gyges in Lydia.
			Helkia.	Tobias.	Perdiccas, Macedonum rex.
					Anacreon, Alcman, Archilochus & Pittacus Poetæ.

Nabonaſſareorum annorum epocha incipit A. M. 3209.

Syracuſæ conditæ 3205.

Bellum Meſſeniacum primum XX. annorum 3207. in quo floruit Ariſtodemus, & nati Parthenii, qui ſeculo ſequente Tarentum condiderunt.

Rezin & Pecah obſident Hieroſolymam 3208.

Tiglathpillaſſar, rex Aſſyriorum, Damaſcum expugnat 3209.

Salmanaſſar Aſſyrius Hoſeam regem capit 3223.

Sennacheribi exercitus ab Angelo cæditur 3233.

Merodachi legati ad Ezechiam ob miraculum in ſole 3234.

Numa Pompilius incipit Romæ regnare 3236.

Bellum Meſſeniacum ſecundum 3265. in quo floruit Ariſtomene & Tyrtæus poeta.

Tullus Hoſtilius incipit Romæ regnare 3279.

Pſammetychus Ægyptum occupat 3286.

Alba longa diruta 3286.

Byzantium à Græcis duce Byzante conditum 3293. ſicuti etiam hoc ſeculo condita Ecbatana in Media: Nicomedia in Aſia: Naxus in inſula Naxo.

SECULUM captivitatis Babylonicæ & VII. Sapientum Græciæ, quartum in IV. millenario.

A.M.	a. C.	Reg. Juda.	Pontif.	Prophetæ.	Viri celebres.
3305	643	Ammon.		Zephanias.	Teleſilla poetria.
3307	641	Joſias.		Habacuc.	Thales Mileſ. & VII. Sapientes Græc.

A.M.

A.M.	*ãteC.*	*Reg. Juda.*	*Pontif.*	*Prophetæ.*	*Viri celebres.*
				Jeremias.	Steſychorus & Alcæus Poet.
					Arion Muſicus.
					Sapho & Sibylla
3338	610	Joahas, ſ. Sallum.		Baruch.	Cumana.
				Urias.	Pherecydes Syrus.
				Obadia,	Epimenides Cretenſis.
		Eliakim ſ. Jojakim.		ſeu Abdia.	
					Solon, LLator Athenienſis.
3349	599	Jechonias ſ. Joachin.			
					Polycrates, rex Sami.
		Sedechias.		Daniel.	Anacharſis & Abaris Scytha.
3360	588	Hieroſol. à Nebucadnez. expugnata.	Seraja, pater Eſdræ.	Ezechiel.	Theognis.
					Anaximander &, Anaximenes, Mileſii.
			Joſedec, Eſdræ frater		Æſopus & Ibicus.
					Steſichorus & Simonides.

Tarentum à Partheniis Lacedæmoniorum conditum A. M. 3304.
Ancus Martius, rex Romæ 3311.
Judith Holofernem obtruncat.
Cyaxares, rex Medorum, Aſſyrios bello vexat 3314.
Joſias templum inſtaurat 3325.
Sardyattes, rex Lydorum, Mileſiis bellum infert 3327.
Tarquinius rex Romæ 3335.
Cyaxaris, regis Medorum, & Halyattis, regis Lydorum, bellum 3338.
Nebucadnezar, rex Babyl. domitis Ægyptiis occupat Hieroſolymam, & Danielem abducit 3342.
Nebucadnezaris ſomnium 3348.
Initium captivitatis Babylonicæ 3349.
Galli duce Belloveſo Alpes tranſcendunt 3360.
Corinthus poſt Periandrum defunctum fit libera 3364.

Servius Tullius, rex Romanorum 3373.
Piſiſtratus Athenis tyrannidem invadit 3381. ſicuti Mileti Thraſybulus; Agrienti in Sicilia Panætius & Phalaris.
Amaſis, rex Ægypti, dejicit Apriem 3382.
Crœſus, Lydorum rex, Aſiæ bellum infert 3388.
Cyrus avum Aſtyagem, Medorum regem, dejicit 3391.
Belſazer, Babyloniorum rex interficitur, cui ſuccedit Darius Medus 3395.
Conduntur Epidammus; Cyrene; Maſſilia.

SECULUM ſolutæ captivitatis Babylonicæ & refugii Romani, quintum in IV. millenario.

A.M.	*a.C.*	*Res Eccleſiæ.*	*Pontif.*	*Viri celebres.*
3418	530	Cyri edictum de ſolvenda captivitate.	Joſua, Joſedeci F. cui fidelem operam præſtitit Zorobabel.	Zeno Eleates. Pythagor. Samius.
3420	528	Fundaměta templi ſecundi mox impedita.		Hipponax Poeta. Zaleucus & Charondas LLatores.
3465	483	Xerxes ſ. Ahasverus impedit inſtaurationem urbis. Esdræ 4,6.		Democedes Med. Heraclitus. Anaxagoras. Æſchylus. Phocylides. Pindarus. Epicharmus.
3468	480	Eſther recipitur in torum Ahaſveri.		Protagoras. Xenophanes. Parmenides. Democritus.
3476	472	Haman ſuſpenditur.		Empedocles. Ariſtarchus.
3488	460	Artaxerxes prohibet inſtaurationem Hieroſol.		Hippocrates. Herodotus. Polycletus. Phidias. Zeuxes.

Cyrus Crœſum capit 3403.
Cyrus Babylonem occupat, Dario capto 3412.
Tarquinius Superbus rex Romæ 4317.
Cambyſes, rex Perſarum, occupat Ægyptum, & ſuſpendit Polycratem 3426. Poſt illum duo Magi, & hinc Darius Hyſtaſpis, qui opera Zopyri Babylonem occupat A. M. 3433. & Xerxes ab expeditione in Græciam clarus.
Regi-

Regifugium Romæ & initium Conſulum 3442.
Dionyſius occupat tyrannidem Siciliæ 3544.
Pugna Darii & Miltiadis ad Marathoniam 3459.
Pugna ad Plateas 3471. Artaxerxes Longimanus, rex Perſiæ 3485. Bellum Meſſeniacum III. finitum 3489.
Decem Tribuni plebis apud Romanos 3494.
Miltiades, Themiſtocles, Ariſtides *apud Athenienſes:* Demaratus, Leonides, Pauſanias *apud Spartanos:* Phalaris, Gelo, Hiero & Thraſybulus *apud Siculos:* Junius Brutus, Horatius Cocles, Mutius Scævola, Coriolanus *apud Romanos:* Mago, Asdrubal & Amilcar *apud Carthaginenſ.* hoc ſec. florent. Initium regni Cappadoc. & Ponti.

SECULUM initii LXX. ſeptimanarum Danielis, & belli Peloponneſiaci, ſextum in IV. millenario.

A.M	*a. C.*	*Res eccleſiæ.*	*Pontif.*	*Proph.*	*Viri celebres.*
3528	420	Initium 70. ſeptiman. Daniel.	Jojakim.	Haggæus. Zacharias.	Euripides. Sophocles.
3533	415	Templum ſecundũ abſolutum.	Eliaſib.	Eſdra, cum Nehemia.	Thucydides. Socrates.
3551	397	Eſdra ex Perſia venit Hieroſol.			Diogenes Cyn. Ariſtophanes.
3565	383	Nehemias Hieroſol. venit.	Jojada.	Malachias.	Pericles. Iſocrates.
3575	373	Muri Hieroſolymæ perfecti.	Jonathan.		Xenophon. Cteſias. Archytas
3577	371	Nehemias redit in Perſiam.			Tar. Plato. Ariſtippus. Demoſthenes. Æſchynes.

Leges XII. tabularum & Decemviri 3500.
Pax Perſarum cum Græcis 3501.
Cenſores primum Romæ creati 3509.
Bellum Peloponneſiacum 3519.
Athenæ à Lyſandro captæ 3546.
Galli Romam exurunt 3563.
Pugna Leuctrica 3570.

Bellum ſociale Græcorum 3591.

Bellum ſacrum 3594.

Nicias, Pericles, Alcibiades, Lyſander, Pauſanias, Thraſybulus, Epaminondas, Pelopidas, Conon *apud Græcos:* Q. Cincinnatus, Fabius, Fur. Camillus, Manlius, M. Curtius *apud Romanos:* Evagoras & Protagoras *in Cypro:* Dionyſii & Dion *apud Siculos:* Mauſolus & Artemiſia *apud Cares:* Artaxerxes Longimanus, Darius Nothus, Artaxerxes Mnemon & Ochus *apud Perſas:* Amyntas avus, & Philipp. pater Alexand. M. *in Macedonia* florent.

SECULUM Alexandri M. & LXX. Interpretum, ſeptimum in IV. millenario.

A.M.	*a.C.*	*Res Eccleſiæ.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
3618	330	Alexander M. Judæis concedit immunitatem.	Jaddus. Onias I. ad quem Legatio Laced. 1. Macc. 12,	Speuſippp. Xenocrates. Ariſtoteles. Euclides. Theophraſtus.
3619	329	Templum Garizitanum in Samaria à fratre Jaddi, Manaſſe, conditum.		Beroſus. Megaſthenes. Manethon. Stilpo. Strato. Crates. Arceſilas. Menander. Hipparchus. Zeno.
3638	310	Ptolemæus, Rex Ægypti, Hieroſolyma occupat.	Sim. Juſt. qui templum inſtauravit Syr. 50, 1.	Theocritus. Apollonius. Epicurus. Demetrius Phalereus.
3650	298			
3681	277	Bibliorum verſio prima per LXX. Interpretes.	Eleazar.	Heraclides Pontic. Zeno Citt. Pyrrho, unde Pyrrhonii. Cleantes. Arceſilaus. Ariſtarchus, cenſor Gramm. Sempron.
3695	263		Manaſſe.	JCtus. Callimachus.

Dionyſius junior pellitur ex Sicilia 3597.

Pugna ad Cheronæam 3612.

Alexander M. ſuccedit patri Philippo 3614. Thebæ dirutæ 3615.

Pugna ad Granicum 3616. in Cilicia 3617. ad Euphratem 3619.

Initium tertiæ monarchiæ 3628.

Alexan-

Alexander rex Epiri, Alexandri M. nepos ex ſorore, trajicit in Italiam adverſus Romanos. Alex. M. mor. 3627.

Alexandri M. duces pace inita regna dividunt.

Æræ Seleucidarum initium 3639.

Pyrrhus in Italia 3670. Primum bellum Punicum 3686.

Rempubl. Achæorum fœderatam inchoat Aratus; Regnum Pergamenum Philæterus, Eumenes, Attalus; Regnum Bithyniæ Zipœtes & Nicomedes; Galatarum initium in Aſia.

Inter Romanos floruerunt Papirius, Decius, Fabius, Regulus, Fabricius; *in Sicilia* Timoleon, Agathocles, Hiero: *in Macedonia* Aridæus, Caſſander, Demetrius, Antigonus: *in Syria* Seleucus, Antiochus: *in Ægypto* Ptolemæus Lagi & Ptol. Philadelphus: *apud Spartanos* Agis & Cleomenes.

SECULUM Maccabæorum & belli Punici, octavum in IV. millenario.

A.M.	*a.C.*	*Pontifices.*	*Res Eccleſiæ.*	*Viri celebres.*
3718	230	Onias II.	Syracides floret.	Callimachus.
3730	218	Simeon II.	Ptolem. Philopator	Cato Cenſorin.
3742	206	Onias III.	Judæos affligit	Chryſippus.
			juxta libr. 3. Mac-	Polybius hiſtor.
3774	174	Jaſon.	cab.	Lacydes Cyren.
3777	171	Onias IV. ſ. Mene-	Antioch. M. Judæ-	Carnead. Scept.
		laus.	am adjicit ſuo re-	Archimedes.
3779	169	Alcimus ſ. Jacimus.	gno.	Plautus.
			Heliopolitanum tem-	Panætius Stoicus.
			plum in Æg.	Ennius.
3783	165	Jud. Maccabæus.	Heliod. hiſtoria.	Pacuvius.
			Antioch. Epiph. oc-	Accius.
3793	155	Jonathan.	cupat Hier.	Terentius.

Arſacidarum regnum in Parthia 3700.

Bellum primum Punicum finitum 3717.

Bellum II. Punicum XVIII. annorum inchoatum 3731.

Bellum Macedonicum I. adverſus Philippum 3750.

Bellum Aſiaticum adverſus Antiochum M. 3758.

Bellum Macedonicum II. adverſus Perſeum 3760.

Bellum Punicum III. inchoatum 3799.

In

In regno Macedoniæ florent Demetrius, Antigonus Doſon, Philippus, Perſeus: *in Syria* Seleucus Callinicus & Ceraunius, Antiochus M. Seleucus Philopator, Antioch. Epiphanes, Antioch. Eupator, Demetrius Soter: *in Ægypto* Ptol. Evergetes, Philopator, Epiphanes, Philometor: *Romæ* Scipiones, Fabius Cunctator, Cato Cenſorius, Æmilius, Metellus.

SECULUM Hyrcani & Mithridatis, nonum in IV. millenario.

A.M.	*a.C.*	*Pontifices.*	*Res Eccleſiæ.*	*Viri celebres.*
3806	142	Simeon.	Hieroſol. recuperata.	Hipparch. aſtronomus.
3818	133	Johan. Hircanus.	Libri Maccab. ſcripti	M. Ter. Varro.
3845	103	Ariſtobulus, rex I. ex Maccab.	Samaria ab Hircano exciſa.	Lucilius, Turpilius, Archias, Lucretius, Poetæ.
3846	102	Alexander Jannæus.	Garizitanum templum deſtructum.	Cicero. M. Brutus, Orator & JCtus.
3872	76	Alexandra Salome.	Antipater Hircanum dejicit.	Salluſtius.
3881	67	Hircanus à fratre Ariſtob. dejectus.	Onias, vir Deo acceptus, à Judæis interfectus.	Dioſcorides Med. Diodorus Sicul. Didymus, ſcholiaſtes Homeri.
–	–	Ariſtob. rex & pontif.	Hieroſol. à Pompejo capta.	Cratippus.
3887	61	Hircanus denuo.	Craſſus templum ſpoliat.	Metrodorus.

Bellum Punicum III. A.M. 3801. Æra Aſmonæorum 3807.
Bellum ſervile in Sicilia 3815. Numantia deleta 3818.
Gracchorum ſeditio 3819. Bellum Dalmaticum 3833.
Bellum Jugurthin. ſeptennale 3839. Bellum Cimbric. 3841.
Bellum Mithridaticum I. quinquennale 3863. Bellum civile Syllæ & Marii 3868. Bellum Mithridaticum II. undecim annorum 3876. Syria à Pompejo in provinciam redacta 3886. Catilinaria conjuratio 3887.

In Syria floret Demetrius Nicanor, Tryphon, Antiochus Sedetes, Alexander

xander Zebina, Antioch. Griphus, Seleucus, & Antioch. Cyric. poſt quos Tigranes, rex Armeniæ, Syriam occupavit, victus tandem à Romanis. *In Ægypto* Ptolemæus Phyſcon, Lathyrus & Alexander Auletes, cui Cato Cyprum ademit. *Romæ* Sylla, Marius, Cinna, Lucullus, Craſſus, Ptol. Dionyſius & Cleopatra, ultima regum Ægypti, Pompejus, Cicero, Cæſar, Bruti.

SECULUM CHRISTI nati & AUGUSTI, decimum in IV. millenario.

A. M.	*a. C.*	*Res eccleſiæ.*	*Viri celebres.*
3902	46	Antipater, Herodis pat. fit procurator Judææ.	Cornel. Nepos, Catullus, Virgilius, Horatius, Propertius, Tibullus, Gallus, Ovidius, Manilius, Poetæ: eorumque fautor Mæcenas, alter ab Imperatore. Dionyſ. Halicarnaſſæus, Meſſala Corvinus, Livius, Strabo, Vitruvius architectus, R. Jonathan, autor Targum Babylonici.
3909	59	Antigonus rex & pontifex Judææ.	
3913	35	Antigono ultimo ex Maccabæis occiſo, Herodes fit rex Jud.	
3929	19	Targum Babylonicum confectum.	
3931	17	Templum Herodes inſtaurat.	
3946	2	Zachariæ promittitur filius Johannes.	
3947		CHRISTUS JESUS naſcitur: Æra autem Chriſtiana incipit A. M. 3949.	

Pugna Pharſalica inter Cæſ. & Pompejum A. M. 3902.
Calendarium Julianum 3904. Cæſar interficitur 3906.
Auguſtus incipit præeſſe 3908. Æra Hiſpanica 3911.
Pugna Actiaca inter Auguſt. & Antonium 3919. Ægyptus in provinciam redacta 3920. Jani templum clauſum 3925. Minius apud German. Maroboduus apud Marcomann.

SECULUM APOSTOLORUM & TIBERII, primum poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Impp.*	*Procurat. Jud.*	*Res Eccleſiæ.*	*Papæ R.*
7		Coponius.		

A.C.	*Impp.*	*Procurat. Jud.*	*Res Eccleſiæ.*	*Papæ R.*
9		M. Ambivius.		
11		Annius Rufus.		
14	Tiberius.			
15		Val. Gratus.		
28			Baptiſat. init.	
29		Pont. Pilatus.	Jeſus baptiſatur,	
33			patitur.	
34			Paulus converti-	
37	C. Caligula.	Marcellus.	tur.	
40		Marullus.	Caligulæ ſtatua in	
40	Claudius.		templo.	Petrus.
44			Jacobus occidi-	
45		Cuſp. Fadus.	tur.	
47		Tib. Alexand.	Conc. Hieroſol.	
49		Ventidius.		
50			Targum Chaldaic.	
51		Cl. Felix.	Onkeli.	
54	Nero. I. PERSE-			
58	CUTIO.	Porc. Feſtus.		
62		Albinus.		
64		Geſſius Florus,	Templum Hier. ab-	
67	Galba.	ultimus pro-	ſolutum.	
68	Otto. Vitel.	curatorum.		Linus.
69	Veſpaſianus.	*Res Eccleſiæ.*		
70		Templum Hier. exciſum.		
73		Templum Heliopol. clauſum.		
79	Titus.			Cletus.
81	Domitianus.	II. PERSECUTIO.		
90		Aquilæ verſio Bibliorum græca.		
96	Coc. Nerva.	Familia Dav. extincta à Domit.		Clemens
97		Evangel. Johannis ſcribitur.		*A.C. 91.*
98	Trajanus.	III. PERSECUTIO.		
99		Joh. Evang. mor. Oracula defic.		

Sextus circuitus trigoni ignei A.C. 25. felix eccleſiæ ob evangelium in orbe prædicatum.

Apoſtoli florent, & cum iis Apoſtolici viri, interque eos Dionyſius Areopagita.

pagita, Martialis, Hermes, Quadratus, Ignatius, Abdias.

Hæretici res eccleſiæ turbant: Theudas, Simon magus, Hymenæus, Philetus, Phygellus, Alexander, Hermogenes, Elymas, Nazaræi; Nicolaitæ, Ebion, Menander, Diotrephes, Corinthus.

Viri celebres: Julius Hyginus aſtronomus, duo Senecæ, duo Plinii, Plutarchus, Quintilianus, Valerius Maximus, Vellej. Paterculus, Feneſtella, Pompon. Mela, Q. Curtius, Perſius, Columella, Lucanus, Sil. Italicus, Plinius, Solinus, Martialis, Quintilianus, Jul. Frontinus, Joſephus, Apollonius Thyaneus, Juvenalis, Valerius Flaccus, Tacitus.

SECULUM virorum Apoſtolicorum & Antininorum, ſecundum poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Imperat.*	*Pontif. R.*	*Patres.*	*Hæretici.*	*Vir. celeb.*
101		Anaclet.	Ariſtides, A	Baſilides	Plutarchꝰ
111		Evariſtus.	pologiæ	Carpo-	Gellius.
117	Æl. Adrianus.		aut.	crates.	Sext. Em-
	IV. Persecutio.		Juſtinus	Saturni-	pir. Scept.
			martyr.	nus.	Lucianus.
120		Alexand.	Aquila Pon-	Valenti-	Appianus
130		Sixtus.	ticus, &	nus.	Arrianus.
138	Antonius pius.		Theodo-	Bardeſa-	Svetonius
			tion, Bi-	niſtæ.	Ælianus.
140		Teleſphorꝰ.	bliorum	Marcion	Pauſanias
			interpr.	Secundi-	Phlegon
152		Hyginus.	Theophil.	niani.	Chron.
156		Pius.	Antioch.	Ophei.	Ptolemæꝰ
162	Antonin. Phil.		Polycrates.	Ptolemi-	Mathem.
	& Æl. Ver.		Polycarpus.	ani.	Juſt. hiſt.
	V. Persecutio.		Irenæus.	Heracliō	Galenus.
			Hegeſippus	Cerdo.	Diog. La-
165		Anicetus.	Melito Sard.	Colarbaſ	ert. Labeo
			Athenag.	Gnoſtici	Athenæus
173		Soter.		Montanꝰ	Epictetus.
				Tatianꝰ.	Hermogē.

A.C.	*Imperat.*	*Pontifices.*	*Patres.*	*Hæretici.*	*Viri celebres.*
177		Eleutherius.	Dionyſius Corint.	Sethiani.	Max. Tyr.
				Abeliani.	Polyænus.
			Pantænus	Antitact.	Apulejus.
180	Commodus.		Clemens Alex.	Adamiani.	Aphthon.
				Ophiſtæ. Cataphryges.	Jul. Pollux.
192		Victor.	Tertullianus.	Noctiani.	Marullus, Poeta.
193	Pertinax.		Bardeſan Syrus.	Severiani.	Florus.
				Praxeas.	Servius,
193	Severus. VI. PERSECUTIO.		Apollonii duo.	Quartadecimani.	Virgilii commentator.
			Attalus martyr.	Alogii.	

Verſio Bibliorum ſecunda Syriaca Chriſtiana Antiochiæ, Marco vulgo tributa 102.
Pantheon Romæ fulmine evertitur 110.
Bellum Judaicum ſub Trajano 113.
Terræ motus Antiochenus 1·5.
Ælius Adrianus inſtaurat Hieroſ. & vocat Æliam Capitolinam 130.
Codex Gregorianus & Hermogenianus editur per Adrianum.
Marcus, primus ex gentibus Hieroſolymitanus epiſcopus.
Juſtinus Apologiam ſcribit pro Chriſtianis 150. & martyrio coronatur 163.
R. Juda Sanctus jacit fundamenta Talmudi in Miſchnaioth.
Theodotion adornat verſionem Biblior. tert. Græcam 167.
Legio fulminatrix obtinet victoriam Antonino 174.
Lucius Rex Britan. converſus 177.
Capitolium conflagrat 188.
Victor Schiſma de Paſchate celebrat. do movet, quod cauſa eſt variorum Conciliorum.

SECULUM Origenis & Diocletiani, tertium poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Imperat.*	*Pontif. R.*	*Patres.*	*Hæretici.*	*Viri celeb.*
209		Zepherinus.	Origenes.	Helceſaitæ.	Papinianus.
211	Caracalla &		Minutius		Philoſtrat.
	Geta.		Felix.	Berylliani.	Jul. Africa-
217	Macrinus.		Zeno Vero-	Hierarchi-	nus.
218	Heliogaba-		nenſ.	tæ.	Herodian.
219	lus.	Calixtus	Jul. Afric.	Valeſii.	Oppianus.
222	Sever. Al.		Meletius.	Arabici.	Ulpianus &
224		Urbanus.	Ammon.	Novatus.	Pompon.
235	Maximin.	Pontian.	Alexand.	Sabellius.	Dion. Caſ.
	VII. PERSECUTIO.		Philoſ.	Cathari.	Plotinus.
236	Gordiani.	Anterus.	Babylas An-	Origeniſtæ.	J. Capitol.
	Pupienus.		tioch.		Modeſtin.
	Balbinus.	Fabianus.	Dionyſius	Nepotiani.	Pomponius.
238	Gord. III.		Alex.		Porphyrius.
244	Philippi.		Narciſſus	Paul. Samo-	Cenſorinus.
250	Decius.		Hieroſ.	ſaten.	Serenus
	VIII. PERSECUTIO.		Gregorius	Manes.	poeta.
252	Trebonian.	Cornelius	Neocæſ.	Seleuciani.	Lamprid.
	Gall.	cum Anti-	Thauma-		Vopiſc.
253	Æmilian.	papa.	turg.	Proclianitæ.	Al. Aphro-
	Valerian.		Cyprianus		diſæus.
	IX. PERSECUTIO.		Carthag.	Monarchici.	Stobæus.
254		Lucius.	Cyrillus An-		Amelius.
255		Stephan.	tioch.		Gallicanus.
258		Sixtus II.	Hippolyt.		Jamblichus.
259	Gallienus.	Dionyſ.	Portuenſ.	* *Imperat.*	Spartianus.
	30. Tyranni.		Victorin. Pi-	Maximinia-	Vulcatius.
268	Fl. Claud.		ctav.	nus. 284.	
270	Quintil.	Felix.	Laurent.		
	Aurelian.		martyr.	Galerius.	† *Pontif. R.*
273	Tacitus.	Eutychia-	Dorotheus.	Conſtantius	Cajus. 283.
275	Probus.	nus. †	Paulus &	296.	Marcellinus
276	Carus.		Antonius	X. PERSE-	296.
282	Diocletianus. *		eremitæ.	CUTIO.	

Symmachus ſub Severo adornat quartam verſionem Bibliorum.
Arſacidarum in Parthia ultimo Artabano peremto, Perſæ denuo imperant duce Artaxerxe.
Origenes V. verſionem Bibliorum Hierichunte & Nicopoli inventam edit, & adornat ſextam in Tetraplis, Hexaplis, Octaplis.
R. Jochanan abſolvit Talmud Hieroſolymitanum.
Gothi ſub Oſtrogotha vaſtant Mœſiam & Thraciam.
Septem dormientes ſub Decio.
Controverſiæ de iterando baptiſmo & de lapſis recipiendis: unde Concilia varia.
Primum Schiſma de eligendo pontifice Romano 252.
Valerianus à Sapore Perſa excoriatur.
Frequentes ſynodi contra Paulum Samoſatenum.
Æra Diocletiana incipit 284.
Legio militum Thebæanorum trucidatur.

SECULUM Conſtantini M. & Concilii Nicæni, quartum poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Imperat.*	*Pontif. R.*	*Patres & Viri celeb.*	*Heretici.*
304	Severus &	Marcellus.	Arnobius: Hoſius	Melet. ſchi-
	Maximinus		Cord. Lactantius.	ſmaticus.
			Frumentius: Euſtha-	Donatiſtæ.
306	Conſtantinꝰ		tius Antioch.	Coluthiani.
	&		Athanaſ. Alexand.	Arius.
	Maxent.		Cæcilianus: Meletius	Archontici.
309	Licinius.	Euſebius.	Antiochen.	Theopaſchi-
311		Miltiades.	Juvencus presbyt.	tæ.
			Spiridion Scrap.	Acaciani.
314		Sylveſter.	Sedulius presbyt.	Aetiani.
336		Marcus.	Theoph. Alexand.	Duliani.
337	Conſtanti-	Julius.	Paphnut. confes.	Eunomius.
	nus.		Didymus cæcus.	Macedonius.
	Conſtanti-		Julius Firmicus.	Photinus.
352	us.	Liber. &	Hilarius Pictavienſ.	Luciferiani.
	Conſtans.	Felix Anti-	Euſebii plures.	Joviniani.
		papa.	Cyrillus Hieroſol.	Audiani.

A.C.

A.C.	*Imperator.*	*Pontif. R*	*Patres & Viri celeb.*	*Heretici.*
361	Julianus a-		Philaſtrius: Aurel.	Aeriani.
	poſtata.		Victor: Jamblichus:	Meſſaliani.
363	Jovianus.		Macrobius: Donatus:	Lucianiſtæ.
364	Valentinia-		Vegetius.	Priſcillianus.
	nus.		Duo: Macarii.	Apollinaris.
	Valens.		S. Martinus: Optatus:	Helvidiani.
376		Damaſus.	Nilus: Ammian. Mar-	Collyridiani.
378	Gratianus.		cellinus:	
	Valentinia-		Paulinus Antioch.	Anthropo-
	nus II.		Claudianus poeta.	morphitæ.
379	Theodoſius		Baſil.M.Auſonius poeta;	Melitonii.
	M.		Greg. Nazianz.	Prædeſtinati
385		Siricius.	Gr. Nyſſenus: Epipha-	
395	Arcadius in		nius: Ephrem Syr.	
	Oriente.		Ambroſius: Chryſoſtomus: Idacius	
	Honorius in		Clarus: Hieronymus: S.Aurel. Victor:	
398	Occidente.	Anaſtaſius I.	Sextus Rufus: Themiſtius.	

Indi converſi per Frument. & Ædeſium. Saporis & Licinii perſecutio. Pax eccleſiæ & Æræ indictionum initium 312.

Lucianus martyr adornat VII. verſionem Biblior. & Heſychius VIII.

Concilium Nicænum œcum. I 325. contra Arium.

Iberi converſi captivæ mulierculæ pietate.

Athanaſius ſcribit Symbolum Romæ contra Arium, publicatum poſt CCC. annos in Concilio Toletano.

Perſecutio Ariana. Julianus templum Hier. Judæis permittit exſtruere, ſed fruſtra.

Varia Concilia *adv. Arianos*, ut Sardic. Antioch. Alexandr. *pro Arian.* Tyrium, Conſtantinop. Sirmienſe, Arelatenſe.

Gothorum dux Fridigernus baptiſatur, & Valentem perimit.

Theod. M. Theſſalonicæ 7000. milite immiſſo obtruncat.

Concil. Conſtantinop. œcum. II. an 381. contra Macedonium.

Siricius Monachos in numerum Clericorum recipit.

Ulphilas. Gothorum epiſcopus, Biblia vertit Gothice.

Hieronymi verſio Bibl. duplex in Lat. ſermonem: una ex Hebræo, altera ex LXX. Interpretibus 385.

Longobardi ſub Agelmundo regnum condunt in Moſcovia & Hungaria 393.

SECULUM Theodoſii junioris & Auguſtini, quintum poſt Chriſtum natum.

A. C.	Imp. Orient.	Imp. Occid.	Pontifices.	Viri celebres.
400	Arcadius.	Honorius.	Innocentius I.	Auguſtinus: Rufinus: Prudentius: Fortunatus: Chalcyd. Platon. Syneſius: Iſidor. Peluſ. Oroſius; Heſychius: Theodoretus. Nonnus: Sulpitius: Eutropius: Caſſianus: Cyrillus Al. Sedulius: Proſper: Socrates: Sozomenus: Paulinus: Salvianus: Hilarius Arelat. Sidonius: Caſſianus: Vincentius Lir. Gennadius: Salonius: Remigius: Vict. Utic. Æn. Gazæus. Sim Stylita: Arnob. jun. Proclus.
408	Theodoſius			
417	junior.		Zoſimus.	
418			Bonifac. I.	
423		Johannes.	Cœleſtinus.	
425		Valentinianus III.		
432			Sixtus III.	
440			Leo Magn.	
450	Martianus.			
455		Anic. Max. Avitus.		
457	Leo Thrax.	Majoranus.		
461		Severus.	Hilarius I.	
467		Anthemius.	Simplicius.	
472		Olybrius.		
473		Glycerius.		
474	Leo II. Zenon	Jul. Nepos.		
475	Iſauric.	Auguſtulus		
476		Odoacer,		
483		& ſubſequentes	Felix III.	
491	Anaſtaſ. II.	Gothi.		
492	Dioſcorus,		Gelaſius I.	
496	pat. Eur. &		Anaſtaſ.	
498	Neſtor.		Symnach.	

Arcadius & Honorius, uterque pene puer, ſub tutela Rufini & Stiliconis.

Symbolum Ambroſii & Auguſtini conditur.

Alaricus Goth. Romam capit & diripit 410. Codex Theodoſianus editur: Athaulphus Goth. Narbone ſedem figit.

Pelagius hæreſin ſpargit. Concil. Carthaginenſe. VI. 418.

Gunder. Vandal. Hiſpaniam occupat. Vengiſtus cum Anglorum Saxonibus in Britanniam. Concil. Epheſ. œcum. III. 431. contra Neſtor. Genſericus Vandalus trajicit in Africam.

Moſ. Cretenſis venditat ſe pro Moſe 432. Svevi cum Vandalis in Hiſpaniam 436. Eutyches hæreſin ſpargit,

Sy-

Synod. Epheſ. ληστρικὴ pro Eutyche. Attila graſſatur.
Venetiæ conditæ. Regn. Angl. ſub Anglo Saxonibus conditur.
Brabanti à Romanis tranſeünt ad Francorum reges.
Concilium Chalcedon. œcum. IV. contra Eutychem 451.
Primi Bavarorum duces. Norici per Severinum, & Scoti per Patricium convertuntur. Zenonis Henoticon.
Clodovæus Magnus, rex Francor. baptiſatur 484. Theodoricus Veronenſis peremto Odoacro Italiæ præeſt 493.
Anaſtaſii perſecutio contra orthodoxos.
Hæretici hoc ſeculo Neſtorius, Pelagius, Eutyches.

SECULUM Juſtiniani & Exarchatus Ravennatis, ſextum poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Imperator.*	*Pontif. Rom.*	*Viri celebres.*
514		Hormiſda.	Claud. Mamertus: Caſſio-
518	Juſtinus.		dorus; Symmachus: Boe-
523		Johannes I.	thius: Paſchaſius: Fulgen-
526		Felix IV.	tius: Alcimus: Avitus: Zo-
527	Juſtinianus.		ſimus: Pet Diaconus: Pri-
530		Bonifacius II.	maſius: Brigitta: Gregor.
531		Johannes II.	Turonenſis: Ennodius:
535		Agapetus I.	Proclus: Vigilius: Feſtus:
536		Silver. & Vigil.	Arator: Priſcianus: Pro-
555		Pelagius I.	copius: Jornandes: Sim-
560		Johannes III.	plicius & Themiſt. Vict. &
565	Juſtinus.		Agathias Hiſtor. Marcel-
573		Benedictus I.	linus comes: Primaſius:
577	Tib. Conſtantin. III	Pelagius II.	Junilius: Evagrius.
583	Mauritius.		
590		Gregorius M.	

Talmud Babylonicum abſolvitur. Ottho Benedicti 542.
Codex Juſtinianeus promulgatur 528. Belliſarius tollit Vandal. regnum 534. Totilas Romam capit. Concil. Conſtantinop. II. œcum. 553. Narſes Totilam opprimit.
Longobardi in Ital. 568. Exarchatus Ravennæ fundatur 569.
Armenii fiunt Chriſtiani. Æra Dionyſ. cond. per Dionyſ. Exiguum, abb. Rom Zech. & Lechus in Bohem. & Polon. hoc, aut ſecundum alios ſequenti ſeculo regna condunt.

SECULUM Machometi, ſeptimum poſt C. N.

A.C.	*Imperatores.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
601	Phocas.		Gregor. Turonenſis.
604		Sabinianus.	Iſidorus Hiſpalenſ.
606		Bonifacius III.	Philoponus philoſ.
607		Bonifacius IV.	Callinicus.
611	Heraclius.		Sophronius, ep. ultimus
614		Theodatus.	Hieroſol.
918		Bonifacius V.	Maximus Monach.
626		Honorius.	Jonas Anglus.
639		Severinus I.	Johannes Moſchus.
640		Johannes IV.	Thalaſſus.
641	Conſtantin. IV.		Hildephonſus.
642	Heracleonas.	Theodorus.	Smaragdus Abbas.
649	Conſtans.	Martinus.	Julianus.
652		Eugenius I.	*Varia.*
653		Vitalianus.	Phocas, Mauritio ob-
668	Conſtantin. V.		truncato, primatum con-
669	Pagonat.	Theodatus II.	cedit Papæ Bonifacio III.
676		Donus.	Coſrhoes Chriſtianis
678		Agatho.	eripit Hieroſol.
683		Leo II.	Hegira Machometi &
684		Benedictus II.	Saracenorum incepit 622.
685	Juſtinianus II.	Johannes IV.	Monotheletæ hæretici.
686	Leontius.	Conon.	Saraceni occupant Ægyp.
687	Apſimarus.	Sergius.	635. Hieroſol. à Saracenis

captæ 636. Caliphæ in Damaſco & Babylone cum ſuis Muſulmannis omnia in Alcorani leges adigunt. Concil. Conſtantin. III. œcum. VI. 680. dicta Trullana. Friſiorum converſio per Willebrodum Anglum: Flandrorum per Eligium: Weſtphalorum per Evaldum.

SECULUM controverſiæ Iconomachicæ, octavum poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Imperatores.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
701		Johannes VI.	Ægidius monachus.

A.C.	*Imperator.*	*Pontif. Rom.*	*Viri celebres.*
705		Johannes VII.	S. Bonifacius, Moguntiæ e-
708		Siſinnius I.	piſcopus.
711	Philippicus.	Conſtantinus I.	Anshelmus.
713	Anaſtaſ. II.		Beda venerab. in Anglia.
714		Gregorius II.	Damaſcenus.
715	Theodoſ. III.		Coſmas.
716	Leo Iſaurus, ico-		Clemens Altiſiodor.
731	nomach.	Gregorius III.	Alcus ſ. Albinus.
741	Conſtant. VI.		*Varia.*
742	Copronym.	Zacharias.	Saraceni trajiciunt in Hi-
752		Stephanus II.	ſpaniam 713.
757		Paulus I.	Controverſia, de imagin.
767		Conſtantinus II.	toto ſeculo durat.
768		Stephanus III.	Pelagius novum regnum
772		Adrianus.	Legionum & Aſturum con-
775	Leo IV.		dit in Hiſpan.
780	Irene cum Con-		Conſtantinop. à Saracenis
796	ſtantino VII.	Leo III.	obſeſſa 719.

Garſias regn. Arragon. condit. 724. Car. Martelli victoria contra Saracen. Hunni ex poſteritate Attilæ in Hungar. & Tranſylvaniam erumpunt 744. Pipinus rex Francor. 751. Concilium Nicænum II. œcumen. VII. 787. contra imagines. Concilium Francof. 794. pro imaginib. Longobardico regno Carolus M. finem imponit, victo Deſiderio 775. Biorno III. & IV. reges Svec. primi converſi.

SECULUM fundati imperii Germanici, nonum poſt C. N.

A.C.	*Imp. Ger.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
800	Carol. M.			Paul. Diaconus ſ.
802		Nicephorus		Walafridus.
811		Stauratius &		Eginard. Hiſt.
		Michael. I.		Freculphus.
813		Leo V.		Rabanus Maur.
814	Ludovicus I.			Turpinus.
	pius.			Ansbertus.

A.C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
816			Steph. IV.	Joh. Erigena.
817			Paſchalis I.	Strabus, gloſſæ
820		Michael II.		ordinariæ au-
824			Eugenius.	tor.
827			Valentinus.	Haymo.
828			Gregor. IV.	Bertramus.
829		Theophilus.		Hincmarus.
840	Lotharius I.			Hulder. Epiſc.
842		Michael III.		Auguſtanus.
844		& Baſilius	Sergius II.	Photius Patriar-
847		Macedo.	Leo IV.	cha.
855	Ludovicus II.		JOHANNA IIX	Otfridus.
857			Bened. III.	Godeſcalcus hæ-
860			Nicolaus.	reticus.
867			Hadrianus.	Methodius in
872			Johan. IX.	Slavonia.
875	Carolus II. Calvus.			Ado Viennenſ.
877	Ludovicus III. Balbus.			Paſchaſius.
879	Carolus III. Craſſus.			Anſgarius.
882			Martin II.	Theophylactus.
884			Adrin. III.	Remigius.
885			Stephan. V.	Oecumenius.
886		Leo VI.		Simeon meta-
887	Arnulphus.			phraſtes.
891			Formoſus I.	Anaſtaſius bi-
895			Bonif. VI.	bliothecarius.
896			Stephan.	
897			Romanus I.	*Varia.*
			Theod. II.	
			Johannes X.	Septima trigoni
899	Ludov. IV.		Bened. IV.	ignei revolutio

819. triſtis eccleſiæ propter utriuſque Antichriſti incrementa. Bella Caroli M. & Witekindi. Ludovicum Imper. filii exagitant. Saraceni in Italiam. Lotharius cum fratrib. bella gerit. Schiſma eccleſiarum Græcarum & Latinarum. Borivorius, primus rex Chriſtianus in

in Bohemia. Diviſio Calyphatus in Syria & Ægypto. Nihil ſani in Pontificibus.

SECULUM OTTONUM, decimum poſt Chriſtum natum.

A.C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
902			Leo V.	Wittichius.
903			Chriſtoph. I.	Regino Ab-
911	Conrad. I.	Alexander.	Sergius III.	bas.
912		Conſtantinus VIII.	Anaſtaſ. III.	Vitellio Opt.
			Lando I.	Rathbodus.
			Johan. XI.	Ratherius.
919	Henricus I. au-	Zoe.	Leo VI.	Luitprandus.
	ceps Saxo.	Romanus I.	Stephan. VIII.	Razes Med.
		Conſtantinus IX.	Joh. XII.	Almanſor
		Stephanus.	Leo VII.	Arabs.
			Stephanus IX.	Dunſtanus.
			Martinus III.	Roſwinda.
936	Otto I. magnus	Chriſtophorus.	Agapetus II.	Aimoinus.
			Johan. XIII.	
			Leo VIII.	*Varia.*
			Bened. IV.	
		Roman. II.	Johan. XIV.	Berengari-
			Donus II.	us in Italia
959		Rom. III.	Bened. V.	imperium
963		Nicephorus II.	Bonifac. VII.	Germ. infe-
969	Otto II.		Bened. VI.	ſtat.
973		Johannes Zimiſces	Johan. XV.	Henricus
975			Johan. XVI.	I. Marchio-
		Baſilius & Conſtan-	Johan. XVII.	nem Auſtriæ
		tinus X.	Gregor. V.	Brand. & Miſ-
983	Otto III.		Johan. XVIII.	niæ inſtituit.
			Sylveſt II.	Baſilius,

primus Moſcoviæ dux magnus, Chriſtianus. Micislaus, primus dux Chriſtianus Poloniæ. Calypharum poteſtas vileſcit inter Saracenos.

SECULUM Henricorum, undecimum poſt C. N.

A. C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1001	Henric. II.		Johannes XIX.	Arnulphus.
1003	Sanct.		Johan. XX.	Zonaras.
1009			Sergius IV.	Avicenna.
1012			Benedictus VII.	Berno.
1024	Conrad. II.		Johan. XXI.	Bruno Herbip.
1028	Saliq.	Roman. IV.	Benedict IX.	
		Zoe.	Gregor. VI.	Guido Aretinus
1033		Mich. IV.		Muſ.
		Mich. V.	Sylveſt. III.	Fulbertus.
1039	Henric. III.	Conſtant. IX.	Clemens II.	Xiphilinus.
	Niger.		Damaſus II.	Nicetas.
1044		Theodora.		Marianus Sco-
1046		Mich. VI.	Leo IX.	tus.
1048		IſaciusComne-	Victor. II.	Benno.
		nus.	Stephan. IX.	Lanfrancus.
1055		Conſtantin.	Benedict. X.	Herm. Contra-
		XII.	Nicol. II.	ctus.
1056	Henric. IV.	Eudoxia.	Alexand. II.	Cedrenus.
10;8		Roman. V.	Gregor. VII.	Lambertus
1059			Clemens III.	Schaffn.
1061		Mich. VII.		Mich. Pſellus.
1073		Nicephorus	Victor III.	Algerus.
		III.		Per. Damianus.
				Anshelmus.
1081		Alex. Comne-	Urbanus II.	Sigebert hiſt.
		nus.	Paſchalis II.	Curopalates.
				Hiſt.

Varia.

Reges Caſtiliæ ex regibus Arragoniæ. Scholaſtica theologia incipit. Berengarii hæreſis. Hildebrandina hæreſis. Carthuſianorum ordo. Bellum ſacrum adverſus Saracenos, 1088. Hieroſolyma Saracenis erepta, 1099.

SECU-

SECULUM Frid. Barbaroſſæ, XII. poſt. C. N.

1101	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1106	Henricus V.		Sylveſt. IV.	Rupert. Abbas.
1118			Gelaſius II.	Helmoldus.
		Joh. Comne-	Gregorius	R. Sal. Jarchi.
		nus.	VIII.	Pet. Alphonſ.
1125	Lotharius II.		Calixtus II.	Bernhardus.
	Saxo.		Honor. II.	Joach. Abbas.
			Innocentius.	Irnerius.
1137	Conradus III.		Cœleſtinus.	Honor. Augu-
	Svevus.			ſtod.
1143			Lucius II.	Robertus Ketti-
		Manuel Co-		nenſ.
		mnenus.	Eugen. III.	Gvil. Tyrius.
			Anaſtaſ. IV.	Hugo de S. Vi-
1152	Fridericus I.			ctore.
	Barbaroſſa.		Adrian. IV.	Richardus de S.
				Victore.
			Alexand. III.	Otto Friſing.
				Petr. Cluniac.
			Lucius III.	Gratianus.
1180		Alexius II.	Urbanus III.	Lombardus.
1183		Andronicus.		P. Comeſtor.
			Gregor. VIII.	Averroes.
1185		Iſ. Angelus &		Meſua.
1190	Heinricus VI.	Alex. III. &	Clemens III.	Maimonides.
	aſper.	IV.	Cœleſtinus III.	Abenezra.
1197	Philippus.		Innocentius	R. David Kim-
			III.	chi.
				Saresberienſis.
				Hildegardis.
				Eliſabetha.
				Euſtach. Homeri
				comment.

Varia.

Regnum Hieroſ. novum. Pomeranorum converſio. Ordo Præmonſtratenſium & Templariorum. Mediolanum dirutum. Decreta com-

compilantur & Sententiæ Lombardi. Henricus Leo provinciis exutus. Livonia detecta. Hieroſolyma Chriſtianis erepta 1196. Ordo Teutonicus. Verſio Bibliorum Arabica. Tartarorum eruptiones. Tumultus Gvelphorum & Gibellinorum.

SECULUM initii Auſtriacorum Imperat. XIII. poſt C. N.

A.C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1204		Alexius V.	Honor. III.	Franciſcus.
1207	Otto IV.			Dominicus.
1216		Balduinus.	Gregor. IX.	Albertus M.
				Urſpergenſis.
		Henricus.	Cœleſtinus IV.	Raym Lul.
				Petr. Vin.
12'8	Fridericus II.		Innocent. IV.	Gvil. Pariſ.
1243		Petrus.		Alex. Alcſ.
1250	Interregnum,	Robertus.	Alexand. IV.	Saxo Gramm.
	in quo Con-	Balduinus.	Urbanus IV.	Lyra.
	radus IV.	Mich. Palæolo-	Clemens IV.	Hugo Card.
1271	Wilhelmus.	gus.	Gregor. X.	Accurſius.
				Vincentius.
	Richardus.		Innocent. IV.	Bonavent.
	Alphonſus.			Thomas Aqui-
			Adrian. V.	nas.
1273		Andronicus.	Johan. XXII.	Durandus.
1276	Rudolph. I.		Nicol. III.	Johan. de S. Bu-
1278	Habſpurg.	Mich. IX.	Martin. IV.	ſto.
1281	Adolphus.	Conſtant. XIII	Honor. IV.	Alphonſus rex
1288	Naſſovius I.			Pet. Hiſpanus.
			Nicol. IV.	Jac. de Vorag.
1298	Albert. Auſtr.		Cœleſt. V.	Ægid. Romani
			Bonif. VIII.	Matth. Pariſ.

Varia.

Imperium Orientis dividitur in Conſtantinop. Adrianop. & Trapezunt. Tartari Babylon. & Perſiam occupant. Mammalucci Ægyptum occupant 1245. Actiolinus in Italia tyrannus. Albingenſes damnantur. Ordo Teuton. in Boruſſia. Decretales Greg: IX. Ordo flagel-

flagellantium. Ferdinandus III. Saracenos pellit ex Hiſp. Veſperæ Siculæ 1282. Ottomann. regni initium 1297. Feſſa incipit haberi altera ſedes Machometanorum.

SECULUM Caroli IV. XIV. poſt C. N.

A. C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1303			Bened. XI.	Alanus.
				Niceph.
1305			Clemens V.	Calliſtus.
1308	Henricus			Gregoras.
	VII.			Joh. Duns Sco-
1314	Ludovicus	Andronicus	Joh. XXII.	tus.
	V.&Frid.	Jun.	Nicol. V.	Occam.
	Auſtriac.		Bened. XII.	Marſil. Patav.
1338		Calo Johan. Pa-	Clemens VI.	Guido Carm.
		læolog.	Innoc. VI.	Taulerus.
1346	Carolus IV.	Joh. Cantacu-	Urbanus V.	Bertrand.
		zenus.	Gregor. XI.	Dantes Aligeri-
				us.
			Urban. VI. Romæ,&Clem.	Petrarcha.
				Wicleff.
			VII. Aven.	Boccatius.
1378	Wencesla-	Andronicus III		Bartolus.
	us.	Manuel.	Bonif. IX.	Baldus.
			Benedict. XIII	Guil. Paradin.
				Froſſardus.

Varia.

Jubilæus I. Romæ. Inventio uſus magnetis. Templarii deleti 1307. Turcorum principes ſe Tartaris opponunt, interque eos Ottomanni. Conſtitut. Clementinæ. Libertas Helvetiorum. Turcæ in Europam. Comitia Francof. & Spirenſ. contra Papam. Schiſma Pontificum per L. annos. Bambardæ repertæ. Inventio bombardorum 1370 Tamerlanes ſævit & Bajazethem capit. Stuartorum in Scotia initium 1370. Reges Arragoniæ Siciliam occupant. Schiſma Pontificum per L. annos.

SECULUM captæ Conſtantinopol. XV. poſt C. N.

A. C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1400	Rupertus.		Innocentius VII.	Petrus Dreſdenſ.
1406			Gregor. XII.	Johan. Huſs.
1409			Alexand. V.	Hieron. Prag.
1410	Jodocus.		Johan. XXIII.	Joh. Gerſon.
1411	Sigismund.		Martin. V.	Joh. Turrecremata.
1418		Johannes Andron.	Clemens VIII.	Thomas de Kempis.
				Zabarella.
1438	Albert. II.	Johannes Manuelis.	Eugen. IV.	Panormitanus.
1440	Fridericus III.		Felix V.	
		Conſtantinus XIV.	Nicol. V.	P. Burgenſis.
			Calixtus III.	Theod. Gaza.
1453		MACHOMET.		Georg. Trapezuntius.
1459			Pius II.	
1464			Paulus II.	Chryſoloras.
1471			Sixtus IV.	Laur. Valla.
1484		Bajazeth.	Innocentius VIII.	Reuchlinus.
				Regiomontanus.
1493	Maximilian. I.		Alexand. VI.	
				Purbach.

Varia.

Janitſchari Turcorum conſtituti. Concil. Piſanum & Conſtantienſe. Georg. Caſtriotus Scanderbegus fortiter agit. Concil. Baſilienſe. Typographia inventa 1440. Conſtantinopolis capta 1453. Ferdinandus catholicus Caſtiliam & Arragoniam conjungit. Novus orbis detectus per Columbum & Americum. Regnum Congo converſum.

SECULUM Lutheri. XVI. poſt N. C.

A.C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1503			Pius III.	Marſil. Ficin.
1512		Selimus.	Julius II.	Pic. Mirandul.
1513			Leo X.	Lud. Vives.

A.C.

A. C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1519	Carolus V.	Soliman. II.		Sabellicus.
1520				Corn. Aggrippa.
1522			Adrian. IV.	Gyraldus.
1523			Clemens VII.	Ang. Politian.
1534			Paulus III.	Volaterranus.
1550			Julius III.	Comineus.
				Zabarella.
1555	Ferdinan-		Marcell. II.	Roterodamus.
1556	dus I.		Paulus IV.	Melanchthon.
				Lutherus.
				Brentius.
1560			Pius IV.	Zwinglius.
1562	Maximil II.			Oecolamp.
1666		Selimus II.		Camerarius.
			Pius V.	Budæus.
1572			Gregor. XIII.	Alciatus.
				Eccius.
				Cajetanus.
		Amurathes III		Matheſius.
1575				Flacius.
1576	Rudolphus II.			Ramus.
				Ortelius.
				Polyd. Virg.
				Bucerus.
			Sixtus V.	Urb. Rhegius.
1585			Urban. VII.	Jac. Andreæ.
1590			Gregor. XIV.	Chemnitius.
			Innocent. IX.	Calvinus.
1591				Beza.
			Clemens. VIII.	Cardanus.
1592				Scaliger.
				Ariaſmont.
				Gr. Valentia.
				Bellarmin.
1595		Machom. III.		Martyr.
				Zanchius.

Varia.

Concilium Piſanum A. C. 1511. Xeriforum in Mauritanis initium 1512. Biblia Complutenſia 1515. Ægyptus occupata à Selimo, & initium reformationis Lutheri 1517. Ruſtici tumultus 25. Roma direpta 27. Obſidio Viennæ 29. Confeſſ. Aug. 30. Art. Smalcald. 37. Interim 40. Bellum Smalcaldicum 46. Joh. Frid. Sax. 47. Obſidio Magd. 51. Paſſavienſ. tranſactio 52. Colloq. Wormat. 57. Concil. Trident. 63. Inquiſitio Hiſp. in Belgium 68. Opus Reg. Bibl. 71. Nuptiæ Pariſ. 72. Form. Concord. 74. Calendar. Novum 82. Colloq. Mompelgard. 86. Claſſis Hiſp. proflig. 88. Bellum Turcicum 92. Viſitatio Saxon. 92. Ferdin. Auſtr. perſequitur Luth.

SECULUM vaſtatæ Germaniæ, XVII. poſt C. N.

A. C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1604		Achmet.		Oſiander.
				Hunnius.
1605			Leo XI.	Lyſerus.
			Paulus V.	Baronius.
1612	Matthias.			Tremellius.
1617		Muſtapha.		Junius.
		Oſma.		Keckerman.
				Baudius.
1619	Ferdin. II.			Grawerus.
1621			Gregor. XV.	M. A. de Dominis.
				Scipio Gentil.
1623		Amurath. IV.	Urbanus. VIII.	Thuanus.
				Mornæus.
				Gothofredus.
				Menzerus.
				Meiſnerus.
				Balduinus.
				Franzius.
1637	Ferdinandus III. †1657.			Winckelman.
				Gerhardus.

A. C.	*Imp. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
1640		Ibraim.		Grotius.
1644			Innocent. X.	Dorſchæus.
1647		Achmet. II.		Hülſeman.
1655		Mahomet IV. 1648. inaugurat.	Alexand. VIII.	Calovius.

Varia.

Colloq. Ratisb. 1602. Oſtenda capta 1604. Reformatio Marpurg. 1605. Impetus Paſſav. Prag. 11. Pax inter Danos & Svec. 12. Jubilæus Evangel. 17. Initium belli Bohemici 8. Synodus Dordrecht. 18. Prælium Pragenſe 10. Prælia Brunſvicenſia 22. Octavus circuitus Trigoni ignei & maximæ conjunctionis, utinam felix Eccleſiæ 23. Bavaro datur Electoratus 24. Rex Sveciæ in Boruſſiam 25. Danica clades ad Lutter 26. Cæſarea hoſpitatio in Pom. 27. Guſtavus in Pomer. 30. Magdeburg. deſolatio 31. Guſtavus occumbit 32. Clades ad Nordling. 34. Prælium ad Witſtoch. 36. Cæſareani in Pomer. 37. Prælium Lipſienſe 42. bellum Sveco-Danicum 43. Carolus Angl. decollatus 1650. Carol. Guſtav. rex Svec. poſt Chriſtinam 1655. Carol. Guſtav. in Poloniam 1656. in Daniam 1657. Cæſareani cum Brandeburg. in Pomeran. 1659.

CONTINUATIO HARTNACCIANA.

A. C.	*Imper. Germ.*	*Imp. Conſt.*	*Pontifices.*	*Viri celebres.*
		Mahomet. IV.		J. C. Dannhuaer.
		deturbatur.		J. A. Scherzerus.
1658	Leopoldus	A. C. 1689.	1670. Clemens X.	Bebelius.
	Imp. coronatur 22. Jul.			J. & Seb. Schmid.
				Martin Geierus.
		Solymannus, Frater in thronum evectus obit 1694.		J. Ad. Oſiander.
			1676. Innocentius XI.	Waſmuth.
				Herm. Conring.
			1689. Alexander VIII.	A. Varenius.
				Fr. Rappoltus.
				Joh. Chr. Seldius.
		Muſtapha Muhammedis IV. Filius ſceptea capit 1698.	1691. Innocentius XII.	Val. Alberti.
				Mitternacht.
				Tob. VVagnerus.
				Æg. Strauchius.
				Mich. Siricius.
				Andr. Sennertus.

Varia.

1655. VValdenſes in Pedemontio. 58. Sociniani Polonia electi. 61. Propagatio fidei Chriſtianæ in China, & Burrus Romæ condemnatus. 62. Baronis Eduard Herbert libri editi. 65. Academia Kilonienſis conditur. 66. Sabbatai Sevi falſus Judæorum Meſſias. 68. Janſeniſmus in Gallia ſupprimitur. 70. Judæi Vienna ejiciuntur. 72. Johannes de Labadie ſeparatum cœtum Herfordiæ, poſt Altonæ inſtituit. 75. Voëtianorum & Coccejanorum in Belgio ſectæ. 76. Lyſerus Polygamiam defendit. 79. Moraliſtæ à Rom. Pontifice coërciti. 80. Judæi D. in Hiſpania publice necantur. 83. Collegium Jeſuitarum Argentorati erigitur. 85. Quietiſtarum ſecta in Italia autore Michaele Molinos. 89. Pietiſtæ autore Philippo Jacobo Spenero capita paſſim in Germania exerunt. 90. Jeſuitæ nonnulli de Peccato Philoſophico contendunt. 98. Confœderatio Principum nonnullorum defendendæ religionis cauſa.

A01 14(3413

61.
tus.
enſs
anſe-
72.
nſli-
ferus
80.
rum
naele
aſſim
y.

Digitized by Google